5C.21.Pl.5.



MAG 3252



Digitized by Google

Digitized by Google

MORALIS
CHRISTIANA
E SCRIPTURA SACRA,
TRADITIONE, CONCILIIS, PATRIBUS; ET INSIGNIORIBUS THEOLOGIS EXCERPTA,

In qua positis & statutis principiis generalibus deducuntur Consectaria; quibus casus conscientiæ sigillatim explicantur.


AUCTORE

R. P. JACOBO BESOMBES D. T.

EDITIO OMNIUM RECENTISSIMA,

Cui adduntur in Calce Tomi Secundi Epitome plurium Bullarum, & Doctrinæ Moralis & Canonicæ ex Operibus BENEDICTI XIV. desumptæ, necnon Monita Sancti Caroli Borromæi ad Confessarios, Canones Pœnitentiales, Propositiones damnatæ, Casus reservati, aliaque multa ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantia, tandem locupletissimus Index Materiarum, qui in Editionibus anteactis desiderabatur.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS,
APUD FRANCISCUM EX NICOLAO PEZZANA.

MDCCLXXV.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Quisquis hæc legit; ubi pariter certus est; pergat mecum; ubi pariter hæsitat; quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum; revocet me: & ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. *August. lib. 1. de Trin. capit. 3.*

INDEX
TRACTATUUM ET CAPITUM
QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

TRACTATUS PRIMUS.
De præceptis Ecclesiasticis.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

Conse-

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

De variis hominum statibus.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS V.
De Statu Religiofo.

TRACTATUS VI.
De Statu Clericali. ibid.

a 4 *fin-*

TRACTATUS VII.

De Statu Laicali.

Con-

TRACTATUS VIII.
De Sacramentis.

Toties

Con-

Con-

Digitized by Google

SECUNDA PARS TRACTATUS

De Sacramentis.

Ergo

Digitized by Google

execu-

DE BAPTISMO
in particulari.

TRACTATUS IX.
De Scriptura Sacra.

TRACTATUS X.
De vero usu Conciliorum in resolvendis casibus conscientiae.

TRACTATUS XI. & ULTIMUS.
De usu Juris Canonici & Civilis, necnon Casuistarum.

MORALIS CHRISTIANA
EX SCRIPTURA SACRA,
Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis,
EXCERPTA.

PARS ALTERA.

TRACTATUS PRIMUS.
De Preceptis Ecclesiasticis.

Ecclesia, si Scripturam consulas, Domus est, cujus Pater est Deus: Civitas, cujus Præfectus est Dominus: Regnum, cujus Imperator est Rex Regum & Dominus dominantium. Ecclesia ovile est, cujus oves ipse Deus custodit: templum, in quo ipse inhabitat: navis, quam ipse dirigit: sponsa, quam sibi ipse in fide conjunxit: demum corpus, cujus ipsemet Christus Caput existit. *Ecclesia sola est*, inquit Gregorius lib. 35. Moral. in Job c. 7. *per quam Dominus sacrificium libenter accipiat: sola, qua pro errantibus fiducialiter intercedat .... sola est, qua intra se positos valida caritatis compage custodit .... sola est, in qua superna mysteria veraciter contemplemur. Hac sola Corpus est Christi, pro quo ipsum Caput Christus se tradidit in mortem, ut exhiberet ipse sibi gloriosam & immaculatam Ecclesiam.* De hac dixit Pater Cælestis: *Hec requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes eis saturabo panibus: Sacerdotes ejus induam salutari: & Sancti ejus exultatione exultabunt.* Imo omnium Prophetarum promissiones de justitia & vita ad hanc congregationem seu Ecclesiam pertinent. Ideo, quæ sit ejus auctoritas, hic inquirendum.

CAPUT PRÆLIMINARE.
De Auctoritate Ecclesia in condendis Legibus.

ARTICULUS PRIMUS.
Qua sit Auctoritas, quam habet Ecclesia in condendis legibus.

PRop. unica. Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes in conscientia singulos Baptizatos.

Prob. 1. Scriptura. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit*: Luc. 10. v. 16. Et Matth. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Et rursus apud Matth. 18. v. 17. *Si quis autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: ergo Ecclesia habet potestatem condendi Leges, quibus omnes Baptizati, utpote filii Ecclesiæ, teneantur obedire.

2. Ex Trid. sess. 6. Can. 20. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesia, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.*

3. *Rat.* In omni Republica bene ordinata debet esse potestas legislativa; plebs enim non potest sapienter dirigi, nisi per leges: atqui Ecclesia est Respublica bene ordinata, cum sit a Christo Domino instituta: ergo in Ecclesia debet esse potestas legislativa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quidquid universali fidelium consensu suscipitur, habet vim legis, quam nulli Baptizato licet infringere; universalis enim cœtus fidelium est Ecclesia collective. Universalem Ecclesiæ consuetudinem tamquam legem irrefragabilem Apostolus cunctis proponit. *Si quis*, inquit 1. ad Cor. cap. 11. v. 16. *videtur contentiosus esse*: ei responderi potest, *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Quo satis aperte ostendit Apostolus, consuetudinem Ecclesiæ legem esse, cui contradicere nullatenus liceat.

Sic 1. Praxis de vigilia in memoriis Martyrum. 2. Mos salutandi in osculo pacis. 3. Mos celebrandi Agapes. 4. Mos abstinendi a carnibus certis diebus. 5. Mos jejunandi certis anni temporibus, non aliunde fluxit, quam ab universalis Ecclesiæ consuetudine.

Consect. 2. Quidquid Ecclesiæ Pastores in Concilio vel generali, vel particulari, unanimi Ecclesiæ consensione recepto determinant, vim habet legis; quia Ecclesiæ Pastores sunt Ecclesia *repræsentative*, quæ uti habet lumen infallibile in statuendis fidei canonibus, ita & auctoritatem habet irrefragabilem in condendis legibus; ideo confidenter dicunt Pastores: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: Act. 15. Sic in Concilio Apostolorum, Act. 15. statuta est Lex abstinendi a sanguine & suffocatis carnibus, quæ lex diu duravit in Ecclesia, postea vero per non usum abrogata est. Sic in Concilio Nicæno statuta est lex. *Quod in die dominica, & in ipsis diebus Pentecostes .... fideles Christi resurrectionis memores, non genuflectendo, sed stando, orarent.* Can. 20.

Consect. 3. Quidquid Ecclesiæ Pastores præcipiunt extra Concilium, vim habet legis, cui subesse tenentur fideles illis Episcopis subditi; de eis enim dictum est Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*; & Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Sic Festa ab Episcopis instituta, Excommunicationes ab ipsis inflictæ, Casus sibi ab ipsis reservati, & alia hujusmodi, vim legis habent in singu-

singulorum Diœcesibus. Et cap. *Conquestus* de Feriis dicitur, celebrandas esse eas festivitates, *quas singuli Episcopi suis Diœcesibus, cum Clero & populo dixerint solemniter venerandas.*

Consect. 4. Quidquid summus Pontifex præcipit in bonum totius Ecclesiæ, vim habet legis pro tota Ecclesia, præcipue accedente Episcoporum consensu; Papa enim cum Episcopis consentientibus Ecclesiam repræsentat. Divo Petro, ejusque successoribus dictum est: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.*

Sic Festa a summo Pontifice instituta, Excommunicationes ab ipso inflictæ, Casus sibi reservati, & alia hujusmodi, vim habent legis in tota Ecclesia.

ARTICULUS II.

Ad quos extendantur Leges Ecclesiasticæ.

PRop. unica. Præcepta Ecclesiæ aut pietatem erga Deum dirigunt, aut modum sobrietati & mortificationi erga nos ipsos præscribunt, aut justitiam erga proximos, & erga Rempublicam determinant.

Prob. 1. Scriptura. Exercitium quodcumque spirituale ad tres virtutes reduci potest, scilicet, ad pietatem, sobrietatem, & justitiam, juxta illud Pauli ad Titum 2. v. 11. *Apparuit*, inquit, *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, Sobrie, & Juste, & Pie, vivamus in hoc sæculo.* Pie quidem erga Deum, sobrie erga nos, & juste erga alios; ut exponit Bernardus: ergo omnia præcepta Ecclesiæ ad tres illas virtutes reduci possunt.

2. *Rat.* Leges positivæ humanæ ut plurimum nihil novi præscribunt, sed solum legem vel naturalem, vel divinam certo modo determinant, ut patet percurrendo leges positivas tum civiles, tum Ecclesiasticas: ergo non incongrue reducimus omnia præcepta Ecclesiæ ad tria ista capita, scilicet. 1. Ad ea, quæ pietatem erga Deum dirigunt. 2. Ad ea, quæ sobrietatem, continentiam, & mortificationem erga nos ipsos determinant. 3. Ad ea, quæ justitiam vel erga Rempublicam, vel erga alios homines constituunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Pietas erga Deum lege tum naturali, tum divina cunctis hominibus præcipitur, juxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Pietas erga Deum exigit, ut certos dies divino cultui destinemus, ut actiones aliquas externas ad eumdem cultum manifestandum seligamus, & demum, ut Sacramenta, a Domino nostro Jesu Christo instituta, in signum nostræ Religionis reverenter certis temporibus suscipiamus. Tria hæc suis præceptis determinat Ecclesia: primo certos dies festivos celebrandos instituit: secundo Missæ Sacrificio, Officiisque divinis, aut aliis piis exercitiis, diebus festivis, nos devote assistere præcipit: demum quibus temporibus Christi Sacramenta debeamus recipere speciali præcepto præfigit.

Consect. 2. Sobrietas, continentia, mortificatio, pœnitentia &c. cunctis hominibus imperantur. *Fratres sobrii estote*, inquit Petrus 1. 5. v. 8. *animas vestras castificantes*, inquit idem Apostolus, ibid. cap. 1. v. 22. *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*, inquit Paulus 2. ad Corint. 4. v. 10. Pœnitentiam vero his verbis solemnibus præcipit Christus: *Pœnitentiam agite*. Matth. 4. v. 17. quæ singula Paulus ad Rom. 13. vers. 13. his verbis complexus est: *Sicut in die*, inquit, *honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitiis.* Vagas illas de prædictis virtutibus leges determinat Ecclesia, statuendo alios dies, quibus a carnibus solum abstineamus; alios vero, quibus & a carnibus abstineamus, & jejunio ecclesiastico corpus maceremus, alios etiam, quos luctui & pœnitentiæ destinemus; demum seligendo tempus, quo nuptias solemniter celebrare nequaquam sit licitum.

Consect. 3. Justitia, qua unicuique reddamus quod suum est, cunctis hominibus imperatur; primo quidem hac lege naturaliter insita: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; & multis insuper Scripturæ textibus, sed præcipue isto divi Pauli ad Timotheum 1. Cap. 6. vers. 11. *Tu autem, o homo Dei ... sectare justitiam.* Sed vaga justitiæ officia suis præceptis Ecclesia determinat, dum cunctis fidelibus præcipit, ut Ecclesiæ censuras religioso metu præcaveant, & ab his se absolvi incunctanter enitantur, si quas infeliciter incurreCint; quæ singula pertinent ad justitiam distributivam, pœnas infligentem. Jubet insuper, ut singuli fideles Ministris Ecclesiæ debitum honorarium, v. gr. decimas, oblationes &c. pendant; quæ singula ad justitiam quasi commutativam reducuntur.

Cuncta ergo præcepta Ecclesiæ ad hæc, quæ hic recensentur, referri possunt. *Dies festos ab Ecclesia præscriptos celebrato.* 2. *Missam integram singulis festis atque diebus dominicis reverenter audito.* 3. *Sacramenta, cum opus est, religiose sumito; peccata semel in anno proprio Sacerdoti confitero, & Eucharistiam semel saltem in anno, idque circa festum Paschale, sumito: matrimonium temporibus prohibitis ne contrahito.* 4. *Indicta certis diebus jejunia, & a nonnullis cibis, quo tempore illorum usus prohibitus est, abstinentiam servato.* 5. *Justum honorarium Sacerdotibus pendito.*

DE PRÆCEPTIS ECCLESIASTICIS

quæ cultum Religiosum erga Deum & Sanctos respiciunt.

CAPUT II.

In quo explicatur primum Ecclesiæ Præceptum, scilicet:

Dies festos ab Ecclesia institutos celebrato.

ARTICULUS I.

An Ecclesia habeat authoritatem instituendi dies festivos.

PRop. unica. Ecclesia habet auctoritatem instituendi dies festos, quibus Populus Christianus debet & a servilibus abstinere, & piis operibus vacare, non secus ac diebus Dominicis.

Prob. 1. Scriptura. Synagoga præter dies festos a Domino præscriptos, alios instituit, quibus Judæi & a servilibus vacabant, & piis exercitiis occupaban-

pabantur: ergo idem præstare potest Ecclesia, quæ haud dubie non minorem accepit auctoritatem a Christo, quam Synagoga a Deo. Quod autem festos dies Synagoga instituerit, patet ex his. Primo, tempore Judith institutus est festus, quo recolebatur liberatio ab impetu Holofernis; sic enim habetur Judith 16. v. 31. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.* Secundo, tempore Esther institutus est festus, quo Populus liberatus fuit ab impio Aman; sic enim habetur Esther 16. v. 21. *Hanc enim diem, Deus omnipotens, mæroris & luctus, eis vertit in gaudium: unde & vos, inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, ut & in posterum cognoscatur.* Tertio, tempore Machabæorum institutum est festum dedicationis Templi; sic enim habetur 1. Mach. 4. v. 59. *Et statuit Judas & fratres ejus & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies festus dedicationis Altaris in temporibus suis, ab anno in annum.* Quam festivitatem ipse Christus celebrare non dedignabatur, cum Judæi ipsum in Templo convenerint, dum fierent Encænia, id est, celebratio dedicationis Templi: Joan. 10. v. 22. Quarto, institutus est festus in memoriam victoriæ relatæ contra Nicanorem: ut habetur 2. Mach. 15. v. 46. *Itaque*, inquit Textus sacer, *omnes communi consilio decreverunt, nullo modo diem istum absque celebritate præterire.* Ergo sicut Synagoga dies festos instituit, ita & Ecclesia potest dies festos instituere; & sicut solemnitates a Synagoga institutæ religiose observabantur a Judæis; ita & solemnitates ab Ecclesia institutæ religiose observandæ sunt a Christianis. *Si enim*, ut dicit Paulus, *qui per Angelum*, idest per Synagogam, *dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem*, quæ nobis ab Ecclesia confertur per solemnitates, quas instituit? Hebr. v. 1.

2. Ex Catechismo Trid. part. 3. de festorum observantia num. 20. Præter dies Dominicos, *alios dies festos ab Ecclesiæ initio, & consequentibus deinde temporibus, Apostoli & Sancti Patres nostri instituerunt, ut pie & sancte Dei beneficiorum memoriam coleremus.* Cum autem Christum, Mariam, & Sanctos, inquit idem Catechismus, festo a suo peculiari recolimus, in horum *victoria Dei bonitas & potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur.* Quod autem illorum festorum observantia vim strictæ legis habeat, ex eo patet, quod Concil. Trid. sess. 25. c. 12. velit dies festos per Episcopum institutos ab ipsis Regularibus exemptis observari. *Dies*, inquit, *etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.*

3. *Rat.* Festivitates Ecclesiæ ob variatas cæremonias, quæ his diebus in Templis exercentur, & ob cultum religiosum, qui Populo præcipitur, sunt ad instar memorialis publici, quo & Dei beneficia recoluntur, & Christi mysteria repræsentantur, & vita Sanctorum cum Christo regnantium imitanda proponitur; ergo cum ad Ecclesiam pertineat cultum omnem religiosum determinare, ad eam pariter pertinet dies festivos instituere; qui dies festivi observandi erunt, sicut *Sabbatum*, *si Ecclesia decreverit observandos.* Cap. *Licet* de feriis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Principes sæculares, Consules, Populi, demum ii omnes, qui habent tantum auctoritatem sæcularem, possunt quidem dies *feriales* instituere, minime vero dies *festivos* consecrare: possunt dies feriales instituere, quibus vel in honorem natalis Principis, vel in signum publicæ lætitiæ, vel ob alias causas populi abstineant ab omni opere servili, judices ab omni forensi exercitio vacent, & alia hujusmodi exercitia quiescant, quæ singula ad bonum Reipublicæ regimen possunt pertinere; quia ad hæc omnia extendi potest auctoritas civilis: sed non possunt dies festivos consecrare, quibus fideles teneantur sub peccato iisdem exercitiis vacare, quibus vacare tenentur, quoties dies festivi ab Ecclesia instituuntur; quia festorum institutio ad auctoritatem spiritualem pertinet, quæ Principibus sæcularibus nequaquam competit.

Consect. 2. Dies festivi ab Ecclesia instituti debent eadem religione observari, qua dies Dominici; quia Christus absolute dixit: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Etenim si Judæi pari cultu observabant dies festivos, institutos a Synagoga, ac eos quos Deus celebrandos præceperat; quidni idem præstabunt Christiani in festis ab Ecclesia institutis?

Quia autem religione observandi sint dies festivi, diximus in primo tomo, explicantes tertium Decalogi præceptum: ostendimus, quid jus naturale & divinum illis diebus jubeat, quidve interdicat; jam vero ostendendum quid jus Ecclesiasticum illis iisdem diebus interdicat, quidve jubeat. Ideo sit

ARTICULUS II.

Quid Ecclesia interdicat diebus Dominicis & Festis.

Prop. *unica*. Præter peccata, quæ omni tempore prohibentur, præter opera servilia, quæ lege divina diebus festis interdicuntur, Ecclesia his diebus specialiter vetat ea tripudia, ea specticula, ea convivia, quæ a solemnitatibus paganorum in festivitates Ecclesiæ, malitia dæmonis irrepserunt.

Prob. 1. Script. Deus rejecit solemnitates Judæorum, ut patet ex Isaia 1. v. 14. *Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta. Laboravi sustinens.* Ubi patet etiam ex Amos 5. v. 21. *Odi & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Atqui Deus idem maxime rejecit solemnitates Judæorum; quia festivitatibus suis admiscuerant Paganorum impietates, ut notant iidem Prophetæ: *Confundentur enim*, inquit Isaias 1. v. 29. *ab Idolis quibus sacrificaverunt. Et erubescetis super hortos*, quos ad Sacrificium elegeratis: & Amos 5. v. 23. *Aufer a me tumultum carminum tuorum, & Cantica Lyræ tuæ non audiam*; quibus instrumentis utebantur pagani in suis sacrificiis: ergo Ecclesia sapienter prohibet semper, sed præcipue diebus festis ea tripudia, ea spectacula, ea convivia, quæ a Sacrificiis paganorum ad solemnitates Ecclesiæ malitia Dæmonum irrepserunt.

2. Ex Concilio Trid. sess. 28. de veneratione Sanctorum, ubi sic habetur: *Sanctorum celebratione, reliquiarum visitatione, homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum & lasciviam agantur*: ergo Ecclesia interdicit diebus festis ea, quæ ad luxum, vel lasciviam, comessationes, vel ebrietates possent incitare.

3. *Rat.* Festivitates Christianorum nihil debent admittere eorum, quæ ab idololatria fluxerunt. *Quæ enim*, inquit Paulus, *participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli? demum qui consensus Templo Dei cum Idolis?* Atqui tripudia, spectacula, convivia &c. malitia Dæmonis in festivitates Christianorum irrepserunt; is enim est, qui, ut Sapiens innuit Eccles. 33: v. 9. *immutavit tempora, & dies Festos ipsorum*, & effecit, ut impii homines Idololatricis illis ritibus adhærescentes, *dies Festos celebrarent ad horam*, vel, ut ait David, *Quiescere fecerunt omnes dies festos Dei a terra*. Ergo Ecclesia optimo jure ea omnia prohibuit, quæ ab Idololatria fluxerunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicita sunt omni tempore profana tripudia, sed præcipue diebus festis; eo enim tempore lætandum, sed lætandum in Domino. *Beatus*, inquit David, *populus, qui scit jubilationem*. Beatus qui una cum Habacuc in solo Deo lætatur: *Ego autem*, inquit, *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*. Habacuc 3. v. 18. *Lætemur*, inquit Aug. diebus Festis, *non saltando, sed orando; non potando, sed jejunando*; & Tertullianus sic idololatricum illud gaudium sectatur: *Siccine*, inquit, *exprimitur publicum gaudium per publicam dedecus? Haccine solemnes dies decent quæ alios dies non decent ... malorum morum licentia pietas erit; occasio luxuriæ religio deputabitur?* Apolog. 35.

Consect. 2. Quamvis Choreæ, Comœdiæ, & alia hujusmodi spectacula non essent ex se prohibita; ea tamen Ludicra fidelibus interdicit Ecclesia, omni quidem tempore, sed præcipue diebus festis; sic enim habetur dist. 1. de consecr. Can. 67. *Qui die solemni, prætermisso solemni Ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicetur*. Et dist. 3. de consecr. Can. 2. sic legitur: *Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit. Populi, qui debent officia Divina attendere, saltationibus & turpibus invigilant Canticis: non solum sibi nocentes, sed & Religiosorum Officiis perstrepentes; hoc etenim, ut ab omnibus Provinciis depellatur, Sacerdotum & Judicum a Concilio Sancto cura committitur*. De Christianis, qui modo divinis officiis, modo diabolicis assistunt spectaculis, sic loquitur Augustin. Lib. 1. de Civit. Dei cap. 35. *Modo cum paganis theatra, modo Ecclesias nobiscumque replentes*: & alibi. *Implentur*, inquit, *Ecclesiæ, & ab ipsis curritur ad Amphitheatrum*. Et explicans illud Psalmi 61. v. 5. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant*, hæc habet: *Hi sunt, qui portant Sacramenta Christi, & oderunt præcepta Christi: qui Solemnitatibus Jerusalem implent Ecclesias, & solemnitatibus Babyloniæ implent Theatra*. Quam festorum profanationem ipsi sæculares Imperatores sanctissimis legibus interdixerunt; sic enim legitur c. *de feriis* l. finali. *Nec hujus tamen*, inquit Imperator, *Religiosissimi diei otio relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena Theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula. Et, si nostram ortum, aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur*. Quod satis indicat, sacratissimos Imperatores non pati publicis etiam gaudiis Festivitates Ecclesiæ commaculari. Et ut hæc lex exactissime observetur, hanc subjicit pœnam: *Amissionem militiæ, proscriptionemque patrimonii sustinebit, si quis unquam hoc die Festo spectaculis interesse tentaverit*. Idem prohibent edictum Aurelianense artic. 23. & decl. Lud. 14. ann. 1698.

Consect. 3. Etsi comessationes sint omni tempore interdictæ, strictius tamen inhibetur diebus festis; sic enim habet Jus Canonicum dist. 44. can. 1. *Sunt autem*, inquit, *comessationes, non solum Sacerdotibus, sed etiam & Laicis noxiæ, qui festivos & solemnes dies non aliter se digne celebrare putant, nisi comessationibus deserviant*. Quasi, ut optime notat Aug. enarratione in Ps. 41. n. 9. *excusetur Festivitate luxuria. In domo Dei Festivitas sempiterna est; non enim ibi aliquid celebratur & transit: Festum sempiternum, chorus Angelorum: vultus præsens Dei, lætitia sine defectu*. Ergo in contemplatione Dei, quæ nutrimentum est animæ, in audiendo Verbo Divino, quod cibus est hominis Christiani, non in carnalibus comessationibus, peragenda est Festivitatum solemnitas.

Consect. 4. Etsi ludus, jocus, otium, aliæque mentis relaxationes, corporisque oblectamenta non sint ex se licita, peccatur tamen graviter, si etiam post Missam auditam his recreationibus toto die festivo indulgeatur: ita illud explicat Cajetanus verbo *Festum*, ubi sic loquitur. *Licet*, inquit, *cum abstinentia a servilibus solius Missæ cultus sufficiat in Festo ad evitandum mortale peccatum; tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem & vesperas. Unde qui festos dies post Missam vane consumunt ludendo, jocando, otiosèque vagando, aut venando, spectaculis intendendo, & hujusmodi, licet ex ipsis operibus, utpote non servilibus, mortale non incurrant; ex omissione tamen divini Cultus, ad quem Festa instituta sunt, GRAVITER peccant; quia non reddunt quæ sunt Dei, Deo; & quia, quantum in se est, ridiculo exponunt christiana Festa, juxta illud: Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus. Et hoc præcipue tangit viros graves, & majores, & dominos; cæteri namque eos imitantur*. Hactenus Cajetanus.

ARTICULUS III.

Quid ultra Missam Ecclesia præcipiat diebus Dominicis & Festis.

PRop. unica. Ecclesia præcipit, ut diebus Dominicis & Festis, fideles præter Missam vacent aliis pietatis operibus.

Prob. 1. Scriptura: *Memento ut diem Sabbati*, id est Festivum, *sanctifices*: ergo dies Festivus debet Domino sanctificari; ergo debet totus Divino Cultui consecrari. *Ea quippe*, inquit D. Thom. *dicuntur sanctificari, quæ Divino Cultui applicantur*. Sicut enim

enim locus Deo facer non debet nisi usibus Sacris inservire; ita dies Deo sacra non debet nisi piis operibus, quantum patitur humana fragilitas, destinari.

3. Ex Iure Canonico dist. 3. de consec. can. *jejunia*, ubi sic legitur: *Die Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum; nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum Hymnis & Psalmis, & canticis spiritualibus dies illa transigatur.*

3. Rat. Ecclesia, Festivitates instituendo, dies illas Divino Cultui destinat: atqui dies non potest censeri Divino Cultui destinata, nisi piis operibus transigatur: ergo præter Missam, dies illa in exercendis pietatis operibus debet insumi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Diebus festis possumus occupari in cantandis divinis laudibus, ut monet Concil. Turonense ann. 1583. *Oportet*, inquit, *omnes Christianos in laude Dei, & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare*. Et capite primo de feriis, sic habetur: *Omnes dies Dominicos a vespere ad vesperam cum omni veneratione decernimus observari.* Ideo horeandi sunt Populi, ut una cum Clero cantandis divinis laudibus Festis occupentur.

Consect. 2. Diebus festivis possumus occupari, audiendo, legendo, & meditando Verbum Dei; ea enim fuit & Synagogæ, & Ecclesiæ consuetudo, ut semper, sed præcipue diebus festis, Plebs Verbo Dei audiendo legendo, & meditando insisteret; cum enim Esdras voluisset plebem ad Deum reducere, in solemni Festo verba legis recitat, explicat, & populo meditanda proponit. *Attulit ergo*, inquit Script. *Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi, & legit in eo aperte .... & aures omnis populi erant erecta ad librum .... & Levitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem, populus autem stabat in gradu suo.* Lib. 2. Esdræ c. 8. v. 2. Et Act. 13. legitur, quod Paulus & Barnabas invitati sunt a Judæis, ut post Lectionem Sacram dicerent aliquid plebi: *Ingressi*, scilicet Paulus & Barnabas, *Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post Lectionem autem legis, & prophetarum, miserunt principes ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite.* Omni enim tempore, sed præcipue diebus festis exequendum est istud Divinum monitum. *Eruntque verba hæc, qua ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ....* Deut. 6. v. 6. & rursum: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate, docete filios vestros, ut ea meditentur.* Deut. 11. v. 18. Saltem ea est Ecclesiæ intentio, ut fideles omnes assidue publicæ Verbi divini Prædicationi assistant; si enim ex Concil. Trident. sess. 5. cap. 26. Episcopis, Archipresbyteris, & Parochis stricte injungatur, ut *diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant*; si, inquam, munus prædicandi verbum Dei Episcopis, & Parochis injungatur, consequens est, ut dicit Trid. sess. 24. cap. 4. *Teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.*

Consect. 3. Diebus festis possumus occupari variis misericordiæ operibus, quibus proximorum miseria sublevetur: sic enim grata erunt Deo & Cantica, quæ in laudem ejus canimus, & Verbi Divini auditio, quod in nostri instructionem a Pastoribus suscipimus; ita jubet Nicolaus primus, scribens ad Bulgaros c. 11. *Sane sciendum*, inquit, *quoniam idcirco diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus insistere, Orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare, valeat Christianus*, illud idem inculcat Aug. in illud Psalmi, *Omnes gentes plaudite manibus*, ubi sic habet: *Manus gentium sunt facta bene operantium: videas, qui gaudia donare dignatus est, si tantum voce, non bene; quia pigra sunt manus: si tantum manibus, nec hoc bene; quia muta est lingua: concordent manus & lingua, ista confiteatur, illa operentur.*

ARTICULUS IV.

In quo quasi historice describitur, quo modo Ecclesia dies Dominicos, & Festos ordinaverit.

Cum juxta Aug. Lib. 16. De civ. Dei cap. 46. Ecclesia dies festos præscripserit, ut his Dei memoriam consecraremus, ne volumine temporum ingrata subreperet oblivio; ideo, quæ fuerit Ecclesiæ mens in ordinandis diebus Dominicis, & Festis instituendis, hic quasi historice describemus.

§. I. *Quid Ecclesia.*

Ecclesia est, non ligna, non lapides, non vasa, aut alia ejusmodi, quæ in Templis cernimus; sed Ecclesia est plebs suo adunata Pastori visibili, & Pastor visibilis conjunctus Christo. Hæc autem fidelium collectio Civitas est Sancta, cujus Rex Christus est, cujus Præfecti sunt Pastores, cujus cives sunt credentes in Christum, eique adhærentes. Civitas hæc cives habet ubique dispersos, in Cælo scilicet, in Purgatorio, & in omni terrarum loco. Qui sunt in Cælo, ibi plene purgati regnant cum Christo: qui sunt in Purgatorio, ibi patiuntur, donec plene purgentur: qui sunt in terris, ibi dimicant, donec coronentur. Ideo Ecclesia dicitur triumphans in Cælo, militans in terra, patiens in Purgatorio. Ecclesia autem tum triumphans, tum patiens, tum militans, duplex habet Sacrificium, scilicet, Sacrificium laudis, & Sacrificium corporis Christi; quo duplici Sacrificio, laudis scilicet, & Corporis Christi digna est, quæ se offerat per Sacerdotes Christo, & per Christum offerat se Deo

§. II. *Quomodo Ecclesia Sacrificium laudis & Corporis Christi Deo offerat.*

Ecclesia Spiritu Sancto directa Sacrificium laudis, & Christi sic partitur.

Laudis Sacrificium perpetuum est in Cælis, ubi Sancti & Angeli una cum Christo semper laudant Deum, unum in essentia, & trinum in personis, & incessabili voce proclamant; *Sanctus, Sanctus, San-*

Digitized by Google

ctus Dominus Deus Sabaoth. Hac trina repetitione Trinitatem se adorare ostendunt, inquit Ambrosius; & ut incarnationem commemorent, laudes suas in Christo, & cum Christo effundunt, ut quotidie canit Ecclesia in Missa: *Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*.

Ecclesia, quæ est in terris, optat laudes suas cum illo Cantico perenni, quod in Cælo cantatur, conjungere; ideo ait: *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes*: *Sanctus*, &c.

Laudis ergo Sacrificium, quod in Cælis est perpetuum, quotidianum est in Clero. Clerici enim tum Sæculares, tum Regulares, recitando horas canonicas, septies in die laudem dicunt Deo, imitantes illud Davidis exercitium, qui de se ipso ait: *Septies in die laudem dixi tibi*.

Laudis Sacrificium, quod in Clero quotidianum est, alternum est in plebe, quippe quæ diebus singulis Dominicis ac festis convenit in Templum, ut ibi una cum Sacerdotibus laudem dicat Deo suo.

Ecclesia vero patiens in Purgatorio & Beatorum in Cælo regnantium auxilium implorat, & Sanctorum in terra dimicantium suffragia deprecatur, & sic ex perenni laude, quæ in Cælo peragitur, ex quotidiana laude, quæ a Clero cantatur, ex alterna illa modulatione, quæ a plebe certis diebus exercetur, & ex continua animarum languentium in Purgatorio passione, perpetuum Deo offertur laudis Sacrificium.

Non aliud sibi proponit Ecclesia totius suæ Religionis objectum, nisi Deum, unum in essentia; & trinum in personis, & mediatorem inter Deum, & homines Christum Jesum, & Sanctos amicos Dei in Cælo cum Christo regnantes. Deum & Christum solum adorat cultu latriæ, Mariam Virginem cultu hyperduliæ veneratur. Sanctis vero Cultum duliæ tantum impendit. Deum Patrem qui nos creavit, Deum Filium qui nos redemit, Deum Spiritum Sanctum qui nos sanctificavit, una & individua adoratione veneratur: Mariam & Sanctos non ut Deum, sed ut amicos Dei deprecatur. Sacrificium Corporis Christi in Cælo est perpetuum, in Clero quotidianum, in plebe succedentibus sibi diebus Dominicis, & festis frequenter iteratum.

Sacrificium Christi est perpetuum in cælo; ab æterno quippe decernitur, cum Christus coti reparando humano generi destinatur. Incipit in medio temporum, cum corpus humanum in cruce immolandum assumit; consumatur in cruce dum innocens hæc victima manibus Judæorum occiditur; perseverat continuo in Ecclesia, dum manibus Sacerdotum in Missa incruente sacrificatur; perpetuo & in perpetuum offertur in cælo, dum Sacerdos ille perpetuus, secundum ordinem Melchisedech, *apparet vultui Dei pro nobis*.

Sacrificium Christi in Clero est quotidianum, cum Clerus tam sæcularis, quam regularis, quotidie Missam solemnem, nomine totius Ecclesiæ celebrat, & plures Sacerdotes in Missis non solemnibus, & nomine totius Ecclesiæ, & pro tota Ecclesia, sanctum illud Sacrificium offerunt.

Sacrificium Christi est alterum in plebe, cum succedentibus sibi diebus Dominicis, ac festis plebs suo adunata Pastori in Templum veniat, & Sacrificium illud commemoret.

§. III. *Quomodo Ecclesia dies feriales, & dies Dominicos & Festos ordinet.*

Ecclesia cultum erga Deum, & Sanctos sapienter dirigit; ita apte dies feriales, Dominicos, & festivos ordinat, ut singulis diebus Deus solemniter a Clero adoretur, & Sancti publice invocentur: ut etiam quolibet die Dominico Mysteria Trinitatis, & Incarnationis plebi commemorentur; ut quoque singulis annis Festivitates Christi, Virginis, & Sanctorum, perpetua & succedente sibi commemoratione, populo proponantur; & ita sine interruptione & Clerus, & plebs Divino cultui occupetur. Clerus qualibet feria in Officio publico Deum, unum in essentia, & trinum in personis, & mediatorem Christum Jesum adorat Psalmis, Hymnis, & Canticis. In fine cujuslibet Psalmi Trinitatem explicite confitetur, dicens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* Idem præstat in fine cujuslibet Hymni, dicens: *Deo Patri sit Gloria, ejusque soli Filio, cum Spiritu Paraclito*, aut aliud simile, juxta metri diversitatem. Sanctos eo die functos in Martyrologio commemorat, & eos, ut par est, laudat, deprecatur, & invocat hac Oratione: *Sancta Maria & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari, & salvari, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Idem privatim faciunt qui recitant Officium extra Chorum.

Pastor cum plebe quolibet die Dominico, & festivo, Deum unum, trinum, & incarnatum adorandum, & Sanctos invocandos proponit populo; ideo quolibet die Dominico Symbolum Athanasii legitur in Officio, & Symbolum Nicænum in Missa: quo utroque Symbolo Trinitatis, & Incarnationis fides explicita confessione proponitur, & nostra cum Sanctis, & in Cælis, & in Purgatorio, & in terris communio annuntiatur.

Quolibet anno Christi Conceptionem, Nativitatem, Circumcisionem, Epiphaniam, seu factam gentibus manifestationem, Mortem, Resurrectionem, & in Cælos Ascensionem recolimus: item Mariæ Virginis Conceptionem, Nativitatem, Præsentationem, Visitationem ad Elisabeth, beatissimam ejus Mortem, & ejus in Cælos Assumptionem commemoramus.

Item quolibet pariter anno omnes solemus Festivitates Sanctorum celebrare, eosque populis invocandos proponere. Singulos Apostolos qui Christi fundarunt Ecclesiam, insigniores Martyres qui eam suo sanguine obsignarunt, Doctores præcipuos qui eam sua Doctrina illustrarunt, tum Confessores, tum Virgines qui eam sua Sanctitate venerandam reddidere, Festo aliquo peculiari in memoriam revocamus. Angelis in Ministerium missis propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, specialem festivitatem dedicamus. Demum in festo omnium Sanctorum, in commemoratione omnium defunctorum, & Sanctos in Cælo regnantes, & animas in Purgatorio detentas, illos omnes simul invocando, pro istis omnibus simul deprecando, solemni festivitate celebramus.

§. I.

§. IV. *Quomodo ordinentur dies Dominici.*

Præter specialem Dominicam adorandæ Trinitati destinatam, singulæ Dominicæ possunt dici dies Trinitatis, & Incarnationis, cum singulæ Dominicæ explicatam Trinitatis, & Incarnationis contineant confessionem. Ita tamen singulæ ab Ecclesia videntur ordinatæ, ut Deum unum in essentia, & trinum in personis, aut Christi incarnati aliquod Mysterium proponant.

Quatuor Dominicæ Adventus commemorant duplicem Christi adventum; primum, quo venit redempturus genus humanum: secundum, quo veniet judicaturus vivos, & mortuos, ut scilicet Christum Redemptorem redamemus, Christum vero judicem timeamus. Sed Dominicæ post Epiphaniam Christum nobiscum conversantem ostendunt: v. g. mutantem aquam in vinum in Cana Galilææ, leprosum mundantem, fluxus maris pacantem, malos cum zizaniis, bonos cum bono fructu, & Doctrinam Evangelicam cum grano sinapis comparantem.

Dominicæ a Septuagesima usque ad Pascha pœnitentiam continuo prædicant, ut ad Communionem paschalem disponamur. Sacerdos & Altare colore violaceo vestiuntur, cessant Cantica lætitiæ, cineres sub initium quadragesimæ capitibus imponuntur, jejunium indicitur, Verbum Divinum frequentius prædicatur, omnia luctum in Ecclesia exhibent, ut tam lugubri apparatu ad cordis contritionem excitemur, & divinam Eucharistiam, qua decet devotione, in Paschate recipiamus.

Dominicæ a Paschate usque ad Pentecosten Christum suscitatum a mortuis, cum Apostolis conversantem, & cum eis de Regno Dei, id est Ecclesia, colloquentem ostendunt.

Dominica Pentecostes Spirit. Sanctum in Christi Discipulos ignitis linguis diffusum exhibet.

Dominicæ vero a Pentecoste usque ad Adventum varia Christi documenta proponunt, & in singulis orationibus Ecclesia gratiam ad observanda illa documenta enixe deprecatur. Inter istas Dominicas tempus seligitur, in quo per octavam Festum Corporis Christi celebratur, solemnique Processione divinum illud Sacramentum circumgeritur, ut speciali Festo recolamus quod qualibet die in Missa peragitur. Festum dedicationis Templi peragimus, ut gratiæ agantur Deo, quod nostram regionem quondam desertam, ac a dæmonibus desolatam ita illustrare dignatus sit, ut etiam in ea sensibilem domum sibi elegerit, in qua & laudari, & rogari, & prædicari pacifice possit, in qua orantes facilius quam alibi exaudiantur, & in qua omnia Sacramenta, quæ sunt origo gratiæ, conferantur. Hæc si quis rudiori etiam populo historice narrare voluerit, quilibet fidelis semper obviam, semperque recurrentem nostræ Religionis historiam, si tantisper attendat, intuebitur.

§. V. *Quo pacto possint facile instrui a Parochis fideles Christiani.*

Qui ergo voluerit Christianam plebem circa dies Dominicos, & dies festivos instruere, Missale legat, & quæ in Missali leguntur eo die Dominico aut festivo, vulgari lingua exponat populo; sic facilius, ut dicant, negotio plebem sibi commissam erudiet. Hac methodo utatur per aliquot annos, & uberrimos ex simplici illa expositione fructus oriri percipiet: non enim fas est credere nullius frugis esse liturgiam, quam Ecclesia a tot sæculis fidelibus proponit, & quam Conc. Trid. jubet populis explicari.

CAPUT III.

In quo explicatur secundum Ecclesiæ Præceptum, scilicet,

Missam integram diebus Festis atque Dominicis audito.

ARTICULUS I.

Quid Missa, & quotuplex.

§. I. *Quid Missa.*

Missa, si nomen spectes, idem est ac missio, seu dimissio, eo quod Diaconus bis per hanc cærimoniam alta voce clamare: *Ite Missa est*, Missa, seu missio est, idest, cuilibet fas est abire. Et quidem Diaconus id dicebat post Evangelium, annuntians gentibus & catechumenis, ut abirent, eo quod non liceret Sacrificio assistere. Rursus Diaconus in fine Sacrificii, dicebat populo: *Ite; Missa est*, seu Missio est; tunc enim cuilibet fideli permittebatur in sua abire.

Missa, si rem spectes, est Sacrificium incruentum, quo Sacrificium cruentum, in cruce peractum, incruente repræsentatur, & peragitur.

Hæc cærimonia apud Græcos vocatur liturgia, mystagogia, synaxis, telete, œconomia &c. Apud Latinos vero dicitur collecta, dominicum, agenda, communio, oblatio.

Missa, si nomen spectes, in usu cœpit esse in Ecclesia a tertio & quarto circiter sæculo. Siquidem Cornelius epist. ad Lupicinum ait, quod propter persecutionem non licebat Christianis *nec publice, nec in cryptis notioribus Missas agere:* & Ambrosium epist. olim 13. jam 20 ad Marcellinum, ait: *Ergo Missam facere cœpi*, & Serm. 34. jam 25. dicit: *Moneo vos, ut qui sine gravi impedimento potest, quotidie Missam audiat.* Et Aug. Serm. 91. de tempore, loquitur de lectione, quæ ad *Missas* legenda est.

Missa, si rem spectes, semper in Ecclesia servata est a nocte cœnæ usque ad nos: Christus enim tunc *accepit panem & gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis. Similiter accepit & Calicem, & benedixit, & dixit: hoc facite in meam commemorationem.* Quod ergo jussit Christus fieri, hoc servarunt Apostoli, qui erant *perseverantes in Oratione, & in fractione panis.* Apostoli usum illum tradiderunt suis successoribus, & isti aliis: & sic usque ad nos pervenit sacra illa cærimonia, in qua jussu & auctoritate Christi panis & vinum consecrantur, quam nos cærimoniam Missam appellamus.

§. II. *Quotuplex sit Missa.*

Missa ratione partium, quibus constat, alia est Catechumenorum, alia Fidelium.

Missa Catechumenorum ea erat pars, in qua fiebant instructiones, quibus & Gentiles & Catechumeni assistebant: de hoc ita habet Conc. IV. Carthaginense, can. 84. *Episcopus*, inquit, *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, sive Gentilem,*

tilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.

Missa Christianorum ea erat pars Officii, in quo post instructionem orabatur, & consecrabatur Corpus Christi: de quo ita Aug. Serm. alias 23. jam 49. cap. 8. *Post Sermonem fit Missa Catechumenis*, ideſt, dimittuntur Catechumeni, *manebunt Fideles, venietur ad locum orationis*. Et Tertul. lib. Præscr. cap. 41. exprobrat Marcionitis, quod Catechumenos ad integram Missam admitterent. *Quis fidelis*, inquit, *quis catechumenus, incertum est: pariter audiunt, pariter orant*.

Missa ratione consecrationis alia est præsanctificatorum, alia sanctificatorum.

Missa *sanctificatorum* ea est, in qua panis & vinum consecrantur, ut fit modo in omni Ecclesia latina in ea cæremonia, quæ vere Missa dicitur.

Missa *præsanctificatorum* ea est, in qua non consecrantur panis & vinum, sed panis die Sabbati aut Dominica præsantificatus per singulos dies hebdomadæ Deo offertur, eo modo, quo in die Parasceves Hostia die cœnæ consecrata Deo offertur. Etenim, juxta ritum Ecclesiæ Græcæ, toto tempore quadragesimali non consecrabantur panis & vinum, nisi die Sabbati aut Dominica; aliis vero diebus Hostia jam consecrata Deo offerebatur: ita habet Conc. Laodicenum can. 49. *Non oportet*, inquit, *in quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & die Dominica*. Tempus enim illud luctui, & pœnitentiæ consecratum, non videbatur apte consentire cum eo gaudio, quo decet nos perfundi, dum celebramus sacra Mysteria.

Missa ratione cæremoniarum alia est *sicca*, ut dicunt, alia non *sicca*.

Missa *sicca* ea est, in qua nec panis, nec vinum offertur, sed peraguntur omnes ritus, omnes cæremoniæ, non secus ac si re vera Missa celebraretur. Idque factum legimus in navibus, ubi ob periculum, ne sanguis consecratus effunderetur, Missa sine consecratione celebrabatur; ideoque Missa *nautica* vocabatur: & non solum in navibus, sed etiam aliquando in privatis domibus pro ægrotis, qui se in Ecclesiam commode conferre non poterant: immo aliquando celebrabatur hæc Missa in Ecclesia, vespere scilicet, quando post vesperas sepeliebantur mortui. Hanc Missam approbat Genebrardus lib. de Liturgia Apostolica cap. 30. Eam improbant Cardin. Bona, Estius, & Sylvius, putantque hanc Missam ab indiscreta & privata quorumdam devotione fluxisse. *Larva est*, & *simulatio Missæ*, inquiunt.

Missa non *sicca* ea est, in qua panis & vinum consecrantur.

Missa non sicca ratione solemnitatis alia est solemnis, alia non est solemnis seu privata.

Missa solemnis, quam hodie Conventualem, Canonicam, Capitularem, præcipuam, & majorem vocamus, illa proprie dicitur, quæ cum cantu & solemni cæremoniarum apparatu, Ministris & Clero assistentibus, suorumque ordinum munia exercentibus, celebrari consuevit.

Missa non solemnis, seu privata, ea est, quæ a solo Sacerdote sine Diacono & Subdiacono & Cantoribus, uno tantum ministrante agitur.

Missa sive privata, sive solemnis, alia est, quæ dicitur Parochialis, alia, quæ vocatur non Parochialis.

Missa Parochialis ea est, quæ Festivis & Dominicis diebus hora designata ab Episcopo celebratur, & in ea fiunt instructiones ad plebem, aqua benedicta aspergitur populus, panis benedictus distribuitur &c.

Missa non Parochialis ea est, in quo prædictæ cæremoniæ non exercentur.

ARTICULUS II.

De Obligatione audiendi Missam singulis diebus Dominicis & Festis.

PRopositio I. Præcipitur singulis fidelibus diebus Dominicis & festis, sub pœna peccati mortalis, ut Missam integram audiant.

Prob. 1. Script. Act. 20. v. 7. ubi sic habetur: *Una autem Sabbati*, id est, die Dominica, *cum convenissemus ad frangendum panem*, ideſt Eucharistiam, ut explicat versio Syriaca, *Paulus disputabat cum eis .... erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati*. Quæ omnia satis indicant Scripturam loqui de eo Conventu, in quo Missa celebratur: ergo cum textus sacer asserat fideles eo convenisse, signum est, fidelibus præceptum esse, ut Missæ Sacrificio diebus festis assisterent.

2. Ex Concilio Agathensi can. 47. ubi sic habetur: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur*. Et ex can. 10. Apostolorum habemus, quod fideles in solemnitatibus *Scripturas Apostolorum & Evangelium audire debeant*: ergo & initio & fini Missæ singuli fideles tenentur assistere.

Et quamvis in primo Canone fiat tantum mentio de die Dominica, tamen idem præceptum urget diebus festis; tum quia Ecclesia generali lege præcipit, ut diebus festis & diebus Dominicis Missas audiamus; tum quia decimus Canon Apostolorum loquitur de omnibus solemnitatibus; tum demum quia cap. 2. de Parochiis, dies Dominicos a festivis non distinguit.

3. *Rat.* Missa præcipuus est totius Christianæ Religionis cultus, quo Deo offertur quidquid habuit lex naturalis simplicius, lex Mosaica augustius, lex Evangelica sanctius, Cælum ipsum sublimius, Christus scilicet, promissus in lege naturæ, præfiguratus in lege Mosaica, susceptus in lege evangelica, & modo regnans in gloria, quem promissum præfigurarunt Patriarchæ, venturum prænuntiarunt Prophetæ, natum, conversantem, patientem, crucifixum, mortuum, & a mortuis suscitatum prædicarunt Apostoli, quem in Cælum ascendentem, ut Regem agnoverunt Angeli: Christus, inquam, auctor naturæ creatæ redemptor naturæ lapsæ, & glorificator naturæ reparatæ: Christus demum, qui juxta Paulum, *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*. Ergo merito præcipit Ecclesia, ut singulis diebus festis omnes fideles Missæ Sacrificio assistant, in quo tanta offertur victima.

Hæc

tas quidem est, inquit Tridentinum, *illa munda oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit .... quæ per varias Sacrificiorum naturæ, & legis temporo similitudines figurabatur, utpote, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur*, sess. 22. cap. 1. de Sacrificio Missæ. *Hæc oblatio*, ut canit Ecclesia, *fugat scelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapsis, & mœstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia*. Ergo merito præcipit Ecclesia, ut fideles diebus festis Missæ assistant, in qua tam sancta & insignis offertur victima.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non est obligatio audiendi Missam diebus ferialibus auctoritate sæculari institutis; quia non sunt proprie dies festivi: neque pariter die Cinerum, die Commemorationis omnium defunctorum; quia hi dies non proponuntur ab universali Ecclesia tamquam dies Festivi: neque feria quinta, sexta, & Sabbato majoris Hebdomadæ: neque diebus Rogationum; quia hi dies non proponuntur ab universali Ecclesia tamquam dies Festivi: quæ omnia magis constant usu, quam lege. Dixi ab Ecclesia universali; sunt enim Ecclesiæ particulares, in quibus prædictis diebus Missam audire præcipitur, v. g. in Constitutionibus Bracharensibus tit. 9. de diebus festis.

Et quamvis die natalis Christi tres Missæ celebrentur ab uno & eodem Sacerdote, sufficit ad observantiam præcepti, ut uni Missæ fideles intersint; quia Ecclesia non præcepit, nisi ut una Missa audiatur.

Consect. 2. Peccant qui non audiunt Missam integram, quia habemus ex Canonibus Ecclesiæ, quod & fini & initio Missæ fideles debeant assistere, ut dictum est. Et cum Canon dicat: *Missas totas audire præcipimus*, mirum est, quod aliqui Doctores excusent a peccato eos, qui, citra causam, aliquam Missæ partem omittunt.

Consect. 3. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui varias Missæ partes simul a diversis Sacerdotibus audiunt; Missa enim est actio successive repræsentans ea, quæ in Christi Passione successive peracta sunt: ergo non licet fidelibus ea simul, ut ita dicam, confundere. Ideo merito damnata est & ab Innocentio XI. & a Clero Gallicano sequens propositio: *Præcepto de audiendo Sacro satisfacit qui duas ejus partes, imo quatuor simul, diversis celebrantibus audit.*

Consect. 4. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui diverso etiam tempore varias Missæ partes diversorum celebrantium conjungunt, ut unam Missam constituant: v. g. finem unius Missæ cum initio alterius consociant, priori Missæ assistunt a consecratione usque ad finem, posteriori vero Missæ ab initio usque ad consecrationem, postea statim ab Ecclesia recedunt, falso sibi suadentes ex initio prioris Missæ & fine posterioris unam Missam integram constitui.

Peccant primo: quia tædium illud in rebus divinis animum denotat a rebus sacris penitus alienum: secundo, præcepto audiendi sacrum non satisfaciunt; quia Missa unica est actio, quæ citra necessitatem ab eo debet perfici, a quo incœpta est: unde idem Sacerdos, qui consecrat, idem consummat sacrificium, nisi in syncopem incidat, quo casu tunc Sacerdos, etiam non jejunus, potest species consecratas sumere, & Missam incœptam perficere: ergo sicut celebrans, qui incipit sacrificium, tenetur illud consummare; ita & Laicus, si velit præcepto audiendi Missam satisfacere, debet ab initio Missæ usque ad finem sacrificii una cum celebrante eidem cæremoniæ assistere.

Consect. 5. Peccant, nec præcepto audiendi Missam satisfaciunt, qui dum commode possent Ecclesiam ingredi, & una cum multitudine, quæ Missæ assistit, consociari, aut extra Ecclesiam manent, aut ita longe a sacrificante collocantur, ut nihil eorum, quæ peraguntur in Altari, vel videre, etsi non sint cæci, vel audire, etsi non sint surdi, ullatenus valeant. Peccant primo; ea enim distinctio, qua nolunt cum christiana plebe confundi, denotat animum a christiana humilitate omnino alienum. Secundo, non satisfaciunt præcepto audiendi sacrum; quia Missa actio est, qua plebs adunata Sacerdoti, communi societate Sacrificium Corporis Christi Deo Patri exhibet: cujus certe actionis particeps nequaquam censetur esse ille, qui se ita longe a multitudine Missam audientium sejungit; semper enim, juxta Scripturam, Populus cum sacrificante conjungitur. Sic juxta Paul. ad Hebræos 9. populus Moysi proximus assistebat, cum Moyses accipiens *sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoque librum, & omnem Populum aspersit.* Sic Populus Salomoni proximus stabat, cum Rex gratias Deo ageret de impletione promissionis factæ Davidi. *Et convertit*, inquit Scriptura, *Rex faciem suam, & benedixit omni multitudini Israeli; nam omnis turba stabat intenta*, libr. 2. Paralip. capit. 6. vers. 3. Nec legimus Discipulos a Christo longe remotos, dum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui conficeret; erant enim omnes in eodem Cœnaculo: nec fideles se ab Apostolis segregabant, cum Missam celebrabant. Cur ergo separabunt se Christiani a sacrificante, & a populo Missam audiente?

Prop. 2. Ut fideles satisfaciant præcepto audiendi Missam, debent ei & modeste quoad corpus, & devote quoad mentem assistere & habere intentionem actum religiosum exercendi.

Prob. 1. Scriptura. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*, vel ut fert versio Septuaginta, *negligenter*. Jer. 38. v. 10. Ergo hinc patet, ut dicit Trident. *quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, & audiatur*. Sess. 22. Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ.

2. Ex Trident. ibidem. *Quod si*, inquit, *necessario fatemur, nullum aliud opus adeo Sanctum ac Divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest*, interiori *cordis munditia, & puritate*, atque

Digitized by Google

atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Ergo, ut fideles satisfaciant præcepto audiendi Missam, debent ei & modeste quoad corpus, & devote quoad mentem assistere, & habere intentionem exercendi actum religiosum.

3. *Rat.* Missa est actus Religionis, quo Deum ut supremum omnium Dominum veneramur: atqui actus religionis importat motivum exercendi religionem, ut patet; importat insuper interiorem mentis affectum, & exteriorem corporis modestiam, juxta illud Psal. 83. vers. 3. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum; cor* enim, inquit D. Thomas, *pertinet ad actus interiores, caro vero ad exteriores, ut sic totus homo Deo subjiciatur*: Ergo, ut fideles præcepto audiendi Missam satisfaciant, debent & devote quoad mentem, & modeste quoad corpus, huic tremendo Sacrificio assistere, & habere motivum exercendi religionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat, & præcepto audiendi Missam non satisfacit, qui, dum Sacrum peragitur, dormit, confabulatur, & immodesto corporis habitu nedum devotionem aliis assistentibus inspirat, sed e contra scandalum ingenerat. Non satisfacit præcepto; quia non est in ea corporis decentia, quam ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa exigit Trident. ibid. Vetat enim Concilium, *Sanctum hoc Sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscumque peragi; nisi prius qui intersint, decenter, composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*. Scandalum vero fidelibus ingenerat in ipsa etiam domo Dei, & inter tremenda ipsis etiam Angelis Mysteria. *Tetendit*, ut loquitur Job. 15. v. 25. *adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est: cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est*. Quam sacrilegam corporis immodestiam in locis sacris, & illum impium Sacrorum nostrorum contemptum cum exteriori Paganorum modestia comparans Jeremias objurgatoria hac apostrophe insectatur: alloquens enim immodestos illos adoratores, sic habet: *Transite ad insulas Cethim, & videte*, si quid simile in earum Sacrificiis contingat: *& in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est hujusmodi. Si mutavit gens Deos suos*, eos scilicet inter sacrificia irridendo, *& certe ipsi non sunt dii. Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum*, alio scilicet, quam ad Christum in Altari oblatum, vagos oculos convertens, aut, quod pejus est, ipsum Christum elato intuens supercilio: quam impiam immodestiam his flebilibus vocibus ad cælos usque defert, & plangit Propheta Sanctissimus: *Obstupescite*, inquit, *cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, dum me manibus Sacerdotum oblatum dedignantur intueri: *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, dum despecta, quæ in Altari offertur, cælesti victima, alius vanam gloriam venatur, alius libidinem insectatur.

Sic culpandi sunt omnino immodesti illi adoratores, qui ridiculam superbiam affectantes, stant, aut sedent in Ecclesia, dum per Sacrorum solemnia humilis plebs flexis genibus Deum adorat, & levando puras manus, ejus iram flectere nititur.

Sic culpandæ magis mulieres illæ, quæ circumornatæ, sicut similitudo templi, altis sedilibus affectant eminere; ut & intuentium oculos ad se attrahant, & cultum, qui soli Deo debetur, injuste sibi arrogent. Dum e contra christianæ *Mulieres*, ut dicitur 1. ad Tim. 2. *in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres*, precibus insistunt, ut Divinam misericordiam attrahant.

Consect. 2. Præcepto audiendi Missam non satisfaciunt qui sola exteriori corporis modestia contenti, nullo interioris mentis affectu in Deum moventur; de his ita prophetavit Isaias 29. v. 13. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me*. Et Christus externam illam religionem, interiori pietate omnino vacuam, ita maledictis suis rejicit. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate*. Ideo damnata est a Clero Gallicano an. 1700. sequens propositio: *Satisfacit præcepto de audiendo Sacro per reverentiam exteriorem, animo licet voluntarie in aliena, imo & prava cogitatione defixo*.

Consect. 3. Ut satisfaciamus præcepto audiendi Missam, præter exteriorem corporis modestiam consistentem in eo situ, quem Ecclesia exigit, qui situs talis est, ut modo stemus, modo sedeamus, modo genuflectamus, modo prosternamur: v. g. stamus, dum legitur Evangelium: sedemus, dum explicatur: genuflectimus, dum fit Sacrificium: prosternimur, dum Corpus & Sanguis Christi proponuntur populo, ut adorentur; præter illos, inquam, diversos corporis nostri situs, requiritur, ut externam illam corporis nostri modestiam interiori aliquo actu religionis, vel oratione, vel devotione animemus. Sicut enim ex anima & corpore homo constituitur, ita exteriori & interiori cultu religio coalescit. *Religio enim*, inquit D. Thom. *habet quidem interiores actus, quasi principales, & per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus, quasi secundarios, & ad actus interiores ordinatos*. 2. 2. quæst. 81. in corp. Illi autem actus interiores possunt esse actus vel fidei, vel spei, vel caritatis, vel religionis, &c. de quibus egimus, explicantes primum Decalogi præceptum.

Consect. 4. Præter exteriorem corporis modestiam, præter interiorem mentis affectum, præter interiores actus fidei, spei, &c. ut satisfaciamus præcepto de audiendo Sacro, debemus præcipue id, quod per Missam repræsentatur, Passionem Christi scilicet, mente recolere: is enim est finis, quem debemus in primis, assistendo Missæ, nobis proponere: dixit enim Christus: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Luc. 22. Ad idem nos alta voce compellat Sacerdos, dicens: *Sursum corda*; & adstantes respondent: *Habemus ad Dominum*. Ad idem nos hortatur Sacerdos dicens: *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium fiat acceptabile apud Deum Patrem Omnipotentem*; & Populus

pulus

pulus respondet: *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam Nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ Sanctæ*: indicans eo suam intentionem dirigere, ut una cum Sacerdote Sacrificium suo modo offerant; nam, ut optime notat Abbas Guerricus: *Non solus Sacerdos sacrificat, sed totus Conventus fidelium, qui adstat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat.*

Ideo docendus est Populus, ut quas orationes effundit ad Deum, unum in essentia, & trinum in Personis, & ad mediatorem nostrum Jesum, se Patri in Altari offerentem, dirigat. Monendi sunt pœnitentes, monendi sunt Clerici, ut per Missarum Solemnia, nec illi injunctam pœnitentiam peragant, nec isti horas Canonicas recitent, saltem quoad commode fieri poterit alio tempore, rati se posse uno & eodem tempore multis & diversis præceptis satisfacere, hæ quippe actiones, ut diversa motiva postulant, ita & diversum tempus exigere videntur. Durante Missa passionem Christi motivo religionis recolimus; dum vero pœnitentiam injunctam exequimur, motivo pœnitentiæ agimus; dum vero horas Canonicas recitamus, ducimur motivo vel obedientiæ erga Ecclesiam, vel justitiæ erga plebem, a qua redditus ecclesiasticos accipimus, ut horas Canonicas recitemus. Dixi, quoad commode fieri poterit; quia, cum ad satisfaciendum præcepto de audiendo Missam sufficiat motivum religionis, & religio exerceatur cum recitando horas Canonicas, tum pœnitentiam injunctam exequendo, ille non censendus est in rigore defuisse præcepto audiendi Missam, qui inter Missarum solemnia devote recitavit aut horas Canonicas, aut injunctam Sacerdote aliquam etiam orationem.

Prop. 3. Quantumvis sanctæ sint illæ dispositiones tum exteriores, tum interiores, cum quibus oportet nos sacrificio Missæ assistere, nullus est Christianus, sive justus, sive peccator, qui ab illa sacra cæremonia debeat abesse, cum Ecclesia jubet assistere: non debet, inquam, abesse nec prætextu indignitatis nec prætextu timoris, ne committat majus peccatum si sine debitis dispositionibus unto intersit Sacrificio.

Prob. 1. Scriptura. De Missa debemus loqui, sicuti loquimur de receptione corporis Christi, cum in missa fiat vel realis, vel spiritualis communio, ut docet Trid. sess. 22. cap. 6. *De Sacrificio Missæ*: atqui omnes, tam justi, quam peccatores debent vel sacramentaliter, vel spiritualiter Christi carnem manducare, & ejus sanguinem bibere, juxta illud Joan. 6. vers. 54. *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ex præcepto quidem Christi dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Luc. 23. vers. 19. ex præcepto vero Ecclesiastico, eo tempore, quo Ecclesia determinat; ergo debemus, sive justi, sive peccatores, Sacrificio Missæ interesse eo tempore, quo Ecclesia præcipit.

Ex Gregor. l.2.par. Pastoralis, c.6. *Illa est vera humilitas, cum ad respuendum quod utiliter præcipitur, pertinax non est*: ergo nec prætextu humilitatis fictæ nec prætextu timoris inconsiderati licet vel justis vel peccatoribus ab auditione Missæ abstinere eo tempore, quo eam auditionem Ecclesia præcipit.

3. *Rat.* Missa est Sacrificium, quo & Deo offerimur, & Christo spiritualiter conjungimur: ergo, cum omnes fideles tam justi, quam peccatores debeant Deo offerri, & Christo conjungi, omnes fideles, sive justi, sive peccatores debent Sacrificio Missæ, cum Ecclesia præcipit, assistere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De fidelibus justis.* Justi, quantumvis perfecti, debent diebus festivis Missæ Sacrificio interesse: tum quia Trident. anathema pronuntiat contra eos, qui asseruerint, *Hominem justificatum & quantumlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ*, sess. 6. can. 30. tum quia, dum justi a Missa absunt, præter peccati reatum, quem incurrunt, gratiis, quæ ex tanto Sacrificio ad nos emanant, aditum præcludunt. Missa enim, inquit Trident. sess. 22. cap. 2. est Sacrificium, in quo *Idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit*: quo nihil potest esse ad conservandam & augendam in justis gratiam efficacius. Missa est lignum illud vivificum, in Paradiso Ecclesiæ plantatum, ad quod, si justi non spiritualiter accesserint, a vita justitiæ decident. Missa est Manna illud salutare, quo in Eremo hujus vitæ oporteret justos quotidie nutriri; sed a quo abstinere diebus festivis nequaquam licet. Agnus est ille spiritualis, cujus figura quotidie in Synagoga offerebatur, & quotidie vere in Ecclesia offertur, ut ei fideles spiritualiter diebus festis uniantur. Demum Missa panis est ille supersubstantialis, quo die quolibet nutriri nos oporteret; sed quem diebus festis justi debent in Missa saltem spiritualiter sumere, ut a defectibus quotidianis præserventur, & contra frequentes tentationes muniantur.

Consect. 2. *De fidelibus peccatoribus, sed pœnitentibus.* Fideles peccatores, quantocumque premantur peccatorum pondere, debent ut ab ea peccatorum sarcina liberentur, Missæ Sacrificio diebus festis interesse: tum quia Ecclesia solos infideles, & peccatores notorie excommunicatos arcet a Missæ Sacrificio: tum quia Paulus ad Hebr. 10. vetat fidelibus, ne *Collectionem*, idest Missam Parochialem, deserant, ut explicat Clerus Gallicanus, inter quos fideles erant haud dubie peccatores: tum demum quia Concilium Trident. universalem Ecclesiam repræsentans, peccatores non a Missa arcet, sed pluribus motivis ad eam suaviter allicit, sic enim habet sess. cap. 2. *Docet sancta Synodus Sacrificium istud*, Missæ scilicet, *vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.*

Consect. 3. *De his, qui sunt in statu peccati.* Falsum est quod fideles, qui sunt in statu peccati, novum peccatum committant quoties Missæ Sacrificio assistunt, modo externam & internam modestiam servent, quam exigit Trident. Tum quia non requiritur status gratiæ ad implendum præce-

ptum

ptum aliarum virtutum diversarum a caritate. *Modus*, inquit D. Th. *dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto: Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Idem dic de hoc præcepto: memento, ut diem Sabbati sanctifices, *Non cadit, quod, hoc ex caritate fiat.* 2. 2. quæst. 44. art. 4. ad 1. Tum quia, si opera honesta, elicita a peccatore, vel infideli, non sint peccata, ut definierunt summi Pontifices; a fortiori opera religionis, qualis est auditio missæ ab Ecclesia imperata, elicita a peccatore, non erunt peccata: tum quia Ecclesia non modo non juberet, quin imo non permitteret peccatores Missæ interesse, si certum esset eos novo peccato inquinari, sicuti non permittit peccatores communicare in Paschate; quia certum est eos peccare mortaliter communicando: tum demum quia Ecclesia fidelium enim inter Missarum solemnia congregata, non coalescit ex solis justis, sed est similis sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti; similis agro; in quo & bonum semen, & zizania seminata sunt; item similis arcæ, in qua frumentum cum paleis continetur; similis adhuc Virginibus partim fatuis, partim prudentibus; demum repræsentata per arcam Noe, qua non solum munda, sed etiam immunda animalia concludebantur. Dum ergo ab illo cœtu fidelium orantium excludantur solum infideles, hæretici, & excommunicati, & retineantur peccatores; consequens est, peccatores non inquinari novo peccato, cum sacris assistunt Mysteriis.

Consect. 4. Non dehortandi sunt peccatores a Missæ Sacrificio, ne ab illa sacra cæremonia recedentes irreligiosum animum efforment, & a quibuscumque piis exercitiis alienum; sed ad pie assistendum sacris Mysteriis suaviter alliciendi, ut sensim Christi patientis commemoratione emolliti a peccatis tamdem omnino resipiscant. Astiterunt siquidem passioni Christi Maria mater Jesu, Maria Cleophæ, Maria Magdalene; & Joannes, & forte alii justi: astiterunt & latrones; astiterunt Centurio & milites, & quasi raptim intersuerunt Judæi, *& prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes; vah, qui destruit templum Dei.* Matth. 27. Assistant Sacrificio Missæ justi, ut in gratia crescant & in ea perseverent: uti in gratia creverunt, & in ea perseveravrunt justi, qui Christum morientem viderunt: Assistant Sacrificio Missæ peccatores, ut a peccatis convertantur, & eorum indulgentiam consequantur; uti peccatorum suorum plenam veniam consequutus est latro pœnitens expirans cum Christo. Assistant Sacrificio Missæ, quantumvis obdurati & excæcati peccatores, videant quæ fiunt in Missa, singulas cæremonias tanti Sacrificii sedulo examinent, ut illis idem contingat gratiæ effectus, qui contigit Centurioni, aliisque custodientibus Jesum; *Viso enim terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere Filius Dei erat iste.* Matth. 27. v. 55. Nullus sit, qui Missæ intersit raptim & prætereundo; nullus qui hanc cæremoniam blasphemet; nullus, qui sacros ritus irrideat: is enim, qui id præstaret, non sacrificaret, sed insultaret; non oraret, sed peccaret, nec præceptum Ecclesiæ observaret, sed contemneret. Etsi forte jactitaret se Missam audiisse, & ut olim Saul, mendaciter diceret *Implevi Verbum Domini*: ei cum Samuele respondendum: *Non audisti vocem Domini, sed fecisti malum in oculis Domini.*

ARTICULUS III.

De his, quæ excusant ab auditione Missæ diebus Dominicis & Festis.

Prop. 1. Impotentia physica, vel moralis excusat ab auditione Missæ.

Prob. 1. Scriptura. De Præceptis Ecclesiæ dicendum, quod Scriptura dicit de præceptis Dei: *Mandata ejus gravia non sunt*: Joann. 5. v. 3. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. v. 30. ergo sicuti Deus non præcipit impossibilia; ita nec Ecclesia: consequenter ab auditione Missæ excusat impotentia physica, vel moralis.

2. Ex Concilio Tridentino. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Sess. 6. c. 11. ergo, cum Ecclesia Dei ductum sequatur, non jubet impossibilia.

3. Ecclesia est ad instar piæ matris: ergo censetur dispensare fideles a præcepto audiendi Missam, quoties sunt in impossibilitate vel physica, vel morali.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Excusantur ab audienda Missa hi, qui nequaquam possunt ad Ecclesiam venire, v. g ægroti, incarcerati &c. quia si ad Ecclesiam nequeant omnino venire, sunt in impotentia physica: item qui vel ob longam distantiam ab Ecclesia, vel ob difficultatem itineris, vel ob tempus pluvium, aut alia hujusmodi, non possunt nisi difficillime venire ad Ecclesiam; tunc enim hi sunt impotentia morali: singuli tamen, scilicet incarcerati, ægroti, & longe ab Ecclesia distantes, imitentur primo Danielem, qui cum non posset ire Jerusalem, *fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.* Dan. 6. v. 10. Imitentur Ezechiam, qui cum præ morbo ad Templum ire non posset, *convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum* 4. Reg. c. 20. v. 2. Imitentur Judæos, qui cum non possent ad Jerusalem Festivitates venire, suspirabant, & tali se privatos honore simul & gaudio vehementer dolebant, ut testatur illud Davidis: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Psal. 136. v. 1.

Consect. 2. Excusantur ab auditione Missæ hi, qui possunt quidem venire in Ecclesiam, sed qui non admitterentur inter fideles: tale sunt excommunicati, interdicti &c. quibus interdicitur Sacris interesse. Sed hi debent interius dolere, quod a consortio fidelium excludantur, & tenentur enim, ut ad fidelium cœtum admittantur; uti facit Corinthius incestuosus, qui excommunicatus a Paulo, pœnitentia sua meruit, ut de eo Paulus sic scriberet ad Corint. 2. 2. v. 6. *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est; propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem,*

Prop.

Digitized by Google

Prop. 2. Licet diebus Dominicis & festis Missæ non interesse ad evitandum grave damnum vel sibi, vel proximo, vel Reipublicæ obventurum ex Missæ auditione; damnum, inquam, vel in anima, vel in corpore, vel in bonis fortunæ.

Prob. 1. Scriptura. Deus in veteri Testamento excusavit Machabæos, quod die Sabbati a cultu exteriori abstinuerint, ut vitam suam contra hostes Religionis tuerentur: ergo & in novo Testamento excusabit eos, qui a Missa exterius aberunt, quoties ex tali assistentia damnum aliquod grave sequeretur.

2. Habemus ex praxi Ecclesiæ, ut notat Cornelius Papa ad Lupicinum, quod non celebrabatur Missa, cum prudenter timebatur tyrannorum persecutio: ergo Ecclesia non censetur obligare nos ad audiendam Missam, cum ex tali auditione sequeretur ingens damnum.

3. *Rat.* Præceptum audiendi Missam est positivum: ergo non urget quoties ex ejus observantia ingens damnum sequeretur vel in anima, vel in corpore, vel in bonis fortunæ: *Neque enim tam injustos legum latores fuisse credendum est, ne necessitate perstringerent ea, quæ præstari non possunt.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ea omnia, ob quæ licitum diximus vacare servilibus, excusant nos ab auditione Missæ, quando tanta est necessitas, ut non possimus suspendere opera servilia, ut Missam audiamus. Vide quæ circa opera servilia diximus tomo 1. de 2. Decal. præcepto, art. 4.

Consect. 2. Excusantur ab auditione Missæ qui ex tali auditione prudenter timent secuturum damnum aliquod vel spirituale, vel corporis, vel fortunæ, vel honoris; quia Ecclesia non censetur obligare ad audiendam Missam cum eo periculo. Sic ab auditione Missæ excusantur 1. *Ob damnum spirituale*, matres quæ prudenter timent, ne filiarum pudicitia periclitetur, nisi cum eis tota die remanserint. 2. *Ob damnum corporale*, convalescentes quibus foras exire maxime noceret: nutrices quæ ab infantibus, quos nutriunt, aut ab ægrotis, quibus ministrant, nequeunt sine magno eorum periculo recedere. 3. *Ob damnum bonorum fortunæ*, hi qui gregibus custodiendis invigilant: qui domos longe ab Ecclesia remotas custodiunt, cum periculum est aut periturum gregem inedia, aut diripiendam esse domum a latronibus, quo in casu oportet, ut ubi celebrantur duæ Missæ, alii primæ, alii secundæ intersint. 4. *Ob damnum honoris*, is qui violenter & indecore raperetur in carcerem: filia prægnans, cujus occulta fornicatio palam fieret, & publice proderetur.

Quia tamen isthæc omnia ab exteriori solum Missæ assistentia excusant, nequaquam vero ab illo interiori cultu quo oportet nos semper, sed præcipue diebus Dominicis & Festis, erga tale Sacrificium esse affectos; qui corpore absunt a Missa, debent Missæ mente assistere: uti faciebant veteres illi Monachi & Eremitæ, qui procul ab Ecclesia in vasta solitudine degentes, ubi nec Sacerdotes, nec altaria erant ad Missas celebrandas; sed ubi nullus erat inter tot sanctos viros, qui Missæ Sacrificium non recoleret.

Monit. Præter impotentiam vel physicam, vel moralem, præter damnum vel in anima, vel in corpore, vel in honore, vel in bonis fortunæ, nulla est alia causa legitima, quæ excuset nos ab auditione Missæ; aliæ quippe causæ inventæ sunt *ad excusandas excusationes in peccatis.*

Sic impotentia culpabilis, in quam quis se voluntarie projecit, quamvis retractare noluit, non excusat ab auditione Missæ; quia, ut diximus in primo tomo, qui vult causam, vult & effectum. Sic homo prævidens se non posse audire Missam, si vinum immoderate bibat, & bibendo immoderatius fit impotens ad audiendam Missam, non excusatur ex tali impotentia culpabili. Item excommunicatus, qui negligit, immo contemnit Ecclesiæ satisfacere, ut absolvatur ab excommunicatione impediente, ne Missam audiat, non excusatur ex tali impotentia culpabili.

Sic consuetudo, quam vel vanitas, vel negligentia induxit, non excusat ab auditione Missæ: v. g. consuetudo, vel potius corruptela, qua viduæ toto anno luctus Ecclesiam non adeunt, & interim vacant & domi, immo & foris, rebus domesticis, non excusat viduas ab auditione Missæ, ut dicit D. Carolus Borromæus. Item sunt parentes ita in educandis filiis negligentes, ut nihil curent, an Missam audiant, necne: hæc negligentia nec parentes, nec filios excusat; etenim hoc ipso, quod ad annos discretionis prrvenerunt, infantes tenentur ad observanda mandata Ecclesiæ, ut diximus, in primo tomo tract. 4. cap. 2. art. 2. conf. 4. ut habetur expresse in capite *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. & remiss. ubi sic legitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti....suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* Et quamvis ibi tantum fiat mentio de Confessione & Eucharistia; tamen Doctores communiter docent, universali Ecclesiæ praxi, infantes adultos etiam ante annos pubertatis teneri ad observanda alia Ecclesiæ præcepta, si præ ætate possint ea observare. An subjiciantur censuris, quæ infliguntur ab Ecclesia, dicetur ubi de censuris.

ARTICULUS IV.

Proponuntur diversi modi audiendi Missam utiliter & fructuose.

PRimus modus audiendi Missam fructuose est Communio Spiritualis; qua desideramus uniri Christo spiritualiter, eosdemque elicimus actus interiores, quos solemus elicere, dum Christum Sacramentaliter recipimus. Modum illum utiliter audiendi Missam proponit Trident. sess. 22. cap. 6. *Illa quique*, inquit, *Missæ in quibus scilicet solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, vere communes censeri debent; partim quod in eis Populus SPIRITUALITER communicet; partim vero quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* Itaque monendi sunt populi, ut inter Missarum solemnia in eosdem actus erumpant, ad quos solent se excitare, dum Christum realiter communicando suscipiunt.

Secundus modus audiendi Missam fructuose est cæremoniarum, quæ in Missa peraguntur, attenta consi-

Digitized by Google

consideratio, seria meditatio, & pia erga sacros illos ritus reverentia. Modum illum audiendi utiliter Missam proponit Trident. sess. 22. cap. 5. *Cumque*, inquit, *natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam... mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione* instituit, *quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitentur*. Ideoque præcipit Pastoribus, *ut populum doceant, quis sit, & a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus Sacrificii tam pretiosus, ac cælestis fructus*. De decreto Missæ.

Tertius modus utiliter audiendi Missam est, quod fidelis quilibet Sacerdoti legenti & oranti se conformet, recitando scilicet preces, quas recitat, & legendo documenta, quæ legit; animumque devote his omnibus applicando. Eam methodum utiliter audiendi Sacrum proponit Clerus Gallicanus, cum typis excudi jussit & latino & gallico idiomate ea, quæ in Missa & leguntur, & recitantur, ut & qui sciunt latine, & qui eam linguam ignorant, inter Missarum solemnia & legere, & recitare, & meditari valeant, quæ Sacerdos in nomine Christi & Ecclesiæ legit, orat & recitat.

Quartus modus utiliter audiendi Missam est, ut fidelis quilibet Sacerdotem, utgerentem personam Christi, uti re vera gerit, consideret, eique devoto affectu uniatur. Christus ab initio Missæ ad *Epistolam* usque apparet ut POENITENS, petens pro nobis a Patre spiritum pœnitentiæ, dum dicitur *Confiteor &c.* Ab Epistola usque ad *oblationem* apparet ut DOCTOR docens enim per Epistolam & Evangelium quæ ad salutem sunt necessaria. Ab *oblatione* usque ad *consecrationem* apparet ut SACERDOS; tunc enim offert se Patri in salutem omnium. A *consecratione* usque ad *Pater* apparet ut Victima; tunc enim exhibetur Patri, ut Agnus occisus. A *Pater* usque ad *Communionem* apparet ut CIBUS & POTUS fidelium; dat enim suam carnem in cibum, & sanguinem in potum. A *Communione* usque ad finem Missæ apparet ut REMEDIUM; tunc enim reali, vel spirituali Communione fidelis quilibet reperit in Christo efficacissimum contra singulas suas infirmitates remedium.

ARTICULUS V.

De Missa Parochiali.

Missa Parochialis est ea, quæ celebratur in Ecclesia Parochiali, hora ab Episcopo determinata, in qua fiunt preces speciales a Parocho & a Populo, & instructiones circa Mysteria Religionis, fiunt processiones, panis benedictus distribuitur, annuntiantur Festa, jejunia, &c.

Prop. 1. Consuetudo audiendi Missam Parochialem est antiquissima, & satis constanter in Ecclesia observata.

Prob. 1. Script. De fidelibus Jerusalem dicitur: *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Act. 2. v. 42. Paulus vero ita arguit eos, qui se ab invicem a conventu publico separabant: *Non simus deserentes Collectionem nostram, sicuti consuetudinis est in quibusdam*. Ad Hebr. 10. v. 25.

2. Ex Tertulliano. *Coimus*, inquit, *in cœtum & congregationem, ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes: & hæc vis grata Deo est*. Apolog. c. 39. quod fiebat per Missam cui omnes assistebant. Cyprianus vero ita Ecclesiam fidelium definit: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex inhærens*. Epist. alias 169. nunc 63. quod utique fit in Missa Parochiali cui omnes intersunt.

3. Ex Conciliis. Concilium Eliberit. an. 305. can. 21. ita habet: *Si quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur*.

Concilium Sardic. an. 347. can. 11. vel 14. ita loquitur: *Si quis Laicus in aliqua urbe agens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, a Communione moveatur*: & Concilium Trullanum eamdem pœnam infligit his verbis: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Laicus, nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficile, ut a sua Ecclesia absit diutissime, sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis non conveniat, si sit quidem Clericus, deponatur, si vero Laicus, segregetur*. Canon. 80.

4. Summi Pontifices eumdem erga Parochiam amorem cunctis fidelibus inspirant; sic enim Sixtus IV. loquitur, Extravag. de Tregua & pace, cap. *Vices illius.... Fratres mendicantes non prædicent, populos Christianos non teneri Missam in Parochiis diebus festivis & Dominicis audire, cum jure cautum sit illis diebus Parochianos audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent...*

Demum Concil. Trid. sess. 22. cap. de observandis & evitandis in Missa, ait: *Moneant etiam eumdem Populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant*: & sess. 24. c. 4. de Reform. *Moneatque*, ait, *Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commode fieri possit, ad audiendum Verbum Dei*: & cap. 7. *Inter Missarum solemnia, sacra eloquia & salutis monita eadem vernacula lingua diebus vel solemnioribus explanent*.

Prop. 2. Consuetudo audiendi Missam Parochialem multas affert utilitates fidelibus eam observantibus.

Prob. Inductione, percurrendo aliquas Missæ Parochialis prærogativas. Missa Parochialis potest considerari 1. Ratione rei oblatæ. 2. Ratione oblationis. 3. Ratione precum. 4. Ratione instructionis. 5. Ratione loci.

1. Ratione rei oblatæ Missa privata & Missa Parochialis ejusdem sunt valoris, quia in utraque offertur Christus.

2. Ratione oblationis Missa Parochialis est utilior Missa privata; quia specialiter offertur pro Parochianis.

3. Ratione precum est etiam utilior; quia præter preces, quæ fiunt in Missa privata, fiunt & aliæ nomine totius Parochiæ, & cum cunctis fidelibus.

4. Ratione instructionis in Missa Parochiali explicantur

Digitized by Google

cantur sacra eloquia, quod non fit in aliis Missis privatis.

5. Ratione loci. Etsi Missa celebrata in quacumque Ecclesia sit maximi valoris, tamen utilius videtur fidelibus eam audire in propria Parochia; ibi enim sacro Baptismate nascimur, ibi roboramur Confirmatione, Eucharistia in Paschate nutrimur, a Parocho viaticum & Extremam unctionem accipimus, & Matrimonio conjungimur: ergo æquum est, ut in Parochia diebus festivis vota nostra offeramur. Ita Carolus Borrom.

Prop. 3. Consuetudo audiendi Missam Parochialem potest vim strictæ legis habere, si ita visum fuerit Ecclesiæ Pastoribus.

Prob. 1. Ex Concilio Trident. sess. 22. ubi statuens decretum de observandis & evitandis in celebratione Missæ, potest multa salubriter statuta, & specialiter post illud præceptum indictum Episcopis; *Moneant Episcopi etiam eamdem Populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis, accedant;* addit: *hæc igitur omnia*, inter quæ assistentia Missæ Parochiali annumeratur ... *prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem Populum compellant.* Nec dici potest huic legi obstare privilegia Regularium; nam Sancta Synodus hanc objectionem præveniens addit: *Non obstantibus privilegiis*, inquit, *exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.*

2. Ex Clero Gallicano, a quo sequentes sunt proscriptæ propositiones ann. 1700. *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, divinam Legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, & docentur.*

Talem Legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum, sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Plebi virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam Missam (Parochialem scilicet.)

Contra has propositiones hanc distringit censuram venerabilis cœtus. Harum propositionum doctrina falsa est, inquit, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria, dicente Apostolo: *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Hebr. v. 25.

3. *Rat.* Si Ecclesia Legem conderet, qua fideles Parochialem Missam audire tenerentur, hujusmodi lex esset justa ex auctore; quia ferretur a legitimo Superiore: esset justa ex objecto; quia præciperet aliquid pium & sanctum: esset justa ex fine; quia conduceret ad bonum fidelium: esset justa ex modo; quia eos solum fideles obligaret, qui possent huic officio satisfacere: ergo esset observanda; quia lex justa est observanda.

4. Ex variis Conciliis Provincialibus. Et primo quidem Concilium Turonense ann. 1583. approbatum a Gregor. VIII. edidit legem obligantem ad audiendam Missam Parochialem, sic enim habet a. 15. *Sanctorum Patrum*, inquit, *decreta renovantes, omnibus & singulis Christifidelibus, suis Missis Parochialibus, & aliis suarum Parochiarum Divinis Officiis, singulis diebus Dominicis & festivis interesse districte PRÆCIPIMUS, a quibus si per tres dies Dominicos continuo sequentes illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur; pœnas a Sacris Canonibus inductas incurrere declaramus; quod illis sui Parochiæ Rectores & Confessarii sæpius inculcare non omittant.* Et Concil. Burdig. ann. 1582. cap. 3. de Officiis Divinis num. 3. sic habet: *Renovamus vetus illud decretum, quo, proposita excommunicationis pœna, præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis a Parochialis Missæ celebratione absit ...* Præcipitque Confessariis & Concionatoribus, ut inter concionandum & audiendas confessiones exhortentur, & moneant Populum Missæ Parochiali interesse; & interdictum comminatur ei, qui contrarium prædicare attentaverit.

Prop. 4. Omittere Missam Parochialem in his Diœcesibus, in quibus sub pœna excommunicationis stricte præcipitur fidelibus, ut eam audiant, est peccatum.

Prob. ratione. Ea lex, quæ obligaret audire Missam Parochialem, esset justa ex auctore, cum, ut supponimus, feratur a legitimo superiore: esset justa ex objecto; quia præciperet aliquid Sanctum: esset justa ex fine, cum audire Missam in propria Parochia multas afferat utilitates fidelibus, eam observantibus: esset juxta ex modo; cum obligaret tantum, ubi commode fieri posset: ergo esset observanda. Et quum materia est gravis, omissio esset grave peccatum. Adde, quod excommunicatio non infligitur nisi contra peccatum mortale.

Prop. 5. Omittere Missam Parochialem ex contemptu, etiam in his Diœcesibus, in quibus non præcipitur sub pœna excommunicationis, sed solum consulitur, ut exercitium pium & sanctum, est peccatum mortale.

Prob. ratione. Non tenemur ex præcepto sub pœna peccati pia exercitia exequi, & omnem sanctam consuetudinem amplecti; sed nefas est pia exercitia aut contemnere, aut ex contemptu omittere; quia omissio ex contemptu secum quamdam sacrilegii speciem includit.

Sic Tridentinum docens, bonum esse Sanctos invocare, & eorum imagines venerari, non jubet, ut invocemus; sed vetat sub gravi peccato, ne Sanctos spernamus, aut eorum imagines contemnamus. Ita a pari, etsi non jubeat Ecclesia, præcepto generatim omnes obligante, ut Missam Parochialem audiant, nulli tamen licet pium illud exercitium aut contemnere, aut ab illo alios avocare. Imo, cap. 2. de Parochiis, præcipitur Presbyteris, ut statim ab Ecclesia abjiciant eum, quem noverint, contempto proprio Parocho, velle alibi Missæ assistere; sic enim habet prædictum caput: *Ut dominicis, vel festivis diebus, Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui, proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant.* Quo denotatur, quam grave peccatum sit ex contemptu a propria Parochia abesse, cum peccatum illud mereatur ejectionem ab Ecclesia.

Prop.

Digitized by Google

Prop. 6. Nulla videtur esse lex Ecclesiastica generalis obligans omnes & singulos fideles ad audiendam Missam Parochialem diebus Dominicis & Festis; ita ut si non audiant Missam Parochialem, non satisfaciant Præcepto Ecclesiastico audiendi Missam.

Prob. 1. Ex Conciliis. Concilium Tridentinum utitur verbis hortantibus, & non præcipientibus. *Moneant*, inquit, *populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant*. Sess. 2. Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ. Et quando sess. 24. cap. 4. dicit: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri poterit*, non loquitur de Missæ obligatione, sed de obligatione audiendi verbum Dei, ideo adjungit: *ad audiendum verbum Dei*; & ad discendam Doctrinam christianam.

2. Declarationes supra Concilium docent n. 11. ex vi Trident. *Nullum esse præceptum circa hoc, nullamque infligendam censuram*. Illud idem agnoscit Clerus Gallicanus ann. 1700. *nec infligit censuram* contra eos, qui absunt a Missa Parochiali, *sed infligi posse determinat*.

3. Illud idem fatetur Dominus de Ste. Beuve, tom. 2. cas. 88. *pour la Messe de Paroisse, on y doit assister*, ex lege Ecclesiastica: sed an vigeat, dubium est, cum addat: *Il est bon de se servir seulement d'exhortation & de remontrance*.

4. Illud idem confirmant plures Summi Pontifices; qui declarant satisfieri præcepto de Missa audienda, si fideles Missam audiant, in Ecclesiis Regularium: ita Leo X. an. 1517. *Notum facimus, omnes Christi fideles utriusque sexus, qui, non contempto proprio Sacerdote parochiali, in Ecclesiis Fratrum mendicantium Dominicis, & Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere*. Et cum crederetur eam Bullam a Concilio Tridentino revocatam, Pius V. idem Privilegium confirmat Bulla, quæ incipit: *Etsi mendicantium. Præfati fideles*, inquit, *audiendo Missas, & alia divina Officia in Ecclesia Fratrum mendicantium hujusmodi diebus Dominicis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur*.

Quoad Missas autem quæ in privatis Oratoriis celebrantur, vide Decretum II. ad calcem hujus Tomi.

Prop. 7. Quamvis nulla sit lex generalis præcipiens stricte singulis fidelibus, ut singulis diebus Dominicis & Festis Parochiæ ad audiendam Missam Parochialem assistant; tamen hortandi sunt populi, ut huic officio quam frequentius poterunt satisfaciant.

Prob. 1. Auctoritate eorum Doctorum, qui docent, Pastores Ecclesiæ non posse strictam legem statuere; quæ fideles obliget ad assistendum Missæ Parochiali, inter quos unum referam, Fagundem scilicet, qui sic loquitur, Lib. de Præceptis Ecclesiæ c. 5. n. 18. *Honestissimum ac decentissimum est, ut parochiani proprias frequentent parochias, & ut saltem in festivitatibus præcipuis totius anni iis intersint Missæ audiendæ; & hoc consulendum, & prædicandum est a Concionatoribus: nec debent Concionatores prædicare e suggestis, non teneri populum in suis parochiis Missam audire, quia quamvis ad id de facto non teneantur, cum tamen decentissimum sit id consulere, indecentissimum erit contrarium suadere.*

2. Ex Can. *Si quis* Distin. 1. de consecrat. ubi sic habetur: *Si quis contra proprias parochias, in quibus legitimus ordinariusque fit conventus, Oratorium habere voluerit, poterit ibi in reliquis Festivitatibus Missam audire propter fatigationem familiæ*. Quo denotatur eos, qui non defatigantur adeundo propriam Parochiam, non debere, quantum possunt, ab ejus sancta collectione, quæ fit in Missa Parochiali, discedere. Postea vero addit idem canon: *Attamen in die Pentecostes, Natalis Domini, Joannis Baptistæ, non nisi in civitatibus, aut parochiis* Missam *audiant*. Quo indicatur certis saltem diebus Missæ Parochiali assistendum esse.

3. Ex emolumentis spiritualibus, quæ ex assistentia Missæ Parochiali fideles possunt percipere; quæ nos attulimus in isto articulo 1. propositione 2. quibus ista addi possunt.

1. In Missa Parochiali solent publicari fidelibus dies festi, dies jejuniorum, excommunicationes, denunciationes nuptiarum, & similia, quæ Parochiani culpabiliter ignorabunt, si eidem Missæ non interfuerint.

2. Quia in Missa Parochiali fit aspersio aquæ benedictæ super populum: sicuti aspersus fuit Populus per sanguinem victimarum per Moysem, dum populus Judaicus fœdus iniit cum Domino, qua aspersione fœdus cum Domino Jesu, qui effudit super nos aquam mundam, renovamus: qua rursus aspersione mundamur a peccatis venialibus, si humiles & contriti eam sacram cæremoniam recipiamus, & ad perfectam peccatorum mortalium contritionem disponimur, & interius lavamur: sicuti lavabant olim fideles & manus & os in his fontibus, qui erant prope Ecclesiam, ut manibus mundis Hostiam reciperent, & ad os aqua mundatum deferrent; solebant enim olim fideles Eucharistiam propriis manibus recipere, & ad os suum propriis manibus deferre.

3. *Processioni* assistimus, qua antiquam & solemnem Arcæ translationem revocamus: quæ ab Israelitis in deserto ab una mansione in aliam deferebatur: quæ circa muros Jericho septies, clangentibus tubis, circumgesta est: quæque a Cariathiarim in domum Obededon, & a domo Obededon in civitatem David, hoc est Sion, translata est; quave cæremonia, si huic devote interfuerimus, fit nobis præsens Deus, sicuti præsens erat Judæis arcam circumferentibus; qua etiam concidunt dæmonum propugnacula, sicuti conciderunt muri Jericho; qua demum uberiori benedictione perfundimur, qua perfusus fuerit Obededon: Crux enim Christi quam in Processionibus nostris deferimus, longe Deo est gratior quam arca, longeque efficacior; quippe infirma & egena erant elementa veteris legis cæremoniæ, si cum nostris comparentur.

4. Incensum adoletur, uti factum videmus in veteri lege. Cap. 30. Exod. v. 7. *Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans. Mane . . . uret thymiama sempiternum coram Domino*. In Missa ergo Parochiali fumo thuris perfunditur 1. Altare, quo ara Crucis designatur. 2. Sacerdos. quo Christus significatur. 3. Oblata, quibus vota fidelium exprimuntur. 4. Imagines, quibus prototypa oculis nostris exhibentur. 5. Clerus & Populus, ex quibus omnium fidelium cœtus coalescit, & quibus tota Eccle-

sia

Digitized by Google

ix demonstratur, ut dum eo incenso singula adolentur, simus omnes Deo in odorem suavitatis.

3. Panis Benedictus singulis distribuitur *in signum internæ communionis & caritatis*, ut dicit Bona de rebus Liturg. lib. 2. c. 10. Qua generalis panis benedicti distributione significatur, fideles omnes olim in Missa Christum verum panem communicando recepisse. Quem sanctissimum usum cum non possit nunc Ecclesia ob depravatos fidelium multorum mores observare, ea saltem cæremonia commemorat; etenim, ut dicit Trid. sess. 22. c. 6. de sacrificio Missæ: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Et ut Eucharistiæ receptionem suppleat, panem benedictum singulis fidelibus distribuit, qui cum fide sumptus, cum devotione manducatus, veniales culpas remittit, & ad impetrandam peccatorum mortalium veniam disponit. De Præceptis Ecclesiasticis, quæ Sacramentorum receptionem respiciunt, agemus ubi de Sacramentis.

CAPUT IV.

De Præceptis, quibus Ecclesia jubet vel ut jejunemus, vel ut saltem a carnibus abstineamus.

EGimus hactenus de Præceptis, quibus *pie* vivimus erga Deum; jam agendum de his mandatis, quibus *sobrie* vivimus erga nos ipsos: quod quidem, ut par est, præstabimus, si temperantiam juxta regulas fidei & rationis custodiamus, si jejunia & abstinentiam a carnibus juxta præscriptum Ecclesiæ observemus. Quomodo autem hæc Ecclesiæ præcepta de jejunio & abstinentia a carnibus intelligenda sint, hic paucis explicabimus.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit jejunium, & quandonam sit de Præcepto.

NOta. Temperantia est virtus, quæ moderatur voluptates gustus, & tactus, quæque proinde, juxta regulas rationis & fidei, jejunium & abstinentiam præscribit.

Jejunium generatim est abstinentia ab aliquo.

Jejunium est duplex: spirituale, & corporale.

Jejunium spirituale est abstinentia a peccatis, & ab omni voluptate illicita.

Jejunium corporale est abstinentia ab escis corporalibus juxta regulas fidei & rationis.

Jejunium corporale aliud est juris naturalis, aliud juris positivi.

Jejunium corporale juris naturalis est ea abstinentia a cibis, quæ nobis per rationem naturalem præscribitur: tale est v. g. jejunium, quod ratio dictat nobis esse necessarium vel ad conservandam sanitatem, vel ad rationem perficiendam, vel ad pietatem obtinendam.

Jejunium corporale juris positivi est ea abstinentia, quæ nobis a legitimo Superiore præscribitur: tale est jejunium, quod nobis indicatur ut necessarium a Medico ad conservandam sanitatem corporis, a Philosopho ad conservandam mentis serenitatem, a Theologo ad pietatem vel obtinendam, vel conservandam, ab Ecclesia ad exercendam una cum omnibus Christi fidelibus pœnitentiam.

Prop. 1. Omnes omni tempore tenemur observare jejunium spirituale, situm in abstinentia a peccato: & hæc obligatio tam arcta est, quam stricta sit obligatio vitandi peccatum.

Prob. 1. Scriptura. Omnibus hominibus juxta Scripturam præcipitur, ut a peccato semper abstineant; generalis enim est ista lex: *Non concupisces*: ergo omnibus hominibus præcipitur jejunium spirituale, situm in abstinentia a peccato. Sed ea abstinentia a peccatis, & spirituale illud jejunium strictius ligat homines baptizatos, ut docet Paulus ad Rom. 6. v. 4. *Quicumque enim baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: *deponentes* scilicet *omne pondus & circumstans nos peccatum*: etenim qui manet in Christo non peccat: Ergo omnes homines tenentur servare jejunium spirituale, seu abstinere a peccato.

2. Ex Patribus. D. Basilius homil. 1. de jejunio ait: *Verum enim jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum*. D. Chrysost. Homil. 8. in Genes. sic definit jejunium: *Jejunium dico abstinentiam a vitiis... hoc verum jejunium est*. Et Leo Serm. 41. de jejun. c. 2. sic concludit: *Non enim in sola abstinentia cibi stat nostra summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur*. Et ut indicet jejunium spirituale semper urgere, nullamque pati dispensationem, sic habet Serm. 43. *Nullum magis sectandum est continentiæ genus, quam ut semper simus ab injusta voluntate sobrii, & ab inhonesta actione jejuni*.

3. *Rat.* Jejunium spirituale est abstinentia a peccato: atqui nullum est tempus, in quo non debeamus omnes abstinere a peccato, juxta illud Scripturæ: *Tamquam a facie colubri fuge peccatum*: ergo nullum est tempus, in quo non teneamus omnes observare jejunium spirituale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Primum & indispensabile omnino jejunium est, non abstinentia eorum ciborum, qui ex se sunt indifferentes, sed abstinentia eorum vitiorum, quæ ex sua intrinseca natura mala sunt; ut docet Christus, Matth. 15. vers. 17. *Omne*, inquit, *quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt, quæ coinquinant hominem*. Quod ita explicat Basilius, homil. 1. de jejunio. *Cave*, inquit, *ne jejunii utilitatem sola ciborum abstinentia metiaris... carnes non edis; at interim devoras fratrem tuum: vino abstines; at interim ab injuriis non temperas. Væ his, qui ebrii sunt non a vino. Ira mentis est temulentia, eam a prudentia non minus excutiens, quam vinum*.

Consect. 2. Primum & indispensabile pariter jejunium est, non pugna contra famem, vel sitim, sed pugna contra triplicem concupiscentiam: de qua Joan.

Digitized by Google

Joan. ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ:* 1. Joan. 2. vers. 16. Etenim, ut cum Augustino loquar, serm. de diversis, olim 74. jam 211. nullus est, qui possit se ab hoc jejunio, vel ab hac pugna dispensare. *Potest quisque dicere:* ne stomachus doleat, jejunare non possum; *potest etiam dicere: volo dare pauperi; sed unde, non habeo, aut tantum non habeo, ut timeam egere, si dedero; quamquam & in his operibus excusationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt; verumtamen quis est qui dicat: ideo non ignovi veniam petenti,* ideo concupiscentiæ non restiti, aut jejunium spirituale non servavi, *quia valetudo impedivit, aut quia manus, qua porrigerem, non fuit. Dimitte, ut dimittatur tibi: decerta, ut coroneris: carnis hic opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum assumitur, ut hoc impleatur; quod rogatur, voluntate agitur, voluntate perficitur, voluntate decertatur, voluntate jejunatur.*

Prop. 2. Præter jejunium spirituale omnes omni tempore tenemur ad observandum jejunium corporale, quando ex testimonio conscientiæ judicatur necessarium vel ad satisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, vel ad præcavendum futura, vel ad mentem elevandam ad divina: & hæc obligatio tanta est, quanta est connexio jejunii cum prædictis effectibus.

Prob. 1. Scriptura, Scriptores sacri passim jejunium, & orationem simul consociant: *Estote itaque sobrii & vigilate in orationibus,* inquit Petrus 1. 4. v. 7. ergo sicut oratio est de præcepto, quoties necessaria judicatur ad obtinendam virtutem: ita & jejunium est de præcepto, quoties sine jejunio virtus absolute necessaria obtineri non potest.

2. Ex Aug. Serm. olim de temp. 230. jam 73. de verbis Evang. in appendice. *Jejunium,* inquit, *purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vera lumen accendit:* & Bern. Serm. 4. in quadrages. ita loquitur; *Jejunium obtinet veniam, gratiam promeretur, delet præterita peccata, futura depellit.* Ergo toties tenemur observare jejunium corporale, quoties ex testimonio conscientiæ judicatur ad prædictos effectus necessarium.

3. *Rat.* Jejunium necessarium est ad abstergendum peccata præterita, ad præcavendum futura, ad assequendam virtutem, & ad elevandam mentem ad Divina, juxta illud, quod Deo canit Ecclesia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia;* atqui nullum est tempus in quo non teneamur omnes abolere peccata præterita, præcavere futura, virtutes comparare, mentem ad Divina erigere: ergo nullum est tempus, in quo non teneamur omnes ad jejunium corporale, quando ex testimonio conscientiæ judicatur ad prædictos effectus necessarium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui est in peccato, præcipue mortali debet jejunare jejunio corporali, ut ea carnis maceratione ad cordis cumpunctionem excitetur: sic enim peccatores compellat Joel, 2. vers. 12. *Nunc ergo, dicit Dominus, in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: canite tuba in Sion, sanctificate jejunium. Jejunio usi sunt Ninivitæ,* inquit Tridentinum §. 14. cap. 4. *cum ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt:* de his enim ita scribit Jonas, cap. 3. v. 6. *Et pervenit verbum ad Regem Niniva, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis & Principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant... & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate.*

Consect. 2. Qui tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus, præcipue si tentetur circa luxuriam, debet ad jejunium corporale recurrere, & quidem tamdiu quamdiu judicabitur ad reprimendam carnis rebellionem necessarium; *hoc enim genus Dæmoniorum,* inquit Christus, *non ejicitur, nisi oratione & jejunio.* Quo remedio usi sunt omnes Sancti ad vincendas carnis tentationes, quodque suo exemplo præcipit Paulus, cum dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo:* de quo ita August. de Cantico novo, cap. 3. ubi sic Christianum, qui ad cælum tendit, hortatur. *Ecce,* inquit, *in Evangelio clamat Salvator:* Ego sum via; *Habes viam, ambula, sollicitus tamen doma jumentum tuum, carnem tuam: ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac vita mortali jumento insideres, quod te gestiendo vellet præcipitare; nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quod frenis non posses? Caro nostra jumentum nostrum est: iter agimus in Jerusalem: plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere. Tale ergo jumentum cohibeamus jejuniis:* exemplo Pauli: *Ita ergo et tu, qui ambulare desideras: doma carnem tuam, & ambula. Ambulat enim, si amat. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.*

Consect. 3. Qui virtutes christianas, sine quibus salvi esse non possumus, consequi desiderat, jejunio utatur necessum est, quippe, ut docet Leo serm. 12. *Quid enim potest esse,* inquit, *jejunio efficacius, cujus observantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo vitia blanda superamus? semper virtuti cibus jejunium fuit, de abstinentia proveniunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur:* & Bernardus ait serm. 1. *Carnis inedia est perfectio cordis.*

Consect. 4. Si Christianus velit, ut debet, corpus suum offerre Deo, tamquam Hostiam sanctam, & Deo placentem, necessarium est, ut jejunio victimam illam præparet, ut dicit Aug. Serm. 61. de Cantico novo jam citato: de quo Sacrificio loquitur Paul. Ad Roman. 12. vers. 1. hoc modo: *Obsecro itaque vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile,* id est spirituale, *obsequium vestrum:* & 2. Corin. 4. vers. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali:* & vers. 16. *Propter quod non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est,* reno-

Digitized by Google

renovatur de die in diem, jejunio scilicet, aliisque mortificationibus.

Prop. 3. Præter jejunium spirituale, situm in abstinentia a quocumque peccato, præter jejunium corporale, situm in ea ciborum corporalium temperantia, quam conscientia inspirat unicuique, est & aliud jejunium corporale: *Medicinale* scilicet, quod Medicus præscribit ad sanitatem corporis: *Philosophicum*, quod Philosophus præscribit ad mentis perfectionem: *Theologicum*, quod Theologus inspirat ad pietatis exercitium. Quod triplex jejunium tenemur omnes observare, quoties nobis est ad prædictos effectus necessarium: tantaque est hujus jejunii obligatio, quanta est illius cum prædictis effectibus connexio.

Probo 1. Scriptura. Constat ex variis Scripturæ textibus, quod excessus in cibo & potu nocet 1. sanitati, juxta illud: *Plures occidit gula, quam gladius*. 2. Nocet mentis libertati, juxta illud: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. Sap. 9. vers. 15. 3. Nocet maxime virtuti, juxta illud: *Attendite, ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate*, Luc. 21. v. 34. Ergo jejunium necessarium est ad corporis sanitatem, quam intendit Medicus; ad mentis libertatem, quam intendit Philosophus, & ad exercitium pietatis, quam respicit Theologus. Ergo tenemur jejunium corporale observare, cum necessarium judicatur vel ad sanitatem corporis, vel ad perfectionem mentis, vel ad virtutis exercitium.

2. Ex D. Th. *Jejunium in communi*, inquit, *cadit sub præcepto legis naturæ, sed determinatio temporis, & modi jejunandi.... cadunt sub præcepto juris positivi*. 2. 2. 147. art. 3. in C. Ergo potest a legitimo superiore certis in casibus nobis præscribi, puta, a Medico, cum conducit ad sanitatem, a Philosopho, cum necessarium est ad rationem perficiendam, a Theologo, cum expedit ad virtutis exercitium.

3. *Rat.* Omnis virtus moralis jure naturali imperata, jure positivo & quoad tempus, & quoad modum præscribitur: quia ad jus positivum pertinet determinare jus naturale: atqui jejunium est actus virtutis moralis, scilicet temperantiæ: ergo jure positivo determinatur. Et ita jejunium, quatenus utile corpori, determinatur per Medicos: quatenus utile rationi, determinatur per Philosophos: quatenus utile pietati, determinatur per Theologos, quibus & Medici, & Philosophi debent subesse, non solum in hac materia, sed etiam in aliis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Homo tenetur ad jejunium corporale eo tempore, quo ei per Medicos prudentes præscribitur, ut necessarium vel ad conservandam, vel ad recuperandam sanitatem corporis: quippe sicuti nemini licet seipsum interficere, aut mutilare, quia non sumus domini corporis nostri, sed custodes; ita nemini licet ciborum ingluvie corporis sanitatem labefactare. Cum ergo juxta Scripturam, Medico parendum sit in his, quæ spectant corporis sanitatem, sic enim explicari potest illud Ecclesiastici 38. v. 1. *Honora Medicum propter necessitatem*; ei tum maxime parendum est, cum jubet abstinentiam ad conservationem sanitatis necessariam, ad quam nos Sapiens, ad instar prudentis Medici, ita suaviter hortatur 37. v. 32. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Quæ quidem singula sunt de præcepto; non eo tamen motivo observanda sunt, ut vivamus nobis, sed eo motivo, ut vivamus Deo, & gloriæ æternæ comparandæ incumbamus. Quantum autem sanitati conducat jejunium, vel ex eo patet, quod insigniores Medici abstinentiam inter præcipua medicamenta collocent; Hypocrates enim lib. de affectibus sic habet: *Optima sunt ad sanitatem quæ medice ingesta sufficiunt, ut & fames & sitis sine medela*: & lib. 4. de morb. sic loquitur: *Si homo parum edit, & parum bibit, nullum morbum hoc inducit*. Philo Judæus Philosophus simul & Medicus dictitare solitus erat, continentiæ proprium esse sanitatem & robur gignere; quibus assentitur Hieronymus his verbis: *Mater sanitatis est abstinentia, ægritudinis voluptas*: quod & Horatio quamvis de secta Epicuri non displicuit; sic enim habet: *Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas, aspice nunc tenuis victus quæ quantaque secum afferat: imprimis ut valeas bene*.

Consect. 2. Homo tenetur ad jejunium corporale eo tempore, quo necessarium judicatur ad rationem perficiendam, mentisque libertatem obtinendam. Quippe sicuti homo est custos sui corporis; ita & custos suæ mentis: & sicuti nefas est homini corporis sanitatem nimio cibo alterare: ita longe nequius est mentis aciem nimio cibo hebetare. Quocirca sicuti ad jejunium obligatur, ut servet corporis sanitatem: ita fortius obstringitur ad jejunium, ut servet mentis libertatem. Multum autem prodesse abstinentiam ad perficiendam rationem Scriptura nos his verbis commonet. *Cogitavi*, inquit Sapiens, *a vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam*: Eccl. 2. v. 3. Nihil est, quod magis mentis serenitatem perturbet, quam intemperancia, & præcipue in potu, ut habetur Prov. 2. v. 1. *Luxuriosa res vinum, tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens*: & Oseæ 4. v. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor*. Quibus testibus non obscure indicatur, aut hebetem, aut tumultibus plenam esse eam mentem, quæ non sibi jejunio viam ad scientiam parat.

Quantum vero rationi perficiendæ inserviat jejunium, vel ex eo conjici potest, quod nullus umquam extitit, qui vel parum in litteris profecerit, nisi fuerit abstinentiæ tenacissimus: & quidem inter paganos Socrates solo pane & lacte vivebat, Epictetus sola farina aquis diluta victitabat, Zenon vero non aliis epulis, quam terræ fructibus vescebatur. Quantis vero jejuniis inter Christianos macerabantur Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Aug. aliique non pauci Ecclesiæ Doctores, qui inter continua Ecclesiæ negotia non alio tempore studiis vacare poterant, quam his horis, quibus nos reficiendis corporibus indulgemus? Ratio dictat, nullum aliud esse obtinendæ scientiæ medium efficacius quam jejunium: reipsa humana mens numquam fortius vires suas exerit, quam dum corpus

Digitized by Google

jejuniis atteritur: e contra numquam languidius agit, quam dum corpus cibis obruitur. Inde videas mane mentem jejuno corpore acriter rebus intendere: vespere vero, ubi bene pasti sumus, eamdem mentem vix posse res vel faciliores assequi, quasi aut sepeliretur cibis, aut eorum vaporibus obscuraretur: in hoc non longe Soli absimilis, qui sereno tempore radios suos longe lateque dispergit, nimboso vero quasi interclusos retinet.

Consect. 3. Homo tenetur ad jejunium corporale eo tempore, quo judicatur necessarium ad officia pietatis exercenda, sive pietas Deum respiciat, sive nos spectet, sive ad proximum pertineat. *Pietas* enim, ut dicit Apost. *ad omnia utilis est*: & jejunium maxime ad pietatem conducit: de vera enim pietate & sapientia sic loquitur Job 25. v. 12. *Sapientia vere ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium ejus, & non invenitur in terra suaviter viventium*, idest, eorum, qui abstinentia & jejunio non delectantur. Quod certe expressius indicat Isaias, dum intemperantiam exhibet omnem omnino aditum ad pietatem præcludentem: *Verum hi quoque*, idest, non populus, sed Sacerdotes, & Prophetæ, *præ vino nescierunt* communia etiam pietatis officia: *præ ebrietate erraverunt* in evidentissimis etiam legum notionibus, *absorpti sunt a vino*, quasi hebetes & stupidi: *erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem*, idest Deum, *ignoraverunt judicium*, idest, æquitatem: qua ignorantia nihil pietati magis contrarium, cum cognitio Dei & justitiæ sit prima totius pietatis origo.

Consect. 4. Homo tenetur ad jejunium corporale, quoties ea abstinentia judicatur necessaria vel ad sustinendum statum familiæ, vel ad eleemosynas elargiendas: Deus quippe non ita fecit nos rerum nostrarum temporalium dominos, ut nobis licitum sit aut eas epulis consumere, aut eis, dum alii indigent, copiosius, quam par est, abundare: sic enim habet Scriptura, Prov. 21. vers. 7. *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum & pinguia, non ditabitur*. Et ut Scriptura indicet excessum illum in epulis, quibus res familiares consumuntur, esse peccatum, statim subjungit: *Pro justo datur impius, & pro rectis iniquus*; idest, pro justo filio exercendo datur impius ille pater devorans hæreditatem filiis, & pro *rectis* filiis exercendis *iniquus* pater; his verbis exprimens, quam grave peccatum sit ea intemperantia, qua res familiares dissipantur. De his vero, qui epulis indulgent potius quam temperent, ut eleemosynas impertiantur, ita inculpando loquitur Apostolus: *Unus esurit, alius autem ebrius est*. Ergo abstinentia est de præcepto, cum necessaria judicatur vel ad conservandas res familiares, vel ad sublevandam extremam aut urgentem, imo forte communem pauperis necessitatem. Vide dicta de eleemosyna.

Ex quadruplici isto Consectario patet, omissionem jejunii esse peccatum, quando necessarium judicatur vel ad sanitatem corporis, vel ad mentis perfectionem, vel ad pietatis exercitium, vel ad rei familiaris conservationem, vel ad eleemosynarum largitionem.

Monit. Quadruplex illud genus jejunii, quod vel conscientia, vel Medicina, vel Philosophia, vel Theologia præscribunt, consistit non in unica refectione in die, nec in carnium abstinentia; sed in usu moderato ciborum, & in ea temperantia, quæ necessaria judicatur ad finem, qui intenditur. Jejunium vero Ecclesiasticum est abstinentia a certo ciborum genere, & a pluribus in die refectionibus, secundum modum ab Ecclesia præscriptum, & propter finem pietati congruentem. Ideo est.

ARTICULUS II.

De Jejunio Ecclesiastico.

PRop. unica. Præter jejunium spirituale obligans omni tempore, præter jejunium illud corporale, quod lex naturalis præscribit, præter illud etiam jejunium corporale quod vel Medici ad corporis sanitatem, vel Philosophi ad mentis purgationem, vel Theologi ad exercitium pietatis conducere indicunt, Ecclesia habet auctoritatem instituendi solemnia quædam jejunia, quæ Christiani singuli debent observare juxta modum ab Ecclesia præscriptum.

Prob. 1. Scriptura. Præter dies jejunii instituti a Domino in Lege Mosaica præscriptos, Synagoga alios dies jejunii præscripsit. Sic Josaphat prædicavit jejunium universo Judæ, ut liberaretur ab Ammonitis, & Moabitis. 2. Paralip. 20. v. 30. Sic Esdras prædicavit jejunium juxta fluvium Ahova, ut Israelitæ prosperum iter haberent ad Jerusalem reædificandam. 1. Esd. c. 8. vers. 21. Sic Esther jejunium sibi & populo Judaico indixit, ut averteret malum, quod Aman Judæis paraverat. Esth. 4. v. 16. Ergo a simili Ecclesia, quæ non habet minorem auctoritatem, quam Synagoga, potest certos jejunii dies præscribere, quosque omnes fideles tenentur observare.

2. Ex August. Epist. ad Casulan. *Ego*, inquit, *in Evangelicis, & Apostolicis litteris... video præceptum esse jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum*. Ergo ad Ecclesiam pertinet determinare tempus, quo jejunio Ecclesiastico jejunandum sit.

3. *Rat.* desumpta ex D. Th. 2. 2. qu. 144. art. 5. in corpore. *Jejunium*, inquit, *utile est ad deletionem culpæ* commissæ, ad cohibitionem peccati quod posset committi, & *ad elevationem mentis ad spiritualia*, & ad plures alios fines, quos Ecclesia potest intendere: ergo quilibet homo ex vi juris naturæ debet uti jejunio quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus: ergo cum quilibet non possit id satis prudenter per semetipsum determinare, ad Ecclesiam pertinet seligere tempora, quibus magis nobis expediat jejunare, quodque jejunii tempus a nobis observandum sit.

Et sicuti Ecclesia determinavit certas festorum solemnitates; ita & determinare potuit certa jejunii solemnis & pœnitentiæ tempora: & sicut peccant qui non observant dies festos ab Ecclesia institutos; ita peccant qui non observant jejunia ab Ecclesia præscripta.

Consectaria, in quibus historice referuntur tempora per Ecclesiam jejuniis destinata.

Consect. 1. Observandum est jejunium Quadragesimæ; quia tale tempus determinatum fuit ab Ecclesia, ut

ut jejunium Christi, Moysis, & Eliæ imitemur, ut ante Pascha Sacræ Communioni disponamur. Duplicem illam rationem tangit August. Epist. 119. ad Januar. *Quadragesima jejuniorum*, inquit, *habet Auctoritatem & in veteribus libris, & ex jejunio Moysis, & Elia, & ex Evangelio; quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege & Prophetis: & quamquam non possimus quadraginta diebus ab omni cibo abstinere, sicut abstinuit Dominus; convenit tamen ut pro modulo nostro eum imitemur in jejunio, sicut & in humilitate, in patientia, & misericordia, & perfecta caritate, quoniam nobis dicitur: Discite a me, quoniam mitis sum & humilis corde, &c.... Ideo Deus post jejunium esurivit, & tentari voluit.* Et idem August. ait, eadem Epist. cap. 17. *Ut igitur hi quadraginta dies in jejunio observentur ante Pascha, Ecclesiæ consuetudo roboravit*: ut inquit Hieron. Epist. ad Marcellum adversus Mont. *Nos jejunio quod mentem elevat ad Divina, purgat a vitiis, & virtutibus ornat, ad festa paschalia præparemus, quibus decet maxime nos vitiis esse purgatos, ut sepeliamur cum Christo, & simul cum illo resurgamus.*

Consect. 2. Observandum est jejunium quatuor temporum: uti enim in Synagoga jejunium quatuor temporum observabatur, Ecclesia aliis motivis voluit jejunium indicere quatuor anni temporibus, quibus conferuntur Ordines: quo jejunio Dominum deprecamur, ut mittat bonos operarios in vineam suam. Oportet enim, inquit Hieron. relatus a D. Thom. 2. 2. q. 141. art. 5. *ad ordinum susceptionem & collationem per jejunium præparari*, & eos, qui ordinantur, ut fructuose Sacramentum Ordinis recipiant, & eos, qui ordinant, ne cito in sui condemnationem indignis manus imponant; ideoque oportet etiam plebem jejunare, pro cujus utilitate Clerici ordinantur: in cujus praxeos exemplum Christus ante electionem Discipulorum, *exivit in montem solus orare*. Quod exponens Ambros. dicit: *Vide, quid te facere conveniat, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos prius oravit.* lib. 5. in Lucam. Novam aliam rationem addit Leo Serm. 8. decimi mensis. *Jejunia*, inquit, *ex doctrina Spiritus Sancti ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus adscripta sit temporibus; siquidem jejunium vernum in quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in decimo celebramus; intelligentes Divinis nihil vacuum esse præceptis.*

Consect. 3. Observandum est jejunium vigiliarum juxta usum Ecclesiæ, in qua vivimus, ut sicuti per jejunium ad Festa Paschalia præparamur, eadem ratione in vigiliis præcipuarum solemnitatum, in quibus præparari nos oportet, per jejunium ad festa illa peculiaria devote celebranda disponamur; ne quod exprobrat Sapiens Judæis, Christianis etiam exprobrari possit, ne scilicet simus, ut dicit Sapientiæ 14. v. 23. *habentes vigilias insaniæ plenas.*

Consect. 4. Præter jejunium quadragesimæ quatuor temporum, & vigiliarum, observanda est abstinentia a carnibus diebus Rogationum, & qualibet feria sexta, & quolibet Sabbato his locis exceptis, in quibus ex consuetudine certis Sabbatis usus carnium est licitus: quia ita jubet Ecclesia: non quod hæretico spiritu prohibeat abstinere a cibis, quos Deus creavit, quod vetat Paulus ad Timoth. 4. sed quia abstinentia corpus castigandum sit: quod & verbo & exemplo ostendit Paulus, dicens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Huc pertinet sententia Aug. de Definitione fidei Ortodoxæ. *Æquare*, inquit, *nuptias Virginitati, & nihil meriti putare esse in abstinentia a carnibus & vino, non Christiani hominis, sed Joviniani est.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Monit. Carnium manducatio diebus, quibus ab Ecclesia interdicuntur, non est ex se mala, sed est solum mala ex interdicto Ecclesiæ. Carnes non sunt ex se malæ, ut volebant Manichæi; quia sunt opus Dei, & non opus dæmonis: nec maculantur, quia offeruntur idolis, ut male credebant olim quidam Catholici nimium scrupulosi: nec prohibentur ex vi legis Mosaicæ, ut arbitrantur quidam Catholici nimium Judaizantes; sed usus carnium certis diebus est illicitus post prohibitionem Ecclesiasticam, quam nefas est infringere. Etenim si Ecclesia tempore Apostolorum juste præceperit, ut fideles abstinerent a sanguine & suffocato; quidni præcipere potest, ut fideles modo certis diebus a carnibus abstineant? Rursus, si Medicus ob sanitatem corporis certos valeat cibos interdicere, quidni a fortiori idem poterit Ecclesia ob salutem animæ?

ARTICULUS III.

De modo, secundum quem Ecclesiastica jejunia observanda sunt.

PRop. unica. Ad Ecclesiam pertinet determinare non solum tempora, quibus jejunare nos oportet, sed etiam modum, secundum quem jejunare nos convenit.

Prob. 1. Auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 147. art. 3. in corp. *Jejunium*, inquit, *in communi cadit sub præcepto legis naturæ; sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ*: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare modum, secundum quem jejunare nos oporteat.

2. *Rat.* Sicuti ad Rempublicam pertinet determinare ea, quæ respiciunt regimen politicum; ita ad Ecclesiam pertinet determinare ea, quæ spectant regimen ecclesiasticum: atqui jejunia Ecclesiastica spectant regimen ecclesiasticum; cum nonnisi in bonum spirituale fidelium instituantur: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare jejunia, & modum, secundum quem jejunare nos oporteat. Qui modus varius fuit juxta varias diversorum temporum differentias.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam abstinentia a vino, a carnibus, ab ovis & lacticiniis conjungebatur cum jejunio Ecclesiastico, & unica permittebatur in die refectio, eaque circa vesperam. Ea singula paucis sic expressit Basilius hom. 1. de jejunio. *Carnes*, inquit, *non edis, a vino abstines, vesperam expectas, ut cibum capias.* Idem habet Theophilus Epist. 3. *Qui autem*, inquit,

legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium usum repudiant. Cyrillus vero Catecheſi 4. jejunium Christianorum ſic deſcribit: *Jejunamus a vino, a carnibuſque abſtinemus.* Poſtea vero ſubjungit, carnium uſum ſolis infirmis eſſe licitum. Synodus vero Trullana can. 56. præcipit, ut tempore quadrageſimali fideles abſtineant ab eo omni, quod mactatur, ab ovis & caſeo, & in pœnam tranſgreſſionis Clericos deponit; Laicos vero ſegregat a communione fidelium. Abſtinentia autem a carnibus ita rigide obſervabatur, ut quamvis tempore Juſtiniani, urgente fame, & juſſu ipſius Imperatoris carnes venales expoſitæ fuerint, populus tamen nec carnes emeBat, nec edebat, *Ne quid de patriis traditionibus mutaret*, inquit Nicephorus, lib. 17. cap. 32. Et Spiridion tempore jejunii non auſus eſt apponere carnes hoſpiti adventanti, niſi prius perſpexiſſet, quod nullum aliud habebat alimentum, & niſi prævia prius oratione adhibita: cumque hoſpes in tam urgenti neceſſitate carnes edere reluctaretur, ipſemet de carnibus hoſpiti appoſitis manducavit, dicens: *Omnia eſſe munda mundis*, indicanſque carnes non eſſe natura ſua malas: quas omnes cautelas vir Dei non adhibuiſſet, ſi licitum fuiſſet extra caſum neceſſitatis uti carnibus tempore jejunii.

Conſect. 2. Juxta præſentem Eccleſiæ uſum tria requiruntur ad jejunium Eccleſiaſticum, ſcilicet 1. Abſtinentia a carnibus, 2. Unica refectio in die. 3. Hora competens hujus refectionis. Jejunium enim Eccleſiaſticum, inquit D. Th. inſtitutum eſt ad refrænandam concupiſcentiam carnis. Hæc autem concupiſcentia maxime inflammatur per uſum carnium, per prænaturam & ſæpius iteratam refectionem, ut patet experientia: ergo optimo jure Eccleſia ſtatuit, ut in jejunio interdiceretur uſus carnium, & comeſtio ſæpius iterata, & refectio nonniſi unica permitteretur.

Sic ex conſuetudine Eccleſiaſtica quæ vim legis habet, omnibus diebus jejunii Eccleſiaſtici abſtinemus a carnibus: in quadrageſima vero ab ovis & lacticiniis temperamus, niſi ubi uſus contrarius viget; non quod, ut docet Aug. lib. 3. contra Fauſt. cap. 5. *illud quod intrat in os, poſſit hominem coinquinare, aut immundus ſit aliquis cibus; ſed edomandi corporis cauſa, ut præſcindantur pravæ cupiditates, & per caſtigationem & jejunium redigatur corpus in ſervitutem ſpiritus, & exhibeatur Deo hoſtia viva*, ut docet Paul. ad Rom. 12. & 1. ad Cor. 1.

Sic ex conſuetudine Eccleſiaſtica, fundata in exemplo jejunantium in Synagoga, unicam recipimus in die jejunii refectionem; dicitur enim Lev. 23. *Sabbatum eſt*. Et poſtea ſubditur: *A veſpere uſque ad veſperam affligetis animas veſtras.* Quia, ut docet D. Th. *Jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam, ita tamen quod natura ſalvetur. Ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt naturæ ſatisfacere; & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit, diminuendo comeſtionum vices. Et ideo Eccleſiæ moderatione ſtatutum eſt, ut ſemel in die a jejunantibus comedatur*, 2. 2. q. 137. art. 6.

Sic ex conſuetudine Eccleſiaſtica olim comeſtio fiebat poſt Veſperas in Choro recitatas, quæ tunc recitabantur hora circiter quarta poſt meridiem; jam vero circa meridiem recitantur, De quo ita Bern. ſerm. 3. de quadrageſima, Monachos ſuos alloquens: *Hactenus uſque ad nonam jejunavimus, nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum univerſi, Reges & Principes, Clerus & Populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper.*

Sic ex benignitate Eccleſiæ permittitur cœnula, ſeu veſpertina collatio, modo cœnula non vertatur in cœnam: Origo collationis a Monachis cœpit, apud quos fiebant lectiones & colloquia ſpiritualia, & lectori permittebatur potum ſumere: poſtea fruſtulum panis addiderunt, ne potus noceret. Hinc ſæculares, relicto ſpirituali colloquio, collationem Monachorum imitati ſunt, & uſum cœnulæ introduxerunt. D. Bonaventura in ſpeculo Diſciplinæ ad Novitios part. 1. cap. 21. *Ad collationem tempore jejunii faciendam*, ait, *duabus tantum, vel tribus, ſi indiges, bibere vicibus, temperantia congruet, & honeſtati.* Sanctus Carolus Borrom. par. 1. titulo de gubernatione ſpirituali, in cœnula panis unciam cum dimidio, & vini poculum tantum concedit. Sed circa id nihil poteſt certo determinari, ſed ſequenda eſt regula D. Th. 2. 2. q. 147. art. 6. ad primum. *Dicendum*, inquit, *quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diverſas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget.*

ARTICULUS IV.

De adjunctis, quæ cum jejunio Eccleſiaſtico obſervare convenit.

PRop. unica. Non ſolum jejunium Eccleſiaſticum obſervandum eſt modo ab Eccleſia præſcripto, ſed etiam ea adjuncta obſervanda ſunt, ſine quibus jejunium non poteſt eſſe vel ſalutare, vel meritorium, vel virtuoſum.

Prob. 1. Scriptura. Conſtat eſſe aliqua jejunia, quæ Deo non placent, juxta illud Iſai. cap. 58. verſ. 3. *Quare jejunavimus*, inquit, *& non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra... Numquid tale eſt jejunium, quod elegi?* Ergo jure Divino, & proinde Eccleſiaſtico quo determinatur jus Divinum, jejunium ab Eccleſia præſcriptum debet habere quædam adjuncta, quæ neceſſario obſervanda ſunt, ut jejunia ſint apud Deum meritoria, & habeantur apud eum vera jejunia.

2. Ex Concilio Mediolanenſi V. p. 1. de his, quæ ad dies feſtos & ſacra tempora pertinent, ubi ſic habetur: *Quadrageſimalibus, aliiſve jejunii, pænitentiæ, & publicæ ſupplicationis diebus, fideles ſe vitæ diſciplina ſeveriore aſtringant, ſanctiſque inſtitutis, & moribus ſacro illi tempori convenientibus, ſe ſuoſque, qui patres familias ſunt, quam rectiſſime in omnes partes conforment.* Ergo jejunium Eccleſiaſticum quaſdam habet pias circumſtantias adjunctas, ſine quibus Deo & Eccleſiæ diſpliceret.

3. *Rat.* Jejunium Eccleſiaſticum eſt actus virtutis abſtinentiæ per Eccleſiam determinatæ: atqui actus abſtinentiæ non poteſt eſſe actus virtutis chriſtianæ, niſi fiat cum illis adjunctis quæ neceſſaria ſunt, vel ut ſit actus virtutis; vel ut ſit actus ſalutaris & meritorius coram Deo: ergo non ſolum jeju-

Digitized by Google

jejunium Ecclesiasticum observandum est, sed etiam observanda sunt ea adjuncta, quæ necessario requiruntur, ut jejunium sit vel actus veræ virtutis christianæ, vel actus salutaris, vel actus meritorius coram Deo.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ut jejunium Ecclesiasticum sit verum jejunium, debet esse actus virtutis christianæ; & proinde assumptus motivo aliquo supernaturali, v. g. motivo placandi Deum offensum, motivo reparandi peccata commissa, vel præcavendi ea, quæ committi possent. Sic non satisfaciunt præcepto jejunii Ecclesiastici qui hic subjiciuntur.

1. Qui jejunat motivo vanæ gloriæ; uti jejunabant hypocritæ & Pharisæi: quod jejunium ita emendat Christus dicens: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes.*

2. Qui jejunat motivo vindictæ, ut liberior, expeditiorque sit ad ultionem contra inimicos suos; uti jejunabant, qui mortem D. Pauli juraverunt: quod jejunium rejicit Deus apud Isaiam 58. v. 4. *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie: nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.*

3. Qui jejunat motivo avaritiæ, uti jejunabant Judæi: quod jejunium ita corrigit Isaias 58. v. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

4. Qui jejunat motivo mere naturali sine animo servandi Præceptum Ecclesiæ; *alias non jejunaturus, non servat Præceptum Ecclesiæ* juxta Antonin. 2. p. t. 6. cap. 3. Qui jejunat motivo v. g. scientiæ comparandæ, sanitatis conservandæ, &c. uti jejunabant plures Judæi, quibus dicit Joel: *Sanctificate jejunium*. Et Zach. 7. v. 5. *Cum jejunaretis, & ploraretis... numquid jejunastis mihi?*

5. Qui jejunando affectum peccandi fovet, nequaquam de conversione cogitans: quod jejunium sic emendat Joel: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* 1. v. 12. Valet tamen illud jejunium *ad satisfaciendum Præcepto Ecclesiæ, ut non peccet mortaliter servando jejunium, quod incurreret, si non servaret*, Anton. ibid. modo habeat intentionem satisfaciendi legi.

Consect. 2. Ut jejunium sit vere actus virtutis christianæ, debet esse cum aliis virtutibus conjunctum: si enim juxta Philosophos virtutes morales naturales debent esse inter se connexæ; a fortiori virtutes christianæ: & ita qui jejunat, non solum gula, sed & aliis membris debet jejunare: de quo ita Bernard. Serm. 3. de Quadragesima. *Si gula*, inquit, *sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit: si vero peccaverunt & cætera membra, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus &c. Jejunet auris, nequiter pruriens a fabulis & rumoribus &c. Jejunet lingua a detractione & murmuratione &c. Jejunet manus ab operibus omnibus, quæcumque non sunt imperata, sed & multo magis anima ipsa jejunet a vitiis.*

Consect. 3. Ut jejunium sit cum aliis virtutibus christianis conjunctum, debet esse alienum a quibuscumque vitiis, christianæ Religioni contrariis: de quo ita August. in appendice serm. 146. *Quid prodest*, inquit, *jejunare visceribus, & luxuriare venatibus, abstinere cibis, & errare peccatis, castigare corpus inedia, vinum forte non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere? .... Scire igitur debemus, fratres, acceptum esse Deo jejunium, non solum ut abstinentia corpora castigemus, sed etiam humilitate animas induamus* &c.

Consect. 4. Ut jejunium Ecclesiasticum sit alienum a vitiis, virtutibus christianis contrariis, debet esse alienum ab omnibus illis lautitiis, quas gulosa cupiditas excogitavit. Quippe qui nimius est in illis ciborum condimentis, voluptates non minuit, sed mutat; & carnium abstinentiam *ciborum quadragesimalium jucunditate compensat*: & ut optime ait Aug. ser. 270. alias de diversis 71. *Observatio quadragesimæ non est veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio*: & ser. 110. c. 8. *Sunt quidam observatores quadragesimæ, deliciosi potius, quam religiosi, exquirentes novas suavitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes.*

Consect. 5. Jejunium Ecclesiasticum non solum debet esse a superfluis ciborum condimentis alienum, & omnibus lautitiis vacuum, sed insuper debet esse cum aliis corporalibus mortificationibus conjunctum, puta, cum silentio, cum solitudine, cum vigiliis &c. Tale enim fuit jejunium, quo sancti homines justam Dei iram flectere variis temporibus conati sunt. Tale fuit jejunium Davidis: *Jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram.* 2. Reg. v. 16. Tale fuit etiam jejunium Judæorum tempore Esther: *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus.* Esther 4. v. 3. Tale etiam fuit jejunium Ninivitarum. *Vestiti enim sunt saccis a majore usque ad minorem.* Jonæ 3. vers. 5. Immo tale erat juxta Tertullianum jejunium paganorum, quo satis evincitur non in sola ciborum abstinentia sitam esse jejunii summam: *Omnem*, inquit, *Tapinophronesim Ethnici agnoscunt; cum cælum stupet, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, Magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, Hostiam instaurant... saccis velati, & cinere conspersi*; de jejun. cap. 16. Tale demum debet esse jejunium Christianorum, quos his verbis hortatur Ecclesia: *Utamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, somno, jocis, & arctius perstemus in custodia.*

Consect. 6. Jejunium Ecclesiasticum non modo debet esse superfluis ciborum condimentis vacuum, & cum corporali mortificatione conjunctum, sed etiam cum oratione & misericordiæ operibus inseparabili vinculo connexum. *Bona est*, inquit Angelus ad Tobiam, *oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Tob. 12. vers. 8. & Christus loquens de Dæmonibus ait: *Hoc genus Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio*, Marc. 9. v. 29. & de Anna vidua dicitur: *quod non discedebat de templo, jejuniis & orationibus serviens die ac nocte.* Luc. 2. v. 37. *Illud jejunium approbat Deus*, inquit Gregorius, *quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat: quod cum proximi dilectione agitur,*

Digitized by Google

quod ex pietate conditur: hoc ergo, quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur; homil. 16. in Evang.

ARTICULUS V.

De gravitate peccati, quod committitur violando jejunium Ecclesiasticum.

PRop. unica. Observatio jejunii Ecclesiastici obligat Christianos sub peccato mortali, nisi justam habeant excusationem.

Prob. 1. Scriptura. Jejunium & sobrietas generali præcipiuntur mandato. *Attendite autem vobis*, inquit Christus, *ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*. Luc. 21. v. 22. & Petrus 1. 5. v. 8. *Sobrii estote, & vigilate*. Paulus vero ad Roman. 13. v. 44. *Induimini Dominum nostrum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis*: ergo sicuti tenemur sub peccato mortali crapulam fugere, sobrietatem sectari, & Christum induere; ita & tenemur sub mortali jejunare, cum id Ecclesia determinat, præcipue si determinet sub gravi pœna: quod utique facit Ecclesia, cum punit Laicos privatione communionis, Clericos vero depositione.

2. Ex Conciliis. Concilium Gangrense, can. 19. juxta aliquorum translationem ita habet: *Si quis absque corporali necessitate, tradita jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesia, dissolvat, anathema sit*. Idem probatur ex Concilio Carthaginensi 4. can. 63. ubi determinatur, Clericum qui tempore jejunii, absque inevitabili necessitate, jejunium rumpit, *minorem habendum esse*, id est, deponendum. Idem habetur in Concilio Toletano 8. can. 9. ubi dicitur: quod qui jejunium quadragesimale solverit, *non solum reus sit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sanctissima Communione*. Demum Concilium Provinciale Mediolan. V. ita expresse habet: *Quicumque sit, qui jejunii lege adstrictus est, singulis quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, jejunium servet, alioquin enim peccato mortali alligatum se nosse debet*.

3. Ex Patribus. Juxta Cyrillum Alexandr. violatio jejunii Ecclesiastici addicit inferno; sic enim habet Hom. 1. Paschali, loquens de jejuniis ab Ecclesia præscriptis: *Necesse est, aut per labores jejuniorum liberari a malis, aut si illos recuses, flammis inextinctis mulctari*. Juxta auctorem sermonum de quadragesima adscriptorum Ambrosio, ser. 5. *Non leve peccatum est fidelibus indictam quadragesimam a Domino violare*. Juxta Cæsarium: *Aliis diebus jejunare aut remedium, aut præmium est, in quadragesima non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in quadragesima qui potest, & non jejunat, sentiet pœnam*. Idem habet Theodulphus: *Quisquis*, inquit, *non jejunaverit*, diebus scilicet ab Ecclesia præscriptis, *pœnam sibi acquiret*. Pœna autem indeterminata infernum significat; & proinde arguit, violationem jejunii præscripti ab Ecclesia esse peccatum mortale.

4. Ex Theologis. Antoninus 1. Parte, titulo 6. cap. 2. sic expresse quæstionem determinat: *Ex statuto Ecclesiæ universali, jejunia qui omitteret ex negligentia, vel gula, non infirmitate, vel oblivione, cum credit, se posse jejunare, mortale est, & pro qualibet die omissa unum*. Demum difficultatem omnem diremit Alexander septimus, damnando sequentem propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter; nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto*.

5. *Rat.* Prima ratio. Infringere legem Ecclesiasticam in materia gravi est peccatum mortale, tum quia violatio legis justæ in materia gravi est peccatum mortale, tum quia Christus violatores legis Ecclesiasticæ, ut ethnicos & publicanos habendos esse decernit: atqui violare jejunium Ecclesiasticum tum quadragesimale, tum quatuor temporum, tum vigiliarum, est materia gravis, cum gravibus de causis ab Ecclesia hæc jejunia instituta fuerint: ergo violare jejunium Ecclesiasticum est de se peccatum mortale.

Secunda ratio. Peccatum, cui addicitur pœna gravis, est peccatum mortale; quia gravitas peccati pensatur ex pœnis, quibus subjicitur peccator: atqui violationi jejunii gravis pœna addicitur; nam juxta Canones, Laici infractores jejuniorum excommunicantur, Clerici vero deponuntur, ut patet ex citatis canonibus; imo aliquando jejuniorum infractores vel morte, vel evulsione dentium puniebantur, ut patet ex Brenaro Episcopo Mersepurgensi lib. 8. ergo violare jejunia Ecclesiastica est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter quicumque violant jejunium Ecclesiasticum vel in toto, vel in ea parte, quæ ex judicio Ecclesiæ gravis censenda est: sic rei peccati mortalis vere habendi sunt qui hic subjiciuntur.

1. Qui omittunt jejunium uno die sine causa, committunt peccatum mortale; si omittant pluribus diebus, totidem committunt peccata mortalia, pro qualibet die omissa unum, ut diximus ex Antonino: & auctor sermonum quadragesimæ serm. 7. sic habet; *Quamvis abstineat quis certis diebus . . . non tamen illi accepto fertur quadragesima jejunium, quia non diebus quadraginta jejunat: quia*, inquit Cajetanus verbo *Jejunium*, *quolibet die potest quis servare præceptum jejunium illius diei, ideo de novo quotidie peccat peccato omissionis; quia quotidie omittit jejunium quadragesimale*, aut alterius temporis.

2. Qui sine causa utuntur carnibus diebus jejunii; quia ex Toletano habetur a communione resurrectionis Dominicæ alienus qui *diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare*. Can. 9. Ideo tum pueri, tum senes, tum gravibus laboribus addicti; & qui excusantur a jejunio, peccant mortaliter, si utantur carnibus.

3. Qui præter prandium & brevem cœnulam ab Ecclesia toleratam, plures in eadem die jejunii suscipiunt refectiones; quia essentia jejunii consistit in unica refectione: ideo inquit D. Thom. *Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur* 2. 2. q. 147. art. 6. Unde damnata est sequens propositio ab Alexandro VII. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*.

4. Demum jejunium Ecclesiasticum solvunt qui

in

in fraudem jejunii (a) sumunt liquida magis destinata ad nutritionem, quam ad extinguendam sitim; cujusmodi sunt jusçula confecta vel ex amygdalis, vel hordeo, vel ex avena &c. qualia sunt, ut gallice loquar, *le Caphé*, *le Thè*, *le Chocolat*, *l' Hipocras*, *le Ratafia*, *la Fenouillete*, & aliæ liquidæ sorbitiones, *non ad sitim*, *sed ad voluptatem*, ut ait Hieronymus, destinatæ: quippe liquores hujusmodi nec se, juxta peritiores Medicos, non minus nutriunt, quam solidi cibi; constant enim ex spirituosis corpusculis vigorem solidioris alimenti longe superantibus.

5. Jejunium Ecclesiasticum solvunt etiam qui in magna quantitate sumunt liquida per se destinata ad extinguendam sitim, & per accidens ad nutritionem inservientia: cujusmodi sunt, ut gallice loquar, *le vin*, *le Cidre*, *la Biere*, demum liquor omnis, qui vocari solet *Vinum fructuarium*: de quo ita Aug. serm. de tempore *Sicut etiam*, inquit, *qui vinum ita non bibunt*, *ut allorum expressionem pomorum*, *aliosque liquores exquirant*; illæ quippe sorbitiones non possunt sumi in magna quantitate, nisi in fraudem jejunii. Idem enim de his liquoribus sentiendum, quod de electuariis sentit D. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod electuaria*, *etiamsi aliquo modo nutriant*, *non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum*, *sed ad digestionem ciborum*: *unde non solvunt jejunium*, *sicut nec aliarum medicinarum assumptio*, *nisi forte aliquis in FRAUDEM electuaria in magna QUANTITATE assumeret per modum cibi.*

Monit. Antiquitus tamen aqua etiam ipsa extra refectionem interdicebatur jejunantibus: Rex enim Ninivitarum indixit abstinentiam pariter & aquæ. *Homines*, inquit, *& jumenta non gustent quidquam*, *nec pascantur*, *& aquam non bibant*. Joan. 3. & Esdras jejunans *Panem non comedit*, *& aquam non bibit*. Et ea erat apud antiquos Christianos lex: *Jejunans*, *recuso potum*, inquit Prudentius Hymn. 6. & Abbas Silvanus Zachariæ monacho volenti bibere aquam, usum aquæ ei interdixit his solis verbis: *Jejunium est hodie*. Ruff. lib. 3. cap. 46. Jam vero usus aquæ, aut alterius liquoris destinati ad ciborum dissolutionem extra refectionem in moderata quantitate non interdicitur, ut docet D. Thom. his verbis *Licet pluries jejunantibus*, scilicet diversis horis, *bibere*. Si quis immoderate poto utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat. 2. 2. quæst. 147. art. 6. ad 2.

Confect. 2. Peccant tantum venialiter qui violant jejunium Ecclesiasticum vel sine plena deliberatione, vel in aliqua parte, quæ prudentum judicio non habeatur tamquam essentialis: peccatum enim ex suo genere mortale fit veniale vel ex indeliberatione, vel ex levitate materiæ: proinde qui hic subjiciuntur, peccant tantum venialiter, licet in aliquo violent jejunium Ecclesiasticum.

1. Qui sine ulla dispensationis causa mane sumunt eam, quam vocamus *collationem*, & prandium in vespertinum tempus differunt; quia, inquit Cajetanus, *id nec consuetudo excusat*, *nec jus concedit*. Dixi sine causa; nam si adsit legitima causa, vel quia ita exigit infirmitas personæ, vel negotiorum, tunc nullum erit peccatum etiam veniale.

2. Qui sine legitima dispensationis causa tempus prandii anticipant; quia, ut optime ait Cajetanus, *Sola vis jejunii consistit in protogatione inediæ usque ad horam tardiorem*.

3. Qui sine legitima etiam causa extra prandium, vel cœnulam ex Ecclesiæ usu toleratam sumunt aliquid, etiam modicum cibi, vel potus non necessarii ad dissolutionem ciborum; quia, ut dicit D. Thom. ea intemperantia perdit meritum jejunii.

4. Qui fracto semel jejunio sine causa, qua transgressione peccavit, ut supponimus, mortaliter, postea pluries edit, aut bibit; quia licet forte non faciat contra præceptum jejunii illius diei, eo quod impossibile sit observare jejunium, quod jam solutum est; tamen facit contra temperantiam quæ vetat, ne citra necessitatem cibis & potibus utamur.

5. Qui etiam ea hora, qua permissa est refectio vel prandii, vel collationis, ut vocant, excedit vel in cibo, vel in potu, quia numquam licitus est excessus vel in cibo, vel in potu, quique a fortiori strictius vetatur tempore jejunii.

ARTICULUS VI.

De causis legitimis excusantibus omnino ab observantia jejunii Ecclesiastici.

PRep. *unica*. Tria sunt, quæ legitime excusare possunt omnino ab observantia jejunii Ecclesiastici, scilicet 1. Infirmitas corporalis. 2. Ætatis debilitas. 3. Necessitas quælibet incompatibilis cum jejunio Ecclesiastico.

Prob. 1. Scriptura. Deus impossibilia non jubet; ait enim, *Jugum meum suave est*, *& onus meum leve*; ergo neque Ecclesia: ergo præceptum jejunandi non ligat eos, qui vel præ infirmitate, vel præ ætatis debilitate, vel præ urgenti necessitate cum jejunio incompatibili jejunare non possunt.

2. Ex Aug. Epist. 20. ad Bonifacium: *Exerce*, inquit, *jejunia quantum sine læsione tui corporis potes*: ergo infirmitas corporis, aut ætatis debilitas, vel quæcumque alia necessitas excusant a jejuniis.

3. Ex Concilio Toletano VIII. can. 9. ubi sic habetur: *Quisquis absque inevitabili necessitate*, *atque fragilitatis evidenti languore*, *seu etiam ætatis impossibilitate esum carnium præsumpserit attentare*.

Illi autem quos aut ætas incurvat, quales sunt senes, *aut langucres extenuant*, quales sunt ægroti; *aut necessitas arctat*, quales sunt omnes qui exercitiis cum jejunio Ecclesiastico incompatibilibus occupantur, *non ante prohibita violare præsumant*, *quam a Sacerdote permissum accipiant*: ergo censet Concilium tria hæc, scilicet morbi infirmitatem, ætatis debilitatem, & urgentem necessitatem legitime nos a jejunio dispensare. Jubet tamen Concilium, ut prius Sacerdotem consulamus, ne forte cupiditati magis quam præcepto faveamus.

4. *Rat.* Ex dictis de sanctificatione festorum, impotentia vel physica, vel moralis excusant legitime a præcepto audiendi Missam; ergo & excusant a præ-

(a) *&* *absque ulla necessitate*.

præcepto jejunandi; quia cum utrumque præceptum sit juris Ecclesiastici, utrumque est æqualiter dispensabile.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Infirmitas corporis vel occulta, vel manifesta, quam jejunium Ecclesiasticum vel foveret, vel augeret, excusat a jejunio, quia est impotentia jejunandi. Ideo quoties Concilia & Patres jejunandi obligationem imponunt, toties eos eximunt a jejunio, qui *propter imbecillitatem corporalem* a jejunio impediuntur.

Sic excusantur a jejunio qui febri laborant; necessum est enim, ut jusculis nutriantur. Item qui graves stomachi dolores, aut capitis vertigines, cordisve deliquia jejunando sentiunt; oportet enim, ut frequenti cibo hujusmodi malis medeantur. Item qui levibus morbis detinentur, cum periculum est, *ne ægritudo, quæ modo levior est, & quasi suspensa creditur, per exacerbationem postmodum gravior sentiatur*, ut dicit Greg. c. 34. Lib. 11.

Consect. 2. Debilitas ætatis, qualis est vel in pueris saltem non adultis, vel in senibus saltem decrepitis, excusat omnino ab observantia jejunii; quia in pueris status augmenti, quod eget frequenti cibo, in senibus vero status decrementi, quod eget pariter frequenti cibo, ab Ecclesiastico jejunio videtur omnino dispensare; sic enim de pueris habet D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2. *in pueris maxime est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto, tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; & ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda*. De senibus vero sic habet D. Antoninus: *Senes, si sunt multum debiles, eo modo excusari possunt, sicut dictum est de infirmis*. 2. Part. tit. 6. cap. 2. §. 5.

Consect. 3. Status quilibet incompatibilis cum jejunio Ecclesiastico excusat ab eodem jejunio; quia tunc adest impossibilitas moralis servandi jejunium: id videntur asserere hæc verba divi Th. in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. qu. 4. *Intentio*, inquit, *legislatoris est conservare homines, & inducere ad bonum statum virtutis, qui quidem consistit in conservatione vitæ, & valetudine sufficienti ad opera, quæ quis facere debet ... & ideo sive ægritudine imminente, sive labore viæ, sive quocumque alio, cum quo simul & jejunio prædictus status conservari non potest, non tenetur ex præcepto jejunare, sed secundum dispensationem Superioris*.

Sic excusantur a jejunio Ecclesiastico mulieres nutrices, & prægnantes; quamdiu enim sunt in eo statu, egent multiplici cibo tum pro se, tum pro fœtu, vel prole.

Sic pariter a jejunio eximuntur pauperes, qui non habent ea, quæ ad unicam in die comestionem sufficiant; minime vero alii, qui unicam sibi comestionem comparare possunt de quibus ita D. Th. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 4. *Pauperes*, inquit, *qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unicam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ, a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt habere quod eis ad victum sufficiat*.

Sic demum a jejunio Ecclesiastico excusantur omnes illi, quorum exercitium vel mentis, vel corporis cum jejunio Ecclesiastico non potest consistere: quod his verbis determinat D. Thomas. *Si autem*, inquit, *immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas diætas faciendi, vel etiam LABORANDI, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & SIMUL CUM HOC NON POSSINT JEJUNIA ECCLESIASTICA OBSERVARI, non obligatur homo ad jejunandum; quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret pias & magis necessarias causas*. 2. 2. qu. 147. art. 4. ad 3. *Hinc*, inquit Cajetanus v. jejunium, *excusantur a jejunio non solum laborantes in agricultura, sed in quacumque arte, qui aut vix sic, aut nec sic acquirere possunt omnia necessaria sibi, familiæque suæ, &c. si cum hujusmodi exercitio non possunt simul jejunare*. Hinc pariter, ut docet idem Cajetanus ib. qui vel ex officio, vel ex caritate, exercent opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, v. g. docent in Scholis, prædicant in Ecclesiis, &c. sepeliunt mortuos, ministrant ægrotis, excusantur a jejunio: *Si cum his non possunt jejunare; quoniam opera utriusque misericordiæ meliora sunt, quam jejunium ... & quia jejunium præcipitur, ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni*.

ARTICULUS VII.

De causis legitimis ex parte excusantibus a totali observantia jejunii.

P*Rop. unica*. Quando tria hæc, scilicet corporis infirmitas, ætatis debilitas, & necessitas cum jejunio incompatibilis, non talia sunt, ut excusent a totali jejunii severitate, sed solum a certo jejunii rigore, tunc servanda est ea jejunii austeritas, quæ observari potest.

Prob. 1. Script. *Quodcumque potest manus tua, instanter operare*, inquit Ecclesiastes, c. 8. v. 1. ergo fidelis qui non potest singula, quæ præcipiuntur tempore jejunii, præstare, debet saltem exacte exequi quæ ei sunt possibilia.

2. *Rat.* Quoties lex plura continet, quæ moraliter dividi possunt, ea observanda sunt, quæ non sunt impossibilia; lex enim justa ligat quoad eam partem, quæ non est impossibilis. Sic si debeas centum nummos, & possis solvere tantum quinquaginta, nequis retinere quinquaginta, sed debes ea solvere, ne sis injustus detentor. Sic si nequeas recitare integrum Officium, v. g. matutinum, eo quod careas Breviario, debes recitare eas horas, quæ habes in Diurnali, ne sis reus negligentiæ, & indevotionis in recitanda ea Officii parte, cujus recitatio tibi in promptu est. Sic etiam, si tenearis vacare servilibus die festo, quia non habes unde vivas, possis vero commode audire Missam, teneris audire Missam, ne sis infractor illius præcepti: *Diebus festis Missam reverenter audito*. Ergo qui non potest singulas jejunii circumstantias observare, potest vero aliquas, tenetur eas exequi, quæ ei sunt possibiles, ne sit infractor ejus partis, quam potest observare.

Con-

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Qui ob causam legitimam nequit uti cibis quadragesimalibus, quales sunt hi, quibus ob adustum sanguinem maxime nocet abstinentia; si iidem non egeant repetitis refectionibus, uti possunt carnibus; quia ad hoc habent legitimam, ut supponimus, dispensationem; sed unica refectione tempore jejunii contenti sint, oportet; quia non habent dispensationem, qua eis licitæ sint plures in die jejunii refectiones. Qui pariter pluribus, & repetitis egent in eadem die refectionibus, quales sunt pueri, si uti possint cibis quadragesimalibus poterunt dispensari a jejunio, minime vero ab abstinentia a carnibus; quia causam non habent, qua eis fiat licitus carnium usus; jejunium enim & abstinentia duæ sunt res, quæ ab invicem facile separari possunt, & quia duo sunt præcepta inter se distincta, ut innuit Trid. sess. 25. his verbis: *Fideles iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus*, en abstinentiam, *& jejunium*, en unicam in die refectionem. Ideo licet abstineamus a carnibus Dominicis quadragesimæ, non tamen iisdem diebus jejunamus.

Consect. 2. Infantes puberes, licet nondum tertium septennium attigerint, debent interdum juxta quantitatem virium jejuniis Ecclesiasticis assuefieri, ut monet D. Th. quoties id commode fieri potest. *Conveniens tamen est*, inquit, *ut pueri se ad jejunandum exerceant, plus, vel minus secundum modum suæ ætatis; quandoque tamen magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris jejunia indicuntur: sicut etiam de jumentis legitur.* Jonæ 2. D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2.

Consect. 3. Qui non possunt singulis diebus, bene tamen alternis jejunare, debent alternis diebus, prout vires suppetunt, jejunia observare, ut optime monet Cajetanus, verbo jejunium. *Satisfacit enim*, inquit, *Ecclesiæ præcepto qui impotentem se putans ad jejunium totius quadragesimæ, alternis diebus jejunat aut bis, aut semel in hebdomada juxta vires suas.*

Consect. 4. Qui possunt singulis quidem diebus jejunare, sed non ita rigide, ut Ecclesia jubet, v. g. egent ob debilitatem stomachi modicum quid quolibet mane sumere, vel coguntur vespere cœnare, & mane collationem, ut dicunt, prætermittere, ne noctes omnino insomnes traducant, debent & pro viribus, & ut possunt, jejunare. *Moralia enim præcepta*, ut monet Cajetanus ibid. *moraliter sunt interpretanda in executione, ut met bonus intentus in executione, quantum fieri potest, observetur.*

CAPUT V.

De Præceptis, quibus Ecclesia jubet, ut debitum stipendium, v. g. decimas, oblationes, &c. Ecclesiæ Ministris solvamus.

ARTICULUS UNICUS.

Quo jure debeantur Ministris Dei oblationes, primitiæ, & decimæ.

PRop. 1. Obligatio sustentandi Ministros Dei est de jure naturali.

Prob. 1. Scriptura. *Dignus est operarius mercede sua*, Matth. 10. ergo sicut jure naturæ debetur merces operariis corporalibus: ergo & operariis spiritualibus:

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 87. art. 1. ubi sic habetur: *Quod enim eis*, inquit, *qui divino cultui ministrant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministret, ratio naturalis dictat; sicut & his, qui communi utilitati invigilant, scilicet Principibus, & militibus, & aliis hujusmodi stipendia victus debentur a populo.*

3. *Rat.* desumpta ex D. Paulo 1. ad Corinth. 9. Miles jus habet exigendi stipendium a populo, Pastor jus habet expectandi lac, & lanam a grege, Agricola fructus ab arbore; juxta illud: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. ad Corinth. 9. v. 7. ergo Ministri Dei jus habent exigendi sustentationem a populo, cui ministrant: *qui enim Altari deserviunt, cum Altari participant*. ib. v. 13.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Obligatio sustentandi Ministros diversimode obligat juxta diversam legis positivæ determinationem; quia lex naturalis obligat juxta modum, secundum quem per legem positivam determinatur. Hæc autem lex naturalis nutriendi Ministros altaris varie determinata est; siquidem tempore legis naturæ, *Sicuti*, inquit D. Thomas, *non erant determinati Ministri, ita nec erat aliqua pars determinata exhibenda Ministris divini cultus; sed ubi aliquis occurrebat, unusquisque dabat ei propria sponte quod sibi videbatur: sicut Abraham quodam prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi: & similiter Jacob vovit se daturum decimas*, 2. 2. q. 87. art. 1. ad 3. In lege vero Mosaica oblationes, primitiæ, & decimæ determinatæ sunt ad nutriendos Dei Ministros. *Offeretis*, inquit Moyses, Deut. 12. v. 6. *decimas, & primitias manuum vestrarum*, Christus vero in Evangelio nihil determinavit in particulari exigendum a Laicis pro nutritione Ministrorum, sed teste D. Paulo, *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. 1. ad Cor. 14.

Consect. 2. Ad cognoscendum quæ sit obligatio oblationum, primitiarum, & decimarum, non attendendus est usus, qui viguit in veteri Testamento, sed spectandus est usus, qui viget in Ecclesia; quia determinatio præcepti naturalis sumi debet a Christianis, non a lege Mosaica, sed a lege Ecclesiastica: sicut enim observantiam festorum custodimus, non ut jussit Moyses, sed ut jubet Ecclesia: ita oblationes, primitias, & decimas servare nos convenit, non ut præscripsit Moyses, sed ut determinavit Ecclesia ... ideo sit.

Prob. 2. Fideles tenentur oblationes, primitias, & decimas Ministris Dei tradere, non juxta legis Mosaicæ consuetudinem, sed juxta Ecclesiæ determinationem.

Prob. 1. Scriptura. Generaliter dicitur: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare, quo-

quomodo lex naturalis sit observanda: ergo obligatio naturalis dandi oblationes, primitias, & decimas est observanda juxta Ecclesiæ determinationem, & non juxta legem Mosaicam, quæ quoad hoc a Christo antiquata est.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 87. a. 1. ad 2. ubi sic habetur. *Dicendum*, inquit Sanctus Doctor, *quod præceptum de solutione* oblationum, primitiarum & *Decimarum, quantum ad id quod erat morale, datum est in Evangelio a Domino, ubi dicit* Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua: & etiam ab Apostolo, ut patet* 1. ad Corinth. 9. *Sed determinatio certæ partis est reservata ordinationi Ecclesiæ*: Ergo fideles non tenentur dare oblationes, primitias, & decimas nisi juxta determinationem Ecclesiæ.

3. *Rat.* Præceptum Morale non ligat nisi juxta determinationem legis positivæ civilis, vel ecclesiasticæ, ut diximus ubi de lege: atqui obligatio nutriendi Ministros Ecclesiæ est naturalis: ergo non ligat nisi juxta determinationem legis Ecclesiasticæ.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Oblationes, & primitiæ dantur Ministris Ecclesiæ, tamquam dona voluntaria, & quæ exigi nequeunt, nisi in certis casibus, quia talis est determinatio Ecclesiæ: dicit enim Gregorius loquens de oblationibus, canone *Omnis Christianus* d. §. *Omnis christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre*: Ergo oblationes sunt voluntariæ, & non exigibiles. Potest tamen contingere, ut docet D. Th. quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. 1. Quidem ex præcedenti conventione; sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ ea conditione, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census. 2. Propter præcedentem deputationem, sive promissionem: sicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiæ aliquam rem vel mobilem vel immobilem in posterum solvendam. 3. Propter Ecclesiæ necessitatem: puta si Ministri non haberent unde sustentarentur. 4. Propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas; tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem vel speciem rei oblatæ. Hactenus D. Tho. 2. 2. q. 85. a. 1. in corp. Et ibidem loquens de primitiis, a. 4. ait, quod primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent, & proinde quod debent esse voluntariæ, & juxta determinationem Ecclesiæ, secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum Ecclesiæ.

Consect. 2. Fideles tenentur dare decimas Ministris Ecclesiæ, non tamquam donum voluntarium, sed tamquam retributio necessario solvenda necessitate præcepti, & quæ exigi possit in foro contentioso & via excommunicationis, quia ita determinavit Ecclesia: sic enim habetur c. 16. q. 1. *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt*: verba sunt Aug. Circa quod ita loquitur Trid. *Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, & conditionis sunt, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant; qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur.*

Monit. Oblationes, primitiæ, decimæ penduntur Ecclesiæ secundum consuetudinem patriæ, ut dicit D. Th. q. 87. a. 2. Ideo totuplex est modus solvendi decimas, quotuplex est diversa regio, diversa consuetudo, sive attendas res de quibus solvuntur decimæ, sive quantitatem decimarum spectes.

Decima non est semper ea pars, quæ nonam subsequitur, sed est ea, quam usus determinavit, scilicet, aliquando septima, aliquando octava, aliquando undecima.

Triplex assignari solet decima: personalis, prædialis, & mixta. Decima personalis ea est, qua datur pars aliqua fructuum provenientium ex industria, & opera personæ. Prædialis, seu realis est aliqua pars fructuum, qui ex prædiis percipiuntur. Mixta est ea, quæ partim ea hominis industria; partim ex prædiis provenit, ut sunt fœtus animalium. Decimæ personales solvuntur post lucrum acquisitum, Prædiales post fructus collectos, Mixtæ post fœtum completum: & hæc omnia juxta locorum consuetudinem variantur. Quæ proinde cum magis pertineant ad forum contentiosum, quam ad casus conscientiæ; ideo quæ hic agitari solent, quæstiones omittimus, ut ad Tractatum de Censuris transeamus.

TRACTATUS II.

De Censuris Ecclesiasticis.

EXplicatis Ecclesiæ Præceptis, congruus ordo postulat, ut de Censuris Ecclesiasticis agamus, idest, de illis pœnis spiritualibus, quibus Ecclesia utitur, *ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiastica saltem coerceat severitas disciplinæ*, ut habetur cap. 7. extra. de Elect.

CAPUT I.

De Potestate, quam habet Ecclesia infligendi Censuras.

ARTICULUS I.

An sit in Ecclesia potestas infligendi Censuras.

P*Rop. unica.* Ecclesia habet potestatem infligendi censuras, seu pœnas spirituales, quibus fideles Baptizati contumaces, *non interfectorie*, sed *medicinaliter*, ut dicit Aug. privantur usu aliquorum bonorum spiritualium, quæ sunt in Ecclesia.

Prob. 1. Scriptura, Christus, fundando Ecclesiam, dedit Pastoribus non solum potestatem reconciliandi peccatores pœnitentes; Sed etiam ejiciendi & coercendi peccatores rebelles, & contumaces: *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis*; & simul addit: *quorum retinueritis, retenta sunt*. Joan. 20. v. 23. & Matth. 18. v. 18: *Quocumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis*. Et ut Christus indicaret, quam potestatem dederat, non solum forum internum pœnitentiæ, in quo remittuntur, vel retinentur peccata, sed etiam forum externum, in quo infliguntur censuræ, respice-

ſpicere, addit: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, ideſt, ut ab Eccleſia ejiciatur, & habeatur ut extraneus, non ſecus ac paganus.

2. Ex Conciliis. In Concilio Conſtantienſi ſeſs. 8. damnati ſunt Articuli Vviclef; trigeſimus autem ſic exprimitur: *Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non timenda eſt: quia eſt cenſura Antichriſti*. Quam propoſitionem, ut erroneam, hæreticam, & ſcandaloſam damnavit Concilium. Tridentina vero Synodus ſeſs. 24. de Reform. cap. 3. vim ferendi cenſuras in Eccleſia agnoſcit, eaque auctoritate non temere utendum decernit. *Quamvis*, inquit, *excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris: ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt*.

3. *Rat.* In omni Republica bene ordinata, in qua eſt poteſtas ferendi leges, debet eſſe pariter poteſtas infligendi pœnas; quia leges paſſim violantur, & ſine robore ſunt, ſi non ſint ſtatutæ aliquæ pœnæ contra contumaces: atqui in Eccleſia eſt poteſtas ſtatuendi leges, ut patet ex dictis; ergo eſt poteſtas pariter infligendi pœnas. Et quia Eccleſia eſt Reſpublica ſpiritualis, pœnas infligit, non corporales, ſed ſpirituales; & ideo tanto magis timendæ, quanto magis ſpiritus præſtat corpori.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. *Spectans omnes fideles*. Debent omnes Chriſtiani cenſuras Eccleſiaſticas multo magis, quam pœnas temporales, quæ a poteſtate ſæculari infliguntur, præmetuere; quia pœnæ temporales affligunt corpus, pœnæ vero ſpirituales animam: de hoc nos ita admonet Chryſoſt. Homil. 4. in Epiſt. ad Hebr. *Nemo*, inquit, *contemnat vincula Eccleſiaſtica: non eſt enim homo, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis dedit hanc ligandi poteſtatem, & fecit, ut homines in ſua poteſtate habeant tantum honorem*.

Conſect. 2. *Spectans omnes fideles*. Debent omnes Chriſtiani poteſtatem illam, quam habet Eccleſia infligendi cenſuras, non modo prætimere, ſed etiam interiori affectu diligere; quippe Eccleſia, ut pia mater, non ea utitur, niſi in bonum: ut docet Aug. lib. 3. contra litt. Petil. cap. 4. non interfectorie percutitur, ſed medicinaliter utitur. *Medicinali*, inquit, *vindicta, terribili lenitate, & ſeveritate caritatis*, non ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Et ut Paulus Corinthium inceſtuoſum judicavit, *tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. 1. ad Corint. 5. verſ. 5. ita Eccleſia non Cenſuris utitur, niſi in bonum animarum: unde, ut optime ait Hieron. *non queramur de lege* cenſurarum, *ſed queramur, quod meruerimus hanc legem*.

Conſect. 3. *Reſpiciens Paſtores*. Paſtores numquam debent cenſuris uti in vindictam privatarum offenſarum, ſed ſolum in bonum Eccleſiæ. Ideo, inquit Gregorius, *Moyſes querelas populi ſemper ad Dominum, tabernaculum ingreſſus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat: nimirum nos inſtruens, ut non ex corde noſtro, ſed ex præcepto Divino condemnationis, vel juſtificationis ſententiam proferamus*. 11. q. 3. Can. 70. Et Calliſtus, can. 89. vetat ferri ſententiam, *vel regio metu, vel potentum juſſu*; unde ſi nec reo, nec Eccleſiæ profutura eſſet cenſura, non eſſet adhibenda; ſi tamen reo profutura ſit; ſi Eccleſiæ ſit neceſſaria, ea uti oportet, inquit Hieron. in Epiſt. ad Galat. c. 5. *Reſecandæ ſunt*, inquit, *putridæ carnes, & ſcabioſæ oves a caulis repellendæ, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant*.

Conſect. 4. *Reſpiciens Paſtores*. Quando Paſtores judicant neceſſariam eſse cenſuram, inviti id faciant & cum gemitu, memores nullum majus malum fidelibus poſse accidere, quam ab Eccleſia Chriſti ſeparari; qui enim per cenſuras ab Eccleſia ejicitur, alienus fit ab illo Regno, de quo ſcriptum eſt: *Gens & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit*. Sejunctus eſt ab *illa columba, cujus gemitu peccata ſolvuntur*, inquit Cyprianus lib. de ſimplicitate Prælatorum. *Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam noluit habere matrem*, ut docet Aug. Serm. ad Catechumenos cap. 13. *Extra ovile Domini poſitus, Satanæ traditur, periculis omnibus exponitur, devorandus luporum dentibus, atque vexandus*, inquit Innocentius Epiſt. ad Patres Synodi Milevitani. Membrum eſt putridum ſeparatum a capite, palmes areſcens ſejunctus a vite, ovis errans ſine paſtore, miles inermis ſine duce, navis fluctuans ſine gubernatore. Si ergo Cenſuras aliquando infligant Paſtore, id faciant *humilitate lugentium, non ſævientium ſeveritate*, ut monet paſſim Aug. Et *ſicut cum dolore amputatur pars corporis, quæ putruit*, ut dicit Amb. lib. 2. off. cap. 27. ita non niſi cum maximo dolore *abſcindantur hi, qui nos conturbant*. Paul. ad Galat. 5. Quocirca Aug. ita Prælatos admonet: *Non temere, aut quomodolibet auferendi ſunt mali ab Eccleſiæ communione; tolerentur potius, ſi per judicium auferri non poſſunt, ne perverſe malos quiſque evitando, ab Eccleſia diſcedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam*. Hom. 351. de pœnit. nam, ut ait idem Aug. lib. 2. cont. Parmen. cap. 2. *Tanto efficacior eſt emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio caritatis*.

ARTICULUS II.

An novus, vel antiquus ſit uſus Cenſurarum.

P*Rop. unica*. Non novus, ſed antiquiſſimus eſt tum in Synagoga, tum in Eccleſia cenſurarum uſus.

Prob. Percurrendo diverſa tempora, tum Synagogæ, tum Eccleſiæ.

1. Deus, ut auctor cenſurarum videretur, Adamum velut aliqua excommunicatione e Paradiſo ejicit, ut docet Aug. 11. De Geneſi ad litt. cap. 4. eique interdixit uſum ligni vitæ: cui concordat Salvianus lib. de gubern. Dei: *In conſtitutione*, inquit, *Adami innocentis in Paradiſo ordinatio eſt, in expulſione judicium, & quadam cenſura judicii*. Unde in ſolemnis pœnitentiæ impoſitione, Sacerdos inflictam primis parentibus cenſuram commemorat, ut ſciamus non novum, ſed antiquum eſse cenſurarum uſum: *Ecce*, inquit, *ejiceris hodie de liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ propter peccata tua, ſicut Adam ejectus eſt de Paradiſo propter transgreſſionem ſuam*.

2. Deus

2. Deus, in figuram excommunicationis, in veteri Testamento potestatem Synagogæ dederat, ut leprosos ejicerent ab hominum consortio; eamque repulsam Maria, Soror Moysis, per octo dies sustinuit; eaque potestate abusi sunt Judæi comminantes: *ut, si quis Christum confiteretur, extra Synagogam fieret*. Joan. 9. & Christus dixit discipulis suis: *Absque Synagogis facient vos Judæi*. Joan. 16.

3. Ecclesia a tempore Apostolorum usque ad nos censuris usa est. Paulus eam exercuit auctoritatem: Primo contra Corinthium incestuosum, *quem tradidit satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset*: Secundo contra Hymenæum, & Alexandrum, 1. Tim. v. 20. qui circa fidem naufragaverunt, *quos tradidi*, inquit, *satanæ, ut discant non blasphemare*: Tertio contra fornicarios: *Scripsi vobis*, inquit, *ne commisceamini cum fornicariis*. 1. Ad Cor. 5. v. 3. Quarto demum contra inobedientes verbo Dei. *Si quis*, inquit, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. 2. Ad Thess. 3. v. 14.

4. Mos utendi censuris ab Apostolis ad Episcopos proxime succedentes transiit; Tertullianus enim Apolog. cap. 39. describens conventus Christianorum ait: *Ibidem* autem fiunt *exhortationes, castigationes, & censuræ divinæ; nam & judicatur magno cum pondere, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur*. Hieronymus vero sic usum censurarum describit Epist. 1. ad Heliodorum. *In veteri quidem*, inquit, *lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio, cervice subjecta, contemptum expiabat cruore; nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur*. Aug. vero lib. de fide, & operibus, cap. 2. loquens de eo zelo, quo Phinees Sacerdos ultore gladio fornicantes Judæos confixit, ait: *Quod utique degradationibus, & excommunicationibus signatum est, faciendum esse hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus*.

5. Sed perennem censurarum usum tam contra Clericos, quam contra Laicos, citra omnem controversiam evincit publica pœnitentia, cui addicebantur Laici in grave crimen aliquod lapsi, & Laica, Ecclesiastica, & Peregrina communio, ad quam obligabantur Clerici, qui aliquid indignum statui Clericali commiserant: si quidem publica pœnitentia quamdam a fidelium cœtu separationem annexam habebat: communio vero *Laica, Ecclesiastica & Peregrina* Clericos ab aliorum Clericorum consortio separabat. *Laica* communione puniebantur Clerici cum exauctorati pro Laicis habebantur, ut explicat Cypr. Epist. ad Stephanum Papam. *Ecclesiastica* communione mulctabantur, cum eis vetabatur omnia sui Officii munia obire. Ad *Peregrinam* vero communionem redigebantur, quando in eo loco, & statu collocabantur, quo poni solebant Clerici Peregrini, qui sine litteris commendatitiis, quas *formatas* vocabant, extra propriam Diœcesim peregrinabantur, ut explicat Albaspinæus in Optatum.

6. Non solum Censuras vage, & in communi commemorat antiquitas, sed etiam in specie, & in particulari. Quippe *irregularitas*, quæ affinitatem habet cum censuris ex Apostolo ortum duxit, dum Bigamos & Neophytos vetat ad Sacerdotium assumi. *Interdicto* usus est Basilius, dum Epis. 244. jubet, quod villa, quæ raptorem susceperit cum rapta, nec reddiderit, prorsus suspensa sit a precibus, & orationum communione. Ergo patet ex illa inductione, antiquum esse censurarum usum, qui postea cœpit esse posterioribus sæculis frequentior. Sed omni tempore & fuit, & erit in Ecclesia legitimus censurarum usus, ut notat Vincentius Lirin. Commonit. num. 9. *Anathematizare eos, qui annuntiant aliquid præterquam quod scriptum est, numquam non oportuit, numquam non oportebit*. Quod de hæresi censet Lirinensis ad alia atrocia crimina transferre convenit.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. *Pro omnibus fidelibus tam Laicis, quam Clericis*. Singuli fideles debent religioso metu præcavere singulas illas censuras, & singula monitoria, quæ in diebus Dominicis, & Festis solemnioribus in Pronao proclamantur. Si enim nefas putamus, jejunia Ecclesiastica quadragesimæ, & quatuor temporum, & abstinentiam a carnibus die Veneris, & Sabbati violare, eo quod piam istam consuetudinem a Christo per Ecclesiam acceperimus: quidni pari reverentia censuras præcavebimus, cum potestatem infligendi censuras Christus Ecclesiæ tradiderit, ususque censurarum semper in Ecclesia fuerit religiose observatus?

Consect. 2. Clerici debent sedulo studio censurarum incumbere: tum ne eas etiam ignoranter incurrant; quia ignorantia crassa, & affectata non excusat a Censuris: tum quia ignorantes casus, quibus censura annexa est, exponunt se periculo absolvendi eos, quos nequeunt absolvere: tum demum, quia cognitio censurarum præcipuam juris Canonici partem efficit: ergo nefas est Clericis eam juris Canonici partem ignorare; quocirca eam materiam, variis dispersam locis, in isto Tractatu restringemus. Ideo sit

CAPUT II

In quo traditur clara diversi generis Censurarum notitia.

Censura, si primam spectes significationem, ea est sententia, & correctio, quam infligebant Judices quidam Romani, qui *Censores* vocabantur. Si secundam spectes significationem, censura est quæcumque correctio: in quo sensu Salvianus ait Lib. 8. de gubern. Dei: *Quidquid malorum* quotidie & pœnarum perferimus, censura est divinæ manus. Sed censura ab auctoribus Ecclesiasticis sumitur prout est pœna spiritualis. Ideo sit

§. I. *Quid sit Censura juxta Auctores Ecclesiasticos.*

Censura est pœna, qua homini baptizato delinquenti per Potentiam Ecclesiasticam aufertur in foro exteriori participatio bonorum spiritualium in salutem animæ.

Explicatur definitio. 1. Dicitur *pœna*; quia censura est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ: omnis autem jurisdictio importat pœnam coercentem impro-

probos: quia jurisdictio nullius videretur esse momenti, si coercitionem aliquam non haberet, cap. *Pastoralis*, extra de officio delegati. 2. Dicitur, *qua homini baptizato*, quia soli baptizati subjiciuntur Ecclesiæ auctoritati. *Quid enim mihi*, inquit D. Paulus, *de iis, qui foris sunt, judicare?* 1. ad Cor. 5. v. 12. 3. Dicitur *delinquenti*, quia censura non infligitur innocenti; quia *Anathema æterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine illi, qui aliter non potuerit corrigi*. Concilium Meldense Can. 56. 4. Dicitur: *per potentiam Ecclesiasticam*; quia sola auctoritate Ecclesiæ potest ferri censura, cum solis Ecclesiæ Pastoribus dictum sit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo*. 5. Dicitur, *aufertur in foro exteriori*; sententiæ enim, quibus peccata in foro interiori puniuntur, ut cum pœnitentes a Communione sacra removentur, censuræ non sunt, cum vim exterius compellendi non habeant. 6. Dicitur *participatio bonorum spiritualium*; sententiæ enim, quibus pœnæ aliæ, v. g. corporales, vel pecuniariæ inferuntur, censuræ non sunt. Censuræ privant certis spiritualibus bonis Ecclesiæ dispensationi concreditis, sive quoad jus, ut excommunicatio, quæ privat jure bonorum fidelibus communium; sive quoad usum tantum, ut in suspensione, & interdicto contingit. Dixi, certis bonis Ecclesiæ dispensationi concreditis; quia censura non privat neque virtutibus infusis, neque eorum actibus, quæ singula non subjacent dispensationi Ecclesiæ. 7. Sed non additur, ut a contumacia discedatur; quandoque enim suspenditur, vel interdicitur is, qui contumax non est, ad terrorem aliis incutiendum: nemo tamen declaratur excommunicatus, nisi ob contumaciam. 8. Adjungitur, *in salutem animæ*, quia potestas Ecclesiæ est in ædificationem, & non in destructionem.

§. II. *Quotuplex Censura*.

Nomine Censuræ intelligitur excommunicatio, suspensio, & interdictum. Innoc. 3. c. *Quærenti* de verborum significatione.

Excommunicatio alia est major, alia minor. Excommunicatio major est censura, qua Christianus, Ecclesiæ matri rebellis, non solum segregatur a participatione Sacramentorum, sed etiam jure bonorum toti Corpori Ecclesiæ communium, & proinde fidelium societate privatur. Ita Gregorius IX. c. *Si quem*, extra, de sententia Excom. Christianus enim contumax contra Ecclesiam frui non debet bonis spiritualibus Ecclesiæ, nec cum fidelibus commercium habere. *Abscindantur qui vos conturbant*, inquit D. Paulus. Sed de his uberius sumus dicturi, ubi agemus de Excom. in particulari.

Excommunicatio minor est censura, qua homo baptizatus receptione Sacramentorum, & electione passiva ad beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam privatur. Gregorius 9. c. *Si quem*, extra. de sent. Excommunicationis.

Suspensio est Censura Ecclesiastica, qua Clerico, in gravis delicti pœnam, prohibetur exercitium vel Jurisdictionis, vel Ordinis, vel Officii, vel Beneficii, vel in totum, vel in partem, vel ad tempus, vel in perpetuum.

Suspensio alia est a Jurisdictione, alia ab officio, alia ab Officio tantum, alia tantum a Beneficio, alia ab Officio & Beneficio, alia ad tempus, alia in perpetuum. Suspensio Jurisdictionis est ea, qua quis suspenditur a jurisdictione, quam habet: talis est suspensio, qua Episcopus, Parochus suspenduntur a jurisdictione, quam habent supra oves suas: Suspensio ab Officio tantum & Ordine est ea, qua persona Ecclesiastica privatur exercitio sui Ordinis, v. g. Sacerdos Officio Sacerdotali. Suspensio a Beneficio tantum est ea, qua quis suspenditur a Privilegiis Beneficii: talis est suspensio, qua Canonicus suspenditur ab honoribus & fructibus concomitantibus canonicatum. Suspensio totalis est ea, qua quis suspenditur ab omni potestate Ecclesiastica. Suspensio partialis est, qua quis suspenditur a parte potestatis Ecclesiasticæ. Suspensio in perpetuum, est ea, quæ durat toto tempore vitæ. Suspensio ad tempus est ea quæ certo tempore finiet. Interdictum Ecclesiasticum est Censura Ecclesiastica, qua certis personis, certisque locis interdicitur Divinorum officiorum celebratio, sepultura Ecclesiastica, & publica Sacramentorum administratio, quæ ad morientium & nascentium salutem necessaria non sunt. Dicitur *Sepultura solemnis, & publica Officiorum celebratio*; quia tempore interdicti hæc omnia pia Officia in quibusdam rerum circumstantiis privatim exerceri possunt. Dicitur *Sacramentorum, quæ necessaria non sunt ad salutem vel nascentium, vel morientium*; quia tempore interdicti baptizari possunt parvuli; & adulti morituri Sacramentum Pœnitentiæ, & viaticum recipere possunt.

Interdictum aliud est locale, aliud personale. Interdictum locale est illud, quod directe fertur in loca, & quo, v. g. aliqua civitas interdicto subjicitur. Cap. *Si civitas*, de sent. excom. in 6. Interdictum personale est illud, quod directe fertur in personas: tale est interdictum, quo aliqua gens interdicto subjicitur. Cap. *Cum in partibus*, extra. de verborum significatione. Interdictum tam locale, quam personale aliud est generale, aliud est speciale. Interdictum generale locale est, cum tota aliqua regio interdicto subjicitur. Interdictum speciale locale est, cum aliqua urbs aut villa, aut Ecclesia interdicto subjiciuntur. Interdictum generale personale cum plebs aliqua interdicto subjicitur. Interdictum speciale personale est, cum aliquæ personæ specialiter subjiciuntur interdicto.

§. III. *Varia divisio Censurarum*.

Censura alia est *ab homine*, *alia a canone*. Censura *ab homine* est ea, quæ a Superioribus fertur cum circumstantiis particularibus temporis, loci, actionis, vel personæ, ita ut extra has circumstantias locum non habeat: & proinde infligitur non intentione condendi legem generalem, sed animo imponendi præceptum temporaneum & transitorium. Censura *a canone* est ea, quæ in Decretis Conciliorum, vel in Jure Canonico scripta est, vel tamquam lex fertur a Superioribus. Ea generaliter omnes ferit, qui in peccatum jure prohibitum ceciderint, quamdiu jus, vel lex viget, & quamdiu non est abrogata lege, vel usu contrario.

Cen-

Censura ab homine non viget, mortuo, vel amoto judice. Censura ab homine non potest tolli, nisi consentiente judice. Censura a Canone potest tolli sine consensu judicis. Censura alia est *latæ sententiæ* seu *ipso facto* incurrenda; alia est *ferendæ sententiæ*, seu *comminatoria*. Censura *latæ sententiæ*, seu *ipso facto* incurrenda est ea, quæ sola inobedientia incurritur. Censura *comminatoria* est ea, quæ non incurritur solo delicto, sed delicto & declaratione judicis. Censura *latæ sententiæ* exprimitur per verba de præsenti, vel de præterito; v. g. si quis hoc fecerit, ipso jure, vel ipso facto, statim, illico, sine mora, sententia, nulla alia declaratione requisita excommunicatus existat, excommunicatus est declaratus, vel excommunicamus, suspendimus, interdicimus, vel sit anathema, vel sit excommunicatus, sit suspensus, sit interdictus. Censura *comminatoria* exprimitur per verba de futuro: v. g. si quis hoc fecerit, excommunicabitur, declarabitur excommunicatus, suspendetur, arcebitur ab ingressu Ecclesiæ; vel cum fertur hoc modo, sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti. Si autem dubium sit, an verba exprimentia censuram supponant vel pro præsenti, vel pro futuro, censura erit comminatoria juxta regulam juris: *Odia sunt restringenda, favores convenit ampliare.*

§. IV. *De causis Censurarum.*

Quatuor possunt considerari. 1. Persona ferens censuram. 2. Persona contra quam fertur censura. 3. Modus, secundum quem fertur censura. 4. Delictum, propter quod fertur censura, seu ut loquuntur Scholastici, in censuris cognoscendis quatuor possunt considerari: causa formalis, causa materialis, causa efficiens, & finalis.

Causa formalis est modus, secundum quem exprimitur censura, per quem fit ut censura denominetur vel *latæ sententiæ*, vel *ferendæ*. Sic ista censura: ipso facto excommunicabitur, est censura *latæ* sententiæ; ista vero; excommunicatus declarabitur, est censura *comminatoria*.

Causa materialis censuræ est subjectum, quod afficitur censura: sic homo excommunicatus est causa materialis excommunicationis; sic Clericus suspensus est causa materialis suspensionis; sic Regnum interdictum, Universitas, Ecclesia subjecta interdicto sunt causa materialis interdicti.

Causa efficiens censuræ est Superior infligens censuram, exercendo jurisdictionem contentiosam, v. g. Concilium, Papa, Episcopus relative ad suos fideles, Abbas relative ad suos Monachos.

Causa finalis censuræ est salus fidelium: propter enim salutem eorum & emendationem infliguntur censuræ.

Consectaria ex prædictis notionibus illata.

Consect. 1. Incarceratio, exilium, servitus, flagellatio, privatio beneficii, & pœnæ corporales inflictæ per judicem Ecclesiasticum, non sunt censuræ; quia non sunt pœnæ spirituales, non enim hæc est potestas, quam dedit Christus Sacerdotibus, qui Discipulos suos virgas habere noluit.

Consect. 2. Depositio & degradatio non sunt censuræ; quia non sunt pœnæ medicinales, cum infligantur ob peccatum præteritum, & aliquando emendatum.

Consect. 3. Cessatio a divinis non est censura; quia non infligitur per modum medicinæ; sed quasi per modum defensionis ad propulsandam injuriam, illatam Ecclesiæ.

Consect. 4. Irregularitas non est censura, quia est inhabilitas Canonica.

Consect. 5. Punitiones, quas Ecclesia exercet contra non Baptizatos, non sunt censuræ; quia illi non sunt subditi Ecclesiæ.

CAPUT III.

De causis dispensantibus a Censuris, seu de iis, quæ reddant Censuras nullas & irritas.

Censura potest esse nulla ex multiplici capite. 1. Ex defectu delicti in persona, quæ subjicitur censuræ. 2. Ex defectu subjectionis, vel ætatis in eadem persona, contra quam fertur censura. 3. Ex defectu jurisdictionis in persona, quæ infligit censuras. 4. Ex defectu formæ, secundum quam fertur censura. 5. Ex defectu motivi, secundum quod fertur censura. Illa omnia percurremus, & regulas aliquas subjiciemus.

ARTICULUS I.

De Delicto contra quod potest ferri Censura.

PRop. 1. Censura non potest ferri nisi propter aliquod delictum, cum sit pœna: ubi enim nulla intercedit culpa, ibi nulla intervenit pœna; & ideo censura lata contra innocentem est nulla.

Prob. 1. Scriptura. Quando Christus dedit Apostolis, & in illorum persona Prælatis potestatem infligendi censuras, dicendo: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Matth. cap. 18. vers. 18. prius dixerat; *Si peccaverit in te frater tuus.* vers. 15. *Si Ecclesiam non audierit.* Quod indicat, censuram non posse ferri nisi propter peccatum.

2. Censura est pœna medicinalis: ergo supponit morbum peccati; quia omnis Medicina supponit morbum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nullus Christianus potest nominatim & personaliter excommunicari, nisi revera sit reus proprio & personali crimine; quia excommunicatio est censura afficiens hominem reum in particulari: Cap. *Sacra*, extra. de sentent. excommunicationis.

Consect. 2. Nulla communitas v.g. collegium, civitas, capitulum, si tota communitas sit innocens, potest suspendi; quia suspensio est censura, & censura, utpote pœna, supponit culpam: ut autem communitas sit rea, non est necesse ut singuli communitatis rei sint, sed sufficit ut aliqui sint rei; quia crimen privatum in universam sodalitatem refunditur: cap. *Si sententia* de sent. excom. in sexto.

Consect. 3. Nulla singularis persona potest specialis suspensione suspendi, nisi sit rea proprio & personali crimine; quia specialis pœna supponit speciale crimen.

Con-

Confect. 4. Nulla communitas potest subjici interdicto, nisi communitas sit rea vel in singulis, vel in aliquibus; quia interdictum est censura supponens culpam: cap. *Si sententia* de sentent. excom. in sexto.

Confect. 5. Nulla singularis persona potest subjici singulari interdicto, nisi sit rea particularis criminis; quia specialis pœna specialem culpam præsupponit. Id colligitur ex capite superius memorato.

Prop. 2. Censura lata propter peccatum internum, sola mente, & voluntate consummatum, est nulla.

Prob. 1. Scriptura. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. c. 16. ergo forum Ecclesiasticum, utpote ab hominibus directum, non judicat interna, sed externa solum crimina.

2. Ex Aug. serm. 551. ubi sic habetur. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit. Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro CONFESSUM, sive ACCUSATUM ATQUE CONVICTUM.* Alioquin illud cur dixit, si quis frater nominatur; nominari enim juxta phrasim Scripturæ, est, publice talis haberi: ergo censura Ecclesiastica ferri nequit contra peccatum internum. Et in c. *Propositis* de appellatione illud habetur axioma: *Non habent latentia peccata vindictam.* Demum Origenes hanc regulam generalem statuit. *Ubi*, inquit, *peccatum non est evidens, ejicere ab Ecclesia neminem possumus: ne forte eradicantes zizania, eradicemus triticum.* Origen. homil. 20. in Josue.

3. *Rat.* Omne Tribunal contentiosum, etiam Ecclesiasticum potest solum judicare de manifestis. Extra. c. *Sus nos*, de Simonia: ergo forum Ecclesiasticum non potest innodare Censuris Christianum, qui admisit tantum peccatum internum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Quando in jure censuris afficiuntur credentes talem errorem, aut non credentes talem veritatem, illud debet intelligi non de infidelitate mere interna, sed de infidelitate, vel verbis, vel factis exterius manifestata. Cap. *Excommunicamus* extra. de hæreticis.

Confect. 2. Licet aliquis velit interius exteriorem actum committere, cui annexa est censura: si tamen illum actum sola voluntate adimpleat, & proinde non ad exterius eum perducat, non innodatur censura.

Sic peccat graviter ille, qui vult percutere Clericum, qui vult simoniam committere, hæresim manifestare: si tamen illud non perficiat exterius, non incurrit censuram: quia peccatum non est externum, sed internum. Ita sentit D. Th. 1. 2. q. 91. art. 4.

Prop. 3. Gravis censura, ex. gr. excommunicatio major non potest ferri propter peccatum externum, quod non est ex suo genere mortale; & proinde si feratur propter peccatum, quod ex se veniale est, censura est nulla: si tamen peccatum secundum se esset mortale, sed veniale per accidens, posset prohiberi sub pœna censuræ.

Prob. 1. Scriptura. Illud videtur insinuari in Corinthio incestuoso, cujus peccatum erat haud dubie non veniale, sed mortale.

2. Ex jure Canonico. *Nullus Sacerdotum quemquam recta fidei hominem pro parvis & levibus causis a communione suspendat.* Canone, *Nullus*, c. 11. q. 3.

3. *Rat.* D. Th. qui sic loquitur in 4. sent. dist. 18. q. 11. art. 1. quæstiuncula 3. *Per excommunicationem Judex Ecclesiasticus excommunicatos excludit a Regno quodammodo: unde cum non debeat excludere nisi indignos, nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale amiserit caritatem: ideo nullus potest excommunicari, nisi pro peccato mortali.*

Nota tamen, quod excommunicatio minor potest incurri per peccatum veniale: nam incurritur per communicationem in civilibus cum excommunicato denunciato, vel notorio Clerici percussore. Cap. *Nuper*, extra. de sententia excom. Hæc autem communicatio propter levitatem materiæ videtur esse peccatum tantum veniale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Censura lata propter peccata venialia est nulla; quia Censura supponit peccatum mortale.

Sic censura lata contra actus indeliberatos est nulla; quia actus indeliberati non possunt esse peccata mortalia.

Sic censura lata contra actus vitiosos mortaliter, sed venialiter culpabiles, ob materiæ levitatem, est nulla.

Censura tamen lata propter peccatum veniale, inferens proximo, vel toti Reipublicæ notabile detrimentum, est valida; quia, licet actus singulariter spectatus videatur venialis culpa, collective tamen ratione damni Reipublicæ emergentis est mortale.

Sic censura lata in grassatores vinearum, in venatores, est valida, licet quilibet ex illis grassatoribus, aut venatoribus in particulari non peccaret nisi venialiter. Ita Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2.

Prop. 4. Censura lata propter peccatum, non incurritur, nisi peccatum fuerit ultimo completum.

Prob. 1. Scriptura. Id indicari videtur in Corinthio incestuoso; quippe D. Paulus non privavit illum consortio fidelium, nisi ubi notum habuit, eum scandalose cum uxore patris sui conversari.

2. Ex Jure Canonico cap. *Perpetuo*, de electione in 6. dicitur enim ibi, quod suffragans pro indignus non fuerit de facto electus; quod indicat, pœnam ab Ecclesia constitutam non incurri nisi actu completo.

3. *Rat.* Censura est pœna odiosa: ergo restringenda est ad terminos, ad quos fuit applicata: ergo non censetur incurri, nisi peccatum, contra quod lata est, fuerit completum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Ille non innodatur excommunicatione, qui projicit lapidem in Clericum, si Clericus non fuerit percussus: quia in canone, *Si quis suadente Diabolo &c.* censura exprimitur sub verbis includentibus percussionem.

Digitized by Google

Confect. 2. Mandans percussionem Clerici non incidit in excommunicationem, si Clericus non percutiatur.

Confect. 3. Simoniaci conventionales non ligantur excommunicatione, si conventio ex neutra parte executioni mandetur, bene tamen si ex altera, juxta communiorem sententiam; quia tunc est sufficienter completa.

Prop. 5. Excommunicatio lata propter peccatum externum & mortale ex suo genere est nulla, nisi intervenerit contumacia in eo, qui excommunicatur.

Prob. 1. Scriptura. *Si Ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit sibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Matthæi 18. ergo si peccator Ecclesiam audierit, & contra ejus legem non sit contumax, Ecclesia non debet illum anathematis mucrone ferire.

2. Ex Chrysost. in cap. 13. prioris Epist. ad Corinth. ubi sic habet. *Neque enim Paulus de his qui peccabant, statim pœnas sumpsit, sed semel, atque iterum admonuit, & ne sic quidem in contumaces animadvertit, sed rursus admonet, ac denunciat, dicens: Ecce tertio venio ad vos:* ergo nullum peccatum, quantumvis enorme, est excommunicatione dignum, nisi interveniat *contumacia*.

3. Ex Lateranensi Concilio sub Alexandro III. part. 1. cap. 6. ubi determinatur, quod in omni sententia excommunicationis, aut suspensionis ferenda, prima, secunda, & tertia admonitio sit præmittenda, aut una peremptoria tribus æquivalens: ergo peccator non est excommunicatione innodandus, nisi prius pateat spretis monitionibus esse contumacem.

3. *Rat.* Excommunicatio est pœna Medicinalis: ergo non est vindicativa: ergo cum pœna vindicativa applicetur indifferenter & reo pœnitenti, & reo contumaci, pœna medicinalis, qualis est excommunicatio, debet applicari soli peccatori contumaci. Ita D. Thom. sentit in 4. dist. 18. q. 11. art. 1. quæst. 3.

4. Excommunicatio est pœnarum gravissima: ergo non debet infligi nisi pro peccato, cui contumaciter rei adhærent.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Censura non potest infligi pro peccato præterito, si reus paratus sit pro peccato satisfacere; quia tunc non est contumax.

Censura tamen potest infligi pro peccato præterito, si reus nolit ad meliorem frugem se recipere, vel reparare scandalum, vel parti læsæ satisfacere. Can. *Quidam*, c. 3. q. 1.

Confect. 2. Scriptor famosi Libelli non potest affici censuris, si jussus a Prælato se manifestet: quia tunc non est contumax.

Potest tamen affici censuris, si nolit subire pœnam impositam a Prælato; quia tunc est contumax.

Confect. 3. Qui est reus apparenter, & tamen intrinsece est innocens, non potest ligari censuris, quia in illo, ut supponitur, non est contumacia. Ideo si quis innodetur censuris, eo quod non solvat debita, quæ non potest solvere, ex eo quod non reddat, quæ non tenetur reddere, ex eo quod non testetur contra illos, contra quos non tenetur testari, censura non valet.

Prop. 6. Ignorantia tum juris, tum facti, modo non sit crassa & affectata, excusat a censuris. Illud idem præstat metus cadens in constantem virum: & ita si quis vel ex ignorantia inculpabili, vel ex metu fecerit aliquid, cui censura est annexa, non potest illa censura innodari.

Prob. 1. Scriptura. Illud insinuat Srriptura, Matthæi 18. ubi loquens de correctione fraterna docet, quod antequam peccatorem a fidelium consortio segreges. 1. Debes illum inter te, & ipsum solum præmonere. 2. Coram duobus testibus. 3. Denuntiare Ecclesiæ: quæ omnia denotant peccatum, contra quod debent ferri censuræ, esse peccatum commissum non ignoranter, sed scienter, non ex metu, sed ex deliberatione.

3. *Rat.* Anathema est æterna mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit emendari; quod dici non potest de eo, qui ignoranter, & ex metu gravi peccat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Si quis ex ignorantia inculpabili juris violet legem, cui annexa est censura, non incidit in censuram; quia ignorantia inculpabilis excusat a censura.

Et ita si quis inculpabiliter ignoret, percussioni Clericorum annexam esse censuram, percutiens Clericum peccabit quidem, quia lege naturali didicisse potest, non licere percutere proximum, sed non incidit in censuram. Cap. *Ut animarum*, de constitutionibus in 6.

Confect. 2. Si quis ex ignorantia inculpabili facti violet legem, cui annexa est censura, non incurrit censuram, quia ignorantia inculpabilis facti excusat a censura.

Et ita si quis sciens percussioni Clericorum annexam esse censuram, Titium clericum percutiat, ignorans inculpabiliter an sit clericus, peccat quidem; quia contra legem naturæ percutit proximum, sed non incurrit censuram. Ita cap. *Si vero*, de sent. excommunicationis.

Confect. 3. Si quis ex ignorantia inculpabili vel juris, vel facti eliciat actum, cui annexa est irregularitas ex delicto, non incurrit irregularitatem; quia irregularitas ex delicto, utpote pœna, sortitur vices censuræ, & debet contrahi eo modo, quo censura.

Confect. 4. Si quis ex ignorantia crassa, vel affectata tum juris, tum facti, violet legem, cujus violationi annexa est censura, vel irregularitas ex delicto, incidit in censuram, & in irregularitatem, quia ignorantia crassa vel affectata non excusat a censura. Cap. *Ut animarum*, de constitutionibus in 6.

Confect. 5. Si quis ex ignorantia concomitanti violet legem, cujus violationi annexa est censura, vel irregularitas, incidit in censuram, & in irregularitatem; quia ignorantia concomitans non excusat a peccato, nec a censura, nec ab irregularitate: inde fit ut, si quis vibret sagittam in suum inimicum, quem putabat esse feram, tam vehementer expetens occidere inimicum, quam intendit interficere feram, hic incurrat irregularitatem, & censuram, si occisioni hominis annexa sit censura. Ita videtur docere D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 3.

Digitized by Google

art. 3. Id expresse docet Covarruv. p. 1. c. 10. n. 15. quia actio, cui annectitur censura, completa est & consummata.

ARTICULUS II.

De conditionibus requisitis ex parte subiecti, ut possit innodari censuris.

PRop. unica. Ut quis possit valide ligari censuris, quatuor requiruntur conditiones. 1. ut sit homo. 2. ut sit viator. 3. ut sit compos mentis, & annos pubertatis attigerit. 4. ut sit baptizatus.

Prob. 1. Scriptura. Textus sacer indicat aperte omnes illas conditiones requiri; videmus enim illas omnes reperiri in Corinthio incestuoso, quem Divus Paulus excommunicavit.

2. Canones requirunt omnes illas conditiones.

3. Ratio pariter evincit illas conditiones requiri. 1. Debet esse homo, non autem irrationabile quidquam; quia esset incapax bonorum Ecclesiæ spiritualium, & proinde non posset privari bonis spiritualibus Ecclesiæ, quibus censuræ privant Christianos.

2. Debet esse homo viator; quia homo existens in termino, utpote confirmatus vel in bono si sit beatus, vel in malo si sit damnatus, non est capax liberæ contumaciæ, nec liberæ resipiscentiæ.

3. Debet esse pubes, & compos rationis com pos; alioquin censetur incapax plenæ contumaciæ & resipiscentiæ perfectæ.

4. Debet esse baptizatus; alioquin esset incapax percipiendi bona spiritualia Ecclesiæ, nec Ecclesia judicium exercere potest nisi in eos, qui ei per baptismum se submiserunt. Itaque Catechumeni excommunicari non possunt, multo minus Turcæ. cap. *Postulasti de Judæis.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Irrationabilia censuris affici nequeunt; quia solus homo potest illis ligari: & sic anathema latum contra Jericho, Josue c. 6. & 7. non erat vera censura, sed maledictio, vel detestatio.

Consect. 2. Anima separata a corpore, sive sit in Cælo, sive in Tartaro, sive in Purgatorio, non potest innodari censuris; quia jurisdictio Ecclesiastica respicit eos, qui sunt super terram, juxta illud: *Quodcumque ligaveris super terram*, &c.

Consect. 3. Homo post mortem non potest ligari censuris; quia non est viator, sed tantum declarari potest eum incurrisse censuras, dum viveret.

Sic hæretici post mortem declarantur excommunicati. Canone *Sane*, c. 14. q. 2.

Sic instituens hæreticum hæredem declaratur excommunicatus. Cap. *Si quis Episcopus*, extra. de hæreticis.

Sic occidens seipsum, declaratur excommunicatus. Canone *Placuit*, c. 23. q. 5.

Consect. 4. Impuberes ante adultam ætatem, id est, ante annum duodecimum in feminis, & decimum quartum in masculis, non solent ligari censuris, quia non censentur contumaces, nisi malitia præveniat ætatem. Cap. 1. & ultimo de Sententia excommunicationis, ubi dicitur, quod *Si Clerici infra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi*; quia eos ætas excusat, inquit Hostiensis relatus ad Glossæ marginem, non a peccato, sed ab excommunicatione. Immo juxta Rituale Parisiense nuper editum, nullus casus reservatur, quando a pueris, aut puellis committitur ante annos pubertatis: ergo a fortiori nulla censura ab illis incurritur. An autem verum sit quod nullus sit casus reservatus erga pueros impuberes, dicetur ubi de casibus reservatis.

ARTICULUS III.

De his, quæ reddunt Censuras nullas & irritas defectu auctoritatis in eo, qui eas attentat infligere.

PRop. unica. Solus Superior Ecclesiasticus habens jurisdictionem contentiosam potest ferre censuras: si alius infligat, censuræ sunt nullæ.

Prob. Scriptura. Illud indicatur Matth. 18. ubi Christus solis Apostolis, eorumque successoribus dicit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*, &c. ergo solis Ecclesiæ Prælatis jurisdictionem contentiosam exercentibus concessa est potestas ferendi censuras. Illud etiam perspectum habemus in Corinthio incestuoso, qui a D. Paulo, & non a simplici fideli excommunicatus est.

2. Ex jure Can. *Sententia Pastoris*, & non alterius timenda dicitur. Canone *Sententia Pastoris*, Causa 11. q. 5. ergo ad Pastorem, & non ad alium spectat facultas ferendi censuras.

3. *Rat.* Censura, utpote pœna Ecclesiastica, non debet infligi a Judice Laico, sed Ecclesiastico, quatenus exterior, debet ferri a judice obtinente jurisdictionem non interiorem, qualem habet Confessarius, sed exteriorem & contentiosam, qualem habet Prælatus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De his qui possunt censuras infligere.* Hi, qui hic subjiciuntur, possunt valide, & licite censuras infligere.

1. Romanus Pontifex in universa Ecclesia, quia est judex omnium fidelium, ut docet Canon *Cuncta per mundum*, causa 9. q. 3. 2. Ecclesia in Concilio œcumenico congregata in omnes Christi fideles potest ferre censuras, ut dicit Concilium Constantiense, quia de illa dixit Christus: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Unde Augustin. tract. 5. in Joann. ait: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in cælis. Si hoc tantum Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia fit ... Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctificavit*: ergo si Papa significans Ecclesiam potest infligere censuras, id a fortiori poterit Ecclesia. 3. Cardinales in suis titulis, quia sunt Prælati illarum ecclesiarum, ut dicitur extrav. cap. *His quæ pro Ecclesia*, de Majoritate, & obedientia. 4. Episcopi, Archiepiscopi, & Primates in suis Ecclesiis; quia sunt judices in suis Diœcesibus, ut dicitur extrav. cap. *Perniciosam*, de officio ordinarii. 5. Vicarii Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primatum; quia idem est Tribunal Episcopi & Vicarii, ut legitur cap. *Romana*, de appellatione in sexto. 6. Concilium Provinciale in tota Metropoli, Diœcesanum in universa Diœcesi, ut habetur extrav. cap.

Grave nimis, de Præbendis. 7. Vicarii Capituli sede vacante: quia habent auctoritatem Episcopalem, ut innuit Tridentinum sess. 24. De reformatione cap. 16. 8. Superiores Religionum approbatarum a Sede Apostolica; qui habent auctoritatem contentiosam in suos Religiosos, ut dicitur, extra. cap. *Cum in Ecclesiis*, de Majoritate & obedientia.

Consect. 2. *De his, qui nunquam possunt censuras infligere*. Hi, qui hic subjiciuntur, nec valide, nec licite possunt censuras infligere. 1. Femina numquam potest ferre censuras; quia non habet jurisdictionem contentiosam, ut habetur extra. cap. *Dilecta filia*, de Majoritate & obedientia. 2. Laici non possunt ferre censuram; quia non obtinent jurisdictionem Ecclesiasticam, ut dicitur Canone *Bene quidem*. distinct. 3. 3. Archidiaconi non possunt ferre censuras. Cap. *Archidiacono*, extra. de Officio Archidiaconi. 4. Simplex Sacerdos, aut Parochus non possunt ferre censuras; quia Jurisdictionem contentiosam non obtinent: unde illa consuetudo, qua Parochi olim excommunicabant pro rebus subtractis vel perditis, est revocata a Concil. Trident. & determinatum est *ut a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo illæ excommunicationes decernantur*. Sess. 25. cap. 3. de reform.

Consect. 3. *De his qui, licet possint censuras infligere, invalide tamen ob aliquas circumstantias infligunt*. Quæ hic subjiciuntur censuræ, sunt invalidæ. 1. Censura lata in seipsum, vel in æqualem, vel in superiorem, est nulla: ita D. Thom. in 4. sent. dist. 18. q. 11. art. 3. quæstiuncula prima; quia nemo habet jurisdictionem contra se ipsum, neque in æqualem, neque in superiorem. 2. Censura lata a Prælato publice suspenso, & excommunicato, est nulla; quia suspensio omnem Jurisdictionem interdicit. 3. Censura lata a delegato contra intentionem delegantis, est nulla. Cap. *Cum olim*, extra. de Præbendis; quia delegatus nihil potest, nisi dependenter a delegante. 4. Censura lata contra non subditos, v. gr. censura Episcopi contra Religiosos exempros, est nulla, nisi sint subditi vel ex delicto, vel ex pacto, vel ratione Beneficii. Cap. *Quanto* extra. de Privilegiis. Religiosi subduntur Episcopo ratione delicti, si committant delictum, quod causet scandalum, eique medere nolint Superiores regulares: ita Trident. sess. 24. de Regul. cap. 14. Religiosi subduntur Episcopo ratione Beneficii, quando habent Beneficium Parochiale; tunc enim debent subesse Episcopo in his, quæ spectant Parochiam, sicut & alii Curati: ita Greg. 15. Constit. *Inscrutabilis*. 5. Censura lata ab Episcopo extra suum territorium est nulla, nisi expulsus a sua Diœcesi ageret contra expulsores. Clementina 1. de foro competenti. 6. Censura lata ab Episcopo contra suos subditos in aliena Diœcesi delinquentes, si feratur per modum statuti, est nulla: cap. *Ut animarum*, de constitutionibus, in 6. censura tamen ligat, si subditi rem prohibitam admiserint in Diœcesi, in qua lata est censura, vel si omiserint rem in eadem Diœcesi, sub pœna censuræ præstandam; quia tunc pertinent ad jurisdictionem Episcopi ferentis censuram ratione delicti; & sic censura lata ab Archiepiscopo Tolosano contra Clericos non residentes, ligat Clericos Tolosanos, in aliena Diœcesi existentes; quia omittunt residentiam in Tolosana Diœcesi præstandam: & ita Censura lata per modum Sententiæ ab Archiepiscopo Tolosano contra fures, qui in territorio Tolosano furtum commiserunt, ligat eos, licet alio se receperint, ut educitur ex cap. *Licet*, extra. de foro competenti. 7. Censura lata a Metropolitano in subditos Suffraganeorum extra casum appellationis est nulla. 8. Censura, quam judex in propria causa tulerit in vindictam propriæ rei, est nulla; quia nemo est judex in propriæ rei causa: canone *Inter querelas*, causa 23. q. 4. si tamen Prælatus ferret talem censuram, ut se redimeret ab injusta vexatione, valeret censura; quia vim vi repellere licet; cap. *Dilecto*, de Sententia excommunicationis in 6.

ARTICULUS IV.

De his, quæ reddunt Censuras irritas defectu formæ, quam decet observari in ferendis Censuris.

PRop. 1. Ut censura latæ Sententiæ sit valida, & in foro contentioso incurratur, tot requiruntur conditiones, quot requiruntur ad valorem Sententiæ juridice prolatæ.

Prob. Exemplo Corinthii incestuosi, in cujus condemnatione Paulus videtur observasse præcipuas conditiones, quæ solent observari in ferendis sententiis; nam eum præmonuerat his verbis. *Ne misceamini cum fornicariis*, & dum illum damnat, videtur pro tribunali sedere: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est*.

2. Ex jure Can. *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Regula 64. in 6. ergo censura latæ Sententiæ erit nulla, si non observentur omnes conditiones requisitæ ad ferendam Sententiam.

3. *Rat.* Censura latæ Sententiæ juridice prolata habet formam Sententiæ contentiosæ: ergo requirit, ut observentur omnes conditiones quæ observantur in ferenda sententia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Censura latæ Sententiæ non incurritur, si nulla præcedat monitio. Cap. *Constitutionem* in 6. de Sententia excommunicationis. Necessaria est monitio, tum ut reus, a quo peccato abstinendum sit, sciat: tum ut purgare se possit, si per calumniam accusatus est: tum ne alii cum eo communicent in crimine, nisi crimen esset adeo notorium, ut monitio nullatenus esset necessaria; vel nisi esset periculum in mora, puta, si esset periculum, ne crimen dilatione excommunicationis cresceret.

Consect. 2. Censura latæ Sententiæ, regulariter loquendo, non incurritur, nisi præcedat trina monitio, plurium dierum intervallo discreta, vel una monitio peremptoria æquivalens tribus; canone *Omnes decima*: causa 17. 7. cap. 2. *Contigit*, de Sent. excom.. Et Prælatus ferens juridice censuram, sine præviis admonitionibus interdicitur ipso facto ingressu Ecclesiæ; cap. *Sacro* de sent. excommun. Id videtur indicare Paulus scribens ad Titum cap. 3. *Hæreticum*, inquit, *hominem post*

unam

unam & secundam correctionem devita: & in Concilio Ephesino Nestorius ter citatus est antequam condemnaretur.

Confect. 3. Censura latæ Sententiæ non incurritur juridice ab eo, qui, licet non citatus, censuris afficitur: extra. cap. *Inter quatuor*, de majoritate.

Confect. 4. Censura latæ Sententiæ non incurritur juridice ab eo, cui non intimatur intra mensem: cap. *Medicinalis* de sent. excommun. debet enim exemplum sententiæ authenticum & sigillo publico munitum parti exigenti intimari.

Confect. 5. Censura latæ Sententiæ non incurritur juridice, si non exprimatur causa legitima, ob quam lata est censura: cap. *Citandum*.

Confect. 6. Censura latæ Sententiæ non incurritur juridice postquam legitima appellatio interposita est, quia ex jure appellatio legitima devolvit litem ad Superiorem: cap. *Preterea*, 2. extra. de appellationibus.

Ut autem appellatio sit justa, & legitima. 1. Debet exprimere causam probabilem & sufficientem, si Sententia ferenda sit interlocutoria: extra. cap. *Ut debitus*, de appellationibus. 2. Debet fieri legitimo tempore, idest, intra decem dies a die latæ Sententiæ computandos: capit. *Quoad consultationem*, extra. de Sententia, & re judicata. Et juxta D. Bernardum lib. 2. de consid. c. 2. appellationes admittendæ sunt, *non quas calliditas invenit, sed quas extorsit necessitas, quæ subveniant juri, & non opitulentur iniquitati*.

Confect. 7. Censura lata a judice, juste per reum recusato, non incurritur: quia ex jure recusatio legitima suspendit judicium, sicut & appellatio.

Confect. 8. Censura latæ sententiæ non incurritur juridice, si contineat errorem, ut dicunt, intolerabilem: canone *Si quis non recto*, & cap. *Per tuas*, extra. de Sentent. excommun. Sic censura lata ob actionem, quæ judicetur non mala, sed indifferens ob actionem venialiter culpabilem, olim commissam sed emendatam, lata pariter contra innocentem & secundum rem, & secundum testes, non incurritur juridice, quia error est intolerabilis.

Monit. Advertendum tamen est, quod in memoratis singulis casibus, in quibus diximus, censuram sic juridice prolatam non ligare exterius ob defectum exterioris conditionis; si tamen Christianus coram Deo reus sit criminis, ob quod fertur censura, debet se gerere, quasi esset censuris innodatus, & absolutionem humiliter petere, si sit reus: si sit innocens, debet potius injuriam pati, quam scandalum causare, ne, ut dicit Greg. *etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat*. Can. Non solum, 11. quæst. 3.

Prop. 2. Ut censura ferendæ sententiæ, seu comminatoria, sit valida, eædem requiruntur conditiones, quæ requiruntur ad valorem legis: & ita censura illa debet esse justa ex auctore, idest debet a legitimo superiore ferri. 2. Debet esse justa ex objecto, idest debet ferri, ut fugiatur malum, & ut promoveatur bonum. 3. Debet esse justa ex fine, hoc est, debet cedere in bonum Ecclesiæ. 4. Debet esse culpæ proportionata.

Prob. 1. Scriptura. Quatuor illas conditiones videtur Paulus insinuare his verbis: *Si quis*, inquit, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. Nam. 1. Paulus legitimus erat Superior. 2. In epistolis nihil aliud intendebat, quam bonum fidelium. 3. Non imponebat pœnam severiorem; cum non nisi post inobedientiam pertinacem excommunicatione uteretur. 4. Pœnam illam in bonum Ecclesiæ volebat cedere, nimirum, ut utiliter confunderentur peccatores.

2. Ex jure Canonico, dist. 4. can. 2. ubi sic habetur: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patria consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem, in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta*: atqui censura ferendæ sententiæ habet vim legis: ergo debet habere prædictas conditiones, quas Isidorus adscribit legi.

3. *Rat*. Censura ferendæ sententiæ est lex cum comminatione pœnæ: atqui lex debet esse justa ex auctore, ex fine, ex objecto, ex modo, ut diximus ubi de lege: ergo censura ferendæ sententiæ debet esse justa ex auctore, ex objecto, ex fine, ex modo, idest debet. 1. Ferri a legitimo superiore. 2. Debet cedere in bonum Ecclesiæ. 3. Debet pœnas proportionatas peccatis destinare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Illa omnia, quæ reddunt legem nullam, eadem reddunt censuras comminatorias nullas; & ea, quæ reddunt legem injustam, eadem reddunt censuras comminatorias injustas: quia censura comminatoria nihil est aliud, quam lex cum comminatione pœnæ. Vide quæ diximus de lege injusta, ut videas, quæ censuræ sint justæ, quæ injustæ.

Confect. 2. Quando censura est manifeste injusta, magis ligat superiorem quam inferiorem: de quo ita Hieron. *Si quis*, inquit, *non recto judicio eorum qui præsunt, ab Ecclesia depellatur, si ipse non ante exiit, nec ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur, & ita fit, ut interdum, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui videtur intus retineri*. Can. *Si quis non recto*. 24. q. 3.

CAPUT IV.

De Absolutione a Censuris.

Absolutio a peccatis est actus jurisdictionis non contentiosæ; absolutio vero a censuris est actus jurisdictionis contentiosæ: est autem forum externum seu contentiosum, in quo negotium geritur, testibus & aliis judiciorum formulis; forum vero internum est illud, in quo nec testis, nec accusator, nec aliæ probationes adhibentur, sed sola pœnitentis confessio cum Sacerdotis judicis notitia requiritur.

ARTICULUS I.

De conditionibus requisitis in eo, qui absolvit a Censuris.

Prop. 1. Quatuor requiruntur conditiones in eo, qui absolvit a censuris. 1. Debet esse Clericus.

cus. 2. Debet habere jurisdictionem contentiosam. 3. Debet certa scientia absolvere. 4. Debet absolvere sponte & non coacte.

Prob. 1. Scriptura. Paulus, qui absolvit Corinthium incestuosum, quatuor prædictas habebat conditiones. Primo erat Clericus, & Clericus habens jurisdictionem, cum esset Apostolus. Tertio absolvit cum certa cognitione delicti: & sponte & non coacte, ut colligi potest ex istis verbis, 2. ad Corinth. 2. vers. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

2. Ex jure Canonico. 1. Requiritur quod qui absolvit a censuris, sit Clericus, & habeat jurisdictionem, ut patet ex capite unico de *majoritate & obedientia* in 6. Et requiritur insuper, quod absolutio fiat scienter & sponte, ut patet ex capite unico, *de his quæ ex vi metusve causa fiunt*: ergo quatuor prædictæ conditiones requiruntur in eo, qui absolvit a censuris.

3. *Rat.* Absolutio a censuris est actus jurisdictionis contentiosæ Ecclesiasticæ: ergo non potest exerceri, nisi a Clerico habente jurisdictionem, & volente eam scienter exercere; quia defectus potestatis reddit actus jurisdictionis invalidos, & defectus scientiæ & libertatis nullos.

Consectaria.

A quo, & quomodo impendi debeat absolutio a Censuris extra mortis articulum.

Consect. 1. Absolutio a censuris numquam potest impendi a laico; quia injuriosum esset Ecclesiæ ejus jurisdictionem, utpote spiritualem, exerceri a laico, qui nullam habet auctoritatem spiritualem: cap. *Decernimus* de judiciis. Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. sic loquitur: *Nefas sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint observata, cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Unde famosissimus Dominus de Thevenet Advocatus in Curia Parisiensi, titul. de jurisd. Eccl. art. 5. hæc habet: *Parlamenta non possunt absolvere, aut facere absolvi ad cautelam; quia hæc potestas non competit nisi illi, qui potest simpliciter absolvere: & curia laicorum nec absolvere potest, nec ad absolvendum delegare: idque*, inquit, *prohibetur per editum Melodunense.* Quod si hoc sit verum de absolutione *ad cautelam*, quæ non solvit *absolute*, sed solum *dat jus standi in judicio*, ut determinatur c. 36. extra. *de testibus* & ut expresse docet Clerus Gallicanus in Comitiis ann. 1665. & Edictum Regium an. 1665. a fortiori verum est laicos non posse impendere absolutionem, quæ det jus participandi in sacris.

Consect. 2. Absolutio a censuris debet impendi a Clerico habente auctoritatem vel ordinariam, vel delegatam; quia non decet actum jurisdictionis ab homine carente jurisdictione exerceri: cap. unico, *de majoritate & obedientia in 6.*

Consect. 3. Absolutio non debet concedi, incognita causa; quia absolutio a censuris debet fieri libere & non ignoranter: c. unico, *de his quæ vi metusve causa fiunt*, in 6.

Consectaria.

A quo, & quomodo impendi debeat absolutio a Censuris in mortis articulo.

Consect. 1. In mortis articulo quilibet Sacerdos potest Sacramentaliter absolvere a censuris, & a quibusvis peccatis quoslibet pœnitentes: ita docet Trident. sess. 14. c. 7. Sed advertendum est 1. eum, qui in mortis periculo a censuris absolvitur, teneri, postquam convaluerit, se sistere Superiori, alioquin reincidit in eamdem censuram, a qua fuerat absolutus: cap. *Eos*, de Sententia excomm. in 6. 2. Qui absolvitur a censuris in mortis articulo, debet promittere satisfactionem pro facultatibus vel per se, vel per vadem. 3. Absolutus a censuris in mortis articulo, debet sepeliri in loco sacro, cap. *Parochiano*, extra. de sepulturis.

Consect. 2. Qui non potuit absolvi, dedit tamen signa pœnitentiæ coram fidelibus, debet post mortem absolvi, & sepeliri in loco sacro. cap. *A nobis* extra. de sententia excommun.

Prop. 2. A censuris juridice latis *ab homine*, ille solus potest absolvere, qui eas tulit, & sibi reservavit; & ejus loco potest absolvere ejus delegatus, ejus successor, ejus superior via appellationis, minime vero ejus inferior, vel æqualis, etiam via appellationis.

Prob. 1. Exemplo Corinthii incestuosi, qui a D. Paulo, a quo fuerat excommunicatus, absolutus fuit.

2. Ex jure Canonico, canone *Si Episcopus*, causa 11. quæst. 3. cap. *Si Episcopus* De supplenda negligentia Prælatorum in 6. & cap. *Per tuas*: extra. de Sentent. excommun. ubi habetur, quod a censuris latis *ab homine* ille solus possit absolvere, qui eas inflixit.

3. *Ratione*. Res eisdem principiis solvitur, quibus statuitur: ergo solus ille Prælatus, qui censuras inflixit, potest ab eis absolvere, aut ejus Vicarius.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Censura lata ab uno Prælato non potest colli ab alio vel æquali, vel inferiori, & a fortiori ab eo qui non est Superior, quia non habent ad hoc auctoritatem.

Sic nulla censura potest tolli vel a femina, vel a laico; quia nec femina, nec laicus habent potestatem spiritualem. Sic censura lata ab uno Episcopo, non potest tolli ab alio Episcopo; id enim vetant Canones Apostolici 12. 33. injungentes Episcopis, ut non recipiant Clericos a suo Episcopo excommunicatos: & Episcopus, qui absolvit excommunicatum non sibi subditum, fit *reus fraternitatis*. Concil. Arelat. can. 3.

Sic etiam extra casum appellationis, Superior, etiam Papa, nequit absolvere a censuris eum, qui est ligatus; quia inquit Greg. lib. 9. Epist. 31. *Si sua cuique jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Et Hyginus Papa, teste Epiphanio, noluit Marcionem a suo Patre, & Episcopo excommunicatum absolvere: *Non possumus*, inquit, *hæc sine permissu venerandi Patris sui facere.*

Cen-

Consect. 2. Censura lata ab Episcopo potest tolli ab Archiepiscopo via appellationis, vel in cursu visitationis: cap. *Venerabilibus*. De Sent. excom. in 6.

Consect. 3. Censura lata ab Archiepiscopo, a Concilio Provinciali, Nationali, &c. potest tolli a summo Pontifice via appellationis: canone *Per cuncta*.

Consect. 4. Censura lata a particulari Superiore Religionis potest tolli ab ejus Superiore, v. g. ab Abbate: & censura Abbatis a Romano Pontifice: canone. *Per cuncta*.

Consect. 5. Censura lata a Superiori Prælato non potest tolli ab inferiori, nec ab æquali, quando Prælatus sibi reservavit censuræ absolutionem: quia par in parem non habet auctoritatem: & ita Curatus non potest absolvere a censuris latis ab Episcopo, nec Episcopus a censuris latis ab Archiepiscopo, nec Archiepiscopus a censuris latis a supremo Pontifice, nec particularis Superior a censuris latis ab Abbate.

Dixi, si censura sit lata juridice; quia ita exigit ordo jurisdictionis; si enim censura feratur non per modum Sententiæ, sed per modum statuti, potest quilibet Prælatus eam solvere, modo non sit reservata.

Sic, si quis ligatus censura *ab homine*, transeat ab Episcopatu, in quo juridice ligatus est, ad alium Episcopatum, non potest absolvi, nisi ab Episcopo, a quo juridice ligatus est; bene tamen a censura lata a jure: ita Panormitanus: *A Sententia*, inquit, *lata ab homine nemo potest absolvere, præter ferentem, vel Superiorem*. Ita cap. *Grave nimis*.

Prop. 3. Ab omnibus censuris, & irregularitatibus, & casibus reservatis summo Pontifici, potest Episcopus absolvere in foro interiori, modo casus sit occultus, & non publicus, excepta ea irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario.

Prob. Ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. ubi sic habetur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputatum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari; idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Episcopi possunt tollere irregularitates *ex delicto*, minime vero eas, quæ proveniunt vel ex *defectu* natalium, vel ex *defectu* Sacramenti; quia Concilium loquitur solum de irregularitatibus ex delicto: imo licet valeant ab occulta simonia dispensare, non tamen possunt Simoniacum occultum rehabilitare ad Beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinet. Ita declarationes Concil. num. v.

Consect. 2. Episcopi possunt tollere irregularitatem, quæ provenit ex quocumque crimine occulto; quia inter crimina Concilium excipit solum homicidium voluntarium. Ita Trident. loco citato.

Consect. 3. Episcopi non possunt tollere irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, etiam occulto, ob horrorem, quem habet Ecclesia contra effusionem sanguinis. Ita Concil. Trident. loco citato.

Consect. 4. Episcopi non possunt absolvere a casibus Papæ reservatis, quando sunt publici, & deducti ad forum contentiosum. Ita Trid. ibid.

Consect. 5. Episcopi non possunt absolvere a casibus reservatis, nisi delinquentes sibi subditos, & hoc quidem in foro conscientiæ: unde reus debet absolvi non ab Episcopo vel natalium, vel beneficii, sed ab Episcopo ejus loci, in quo commoratur dum accipit absolutionem: quia subditus est illius Episcopi in cujus Diœcesi commoratur dum absolvitur. Ita declarat Concil. num. 4.

Consect. 6. Episcopi in Gallia vel ex jure, vel ex consuetudine, solent absolvere ab hæresis crimine, non solum per se ipsos, sed etiam per Vicarium, ad id specialiter deputatum. Ita Doctores Galli.

Consect. 7. Episcopi possunt absolvere a casibus summo Pontifici reservatis, quando difficilis est recursus ad summum Pontificem Cap. *Mulieres*, & cap. *De monialibus*, & cap. *Quamvis* de Sentent. Excommun.

Consect. 8. Episcopi soli, & non alii possunt a prædictis casibus absolvere, & prædictas irregularitates tollere: & ita qui habent solum jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem, v. gr. Abbates, Parochi, id nequeunt. Ita declarationes Concil. num. 1.

Prop. 4. A quibuscumque censuris, latis a jure, modo non reservatæ sint, potest absolvere quilibet Sacerdos, habens facultatem absolvendi a peccatis.

Prob. 1. Christus videtur hanc potestatem concessisse Sacerdotibus, dum dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Matthæi 18. v. 18. Sicut hæc verba indicant Sacerdotes posse absolvere a peccatis non reservatis; ita & a censuris.

2. Id colligitur ex cap. *Nuper* extra. De Sentent. excommun.

3. Quia ex hoc ipso, quod Ecclesia sibi reservavit aliquas censuras, videtur Confessariis concessisse facultatem absolvendi ab aliis censuris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quilibet Confessarius potest absolvere a quibuscumque censuris, vel a Papa, vel ab Episcopo, vel ab Abbate inflictis, si eas Prælatus non sibi specialiter reservaverit.

Consect. 2. Quilibet Confessarius potest absolvere a censuris latis, non per modum sententiæ, sed per modum statuti; quia hoc ipso, quod censura exprimitur per modum statuti, censetur regulariter non reservata, nisi aliter exprimatur in statuto. Idem sentiendum de suspensione non reservata.

CAPUT V.

De censuris in particulari, & primo de Excommunicatione majori & minori.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit Excommunicatio major.

EXcommunicatio major est censura Ecclesiastica, qua Christianus jure bonorum toti corpori Ecclesiæ commonium privatur in magni alicujus delicti vindictam. Excommunicatio major variis fortita est nomina. Dicitur *Relegatio* a Tertulliano, Apologetici cap. 39. quia per eam baptizatus, quasi ab Ecclesiæ finu relegatur. Dicitur *Abstentio* a Cypriano, epist. 28. quia per eam fidelis ab Ecclesiæ bonis cogitur se abstinere. Vocatur insoper *Anathema*, non quidem Anathema consecrationis, quo aliquid dicitur Deo sacrum, in quo sensu Josue cap. 6. exuvias Jerico vocat Anathema: nec dicitur Anathema occisionis, quo sensu aliquid dicitur morti destinatum; sed excommunicatio vocatur *Anathema separationis*, quo quis dicitur solemniter separari ab aliquo cœtu, vel ab alicujus consortio: in quo sensu dixit D. Paulus: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, Anathema sit, seu Maran Atha.*

Excommunicatus alius est occultus, alius manifestus; alius nominatus, alius non nominatus; alius toleratus, alius non toleratus. Excommunicatus occultus est ille, qui admisit aliquod crimen, cui annexa est major excommunicatio, sed res non est manifesta nec publicitate facti, nec publicitate juris, ut vulgo loquuntur. Publicitas facti est ea, quæ reddit rem ita manifestam, ut nulla tergiversatione celari possit. Publicitas juris est ea, quæ habetur vel ex confessione rei, vel ex convictione juridica rei, vel ex sententia judicis, modo confessio, convictio, sententia fiat in foro contentioso, vel ecclesiastico, vel sæculari; alioquin casus censetur juridice occultus, quantumvis manifeste appareat; quia potest semper aliqua, ut dicunt, tergiversatione celari. Excommunicatus manifestus est ille, qui commisit actionem, cui annexa est excommunicatio major, quæ actio est manifesta vel publicitate juris, vel publicitate facti. Excommunicatus nominatus est ille, qui incidit in casum, cui annexa est excommunicatio major, & citatus fuit juridice nominatim, & tamen non comparet. Excommunicatus non nominatus est ille, qui incidit in casum, cui est annexa excommunicatio major, sed non fuit nominatim citatus a judice. Excommunicatus toleratus est ille, quem fideles non tenentur fugere. Excommunicatus non toleratus est ille, quem fideles tenentur fugere; quem si non fugiant, incidunt in excommunicationem minorem. Excommunicatio aliquando est unica, aliquando multiplex. Excommunicatio est unica, quando unica est deformitas, cui Ecclesia excommunicationem annexuit; multiplex vero, cum multiplex est deformitas, cui annexa est excommunicatio. Excommunicatio censetur multiplex quandoque ex parte personæ læsæ, v. g. cum uno actu multæ personæ, v. g. duo Clerici occiduntur; quandoque ex parte actionis, quæ multiplex est, ut cum intra horas duas Clericus primo percutitur, postea vero injuriose exuitur: quandoque ex parte effectus: ut cum uno actu duplex jus violatur, v. g. percutitor Clericus, & in Ecclesia usque ad sanguinis effusionem vulneratur: quandoque ex parte legis: ut cum duplex lex eodem actu violatur, v. gr. cum Sacerdos celebrans ab excommunicato percutitur, & violenter cogitur Sacrum coram excommunicato persequi, quo actu violatur lex prohibens Clerici percussionem & lex vetans celebrari sacra coram excommunicato. Qui multiplici excommunicatione ligatos est, non potest absolvi nisi declaratis omnibus momentis, quibus speciali aliqua ratione ligabatur: v. g. si quis in Ecclesia sepeliret, 1. tempore interdicti. 2. excommunicatum a jure. 3. nominatim excommunicatum, triplicem censuram incurreret, nec absolutus censeretur, nisi his omnibus causis expressis.

ARTICULUS II.

De effectibus minoris Excommunicationis.

R*esp.* 1. Excommunicatio major privat excommunicatum omnibus bonis, quæ debentur fideli, quatenus est filius Dei, membrum Ecclesiæ, & pars Reipublicæ ecclesiasticæ: & ita directe excommunicatio privat, 1. communione Gratiæ. 2. communione Sacramentorum. 3. communione precum. 4. indirecte privat communione civili.

Prob. 1. Ex Scriptura. Excommunicatus est sicut ethnicus & publicanus, juxta illud: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: atqui ethnicus privatur omnibus bonis, quæ debentur fideli, quatenus est filius Dei, membrum Ecclesiæ, & pars Reipublicæ Christianæ: ergo & excommunicatus.

2. Ex jure Canonico excommunicatio separat fidelem a Christo, & tradit diabolo. Can. *Omnis Christianus*. Excommunicatio separat ab Ecclesia & a fidelium consortio: ergo excommunicatio major privat omnibus Ecclesiæ bonis: unde ab August. vocatur *damnatio, quam facit Episcopale judicium, qua pœna nulla in Ecclesia major est*, lib. de corrept. & grat. cap. 15.

3. *Rat.* Fidelis potest considerari quatenus filius Dei, quatenus membrum Ecclesiæ, quatenus concivis Christianorum; excommunicatio privat fidelem omnibus bonis, quæ debentur illi propter prædictos titulos; quia fidelis per peccatum, quod excommunicationem meretur, exhibet se rebellem Deo, contumacem Ecclesiæ, & noxium proximo directe in spiritualibus, & indirecte in civilibus; ergo directe privatur communione Gratiæ, Sacramentorum, & precum; indirecte vero communione civili.

Ecclesia est Corpus Mysticum, fideles sunt membra unita, excommunicati sunt membra abscissa: atqui membra abscissa non recipiunt influxum debitum corpori: ergo nec excommunicati recipiunt influxum debitum Ecclesiæ, proinde directe privantur bonis Ecclesiæ, scilicet Gratia, Sacramentis Christi, & fidelium precibus, indirecte communione civili.

Ecclesia est Respublica bene ordinata, fideles sunt ejus cives; excommunicati sunt cives ejecti & re-

& rebelles; atqui cives rebelles non participant bonis Reipublicæ: ergo nec excommunicati participant bonis Ecclesiæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Excommunicatio major producit in anima effectus, qui hic subjiciuntur.

1. Excommunicatus est separatus a Christo; quia excommunicatio major supponit peccatum mortale, junctum cum contumacia, & propter illud Christianus separatur a Redemptore. Canone *Omnis Christianus*, c. 11. q. 3.

2. Excommunicatus est traditus satanæ, non per possessionem, vel obsessionem, sed desertionem; quia relinquitur expositus insidiis diaboli, sicut ovis errans sine Pastore. Canone *Nihil sic debet*; causa 11. q. 3. quia, ut ait Aug. ferm. 6. de verbis Domini, satanas *extra Ecclesiam dominus est, sicut in Ecclesia Christus*.

3. Excommunicatus est separatus ab Ecclesia; quia, ut docet Tertullianus, excommunicatio est *summum futuri judicii præjudicium*: ergo sicut in ultimo judicio reprobi separabuntur a cœtu fidelium, ita & excommunicati separantur ab Ecclesia, *ne unius ovis dirum contagium innoxium Christi gregem venenosa commixtione contaminaret*. Vincent. Lirin. in com. num. 8.

4. Excommunicatus nequit recipere licite Sacramenta. Cap. *cum illorum* extra. de sentent. excommunic. neque Sacerdos excommunicatus potest Sacramenta administrare; quo fit, inquit Leo Epist. 10. ut *irrogatione tam sævi supplicii anima sauciata, exuta omni munimine & inermis, quodammodo diaboli incursibus objiciatur*.

5. Excommunicatus non potest licite divinis Officiis interesse, v. g. Missæ, Processionibus, Horis Canonicis, &c. ita Canone *Engeltrudam*, causa 11. quæst. 4. & cap. *Quod in te* extra. de Pœnitentiis & remissionibus. Ideo si excommunicatus vi vellet Divinis Officiis interesse, debet moneri ut recedat ab Ecclesia; si nolit recedere, debet expelli: si sit fortior, Sacerdos debet absolute cessare a Divinis Officiis: si sacrificium Missæ jam inchoasset, & nondum ad Canonem pervenisset, debet intermittere Missam, donec exierit; eo autem non exeunte, debet deponere vestes & Sacrificium non offerre: si denique Canone jam inchoato excommunicatus ingrediatur, debet Missam absolvere usque ad Communionem inclusive, mox autem recipere se in Sacristiam, & ibi reliqua decenter perficere.

6. Excommunicatus privatur Sepultura Ecclesiastica, quæ est veluti Sacramentum futuræ resurrectionis. Si excommunicatus in Ecclesia sepeliatur, non solum ex sancta humo eruendum est corpus, & alio transferendum, sed locus ille sacer tamdiu profanus censetur, quamdiu solemni reconciliatione non est purgatus. Imo Clerici tum sæculares, tum regulares, qui nominatim excommunicatos sepeliunt, ipsimet excommunicantur, nec absolvi possunt, donec condigna satisfactione injuriam Ecclesiæ illatam reparaverint: ut jubet caput *Quicumque* de hæreticis in 6. Et merito quidem sacra sepultura privantur excommunicati; *Quibus enim*, inquit Leo, *non communicamus vivis, nec mortuis possumus communicare*. Can. 1. 24. q. 2.

Consect. 2. Excommunicatio major producit relative ad forum externum Ecclesiasticum, effectus, qui subjiciuntur. 1. Excommunicatus est inhabilis ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica obtinenda, ita ut Electio, Præsentatio, Institutio, Collatio facta in favorem excommunicati sint nullæ. *Postulasti* extra. de Clerico excommunicato: & si per annum perseveret in excommunicatione, a Beneficio antea obtento potest deponi. 2. Clericus excommunicatus privatur omni jurisdictione Ecclesiastica. Cap. *Ad probandum* extra. de re judicata; & privatur facultate agendi coram viris Ecclesiasticis. 3. Clericus excommunicatus contrahit Irregularitatem, si sui Ordinis actum exerceat. Cap. *Apostolica* extra. de Clerico excommunicato. 4. Omnia Rescripta, quæ a supremo Pontifice diriguntur ad excommunicatum, non valent in favorem excommunicati, nisi per eadem Rescripta tollatur excommunicatio. Cap. *Ipso jure* de Rescriptis in 6. 5. Excommunicatus, quamdiu est innodatus excommunicatione, non potest fructus Beneficii Ecclesiastici percipere. Cap. *Pastoralis* extra. de appellatione.

Consect. 3. Excommunicatio major producit relative ad forum externum civile effectus, qui hic subjiciuntur. 1. Excommunicatus est infamis; ideo non potest esse Judex, Procurator, Advocatus, Tabellio, Testis, Tutor, Curator, demum subjicitur omnibus pœnis latis contra infames. Causa 6. q. 12. Privatur civili commercio. Canone *Excommunicatos*, causa 11. qu. 13. Ideoque privatur omnibus bonis, quæ hoc versu continentur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os negatur: quia cum excommunicato colloquium familiare habere non licet, sive verbis fiat, sive signis, sive epistolis, aut alio modo. *Orare* negatur, quia cum eo non licet preces fundere, v. gr. Breviarii horas recitare, matutina, vel serotina suffragia simul offerre. *Vale* negatur; quia non licet salutationes, aut signa reverentiæ illi exhibere, nec deferre munera, &c. immo secundum aliquos casuum conscientiæ arbitros non licet excommunicatum resalutare. *Communio* negatur excommunicato; quia non licet cum eo in eadem domo habitare, neque cum eo negotiari, vel laboris, & operarum jungere societatem. *Mensa* negatur excommunicato: quia non licet cum eo in eadem mensa edere, vel in eodem lecto dormire; & quicumque uno ex his modis ei communicat, præter inobedientiæ peccatum, quo Ecclesiæ, quæ salutem excommunicati requirit, reluctatur, minorem incurrit excommunicationem, agendo contra ista sacrarum paginarum Oracula: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Matth. 18. vers. 17. *Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis, qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis*. 2. Joann. 10. *Auferte malum ex vobis ipsis*. Ad Corinthios cap. 9. v. 13. & vers. 11. *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*. Et si Christianus pertinax fuerit in communicatione cum excommuni-

municato, majori excommunicatione honorari meretur. At si in crimine etiam, propter quod excommunicatus est, cum eo communicet, eamdem cum eo excommunicationem ipso-facto incurrit. Si post sententiam excommunicationis idem cum excommunicato crimen perpetret, v. g. si cum concubina peccet, una cum adultero, qui propter adulterium excommunicatus est, vel si excommunicato præbeat auxilium, consilium, ut in crimine facilius perseveret, & pœnam vitet: eamdem excommunicationem subit.

ARTICULUS III.

De Excommunicatis vitandis.

PRop. 1. Nemo vitare tenetur excommunicatum excommunicatione majori, nisi sit nominatim denuntiatus, vel ob evidentiam patrati criminis ipso facto excommunicatus agnoscatur.

Prob. ex constitutione, quæ incipit *Ad vitanda scandala*, Hæc constitutio adscribitur Martino quinto: dicitur facta in Concilio Constantiensi, sed non reperitur inter acta Concilii Constantiensis, sed inter Decreta Concilii Basileensis sess. 2. & in Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. & approbatur in Concilio Lateranensi V. & demum usu generali admittitur.

Hæc constitutio sic habet: *Nemo a communicatione alicujus, in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra*, hoc est in civilibus rebus, *prætextu cujuscumque Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, abstinere teneatur, vel interdictum Ecclesiasticum observare, nisi Sententia prohibitio, suspensio, vel Censura hujusmodi fuerit contra personam, vel Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certa loca a judice publicata, & denuntiata specialiter, & expresse, aut notorie in excommunicationis Sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari, sic cum a Communione illius abstinere nolumus, juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari.*

Divus Antoninus 3. Parte, titulo 25. cap. 3. prædictam constitutionem refert cum sequenti clausula: *Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum, in sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari; nam a communione illius, licet denuntiatus non sit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.*

2. *Rat.* Pia mater Ecclesia voluit in hoc severitatem juris antiqui temperare ad sedanda scandala, & multa pericula quæ ex excommunicationibus passim latis poterant evenire, & ad subveniendum conscientiis timoratis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Christiani non tenentur vitare etiam secreto excommunicatos occultos, & possunt licite cum illis communicare vel in spiritualibus, vel in temporalibus.

Consect. 2. Christiani non tenentur vitare etiam publice excommunicatos manifestos & non denunciatos, & possunt communicare cum illis in spiritualibus, & temporalibus.

Consect. 3. Christiani non tenentur vitare neque publice, neque privatim excommunicatos, nisi sint juridice, & nominatim denunciati.

Consect. 4. Judex Ecclesiasticus, etsi excommunicatus, suspensus, vel interdictus, tamdiu potest valide suam jurisdictionem exercere, donec cum consueta juris forma fuerit nominatim declaratus vel excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus; & Tribunal Romanæ Rotæ non censet irrita acta judicis excommunicati, nisi post juridicam denunciationem.

Consect. 5. Juxta clausulam ab Antonino relatam tenemur evitare publicum Clerici percussorem etiam non denunciatum, modo factum nulla tergiversatione celari possit, & nullo juris suffragio excusari. Quod raro quidem in praxi contingit; nam ex stat aliquis, qui palam coram omnibus Clericum percusserit, numquid ante juridicam denunciationem hoc causare poterit? quod ignoranter fecit, vel nesciens percussionem Clerici esse vetitam sub pœna excommunicationis, vel eum quem percussit esse Clericum: vel poterit dicere, se id fecisse non ex malitia, sed ex inadvertentia, vel ut vim vi repelleret; & alias hujusmodi excusationes afferre poterit, quæ etsi in rei veritate sint nullæ, tamen non sunt per judicem nullæ declaratæ, inquit Sairus; ita ut notorius Clerici percussor non habeatur de facto excommunicatus: percussio enim illius potest aliquo juris suffragio a censura excusari, & ita juxta praxim Gallicanæ Jurisprudentiæ, non est vitandus, donec accesserit juridica declaratio, quæ fit vel in Ecclesia a Parocho, vel per affixiones ad valvas Ecclesiæ, vel alibi.

ARTICULUS IV.

De his, qui in Gallia censentur denunciati.

PRop. unica. In Gallicanæ Jurisprudentiæ praxi non alia admittitur notorietas, quam notorietas juris: ita sentiunt Dominus de Fleury, Natalis Alexander in sua Dogmatica & Morali Theologia tom. 5. lib. 2. Reg. 28. Huic Doctrinæ non videtur refragari Sanctus Augustinus sermone 351. inter quinquaginta homilias: *Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis; sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum*: & idem Augustin. serm. 351. de pœnitentia, docet Deum nolle ut quem judicemus, *nisi ultro confessum, sive accusatum, atque convictum.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nulla censura, sive excommunicatio, sive suspensio, sive interdictum, censetur manifesta, nisi declarata fuerit talis juridice.

Consect. 2. Nulla irregularitas censetur pariter manifesta, nisi fuerit similiter declarata talis juridice.

ARTI.

ARTICULUS V.

De peccatis Christianorum, qui communicant cum excommunicatis denunciatis.

PRop. 1. Peccant lethaliter qui cum excommunicato denuntiato communicant vel in crimine, vel in divinis, immo etiam in civilibus, si istud ultimum fiat in contemptum Ecclesiæ.

Prob. 1. Scriptura insinuat illud peccatum esse mortale, dum dicit de excommunicato: *Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: ergo sicut peccaret graviter qui cum ethnico se gereret quasi esset fidelis, ita & qui se gerit cum excommunicato quasi non esset excommunicatus.

2. Ex D. Thoma: *Probabilius*, inquit, *videtur, quod non semper peccat mortaliter*, scilicet participans cum excommunicato; *sed solum, quando in crimine illius participat vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ*. Supplem. q. 23. art. 3. in corp.

3. *Rat.* Peccat graviter qui in re magni momenti violat præcepta Ecclesiæ; quia præcepta Ecclesiæ ligant in conscientia. Cum ergo præceptum illud Ecclesiæ de non communicando cum excommunicatis sit in re gravi, ille haud dubie peccat graviter, qui illud infringit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ille peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem majorem, qui in crimine communicat cum excommunicato vel jussu, vel consilio, vel consensu, &c. *quia consentientem & facientem par pœna constringit*. Cap. *Nuper* extra. de Sententia excommunicationis.

Consect. 2. Ille qui cum nominatim excommunicato participat deliberata voluntate, si monitus nolit resipiscere & recedere ab excommunicati conversatione, mortaliter peccat, & est plectendus excommunicatione majori, quia ejus pertinacia hanc meretur pœnam: cap. *Cum in dubiis* extra. de Sententia excomm. de quo ita D. Thom. ibid. ad 3. *Participare cum excommunicato pertinaciter, est peccatum mortale, & propter hoc potest aliquis excommunicari secundum jura*.

Consect. 3. Peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem minorem, & interdicitur ingressu Ecclesiæ Clericus, qui confert Sacramenta excommunicato denunciato: cap. *Episcoporum*. de Privilegiis. in 6.

Consect. 4. Peccat mortaliter & incidit in excommunicationem minorem & feriendus est excommunicatione majori, qui communicat in divinis cum excommunicato denunciato: ita D. Thom. loco superius indicato, & Jus Canonicum cap. *Significasti*. extra. de Sententia excommunicationis. Immo feriendus est excommunicatione majori, ut habetur, & dicitur in cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante.

Unde & peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem minorem sive Laicus, sive Clericus, qui publice orat pro excommunicato precibus illis, quas adhibet Ecclesia, v. g. facit commemorationem illius in Missa, &c. quia Ecclesia vetat fieri pro excommunicatis preces publicas: in eamdem pœnam & peccatum incideret qui cum excommunicato publice oraret. Ita D. Th. Suppl. q. 21. art. 1. ad 1.

Monit. Licet tamen pro excommunicatis in genere orare, sed non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: ita sentit Divus Thom. ibid. Sic enim orari solet pro schismaticis, & hæreticis in die Parasceves, qui tamen ipso jure excommunicati sunt. D. Bernardus tamen de gradibus humilitatis 22. notat, tunc mentionem excommunicatorum non fieri, quia scilicet pro eis rogat Ecclesia, non sub excommunicatorum nomine, sed sub nomine peccatorum. Licet etiam in particulari pro excommunicatis, sive in communi, sive in singulari orare: ad hoc Parochi pro suis ovibus tenentur, si aliquo forte fulmine excommunicationis notatæ sint.

ARTICULUS VI.

De his, quæ possunt excusare Christianos a peccato, quando communicant cum excommunicatis.

PRop. unica. Christianus potest citra peccatum communicare cum excommunicatis, quoties honor Dei, utilitas propria, vel proximi illud exigunt.

Prob. Præceptum Ecclesiæ non ligat contra ordinem caritatis; quia finis præcepti est caritas: ergo si honor Dei, quem debemus diligere super omnia, si tum nostri, tum proximi utilitas exigat, ut communicemus cum excommunicatis, debemus cum illis communicare. Ita D. Thom. in 2. sent. dist. 28. qu. 2. art. 4. quæst. 1.

Unicum Consectarium hujus Doctrinæ.

In quinque casibus cum excommunicato licet aliquam communionem habere, qui hoc versu comprehenduntur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Can. *Quoniam multos*, c. 11. q. 3. *Utile*, id est, utilitas spiritualis excommunicati, ut doceatur, & ad obedientiam inclinetur, hoc tamen non omnibus concessum, sed eis quibus animæ ipsius cura commissa est, quales sunt Parochi, & alii Clerici, vel Laici, quibus onus hoc ab Episcopis speciatim committitur vel permittitur: in hac tamen communicatione observandum est, ut nihil agatur, nisi quod ad excommunicati utilitatem conducere existimatur. *Lex*, conjugii scilicet, a quo non dispensatur unus excommunicatione alterius; potest enim conjux cum excommunicato conjuge eadem agere, quæ ante sententiam excommunicationis: in crimine tamen, propter quod lata est Sententia excommunicationis, participare cum eo non licet, sed pro eo potius Deus orandus est, & pœnitentia aliqua flectendus, ut conjugi excommunicato spiritum gratiæ restituat.

Humile, idest, subectio, & obedientia, quam filii debent parentibus, & servi vel famuli tam civitatis, quam ruris dominis suis debent, a qua non dispensatur excommunicatione parentum, vel dominorum. Si tamen præciperent aliquid, quod pertineret ad crimen, propter quod excommunicati sunt, obtemperare non deberent, sed potius humiliter profiteri, se non posse contra Dei mandatum agere.

Filios

filios dixi, nam alii consanguinei eo verbo non intelliguntur. Quin etiam fratres, patrui, avunculi, cognati eo magis excommunicati communionem vitare debent, quo efficacius ea separatione excommunicati moveri solent ad pœnitentiam. Quandoque tamen Episcopus hoc eis concedit cum expedit conversioni excommunicatorum. *Res ignorata*, idest, cum aliquis nescit bona fide aliquem excommunicatione percussum, & cum eo communicat. Hoc ut vitetur, solet excommunicati nomen valvis Ecclesiæ affigi, & publicari in vieis præcipuis. *Necessi*, idest, cum negotiatorum necessitas hoc indispensabiliter postulat. Sed ea libertate abutendum non est ad non necessarias sermocinationes, & ad nova negotia tractanda. Potest creditor debitorem in jus vocare, ut debita solvere cogatur: at non licet Notariis, & Officialibus in favorem eorum, qui pro notoriis criminibus excommunicati sunt, acta scribere, & significare, ut excommunicati Ecclesiasticam disciplinam vitent; & præter peccatum, quod incurrunt, inobedientiam excommunicatorum sic fovendo, tenentur ad reparationem damnorum, quæ a Sacerdotibus propterea incurruntur. Possunt etiam Medici, & Chirurgi excommunicatis ægrotantibus adesse, sed communicare cum eis non plus debent, quam morbi necessitas postulat. Ipsi etiam excommunicati a fidelium communione se sponte separare debent; alioquin novam inobedientiam committunt, & peccati aliorum quodammodo auctores reputantur. Concionatores possunt cum excommunicatis communicare, & peregrini ab eis cibos emere. Canone *Quoniam multos*. cap. 11. q. 3. cap. *Cum voluntate*. extra. de Sententia excommunicationis.

ARTICULUS VII.

De peccatis & pœnis Excommunicatorum qui nolunt abstinere a Divinis.

PRop. *unica*. Excommunicati, sive manifesti, sive occulti, graviter peccant, & novas pœnas Ecclesiasticas incurrunt, si pertinaciter contra Ecclesiæ vetitum divinis se se velint ingerere.

Prob. 1. Illud Scriptura videtur indicare, dum dicit quod excommunicatus habendus sit *sicut Ethnicus, & Publicanus*; cum enim Ethnicus nequeat citra grave peccatum se se divinis immiscere, ita nec excommunicatus, in hoc similis Ethnico.

2. Ex D. Th. suppl. q. q. 21. a. 3. ubi loquens de excommunicatione etiam injusta, ait, quod *si excommunicatus eam contemneret, eo ipso peccaret mortaliter*: ergo a fortiori peccant juste excommunicati, qui pertinaciter divinis se se immiscent.

3. *Rat.* Ille peccat & meretur novam pœnam, qui contumaciter non obedit Ecclesiæ; quia contumacia est peccatum merens pœnam: atqui excommunicatus, sive occultus, sive manifestus, contumaciter non obedit Ecclesiæ, hoc ipso quod ingerit se divinis; quia Ecclesia omnibus excommunicatis prohibet participationem divinorum: ergo peccant graviter & novam pœnam incurrunt excommunicati, qui se divinis ingerunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Excommunicati etiam occulti non sunt immunes a pœnis latis contra excommunicatos manifestos, si se divinis immisceant; quia constitutio, *Ad vitanda scandala*, non est in favorem excommunicatorum, sed in favorem eorum, qui cum excommunicatis occultis communicant.

Consect. 2. Peccat mortaliter excommunicatus sive publicus, sive occultus, sive Clericus, sive Laicus, si aliquod Sacramentum recipiat, antequam sit absolutus ab excommunicatione; quia prohibetur excommunicatis receptio Sacramentorum. Cap. *Cum illorum*, & cap. *Si quem*. Extra. De sentent. excommunicationis.

Consect. 3. Peccat mortaliter Clericus excommunicatus, sive publicus, sive occultus, & insuper irregularitatem incurrit, si efficiat, ut coram se Sacra celebrentur; quia excommunicato prohibetur Sacris interesse. Cap. *Illud Dominus*, extra. de Clerico excommunicato.

Consect. 4. Peccat lethaliter & insuper fit irregularis Clericus excommunicatus, sive publicus, sive occultus, si ante absolutionem ab excommunicatione, sui Ordinis munus aliquod obeat; præterea si monitus absque mora non resipiscat, plectitur pœna perpetuæ depositionis. Cap. *Clerici*. extra. De Clerico excommunicato.

Consect. 5. Clericus, qui dubitat de excommunicatione in ipsum lata, si in tali dubio Officium sui Ordinis exerceat, videtur irregularitatem incurrere. Cap. *Cum illud Dominus*. De Clerico excommunicato. Si tamen ignoret ignorantia non crassa, sed inculpabili se esse excommunicatum, & sui Ordinis actum exerceat, non incurrit irregularitatem. Cap. *Apostolicæ sedis*. Extra. de Sentent. excommunicationis.

Consect. 6. Excommunicati, sive manifesti, sive occulti, possunt interesse prædicationi Verbi Divini; quia illud Ecclesia non prohibet, cum possit esse medium, quo convertantur. Cap. *Responsio*. Extra. de Sentent. excommunicationis.

ARTICULUS VIII.

De Excommunicatione minori.

PRop. *unica*. Excommunicatio minor est censura, quæ privat excommunicatum passiva tantum Sacramentorum participatione, ex. Decret. Tit. 39. cap. 59. *Si quem*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Excommunicatus, excommunicatione minori peccat lethaliter sacrum faciendo, sed non incurrit irregularitatem, cap. *Si celebrat*. Extra. De Clerico excommunicato: at non privatur activa participatione Sacramentorum; potest enim absolvere, potest electum confirmare, potest Sacramenta omnia administrare.

Consect. 2. Excommunicatus minori excommunicatione privatur electione passiva ad Beneficium, sed non activa: potest eligere, sed non potest eligi. Cap. *Si celebrat*. Ibid. Si eligeretur, non dicitur tamen electio illius irrita, sed irritanda. Excommunicatio minor incurritur communicando cum

Digitized by Google

cum excommunicato publico, denuntiato nominatim, vel cum publico Clerici percussore. Juxta quosdam Theologos excommunicatus minori excommunicatione, conferendo Sacramenta, peccat venialiter ob irreverentiam quamdam; sed Sacramenta collata tenent, & suum sortiuntur effectum, juxta omnes Doctores: ita Toletus, lib. 2. cap. 17. Idem habetur cap. *Si celebrat*. De Clerico excommunicato ministrante, ubi loquens de tali excommunicato, ita expresse habet: *Peccat autem conferendo Sacramenta*.

ARTICULUS IX.

De Monitoriis.

MOnitoria *sunt excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis* decernuntur, inquit Trid. sess. 25. cap. 3. De ref.

Prop. 1. Monitoria non debent concedi, nisi ob graves causas.

Prob. 1. Ex Trid. ibid. *Excommunicationes*, inquit, *quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis ferri solent, a nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat*.

2. *Rat. Excommunicatio nervus est Ecclesiastica disciplina*, inquit Trid. sed talis, quod *si temere, & levibus de causis incutiatur, magis contemnitur, quam formidatur, perniciem potius parat, quam salutem*: ergo non nisi gravibus de causis debet adhiberi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Monitoria possunt concedi pro rebus magni momenti, quæ materiam civilem respiciunt; quia interest Reipublicæ, ut justitia inter homines religiose observetur: & ita juxta Trid. ibid. Monitoria possunt decerni *pro deperditis, & subtractis rebus*, ut scilicet res perditæ non injuste retineantur ab inventoribus, & res subtractæ restituantur a raptoribus.

Consect. 2. Monitoria possunt decerni pro gravibus criminibus puniendis. Cap. *Pervenit* de testibus cogendis, & pro atrocibus injuriis reparandis; quia Reipublicæ interest, ut dicit jus civile, *non fœdari connubia, vel falsis contumeliis deformari*. leg. *Quamvis* 3. De adulter.

Consect. 3. Quamvis constitutio Pii V. vetet dari Monitoria pro caussis, in quibus rei possent morte damnari, tamen in Gallia contrarium exercetur. Itaque Episcopus ad id coactus, poterit Monitoria concedere, & fideles tenebuntur revelare. Usus ille fundamentum habet in cap. *Pervenit* de testibus cogendis, ubi dicitur. *Quod hi, qui de rebus Ecclesiasticis testificari recusant, si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per censuram Ecclesiasticam compellendi*. Ibi autem agebatur de injuria illata Clerico punienda. Ergo si censuræ possunt decerni ad probandam injuriam illatam Clerico; quidni poterunt decerni ad probandam injuriam illatam Laico?

Consect. 4. Monitoria non debent concedi nec hæreticis, nec excommunicatis, nec publicis peccatoribus eam gratiam postulantibus, nisi prius resipuerint, & certa dederint signa pœnitentiæ; gratiis enim Ecclesiæ potiri non debent qui contra Ecclesiam pugnant: & ut dicitur leg. 1. C. de hæreticis, & Manichæis: *Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet*.

Prop. 2. Illi omnes, & soli tenentur sub pœna excommunicationis, publicato monitorio, revelare, qui ex jure naturæ tenentur ad testimonium ferendum vel pro innocente defendendo, ante quamcumque juridicam compulsionem, vel contra reum condemnandum, post juridicam compulsionem, vel pro eo, qui damnum patitur, vel contra eum, qui damnum infert.

Prob. 1. Ex jure Canonico cap. *Pervenit*. De testibus cogendis. Illi soli sunt per censuras compellendi ad testificandum de injuria illata Clerico, *qui præsentes extiterant, quique nolunt veritati testimonium perhibere ... & quos constat, odio, vel gratia veritatem supprimere, aut timere*: ut habetur cap. *Cæterum*, eod. Tit. Ergo illi omnes, & soli tenentur sub pœna excommunicationis, publicato Monitorio, revelare, qui jure naturæ tenentur ad Testimonium ferendum vel ut defendatur innocens, vel ut reus juste condemnetur, vel ut puniatur, qui damnum intulit, vel ut præstetur indemnis qui damnum passus est.

2. *Rat.* Monitoria *sunt excommunicationes ad finem revelationis*: ergo eos solum ligant, qui tenentur revelare, & testimonium ferre: ergo illi solum revelare tenentur, qui jure naturæ obligantur ad ferendum testimonium vel pro innocenti, vel contra reum, vel pro eo, qui damnum patitur, vel contra eum, qui damnum infert.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Illi omnes, publicato etiam Monitorio, a revelatione dispensantur, qui juxta formam juris non solent a judice haberi ut testes, & quorum attestatio a judice recusatur; quia revelatio fit solum eo fine, ut testimonium juridicum feratur: ergo qui nequeunt esse testes, non tenentur revelare. Sic qui hic subjiciuntur, revelare non tenentur. 1. Qui rem sciunt non certo, sed solo rumore vulgi ambiguo. 2. Qui sunt consanguinei, vel affines usque ad quartum gradum; quia judex nec illorum, nec istorum reciperet attestationem: sic enim habet edictum ann. 1667. art. 1. tit. de supplicationibus. *Parentes, & affines partium usque ad consanguineorum filios descendentium a fratribus inclusive, non possunt testes esse ad deponendum aut contra, aut in eorum favorem*.

Consect. 2. Revelare non tenentur qui revelando proderent vel secretum naturale, vel sigillum confessionis, vel sibi ipsis ingens damnum, revelando causarent; sicut enim tunc a testimonio ferendo dispensantur, ita & a revelatione. Sic qui hic subjiciuntur, non tenentur revelare. Confessarii in nullo casu tenentur revelare ea, quæ sciunt via Confessionis Sacramentalis; quia, ut ait D. Tho. Confessarius *hujusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei Minister: & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto*. 2. Medici, Advocati, amici, qui aliquid acceperunt sub secreto, non tenentur revelare, nisi ex silentio enasceretur damnum vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel

Digitized by Google

vel alicui innocenti; quia quilibet magis obligatur Reipublicæ, & Ecclesiæ, quam amico, & satius est puniri reum juste, quam innocentem calumniose damnari. Qui ex revelatione damnum ingens pateretur; magis enim debet proprium bonum amare, quam bonum proximi; sibi potius providere, quam proximo, nisi cum agitur de bono publico, vel civili, vel ecclesiastico: bonum quippe privatum negligendum, ut conservetur publicum. Sic machinatio contra Ecclesiam, contra Regem, impedimenta dirimentia matrimonium, & alia hujusmodi, in omni casu sunt manifestanda.

Consect. 3. Revelare tenentur hi omnes, qui sciunt rem indicatam per Monitorium, quando eorum testimonium acceptandum est a judice, & inservire potest vel ut liberetur innocens, vel ut juste puniatur reus, vel ut damnum imminens impediatur, vel ut jam illatum reparetur; quia fiduti in illis casibus tenentur testimonium ferre, ut dicemus ubi de testibus; ita & monente, jubenteque Ecclesia, revelare. Sic qui subjiciuntur, tenentur revelare. 1. Laici omnes, qui nullam habent causam qua dispensentur a ferendo testimonio, sive in causis sanguinis, sive in causis civilibus. 2. Clerici tam regulares, quam sæculares in causis civilibus; quia nullum habent privilegium, quo dispensentur a ferendo testimonio in causis civilibus, possuntque se se offerre: immo in causis sanguinis, facta protestatione se nolle concurrere ad effusionem sanguinis, tenentur post citationem juridicam & revelare, & testimonium ferre; quia quamvis juxta D. Th. 2. 2. q. 7. a. 1. ad 3. Clerici *secundum ordinem juris compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis*, tamen usus contrarius viget in Gallia: sic enim habet edictum an. 1670. tit. De informationibus. *Qualibet persona assignari potest, ut consulat, conferat, & testimonium ferat; & ita tenetur ad comparendum ut assignationibus satisfaciat: Ecclesiastici item sub pœna sequestrationis bonorum temporalium, & suspensionis privilegiorum ipsis concessorum, tenentur ad testimonium ferendum.* 3. Impuberes, etsi enim a ferendo testimonio regulariter dispensentur, tamen usus contrarius viget in Gallia. Sic enim habet edict. an. 1670. tit. 6. art. 6. *Pueri utriusque sexus, quamvis nondum pubertatis annos attigerint, poterunt testimonium ferre: Judices tamen in judicando rationem habere debent necessitatis, & fidelitatis eorum testimonii.*

Consect. 4. Prædicti omnes, qui revelare tenentur, peccarunt hoc ipso, quod scientes se jure naturæ teneri ad testimonium ferendum, id tamen vel odio, vel gratia, vel timore recusarunt: gravius vero, quando moniti ab Ecclesia, in eadem pertinacia perstiterunt, incurruntque excommunicationem, si ante fulminationem non revelaverint: & post fulminationem nequeunt ab excommunicatione, quam incurrerunt, absolvi, nisi a Superiore, qui Monitorium concessit, vel ab ejus delegato, & nisi prius damnum, quod suo silentio causaverunt, reparaverint. Primo peccarunt, quo a egerunt contra jus naturale, quo, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 7. art. 1. in corp. *Quilibet tenetur testimonium ferre in his, in quibus, secundum ordinem juris, testimonium exigitur, puta in manifestis, & in his, in quibus infamia præcessit.* 2. Peccaverunt gravius, ubi promulgatum fuit Monitorium, qui isti Ecclesiæ præcepto restiterunt. 3. Incurrerunt excommunicationem ante eam cæremoniam, quam vocant fulminationem Monitorii; quia ad incurrendam revera excommunicationem sufficit trina monitio, vel una peremptoria, ut dicunt: ea enim cæremonia, quæ fulminatio dicitur, non est Monitio, sed est actus judicialis, quo non revelantes declarantur juridice excommunicati. 4. Non possunt absolvi nisi ab Episcopo, vel ejus delegato; quia hæc excommunicatio non est a jure, sed ab homine: ergo solum ab eo tolli potest, a quo inflicta est. 5. Non possunt absolvi, nisi prius damnum causatum reparaverint: quia restitutio, quando fieri potest, debet semper præcedere absolutionem a censuris; aut saltem ille, qui absolvitur, debet dare vadem, qui pro ipso de restitutione sponsor existat: cap. 7. §. *Sane* de sentent. excom. in 6.

ARTICULUS X.

De excommunicationibus, quæ qualibet die Dominico proclamantur in Pronao, & quo pacto debeat se gerere Parochus, ut publice denuntietur qui eas incurrit.

Ut quis declaretur incurrisse excommunicationem aliquam ex illis, quæ in Pronao proclamantur, v. g. ut quis declaretur excommunicatus ob omissum præceptum Communionis Paschalis, hæc singula sunt a Parocho observanda.

1. Debet Parochus legere in Missa solemni Decretum Concilii Lateranensis, & Trident. *Omnis utriusque sexus*, & illud explicare populo, & declarare in communi, aliquos esse in Parochia, qui huic officio non satisfecerunt: ubi illud tribus diebus Dominicis diversis præstiterit, debet postea secreto admonere eos, qui Communionem Paschalem omiserunt: qui si secretæ huic admonitioni non pareant, debet eos nominatim Episcopo deferre, ut ab eo discat, quid opus sit facto; & in hoc sicut & in aliis singulis Curialibus Officiis, debet Episcopo morem gerere. 2. Debet Parochus attestationem habere a Parochianis, qua constet eum tribus diebus Dominicis admonuisse populum, aliquos esse in Parochia, qui præceptum de Communione Paschali non observarunt, quibus comminatus est, se eos ad Episcopum delatum iri, nisi huic præcepto brevi satisfecerint. 3. Oportet, ut Episcopus eos declaret Promotori, & Promotor postea libellum supplicem offerat Episcopo, qui exigat tales, & tales nominatim citari. 4. Si citati non compareant, debet Promotor eos secundum formas juris compellere, ut compareant. Si quibuscumque compulsionibus resistant, debet contra eos, tamquam contra rebelles, procedere, invocato etiam, si expediat, brachio sæculari. 5. Si citati compareant, Ecclesiasticus judex debet eorum rationes audire, si validæ sint: v. g. si causam habeant non confitendi proprio Parocho, debet, quantum fieri potest, eis Confessarium seligere, qui salutem illorum quibuscumque mediis procuret. 6. Si citati nullas rationes afferant, hortandi sunt, ut quam primum officio suo satisfaciant, & in particulari injungenda est

est communio Paschalis; cui jussioni si non acquiescant, debent publice in Pronao declarari excommunicati, nomen eorum debet ad valvas Ecclesiæ scribi, qui ad Ecclesiæ Conventum postea non erunt admittendi; sed cum eis agetur, quasi cum excommunicatis, & nominatim denunciatis.

C A P U T VI.

In quo referuntur varia Excommunicationes.

NOta. Excommunicatio alia est reservata, alia non reservata. Excommunicatio non reservata est ea, a qua potest absolvere quilibet Sacerdos approbatus. Excommunicatio reservata est illa, a qua omnis Confessarius non potest absolvere. Excommunicatio reservata alia est reservata summo Pontifici, alia Episcopis. Utraque reservatio aliquando fit jure communi, aliquando jure speciali in Gallia, aliter in aliis Regnis, quo nihil difficilius in praxi. Ideo hic memorabo. 1. Excommunicationes reservatas summo Pontifici juxta jus commune Gallorum. 2. Excommunicationes reservatas Episcopis juxta idem jus Gallorum. 3. Quasi historice potius quam dogmatice recensebo varias excommunicationes reservatas tum Papæ, tum Episcopis juxta jus aliarum nationum. Tandem percurram omnes excommunicationes etiam non reservatas. Opus quidem immensum, nec magnæ necessitatis, cum sufficiat in Gallia eas scire excommunicationes, quæ apud nos Gallos vigorem habent, & alias tantum cursim perstringere. Sed opportunum judicavi, eas omnes excommunicationes hic colligere. 1. Ut quæ sparsæ in diversis libris reperiuntur, quasi uno ictu oculi videantur. 2. Ut sciamus, quæ sint Gallicanæ Ecclesiæ libertates, quæ tot censuris non subjicitur, quæque juxta Canones antiquos potius quam recentiores disciplinam suam instituit. 3. Denum ut eam, ut ita dicam, censurarum historiam, incrementum, & decrementum, non ignoremus: quod viros Ecclesiasticos maxime dedeceret, cum cognitio censurarum maximam juris Canonici partem constituat. Ut autem promptius distinguamus eas, quæ vim habent apud Gallos, ab his, quæ apud nos vigorem non habent, excommunicationes apud nos receptas charactere Italico, ut dicunt, scribam, alias vero charactere vulgari. Priores memoriæ levandæ causa certis versibus comprehendam, minime vero alias posteriores.

A R T I C U L U S I.

De Excommunicationibus reservatis in Gallia summo Pontifici juxta Cabassutium communiter receptum.

1. GRavis aut mediocris percussio Clerici, Monachi publice nota, sicut & violentia publice nota, facta per virum: canone *Si quis suadente* causa 17. q. 4. nam si percussio sit occulta, vel levis, vel facta a muliere, reservatur ejus absolutio non Papæ, sed Episcopis. 2. *Simonia realis, & confidentia similiter realis manifesta*; nam si simonia, vel confidentia sit occulta, non reservatur Papæ, sed Episcopo: extravag. 2. *Cum detestabile*, de simonia. 3. *Incendii crimen ex deliberata malitia, post Ecclesiasticam denunciationem*: canone *Pessimam* causa 23. quæst. 8. & cap. *Tua nos.* extra. De Senrent. excom. nam ante denunciationem Ecclesiasticam non reservatur Papæ, sed Episcopo. 4. *Rapina rerum Ecclesiarum effractione portarum, post denunciationem Ecclesiasticam*: cap. *Conquesti*, extra. de Senent. excommunicat. nam ante denunciationem publicam reservatur non Papæ, sed Episcopo. 5. *Falsificatio Bullarum Apostolicarum.*

Memoriæ levandæ causa eædem excommunicationes duobus carminibus comprehenduntur.

Ictor atrox Cleri, fur frangens ostia templi,
Falsificans Bullas, & simon, & ustor aperti.

A R T I C U L U S II.

Referuntur Excommunicationes reservatæ Episcopis in Gallia juxta eumdem Cabassutium.

1. LEvis Clerici percussio, vel etiam gravis, si sit facta per mulierem. 2. *Incendium non denunciatum.* 3. *Rapina in Ecclesia cum effractione portarum, modo non denunciata.* 4. *Crimen hæreseos.* 5. *Duellum executioni mandatum.* 6. *Violatio clausuræ regularis.* 7. *Procuratio abortus fœtus animati cum effectu.* 8. *Excommunicationes particulares reservatæ & latæ a quolibet Episcopo juxta utilitatem suæ Ecclesiæ.*

Memoriæ levandæ causa eædem excommunicationes tribus carminibus comprehenduntur.

Percutiens leviter Clerum, consorsque duelli.
Clam simon, clam urens, clam frangens ostia templi.
Hæreticus, claustri violator, & auctor abortus.

A R T I C U L U S III.

Historice referuntur Excommunicationes, quæ Papæ reservantur juxta Bullam IN COENA DOMINI; quæ tamen Bulla non recipitur in Gallia.

1. EXcommunicantur Hæretici, Schismatici & eorum fautores. 2. Appellantes ad futurum Concilium. 3. Piratæ, & illorum fautores. 4. Surripientes naufragantium bona. 5. Imponentes novas gabellas. 6. Falsarii litterarum Apostolicarum. 7. Deferentes arma Turcis. 8. Impedientes eos, qui veniunt in urbem Romam, vel qui ab ea recedunt, vel qui in illa commorantur. 10. Male tractantes Peregrinos & Romipetas. 11. Offendentes Cardinales, & alios Prælatos. 12. Offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam curiam. 13. Appellantes ab Ecclesiastico foro ad Laicam potestatem. 14. Impedientes executionem litterarum Apostolicarum. 15. Judices sæculares Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahentes. 16. Impedientes jurisdictionem Prælatorum. 17. Usurpantes, vel sequestrantes fructus Ecclesiasticos, 18. Imponentes gravamen personis Ecclesiasticis. 19. Judices sæculares de clericorum criminibus cognoscentes, 20. Occupantes bona Sedis Apostolicæ.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Referantur Excommunicationes reservatæ summo Pontifici extra Bullam Cœnæ.

1. P*Ercutientes Clericos, Monachos, & violentiam ipsis facientes:* canone *Si quis suadente diabolo &c.* Clerici sponte & scienter communicantes in divinis cum excommunicatis a Papa: cap. *significavit* extra. de Sentent. excom. 3. *Incendiarii post publicam denunciationem*: cap. *Tua nos* De Sentent. Excom. 4. *Spoliantes Ecclesias, cum effractione portarum:* cap. *Conquesti* extra. de Sentent. excom. 5. Erigentes in Senatorem, Rectorem, Officialem, Regem urbis Romanæ: cap. *Fundamenta* de Electione in 6. 6. Gravantes in persona, vel in bonis propriis eos, qui infligunt censuras Ecclesiasticas. cap. *Quicumque* de Sentent. excom. in 6. 7. Inquisitores omittentes, vel committentes aliquid circa suum Officium: in Clementina *Adolentes* De excessibus Prælatorum. 8. Religiosi qui absque licentia Parochi quædam Sacramenta conferunt, vel qui alia munera, ipsis non convenientia, exercent, & Religiosi, qui inducunt juramento vel voto ad sepulturam apud ipsos eligendam: in Clementina *Cupientes*. 9. Domini Temporales, cogentes aliquem celebrare in loco interdicto: Clementina *Gravis* de Sent. excomm. 10. Exenterantes mortuos, ut in alio loco sepeliantur: extravaganti *Detestandæ* de sepultura. 11. *Dantes, & recipientes temporalia, ratione Professionis faciendæ*: extravaganti *Sane* De Simonia. 12. *Committentes Simoniam, & mediatores:* extravaganti *Cum detestabile* de Simonia. 13. Regulares mendicantes, transeuntes ad aliam Religionem, excepta Religione Carthusianorum, sine licentia: extravaganti *Viam ambitiosæ* de Regularibus transeuntibus ad Religionem. 14. Affirmantes peccare eos, qui sentiunt Beatam Virginem Mariam conceptam sine peccato originali, vel cum peccato originali: extravaganti *Grave nimis*. 15. Dantes, vel promittentes aliquid in Romana curia, in negotiis gratiæ & justitiæ: extravaganti *Excommunicamus* de sentent. excommunicationis. 16. Cardinales procurantes contravenire, Sede Apostolica vacante, Dispositioni Julii secundi, latæ contra committentes simoniam in electione summi Pontificis: extravaganti Julii secundi. 17. Procurantes in detrimentum Ecclesiarum fieri alienationes: extravag. *Ambitiosæ cupiditati* De rebus Eccles. non alienandis. 18. Prædicantes Evangelia contra sensum Doctorum approbatorum: extravaganti 16. Leonis X. 19. Accedentes ad Sepulcrum Domini sine licentia Papæ: Antoninus 3. parte Tit. 24. cap. 30. 20. Ministri Cameræ Apostolicæ, non reddentes fideliter rationem suæ administrationis: extrav. 46 Pauli III. 21. Tractantes de futuro Pontifice eligendo, vivente Papa: extra. 82. Clementis VIII. 22. Facientes excommissas, Gallice *des Gageures*, super vita, vel morte, vel futura vacatione summi Pontificis: extra. Gregorii XIV. 23. *Pugnantes in Duello*: extravag. 82. Clementis octavi. 24. Provisi de Beneficiis Curatis non deservientes personaliter in suis Ecclesiis: extravag. 87. Pii IV. 25. *Recipientes, vel retinentes Beneficia Ecclesiastica, in confidentiam*. Constitutione Pii IV. & Pii V. 87. 26. Officiales Sacræ Pœnitentiariæ, aliquid accipientes, etiam a sponte dantibus: Constitutione Pii V. 85. 27. Moniales exeuntes de clausura absque licentia: Constitutione Pii V. 28. Feminæ ingredientes claustra Monialium: Constitutione 22. Pii V. quam constitutionem Gregorius XIII. extendit ad feminas ingredientes claustra virorum regularium, nec non ad homines ingredientes claustra Monialium, etiam cum licentia Episcopi, nisi in casu necessitatis, eamdemque constitutionem extendit ad Prælatos. 29. Accipientes aliquid ex fructibus Beneficii vacantis primi vel ulterioris anni: extravaganti 2. Joannis XXII. de electione. 30. Publicantes indicem casuum cum Indulgentia concessa cuicumque solventi certam pecuniam: Constitutione Pii V. 31. Retinentes in servitute Christianos apud Infideles: Constit. 56. Pii V. 32. Jurantes & jurare facientes noxia Ecclesiasticæ libertati: Constitutione 113. Gregorii XIII. 33. Admittentes resignationem Beneficiorum extra casus in jure expressos: Constitutione 58. Pii V.

ARTICULUS V.

Referuntur Excommunicationes aliquæ contra Laicos nulli reservatæ. Laici, qui hic subjiciuntur, excommunicantur.

1. OFficiales requisiti a viris Ecclesiasticis, si negligentes non correxerint: canone *Administratores*, causa 23. q. 5. 2. Sæculares imponentes onera personis & bonis Ecclesiasticis: cap. *Non minus* de immunitate Eccles. 3. Statuentes contra libertatem Ecclesiasticam. Cap. *Noverint* extra. de Sentent. excomm. 4. Domini Temporales, non servantes ea, quæ præcipiuntur in electione facienda: cap. *Ubi periculum* de electione in 6. 5. Vexantes eos, qui noluerunt eligere personas Ecclesiasticas, pro quibus fuerunt rogati: cap. *Sciant* de electione in 6. 6. Ecclesiastica bona usurpantes; cap. *Generali* de electione in 6. 7. Extorquentes per vim absolutionem Censuræ: cap. 1. *De his, quæ vi, metusve causa fiunt in* 6. 8. Compellentes personas Ecclesiasticas ad submittendum eis jura Ecclesiastica: cap. *Hoc consultissime* de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. 9. Domini Temporales, impedientes ne eorum subditi cum personis Ecclesiasticis contrahant: c. *Eos* de immunitate Ecclesiastica in 6. 10. Domini Temporales, non parentes thronis officialibus: cap. *Ut inquisitionis* de hæreticis in 6. 11. Assassini: cap. *Pro humani* de homicidio in 6. 12. Concedentes represalias adversus personas Ecclesiasticas, cap. 1. *De injuriis* 13. Inquisitores extorquentes pecunias ab inquisitis, & confiscantes bona Ecclesiastica pro delicto: Clementina *Nolentes* de hæreticis. 14. Cogentes ad contrahendum non libere matrimonium: 15. Trid. sess. 24. c. 9. 15. in Magistratus sæculares non præbentes auxilium Episcopis ad conservationem clausuræ Monialium, Tridentinum sess. 25. cap. 5.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Referuntur excommunicationes nemini reservatæ contra Laicos & Clericos sæculares, & Regulares.

1. NUncius scripturam mittens ex Conclavi, vel loquens ex secreto ex Conclavi, extra Conclave: cap. *Ubi periculum* de electione in 6. 2. Deputati non abstinentes ab iis, per quæ inter Moniales in electione earum superioris possit oriri discordia, vel orta foveri: cap. *Indemnitatibus* de electione in 6. 3. Magistri scientes, retinentes, aut docentes Religiosos in suis scholis legum vel medicinæ sine proprio habitu: cap. *Ut pericula* ne Clerici vel Monachi in 6. 4. Sepelientes hæreticos, vel eorum fautores in loco sacro: cap. *Quicumque* de hæreticis in 6. 5. Sepelientes in loco sacro, vel tempore interdicti, vel publice excommunicatos, vel interdictos, vel usurarios: Clementina 1. de sepultura. 6. Impedientes visitationem Monialium; in Clementina *Attendentes* de statu Monachorum. 7. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel contrahentes cum Professis, vel in sacris: Clement. unica *De consanguinitate & affinitate*. 8. Impugnantes litteras Papæ, ante suam coronationem confectas: extravaganti *Quia nonnulli*, de sententia excommunicationis. 9. Retinentes nomen Vicarii Imperatoris Imperio vacante: extravaganti Joannis XXII. *Si fratrum ne Sede vacante*, &c. 10. Interpretantes Concilium Tridentinum sine licentia sedis Apostolicæ: extravag. Pii IV. *quæ incipit* Benedictus Deus. 11. Permittentes agitationem Taurorum, & Clerici spectantes: extravaganti Pii V. quæ incipit *De salute Gregis*. Greg. XIII. sustulit has pœnas contra Laicos. 12. Mulierum raptores, & eorum fautores, Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reform. 13. Cogentes mulierem ad ingrediendam Religionem & eorum fautores: Trid. sess. 25. cap. 18. de Regularibus. 14. Imprimentes libros sine licentia: Lateranense sess. 10. & Trid. sess. 9. 15. Asserentes non esse necessarium habenti copiam Confessarii confiteri mortalia ante Eucharistiæ sumptionem. Trid. sess. 14. Canone 11.

CAPUT VII.

De suspensione.

ARTICULUS I.

De causis suspensionis.

CAusa efficiens suspensionis est Superior, qui potest excommunicare, & suspendere. Causa materialis & remota est subjectum capax suspensionis, nimirum Clericus. Causa materialis proxima est peccatum, propter quod infligitur suspensio. Causa finalis est Clericorum reformatio, & salus animarum.

ARTICULUS II.

De Regulis, quibus discerni potest, qualis sit suspensio.

R*Egula prima generalis*. Talis est suspensio, qualis exprimitur per verba, quibus infligitur; quia juxta vulgare dictum Canonistarum: Verba Bullarum tantum valent, quantum sonant: ex quo principio eruuntur sequentes regulæ.

Regula prima particularis. Suspensio simpliciter intelligitur de suspensione absoluta, totali, & perpetua, quia propositio indefinita æquivalet universali: cap. *Cupientes* de Electione in 6. *Hinc colliges quod*

1. Si Judex, si canon, dicant, *suspendimus*, Clericus remanet omnino suspensus: si sit Episcopus, nullum potest Episcopale munus exercere, nec munus Sacerdotale, nec ministerium clericale: si sit Parochus, nullum poterit munus Parochiale obire: si sit Sacerdos præfulgens aliqua dignitate, nullum suæ dignitatis officium præstare nequit. 2. Suspensus a beneficio simpliciter est suspensus ab omni beneficio, & impeditur a receptione beneficii; quia propositio indefinita æquivalet universali.

Regula secunda. Suspensio ab Ordine extendit se tantum ad ea, quæ sunt Ordinis; quia propositio limitata restringit, & coarctat sensum intra limites suæ expressionis. Hinc collige quod

1. Si Canon, si Judex, dicant, *Suspendimus ab Ordine*, remanet potestas contentiosæ jurisdictionis in eo, qui suspenditur; quia jurisdictio contentiosa non fundatur in Ordine: sed non remanet potestas jurisdictionis interioris: quia hæc fundatur in Ordine. Sic Episcopus suspensus ab Ordine, non poterit quidem Ordines conferre, sed poterit jurisdictionem exercere, v. g. conferre beneficia, excommunicare.

Regula tertia. Suspensio a determinato Ordine se extendit ad illum Ordinem præcise quem exprimit, & non ad illum Ordinem, quem supponit, quia propositio limitata coarctat sensum juxta terminos verborum, quibus exprimitur. Hinc colliges, quod

1. Suspensus ab Episcopali Ordine determinato non potest exercere actus proprios Episcopo, bene tamen actus proprios Sacerdoti: v. g. nequit Ordines celebrare, bene tamen Missæ potest Sacrificium offerre. 2. Sacerdos suspensus ab Ordine sacerdotali non potest exercere actus Sacerdotis, potest tamen officium Diaconi obire.

Regula quarta. Suspensio ab officio se extendit ad omnem potestatem Ecclesiasticam: quia officium est nomen universale, inquit Glossa. Hinc inferes, quod

Si Canon dicat, *Suspendimus ab Officio*, Clericus tunc suspenditur ab Ordine, & beneficio quod habet; ita ut non possit exercere Ordinem, quem habet, nec superiorem recipere; non valet uti Privilegiis beneficii, quod obtinet, nec potest novum beneficium recipere.

Regula quinta. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ se extendit nedum ad ingressum Ecclesiæ, sed etiam ad exercitium divinorum.

Regula sexta. Suspensio ab administratione Ecclesiæ seu beneficii, in temporalibus, seu in spiritualibus, non se extendit ad exercitium Ordinis: & ita Episcopus, Parochus suspensus ab administratione sui Beneficii, potest Missam celebrare.

ARTICULUS III.

De effectibus Suspensionis.

PRimus suspensionis effectus est incurrere peccatum lethale, quoties exercetur actus, a quo Clericus est suspensus; quia inobedientia est in materia gravi: & ita suspensus a celebratione Missæ, celebrans Missam, peccat lethaliter: suspensus ab ingressu Ecclesiæ, ingrediens Ecclesiam, peccat mortaliter. Secundus effectus suspensionis est incidere in irregularitatem, quando suspensus ab Ordine exercet actum Ordinis, a quo suspensus est: cap. *Cum aeternum* de Sententia & re judicata in 6. & sic Episcopus suspensus ab Ordine Episcopali fit irregularis, si conferat Ordines; minime vero, si approbet Confessarium, si prædicet, si conferat beneficium; quia illa non sunt munera Ordinis Episcopalis. Sic Sacerdos suspensus ab Ordine Sacerdotali, fit irregularis, si Missam celebret; minime vero si baptizet non solemniter, si prædicet, si recipiat Eucharistiam; quia illa non sunt munera Ordinis sacerdotalis. Suspensus a Jurisdictione, ab ingressu Ecclesiæ, &c. peccat mortaliter, si id faciat, a quo suspensus est; sed non incurrit irregularitatem. Tertius effectus suspensionis est exclusio ab aliorum communione, ita ut peccet suspensus, & peccent pariter qui cum suspenso manifesto & denunciato communicant. Sic Sacerdos suspensus a celebratione Missæ, peccat lethaliter, si Missam celebret, licet sit suspensus occultus: peccant quoque mortaliter adstantes Missæ Sacerdotis suspensi denunciati. Quartus effectus suspensionis ab officio est, quod suspensus nec eligere, nec eligi possit ad beneficium. Unde collatio beneficii est nulla in favorem suspensi ab officio; est nulla pariter, si suspensus faciat illam in favorem alterius. Quintus effectus suspensionis a beneficio est, quod suspensus a beneficio nullos possit recipere fructus beneficii; & si recipiat, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem: potest tamen hujusmodi fructus recipere, si sint ad vitam sustentandam necessarii, & per eum non stet quominus absolvatur; ut notat Glossa super caput *Pastoralis* §. *Verum*. Sextus effectus suspensionis a beneficio est, quod suspensus a beneficio non possit novum beneficium recipere; ut colligitur ex c. *Per inquisitionem* extra. de Electione. Cap. *De sublatione suspensionis*.

ARTICULUS IV.

Quomodo tollatur Suspensio.

SUspensio lata ad tempus tollitur finito tempore suspensionis sine nova dispensatione. Suspensio lata sub hac forma, *donec resipiscat*, tollitur per solam pœnitentiam suspensi. Suspensio a canone tollitur ab Episcopo, nisi esset Papæ reservata: ita inquit cap. *Nuper* extra. de Sententia excommunicationis. Cur autem excommunicatio lata a canone, & non reservata, possit tolli a quolibet Sacerdote approbato ad excipiendas fidelium confessiones, minime vero suspensio; est, quia major est necessitas absolvendi excommunicatum, quam dispensandi suspensum; quia excommunicatio privat bonis spiritualibus Ecclesiæ, minime vero suspensio. Suspensio reservata summo Pontifici tollitur per summum Pontificem. Suspensio lata ab homine, v. g. ab Episcopo, ab Abbate, tollitur ab eo, a quo profecta est, nisi lata esset ob legis violationem, quæ importaret suspensionem. Suspensio lata a jure in pœnam delicti, sive perpetua, sive ad certum tempus, tollitur a solo Auctore Canonis ante elapsum tempus: ab eo solo quoque tollitur, si publica sit, vel lata ad forum contentiosum; quia, ut inquit D. Th. inferior non habet potestatem absolvendi reum a pœna contra violationem legis a Superiore constituta; & ita Episcopus nequit absolvere Clericum suspensum ob crimen publicum, si suspensio lata sit a canone; bene tamen potest illum absolvere, si suspensio sit lata ab ipsomet Episcopo.

ARTICULUS V.

Referuntur Suspensiones latæ contra Clericos propter illicitam Ordinis receptionem.

SUspenduntur 1. Ordinati in sacris ab Episcopo alieno sine litteris dimissoriis proprii Episcopi: ita Trid. sess. 23. cap. 9. Navarros docet, quod si clericus per triennium fuerit familiaris Episcopi extranei, potest ab eo ordinari citra suspensionem. Excipe casus, in quibus de jure adiri potest alienus Episcopus sine licentia Ordinarii: v. g. si proprius Episcopus sit suspensus eo quod alienos ordinaverit absque licentia suorum Episcoporum, modo illa suspensio sit manifesta: ita docet constitutio Gregorii IX. in Concil. Lugdun. 2. can. 15. 2. Ordinati in sacris, non arctati beneficio Ecclesiastico infra annum, sede Episcopali vacante, etiam cum licentia Capituli: Trid. sess. 7. c. 10. 3. Ordinati in aliena Diœcesi a proprio Episcopo sine licentia Episcopi loci: Trid. sess. 6. c. 5. 4. Ordinati ante legitimam ætatem: extravag. 6. Pii II. Hæc Bulla limitatur ad sacros Ordines solum a Clemente VII. per Bullam, quæ incipit *Romanum Pontificem*; ætas autem legitima Ordinandorum describitur in Trident. sess. 23. c. 12. 5. Ordinati in sacris sine titulo: Trident sess. 21. c. 2. 6. Ordinati in sacris extra tempora a jure statuta: id videtur innuere c. *De eo autem* extra. de tempore Ordinandorum. 7. Recipientes eadem die duos Ordines sacros sine dispensatione: cap. *Litteras* de tempore Ordinandorum. 8. Recipientes Ordines sacros in duobus diebus immediatis: cap. *Litteris* de tempore Ordinandorum. 9. Recipientes eadem die Subdiaconatum, & aliquem ex quatuor minoribus Ordinibus: cap. unico De eo, qui furtive Ordines suscepit. 10. Ordinati per saltum: cap. unico de Clerico per saltum ordinato. 11. Promoti ad sacros Ordines post matrimonium ratum, licet non consummatum, sine dissolutione matrimonii: extravag. Joan. XXII. *Antiqua*, de voto ordinati omisso aliquo substantiali, Glossa ubi de Sacramentis. 12. Clerici Doctrinæ Christianæ, qui, etiamsi titulum habeant, sine licentia Præpositi Generalis, vel Provincialis, ordinantur: ita habet Bulla Clementis X. quæ incipit *Ad perpetuam rei memoriam*.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Referuntur suspensiones latæ contra Clericos propter illicitum exercitium Ordinis suscepti.

SUspenduntur qui hic subjiciuntur 1. Clerici celebrantes, vel celebrare facientes in loco interdicto : cap. *Episcoporum* de privilegiis in 6. 2. Sepelientes in Cœmeterio benedicto ab Ecclesia usurarium publicum : cap. *Quia in omnibus* extra. de usuris. 3. Sacerdos, qui inchoato canone, sine causa omittit incompletam Missam : canone *Nullus* de Consecratione distinctione prima. 4. Celebrans Missam, & non se communicans : canone *Relatum* de Consecratione dist. 2. 5. Benedicens secundas nuptias : c. *Capellarum* de secundis nuptiis. 6. Conjungentes, vel benedicentes sponsos alterius Parochiæ : Trid. sess. 24. cap. 1.

ARTICULUS VII.

Referuntur suspensiones latæ contra Clericos ratione beneficiorum.

SUspenduntur qui hic subjiciuntur. 1. Clericus non præditus ætate, natalibus, & moribus ad Ecclesiasticas dignitates requisitis : cap. *Cum in cunctis* de electione. 2. Non præsentantes electionem electo, postquam commode potuerunt : cap. *Cupientes* De electione in 6. 3. Objiciens electo, & in probatione deficiens : cap. *Statuimus* de electione in 6. 4. Gravantes Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis : cap. *Si quorumdam* de solutionibus. 5. Prælati submittentes suas Ecclesias Laicis : cap. *Hoc consultissime* de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. 6. Clerici usurpantes bona Ecclesiastica, vel usurpationi consentientes : Trid. sess. 22. cap. 11. 7. Præsumentes consentire electioni de se factæ per potestatis sæcularis abusum : cap. *Quisquis* extra. de electione.

ARTICULUS VIII.

Referuntur suspensiones latæ contra Clericos ex variis defectibus.

SUspenduntur 1. Clerici involventes Laicos mortuos vestimentis sacris : canone *Nemo per ignorantiam* de consecratione. 2. Paciscentes, ut occasione Ordinis collati sine titulo non petantur alimenta. Trid. sess. 21. c. 2. De reformatione. 3. Refellentes alteram contradictionis partem circa Conceptionem B. Mariæ Virginis & Matris. Trid. sess. 5. De Peccato originali in fine. 4. Notorii fornicarii celebrantes post Ecclesiasticam monitionem : Trid. sess. 25. De reformatione cap. 14. 5. Visitatores Episcopis inferiores, recipientes aliquid præter victualia a visitatis, nisi adsit consuetudo contraria : Trid. sess. 24. cap. 3. ubi renovat quod fuerat in Concil. Lugdunensi statutum. 6. Personæ Ecclesiasticæ portantes publice vestes non decentes Ordinem eorum : Clementina 2. De vita & honestate Clericorum. 7. Clerici provocantes, vel acceptantes duellum. Constitutione Clementis IX. quæ incipit *Illius vices*.

ARTICULUS IX.

Referuntur suspensiones contra Clericos, & Prælatos majores.

NOta, quod Episcopi non censentur suspensi, nisi expresse includantur in suspensionibus latis tum a jure, tum ab homine.

§. I. *Suspensiones ex parte promotionis ad Episcopatum.*

Suspenduntur qui hic subjiciuntur. 1. Fratres Ordinis Prædicatorum & omnes alii Religiosi, qui, promoti ad Episcopatum, non reddunt libros Ordinis : S. Antoninus 3. part. tit. 27. 2. Archiepiscopi non consecrati ab omnibus suis suffraganeis, & Episcopi consecrati sine consensu Metropolitani : sed ex praxi utraque hæc suspensio non viget.

§. II. *Ex parte collationis Ordinum.*

Qui hic subjiciuntur, suspenduntur. 1. Episcopi ordinantes alienos Clericos sine dimissoriis sui Ordinarii : Trid. sess. 23. c. 8. 2. Episcopi exercentes Pontificalia in alieno territorio, nisi de expressa licentia Ordinarii : Trid. sess. 6. De reform. c. 5. & sess. 14. c. 2. Nota, quod hæc suspensio est tantum suspensio a Pontificalibus. 3. Episcopi ordinantes indignum Sacerdotem : canone *Si qui Episcopi*, causa 1. q. 1. 4. Episcopi conferentes primam tonsuram illiterato, aut conjugato, nisi cum conditionibus explicatis cap. *Nullus* de tempore Ordinandorum, in 6. 5. Episcopi eadem die, vel duobus, vel tribus diebus continuatis conferentes eidem Clerico duos, aut tres Ordines sacros : colligitur ex Trid. sess. 23. c. 13. 6. Episcopi ordinantes eum, qui solemni pœnitentiæ addictus fuit, vel conferentes Ordinem bigamo canone *Nullus promittentem* dist. 55. 7. Episcopi ordinantes in sacris Religiosum non Professum sine titulo, vel alium sæcularem sine titulo, suspenduntur : Trid. sess. 21. cap. 2. 8. Episcopi ordinantes, accepta ab ordinato promissione, quod non molestabuntur super ejus provisione : cap. *Si quis ordinavit* De simonia. 9. Episcopi ordinantes invitos præter juris ordinem : canone 1. & 2. dist. 74. 10. Ordinantes Regulares sine licentia Superioris. Canone ultimo dist. 58.

§. III. *Suspensiones ratione collationis beneficiorum, aut eorum fructuum.*

Qui hic subjiciuntur, suspenduntur. 1. Conferentes beneficia indignis : Trident. sess. 7. cap. 3. 2. Episcopi percipientes proventus dignitatis, quæ adhuc vacat, cujus dignitatis ad ipsos spectat Collatio : cap. *ultimo* De officio Ordinarii in 6.

§. IV. *Referuntur suspensiones, quæ ratione diversorum defectuum incurruntur ab Episcopis.*

Qui hic subjiciuntur suspenduntur. 1. Episcopi cognoscentes carnaliter post Episcopatum illam, quam ante Episcopatum cognoverunt... Suspensio est ferendæ Sententiæ ante monitionem, latæ Sententiæ post monitionem. Tridentinum sess. 25. c. 14. 2. Episcopi relaxantes pœnam incendiariis : canone *Pessimam*, causa 23. q. 8. 3. Episcopi negli-

gentes procedere contra Simoniacos; canone *Quidquid*, causa prima, q. 1. 4. Episcopi locantes, vel locari permittentes domos ad exercendas usuras: cap. 1. *De usurariis* in 6. 5. Episcopi perseverantes per sex menses in interdicto in eos lato ob alienationem bonorum Ecclesiæ, inconsulto Papa: extravaganti *Ambitiosæ* de rebus Ecclesiasticis non alienandis. 6. Episcopi admittentes resignationem beneficiorum extra casus in jure expressos: Constitutione 78. Pii V. 7. Episcopi accedentes ad suas Ecclesias sine litteris Apostolicis: extravaganti 1. de Electione.

CAPUT VIII.

De interdicto.

INterdictum est censura Ecclesiastica, qua certis personis, locisve interdicitur & prohibetur Ecclesiastica sepultura, divinorum Officiorum celebratio, & publica Sacramentorum administratio, quæ ad nascentium, vel morientium salutem necessaria non sunt.

ARTICULUS I.

De actionibus Sacris quæ fieri nequeunt, stante interdicto.

PRop. unica. Interdictum importat privationem Sacramentorum, divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ.

Prob. cap. *Ex rescripto*, extra. de jurejurando, ubi violatores promissi interdicto puniuntur: qua pœna privantur Divinis Officiis & Sacramentorum participatione. 2. Interdictum est censura, qua fideles, maxime contumaces, puniuntur: ergo non incongrue privantur ab Ecclesiæ Christi Sacramentis, Divinis Officiis, & ecclesiastica sepultura.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si civitas interdicatur, in ea non possunt licite conferri Sacramenta, non Officia Divina celebrari, nec ecclesiastica sepultura potest interdictis fidelibus concedi: cap. *Si Sententia* de Sent. excom. in 6.

Consect. 2. Si cives interdicantur, non possunt aliqui Divinis interesse, Sacramenta recipere, & in loco sacro sepeliri, nisi post receptam absolutionem: cap. *Si sententia*, ibidem.

ARTICULUS II.

De Actionibus, quæ possunt exerceri, stante etiam interdicto.

PRop. unica. Interdictum non vetat conferri fidelibus Sacramenta, quæ sunt ad salutem necessaria, immo neque exercitium eorum, quæ possunt fidelium salutem promovere.

Prob. Interdictum, utpote censura, debet esse in salutem fidelium, & non in eorum ruinam; si autem fidelibus subditis interdicto, dum resipiscunt, negarentur Sacramenta absolute necessaria ad salutem, interdictum cederet, non in salutem, sed in ruinam fidelium: ergo interdictum non vetat fieri quæ sunt fidelium saluti absolute necessaria.

Consect. 1. Tempore interdicti isthæc omnia licita sunt: scilicet. 1. Prædicare Verbum Dei, modo nullum celebretur Officium. 2. Baptismum administrare; quia Baptismus est Sacramentum necessitatis. 3. Confirmationem administrare; quia Confirmatio est Sacramentum, sine quo baptizatus non est plene Christianus. 4. Pœnitentiam morientibus; quia est Sacramentum necessitatis. Hæc omnia constant ex cap. *Responso*, extra. de Sentent. excom.

Consect. 2. Licet insuper tempore interdicti isthæc etiam solemniter præstare. 1. In die Cœnæ chrisma conficere, veteri combusto; quia chrisma est necessarium ad collationem baptismatis, & confirmationis, & non licet uti veteri chrismate: cap. *Quoniam* de Sent. excom. in 6. 2. Viaticum morituris conferre; quia est Sacramentum necessitatis: cap. *Quod in te* extra. de pœnitentia & remissionibus.

Consect. 3. Licet præterea tempore interdicti isthæc peragere. 1. Administrare pœnitentiam extra mortis articulum quibuscumque fidelibus dispositis, exceptis his, qui causam dederunt interdicto, nisi satisfaciant, vel dent cautionem de satisfaciendo: vel jurent se satisfacturos. 2. Si Ecclesia non sit nominatim interdicta, licet in ea celebrare Missam & Divina Officia singulis diebus, idque submissa voce, januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis personis interdictis, & excommunicatis. 3. Licet celebrare Missas & Divina Officia etiam solemniter, pulsatis campanis, admittendo personas interdictas, & excludendo excommunicatas: & hoc istis festivitatibus, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Virginis, quibus Corporis Christi solemnitatem addidit Martinus V. quia si hæc omnia exercitia numquam fierent solemniter, cresceret indevotio populorum; & e diverso, si interdictum ita temperetur, personæ interdictæ ad humilitatis, & reconciliationis affectum inclinantur: cap. *Alma mater* de Sent. excom. in 6. Si Ecclesia sit nominatim interdicta, licet tantum unicam Missam in hebdomada celebrare ad Eucharistiæ innovationem. 4. Licet sepelire Clericos, qui interdictum servaverunt, ea lege ut campanæ non pulsentur. 5. Sacris interesse possunt Laici tempore interdicti, qui sunt necessarii Sacerdoti, ut decenter Officium peragat.

ARTICULUS III.

De extensione interdicti.

PRop. unica. Quando plura connectuntur, interdicto loco principali, locus accessorius, & contiguus censetur interdictus; sed quando plura disparate se habent, interdicto uno, aliud non censetur interdictum.

Prob. rat. Accessorium sequitur naturam principalis: ergo interdicto principali loco, locus accessorius censetur interdictus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Interdicta civitate, suburbium censetur interdictum; quia est accessorium urbis: & interdicta Ecclesia, Sacellum, & cœmeteria contigua censentur interdicta. Cap. *Si civitas*, de Sent. excom. in 6.

Consect. 2. Interdicta communitate, singuli de com-

Digitized by Google

communitate censentur interdicti, ita ut non valeant alibi sacris interesse. Cap. *Si Sententia* de Sent. excommun. in 6.

Consect. 3. Interdicta civitate, & Ecclesiis matricibus, Religiosi tenentur servare interdictum, nec non cessationem a Divinis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ; quia Ecclesiæ Religiosorum sunt quasi accessoriæ Ecclesiæ matricis: ita Clem. V. Clement. *Ex sequentibus* de sent. excommunic.

Consect. 4. Interdicto Clero, populus non censetur interdictus, nec viceversa, quia disparate se habent. Cap. *Si sententia* de Sent. excom. in 6.

Consect. 5. Interdicta civitate propter delictum Rectoris, aut Principis, cives innocentes possunt extra urbem sacris interesse, & participare; quia quasi disparate se habent. *Si sententia* de Sentent. excom. in 6.

ARTICULUS IV.

De variis caussis excusantibus ab interdicto.

1. Interdictum nulli observandum est, si non observetur ab iis, in quorum gratiam concessum est. Cap. *Petistis* extra. de Privilegiis. 2. Interdictum observare non tenetur is, qui vel ex privilegio Papæ exemptus est, vel ob aliam caussam legitimam: v. gr. quia est de familia illius, qui exemptus est, vel quia Clericus indiget Laici opere, ut rite munus suum peragat. Cap. *Licet* de Privilegiis in 6.

De peccato, & pœnis eorum, qui violant interdictum.

In excommunicationem summo Pontifici reservatam incidunt Laici, qui interdictum Ecclesiasticum violant, vel servari prohibent. Clementina *Quamvis titulo* de Sent. excomm. 2. Clerici personali interdicto ligati, si illud violent exercendo actus sui Ordinis, irregularitatem incurrunt, etsi ab interdicti Sententia appellaverint. Cap. *Is cui* de Sent. excomm. in 6.

De his, qui possunt absolvere ab interdicto.

Ab interdicto personali nulli reservato potest absolvere quilibet Sacerdos approbatus, & ab interdicto reservato non potest absolvere nisi is, qui illud sibi reservavit: cap. *Nuper*: quia hoc ipso quod Ecclesia non sibi reservavit hanc absolutionem, censetur cuilibet Sacerdoti approbato facultatem absolvendi concessisse. Ab interdicto locali & communi solus Episcopus potest absolvere; quia est solus ordinarius judex.

De cessatione interdicti.

Interdictum cessat hoc ipso quod cessat subjectum interdicti; quia destructis nobis, destruuntur ea, quæ sunt in nobis. Sic destructa civitate, cessat interdictum latum contra civitatem. Sic membrum communitatis affectum interdicto, lato contra communitatem, eximitur ab interdicto, hoc ipso quod cessat esse membrum communitatis, modo ipse non fuerit causa præcipua interdicti: quia hoc ipso quod desinit esse pars communitatis, sicut non sentit commoda civitatis, ita non debet portare incommoda: sed si fuerit causa, propter quam latum est interdictum, non eximitur ab interdicto, eo quod cesset esse membrum civitatis; quia æquum est, ut ejus contumacia perseverans sentiat pœnam latam in communitatem. Sic per rationem oppositam, quamvis terra subjecta interdicto alienetur, non solvitur interdictum, quia interdicta est: onus autem terram ipsam sequitur. Cap. *Ex litteris* extra. de Pignoribus.

ARTICULUS V.

De casibus, in quibus incurritur interdictum.

Generalia localia interdicta incurruntur sequentibus casibus.

1. Propter impedimentum datum executioni Officii Legati, aut Nuntii Apostolici. Extravag. *Super genus* de consuetudine. 2. Propter illatam injuriam in Episcopum quemcumque: Clementina. 1. §. *Terra quoque* de Pœnis. 3. Propter perseverantiam per mensem in excommunicatione, vel suspensione. Cap. 1. *de usuris* in 6. 4. Propter exactionem Gabellæ a personis Ecclesiasticis: Cap. *Quamquam Pedagia* de censibus in 6.

Interdicta specialia localia incurruntur sequentibus casibus.

1. Propter fraudulentam Clericorum inductionem ad eligendam sepulturam, vel electam non mutandam: cap. *Animarum* de sepulturis in 6. 2. Propter sepulturam Ecclesiasticam hæretico concessam: cap. *Quicumque* de hær. in 6.

Interdicta generalia personalia incurruntur sequentibus casibus.

1. Propter concessionem, vel extensionem represaliarum contra personas Ecclesiasticas, earumque bona: cap. unico de injuriis in 6. 2. Propter exactionem onerum sine assensu summi Pontificis a personis Ecclesiasticis: cap. *Clericis* de immunitate Ecclesiarum in 6. 3. Propter appellationes ad futurum Concilium a Sententiis summi Pontificis. *Bulla in Cœna Domini*. 4. Propter concessionem litterarum dimissoriarum, factam a Capitulo infra annum, sede vacante. Tridentinum sess. 7. de reformatione cap. 10. 5. Propter susceptionem alicujus rei spectantis ad Ecclesias vacantes. Extravaganti unica de Sede vacante. §. *Si autem Capitulum*. 6. Propter tolerantiam Universitatum non expellentium usurarios manifestos: cap. 1. de usurariis in 6. 7. Propter resistentiam divisioni factæ a summo Pontifice in Episcopatu Tolosano: extravaganti *Salvator* de Præbendis.

Interdicta generalia, & particularia sequentibus incurruntur casibus.

1. Propter inobservantiam dispositionis præscriptæ circa censuras ferendas. Cap. 1. de Sent. excom. in 6. 2. Propter dignitatem Ecclesiasticam, acceptam de manu Laici. Canone *Si quis deinceps*, causa 16. quæst. 7. 3. Propter usurpationem ab Episcopo bonorum Ecclesiarum vacantium: cap. *Præsenti* de officio Ordinarii in 6. 4. Propter alienationem bonorum Ecclesiasticorum factam a personis Ecclesiasticis, inconsulto Romano Pontifice: extravaganti 1. de rebus Ecclesiasticis non alienandis.

5. Propter denunciationem non factam intra tres menses a Metropolitano, vel antiquiori Suffraganeo, summo Pontifici de Metropolitani, vel Suffraganeorum absentia: Conc. Trid. sess. 6. de Reformatione cap. 1.

CAPUT IX.

De Irregularitate.

IRregularitas, depositio, degradatio, & cessatio a Divinis, non sunt propriè censuræ, quia non sunt pœnæ Medicinales: quia tamen habent affinitatem cum censuris, ideo de his hic agemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit irregularitas.

IRregularitas est inhabilitas jure Divino, vel Ecclesiastico introducta, directè impediens susceptionem Clericalis Tonsuræ, & Ordinum, & indirectè usum susceptorum: non est censura; quia non est pœna Medicinalis, ad tempus emendationis gratia imposita. Irregularitas alia est juris divini, alia ecclesiastica, alia totalis, alia partialis. Irregularitas juris Divini est inhabilitas ordinatione divina reddens personam incapacem Ordinis Ecclesiastici; ejusmodi est sexus femineus, & baptismi defectus. Irregularitas juris Ecclesiastici est inhabilitas, ordinatione Ecclesiæ impediens directè susceptionem Tonsuræ, & Ordinum, & indirectè usum susceptorum: ejusmodi est esse mutilatum, illegitimum. Irregularitas totalis est inhabilitas perpetuo impediens Ordinis cujuscumque susceptionem, susceptique usum omnem: ejusmodi est abscissio linguæ, quæ impedit executionem omnem Officii Sacerdotalis, & aliorum. Irregularitas partialis est inhabilitas impediens ad tempus Ordinis susceptionem, susceptique usum aliquem. Sic pueritia est irregularitas impediens ad tempus susceptionem Ordinum. Sic mutilatio inculpabilis pollicis sinistri in Sacerdote est irregularitas impediens Sacerdotem a celebratione Missæ, & non ab aliis Sacerdotii muneribus.

ARTICULUS II.

De irregularitate ex jure Divino.

PRop. 1. Sexus femineus excluditur a receptione Ordinum, seu femina non potest valide recipere Ordines.

Prob. 1. Ex Scriptura. *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit; si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia* 1. ad Corinth. c. 14.

2. Ex praxi Ecclesiæ; numquam enim legitur feminas vel a Christo, vel ab Apostolis ordinatas fuisse. Christus enim solis Apostolis, & proinde viris dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Dixit pariter viris: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

3. *Rat.* Primus mediator inter Deum & homines Christus Jesus fuit vir: ergo inferiores mediatores debent esse viri, & non mulieres. Et quamvis mulieres donum Prophetiæ acceperint, tamen non sequitur, quod Sacerdotali dignitate possint insigniri; quia Prophetia nullam importat Prælaturam, benè tamen Sacerdotalis dignitas. Quod si in retroactis Ecclesiæ sæculis legatur fuisse mulieres Presbyteras, Episcopissas, Diaconissas, &c. non sequitur illas mulieres vere Sacramentaliter fuisse ordinatas; sed eo nomine vocatas esse, vel quia aliquem actum exercebant aliquo modo similem aliis actibus, qui exercebantur ab Episcopis, & Sacerdotibus, v. g. invigilabant sicut Episcopi: vel dicebantur Episcopissæ, Presbyteræ, & Diaconissæ, quia matrimonio junctæ fuerant cum Episcopis, & Sacerdotibus, & Diaconis, & post virorum Ordinationem ex mutuo sui & maritorum consensu virginitatem voverant.

Prob. 2. Viri non baptizati non possunt valide recipere Ordines.

Prob. 1. Scriptura. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. ergo prius debet recipi baptismus quam Sacramentum Ordinis.

2. Ex capit. *Veniens*, extra. de Presbytero non baptizato, ubi dicitur, quod non baptizatus sit incapax Ordinis.

3. *Rat.* Baptismus est janua Sacramentorum, ergo qui non habet Sacramentum baptismi, non potest aliud recipere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Vir, modo sit insignitus charactere baptismatis, potest valide recipere Ordines quoscumque in quacumque sit ætate. Sic non confirmatus valide potest recipere Ordines; ideo si ordinetur, non est reordinandus; quia solus character baptismatis, eo quod sit janua Sacramentorum, requiritur ad validam ordinationem: nam Apostoli facti fuerunt Sacerdotes die cœnæ, antequam confirmarentur; quippe fuerunt confirmati die Pentecostes.

Sic infans ante usum rationis, vel perpetuo amens, modo sit baptizatus, si recipiat Ordinem, valide ordinatur; quia character baptismatis solum necessario requiritur, deinde Sacramentum imprimens characterem, producit effectum independenter a dispositione subjecti. Tamen infans, vel amens non potest recipere jurisdictionem Sacerdotalem, vel Episcopalem; quia potestas jurisdictionis, utpote exercita per actum judicii, supponit usum rationis in recipiente & exercente: & propter eamdem rationem infans, vel amens non potest consecrari valide consecratione Papali, seu fieri Papa; quia Supremus Pontifex debet influere per influxum judicii, dirigendo totam Ecclesiam: quod judicium non potest supponi in infante, vel amente. Sic si aliquis ordinetur contra præcepta Ecclesiæ, v. g. carens scientia, moribus bonis, ætate competente, innodatus censuris, &c. valide ordinatur, quamvis non licite; quia solus character baptismi requiritur ad validitatem Ordinis, & virtualis consensus in Adultis.

Consect. 2. Quicumque ordinatur non baptizatus, est iterum ordinandus; quia baptisma est janua ad alia Sacramenta: Ideo Lectores, qui juxta Socratem indiscriminatim sumebantur vel ex fidelibus, vel ex Catechumenis, non erant valide ordinari, sed gradum tantum quemdam exteriorem in Ecclesia recipiebant.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De irregularitate ex jure Ecclesiastico.

Irregularitas ex jure Ecclesiastico est duplex: alia ex defectu, alia ex delicto.

Prob. rat. Totuplex est irregularitas ex jure Ecclesiastico, quotuplex est inhabilitas ad recipiendos Ordines, inducta sola auctoritate Ecclesiæ: atqui est duplex inhabilitas ad Ordines, inducta auctoritate Ecclesiæ: ergo & duplex irregularitas. Minor patet; nam in nobis tantum duplex potest concipi inhabilitas ad Ordines, altera sine culpa, altera cum culpa; inhabilitas, quæ est in nobis sine culpa, vocatur irregularitas ex *defectu*; inhabilitas, quæ est in nobis cum culpa, vocatur irregularitas ex *delicto*: ergo duplex est irregularitas Ecclesiastica, ex *defectu*, & ex *delicto*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I. De Irregularitate ex defectu.

Multæ sunt irregularitates ex defectu; quæ sequentibus Consectariis explicabuntur.

Consect. 1. Irregulares ex *defectu sanitatis in anima* non possunt licite recipere Ordines, & ita amentes, phrenetici, arreptitii, epileptici nequeunt licite accipere Ordines; quia sunt irregulares ex jure Ecclesiastico; canone *Clerici*, canone *Maritum*, canone *Usque*: distinct. 33. Ratio est, quia non deceret tales homines, usum plenum rationis non habentes, munia Ecclesiastica exercere. Si epilepsia contingat ante 24. annum, possunt licite ordinari; quia est curabilis, ut docent medici: si vero contingat post 25. annum, non possunt ordinari; quia est incurabilis, ut docent medici: si casus Epilepsiæ contingat rarius in Presbytero, v. g. semel in anno, potest celebrare præsente alio Sacerdote.

Consect. 2. Irregulares ex *defectu scientiæ*, seu illiterati, quia non habent scientiam sufficientem ad exercendum Ordinem, non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico; canone *Illiteratos* dist. 29. & præceptum illud nedum Ecclesiasticum, sed etiam divinum est. Ratio est, quia non decet ignorantes Altari servire.

Consect. 3. Irregulares ex *defectu conversionis*, seu recenter conversi ab Idololatria, a Mahumetismo, Judaismo, non possunt licite ordinari, quia sunt irregulares ex Jure Canonico: canone *Quoniam* dist. 48. Ratio est, quia *in superbiam elati, in opprobrium inciderent, & in laqueum diaboli*, ut dicit Scriptura.

Consect. 4. Irregulares ex *defectu corporis*, v. g. mutilati, seu qui carent membro vel necessario ad exercitium ordinis, vel cujus defectus inducit notabilem maculam, nequeunt licite recipere Ordines; quia sunt irregulares ex jure Ecclesiastico, ut abunde liquet ex Synodo Romana sub Leone. Ratio est, quia dedecet Dei Ministrum esse mutilatum & membris non integrum. Ideo abscissi a seipsis vel castitatis servandæ desiderio, vel cantandi gratia nequeunt ad Ordines promoveri: ita Nicænum canone 1. Carentes manu, pollice, indice, oculo sinistro, nequeunt licite ordinari; quia hæc membra necessaria sunt ad Ordinis exercitium. Carens auribus, naso, gibbosus, leprosus, paralyticus, gigas, pygmæus, monstrosus in membris, non possunt licite ordinari; quia defectus illi minuunt honorem, qui debetur ordinatis, & risum movent astantibus sacris Officiis.

Consect. 5. Irregulares ex *defectu ætatis*, seu qui non attigerunt ætatem competentem, non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico, quod determinatam requirit ætatem in ordinando, ut patet ex Trid. Ratio est, quia decet Ministros Ecclesiæ nonnisi in certa ætate consecrari. Sic juxta Tridentinum Tonsura non debet recipi ante septennium, vult enim, ut sciant legere, & scribere qui Tonsura initiantur, & constet, eos elegisse *hoc vitæ genus, ut Deo fidelem cultum exhibeant, quod nonnisi post septennium constare nequit*. Minores Ordines post septennium usque ad duodecimum recipi possunt; Acolyratus vero nonnisi completo duodecimo anno recipi potest: canone *In singulis* dist. 77. Subdiaconatus recipi non debet ante 22. annum. Diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. sufficit tamen quod annus ille determinatus sit initiatus, & non est necesse, ut sit completus.

Consect. 6. Irregulares ex *defectu natalium*, illegitime procreati, nimirum filii Sacerdotum, nothi, nequeunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex jure Ecclesiastico: ita Urbanus II. dist. 56. can. *Presbyterorum filios*. Ratio est, quia quamvis ipsi sint innocentes, non possunt altari ministrare, nisi in fidelium memoriam revocent nefarium crimen, per quod ortum susceperunt.

Consect. 7. Irregulares ex *defectu libertatis*, qui sunt sub aliena potestate, non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex jure Canonico: dist. 54. Canone *Nullus*. *Nullus Episcopus servum alterius ad Clericatus Officium promovere præsumat, nisi eorum petitio, vel voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vindicant potestatis*. Ratio est, quia ille, qui ordinatur, consecrat se Deo: ideo debet esse liber, & non sub aliena potestate mancipatus; debet enim, inquit Canon, *immunis esse ab aliis, qui divinæ militiæ est aggregatus, ut a castris Dominicis, quibus nomen illius adscribitur, nullius necessitatis vinculis abstrahatur*. Sic servi proprie dicti, seu mancipia, nequeunt licite ordinari. L. 1. Decretalium, de servis non ordinandis. Sic conjugati non possunt licite ordinari, nisi uxores solemniter voveant castitatem. Curiales, idest, sæculari curiæ obligati vel ratione juramenti, vel ratione stipendii, non possunt licite ordinari. Sic milites, quandiu sacramento militiæ tenentur, non possunt licite ordinari. Thesaurarii, & depositarii publici ærarii, donec Officia abjecerint, & ratiocinia reddiderint, non possunt licite ordinari: cap. *Magnus*, extra. de obligatis ad ratiocinia non ordinandis. Religiosi non possunt licite ordinari sine consensu sui Superioris. Distinct. 58.

Consect. 8. Irregulares ex *defectu lenitatis* sunt illi, qui efficaciter concurrunt ad homicidium, vel mutilationem justam, sive in bello, sive in judicio forensi: & hi non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex Jure Canonico: canone *Si quis viduam*, & cap. *Ad audientiam*, extra. de homicidio. Ratio est, quia decet Clericum mitem

 esse,

Digitized by Google

esse, sicut Christus mitis fuit. Ideo milites in bello pugnantes sunt irregulares, non ex solo exercitio militiæ, sed ex actu, scilicet si ex eorum actione sequatur mors, aut mutilatio; quia, ut ait Innocent. I. Epist. 23. *Cum potestatibus obediunt, severa necessario præcepta executi sunt*: & Honorius III. circa hoc interrogatus a Sacerdote, qui erat in Castro, a quo Sarraceni fuerant repulsi, respondit eum esse irregularem, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua te conscientia remordeat: Cap. *Petitio tua*, de homic. Ergo exercitium armorum non reddit ex se irregularem, teste Baronio ad an. 1033. Immo Concil. Arelat. 1. canon. 3. indiscriminatim excommunicat tam Clericos, quam Laicos, qui belli exercitium pro Reipublicæ defensione necessarium abjiciunt: *De his*, inquit, *qui arma projiciunt in pace, placuit eos a Communione abstineri*: & quidem optime, nam ut ait Aug. *non militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est*.

Consect. 9. Quicumque, ut Minister Justitiæ, concurrit vel ad mortem, vel ad mutilationem hominis rei, si concurrat efficaciter, & proxime, & per actionem ex natura sua conferentem vel properantem necem, aut mutilationem, est irregularis, si mors, vel mutilatio sequantur: Canone *Si quis viduam* Dist. 50. & c. *Clericis* de Homicidio. Ideo omnes isti sunt irregulares. 1. Judices. 2. Apparitores. 3. Carnifex. 4. Accusatores. 5. Denunciatores; quia omnes isti sunt Ministri justitiæ, & concurrunt efficaciter ad necem, vel mutilationem per actionem ad hoc destinatam.

Consect. 10. Per rationem oppositam omnes subsequentes non sunt irregulares: quia non concurrunt proxime ad necem, vel mutilationem, nec ut Ministri justitiæ. 1. Principes condentes Leges, damnantes reos ad mortem: quia leges non conduntur ad ferendam mortem, sed ad reprimendam flagitiosorum licentiam: ita S. Antoninus 3. p. tit. 28. cap. 2. 2. Judices Ecclesiastici tradentes reos judicibus sæcularibus, protestantes se non intendere mortem; quia rei occisio, vel mutilatio non sequitur ex tali traditione, cap. *Episcopus*, titulo, ne Clerici, vel Monachi se immisceant sæcularibus negotiis, in 6. 3. Confessarius aut quicumque alius, excitans Judicem ad exercendam justitiam vindicativam contra malefactores; quia occisio non sequitur ex tali exhortatione. 4. Qui auctor est, ut capiatur malefaciens, licet maleficus occidatur vel damnatus a judice, vel, resistens illi, qui vult eum ad judicem adducere; quia occisio non sequitur per se ex tali actione, cap. *Ad audientiam*. extra. de homicidio. 5. Clericus accusans malefactores vel in sua, vel in aliorum causa, protestans coram judice se non intendere mortem accusati, & nolle incurrere irregularitatem; quia actio non est causativa homicidii c. *Prælatis*, de homicidio in 6. *Alias*, inquit jus, *daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi*: In 6. lib. 5. tit. 4. cap. 2. 6. Testes impulsi a judice, Notarii scribentes Sententiam mortis, latam contra reum, juxta jurisprudentiam Gallicanam non sunt irregulares; quia illa actio proxime non concurrit ad occisionem: ita Dominus de Sainte Beuve 3. parte pag. 122. 7. Clerici versantes in loco, in quo reus morti addicitur, non sunt irregulares: quia, ut loquitur Innocentius IV. *interesse non facit irregularitatem, nisi auctoritatem præstet, vel auxilium*. 8. Qui conficiunt gladios, aliaque instrumenta, quibus utitur carnifex, ut reum morte plectat, qui parat furcam, in qua reus suspenditur; &c. non sunt irregulares; quia actiones illæ ex se non ordinantur ad occisionem, nec ex se sunt causativæ homicidii. 9. Clerici, aut Laici, qui testantur pro defensione Innocentis, ex quo testimonio sequitur mors calumniatoris & falsorum testium, non sunt irregulares; quia actio ex se non ordinatur ad occisionem. 10. Confessarius, qui hortatur eum, ut ascendat scalam, qui fugerit viam breviorem, qua eatur ad locum supplicii, non censetur irregularis juxta multos; quia non facit illud, ut minister publicus justitiæ: ita Suarez, Reginaldus, Layman. Sunt tamen alii magni nominis Theologi, qui sentiunt, Confessarium esse in illis casibus irregularem; ideo in dubio prudenter se gereret Confessarius, qui hoc præstitit, si abstineat a sacris muneribus, & dispensationem obtineat.

Consect. 11. Irregulares ex *defectu Sacramenti*, sive ex Bigamia. Bigami, sive illi, qui secundas nuptias contrahunt, vel qui contraxerunt matrimonium cum femina, quæ notorie Virgo non est, non possunt licite Ordines recipere; quia sunt irregulares ex jure canonico: cap. *Debitum*, de Bigamis. Ratio est, quia Bigamus non perfecte significat unionem Christi cum Ecclesia: quippe Christus unam tantum duxit sponsam, nimirum Ecclesiam; Bigamus vero carnem suam in plures divisit uxores. Ad talem irregularitatem non sufficiunt sponsalia, nec copula carnalis præcise, sed requiritur Matrimonium verum, ratum & consummatum, vel Matrimonium juridice præsumptum: sic omnes sequentes sunt irregulares. 1. Qui duxit legitime duas uxores successive per Matrimonium ratum & consummatum; quia est divisio carnis in plures. 2. Qui contrahit Matrimonium cum non virgine, per fornicationem non a seipso, sed ab alio corrupta; quia tunc est divisio carnis in plures. 3. Qui viduam non Virginem duxit in uxorem per Matrimonium ratum, & consummatum; quia est divisio carnis in plures. 4. Qui propriam uxorem cognoscit carnaliter, postquam ab alio cognita fuit per adulterium; quia est divisio carnis in plures. 5. Qui post elicitum solemne votum castitatis contrahit Matrimonium invalidum, & consummat illud; quia est quædam divisio carnis in plures, & quasi duplex Matrimonium, alterum spirituale cum Christo, alterum carnale, licet invalidum, cum uxore.

§. II. *De Irregularitatibus ex delicto*.

Multæ sunt irregularitates ex delicto, quæ sequentibus Consectariis exponuntur.

Consect. 1. *Irregularitas ex iteratione Baptismi*, vel ex illicita Baptismi, aut aliorum Sacramentorum receptione. Reiterantes Baptismum nequeunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex jure Canonico; ita Felix in Synodo Romana cap. 2. & 3. Ratio est, quia reiterantes baptismum, incidunt in hæresim rebaptizantium. Illud debet intelligi de reba-

rebaptizantibus absolute; quia reiteratio Baptismi sub conditione non inducit irregularitatem, immo potest aliquando esse licita & necessaria, v. grat. quando non constat, an Baptismus jam collatus, sit validus.

Confect. 2. Baptizati ab Hæreticis non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares jure canonico, ut docet Felix III. ibidem. Ratio est, quia qui baptizantur ab Hæreticis, communicant cum Hæreticis.

Confect. 3. Baptizati in mortis articulo nequeunt licite recipere Ordines; quia sunt irregulares, etiamsi convalescant: Concilium Neocæsareense cap. 12. distinct. 57. quia differentes receptionem Baptismi usque ad ultimum vitæ discrimen, censentur Baptisma distulisse, ut liberius peccarent.

Confect. 4. Publice, & solemniter pœnitentes non possunt licite ordinari; quia sunt irregulares ex jure canonico: ita Siricius in Synodo Romana cap. 3. & 4. Idem habetur distinct. 5. cap. 55. Ratio est, quia qui publicam pœnitentiam egerant, censebantur gravia admisisse crimina, & proinde non idonei ad docendum, arguendum, & increpandum populum.

Confect. 5. Recipiens Ordines illicite, eosque exercens, non potest licite ordinari; quia est irregularis ex jure canonico: & proinde isti omnes sunt irregulares. 1. Recipiens & conferens bis eumdem Ordinem. 2. Recipiens Ordines ante legitimam ætatem, v. g. Tonsuram ante septennium, Subdiaconatum ante 22. annum, Diaconatum ante 23. Presbyteratum ante 25. annum: Triden. sess. 23. 3. Recipiens Ordines ab Episcopo alieno sine Dimissoriis proprii Episcopi. 4. Suscipiens Ordines ab Episcopo, jurisdictionem non habente. 5. Suscipiens Ordines ab Episcopo excommunicato. 6. Recipiens Ordines excommunicatus, vel suspensus. 7. Recipiens Ordines simoniace: Trid. sess. 21. 8. Recipiens Subdiaconatum sine titulo vel Patrimonii, vel Beneficii, vel sine titulo paupertatis, ut faciunt Religiosi, vel sine titulo Congregationis, ut fit in quibusdam Congregationibus nuper erectis. 9. Exercens solemniter Ordines, quos non habet: cap. *Si quis*, extra. de Clerico non Ordinato ministrante. 10. Exercens solemniter Ordines, quos habet, sed innodatus censuris: cap. *Clerici*: cap. *Latores*, extra. de Clerico excommunicato, deposito ministrante. 11. Suscipientes Ordines per saltum, idest, recipientes Ordinem superiorem, antequam receperint inferiorem, v. gr. Presbyteratum ante Diaconatum, Diaconatum ante Subdiaconatum, & Subdiaconatum ante quatuor minores Ordines, & minores Ordines ante Tonsuram, & Tonsuram ante Confirmationem; quia, ut inquit D. Th. per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quod ad majores Ordines se non ingerat qui prius in minoribus Officiis se non humiliavit. Trid. sess. 24. cap. 4. jubet, ut nemo Tonsura initietur, nisi Sacramentum Confirmationis susceperit; quia congruum est, inquit D. Thom. in 4. dist. 24. art. 2.

In illis casibus Ordinati per saltum sunt irregulares, si susceptum Ordinem exerceant, & antequam susceptum Ordinem exercere valeant, debent Ordinem omissum recipere, canone *Solicitudo*, dist. 55. cap. *Tuæ litteræ*, de Clerico per saltum promoto.

Confect. 6. Publice infames nequeunt licite recipere Ordines; quia sunt irregulares ex jure canonico: canone *Infames*, causa 6. q. 1. Sic concubinarii publici, Adulteri publici, Raptores publici, Incestuosi publici, Perjuri in judicio, sunt irregulares. Infamia publica est duplex, alia juris, alia facti. Infamia publica juris incurritur, cum quis, sive reus, sive innocens, declaratur juridice infamis; & hæc infamia non tollitur nisi purgatione canonica, aut Romani Pontificis dispensatione.... ideo qui sic damnatus est, quamvis esset innocens, debet se gerere, quasi esset irregularis, donec juridice absolvatur, vel dispensetur. Infamia facti est ea, quæ incurritur per crimina gravia, publica & notoria: & hæc tollitur notoria, & publica morum emendatione.

§. III. *De homicidio voluntario.*

Prop. unica. Qui voluntarie concurrunt ad homicidium, vel mutilationem injustam, non possunt licite Ordines recipere, & sunt irregulares ex jure Canonico.

Prob. Ex Conc. Trid. *Qui per industriam*, inquit, *occiderit proximum suum & per insidias, ab Altare avelli debeat: qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat.* Sess. 14. cap. 7. De reformat.

2. *Rat.* Omnes Ordines referuntur ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum pacis nobis per sanguinem Christi fusum factæ: & quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Christum, quam ipsi Christo occiso, cui omnes Ministri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de necessitate præcepti est, ut non sit homicida qui ad Ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate Sacramenti.

Confect. unic. Sequentes personæ sunt irregulares & incapaces Beneficiorum & Ordinum. 1. Qui per industriam, vel per insidias aliquem occiderunt. Tridentinum ubi supra. 2. Qui causam homicidio dederunt. Cap. *Pro humani redemptione*: extra. de homicidio in 6. 3. Qui de facto procurant abortum fœtus animati, minime vero inanimati: can. *Moses*, 32. quæst. 2. & cap. *Sicut dignum* de homicidio. Causam homicidio censentur dare qui ad illud concurrunt modis sequentibus. 1. Suo consilio, suo præcepto, sua ope: canon. *Si quis viduam*. 2. Sua suggestione animum ad iram inflammando: cap. *Sicut dignum* de homicid. §. *Qui vero*. 3. Sua societate, jungendo se homicidæ animo occidendi; ibidem, §. *Illi autem*. 4. Alium in Duello substituendo: v. gr. si pugil occidat adversarium: cap. *Henricus*, extravag. de clericis pugnantibus in Duello. Qui voluntarie committit homicidium, privatur a Tridentinis Patribus Beneficiis, sed non Pensionibus: ita censuit Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum. Qui præcipit committi homicidium in una

pce-

personam, si committatur in aliam, non est irregularis ex homicidio voluntario, sed ex homicidio casuali; & ita si casus fuerit occultus, non eget dispensatione summi Pontificis; sed sufficit Episcopi dispensatio: ita sensit anno 1587. Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum.

§. IV. *De homicidio casuali.*

Prop. unica. Qui dat operam rei illicitæ, & de se periculosæ, si sequatur homicidium etiam casualiter, est irregularis; irregularis pariter est qui dat operam rei licitæ, si non sufficientem adhibeat diligentiam, si ex ea negligentia sequatur homicidium casuale.

Prob. 1. Ex jure Canonico. Can. *Hi qui arbores*, dist. 50. ubi habetur, quod *si aliqua culpa vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt a gradu, & nullatenus suscipiendi*, hi scilicet, qui fuerunt causa mortis: ergo irregularis est qui est causa culpabilis mortis, vel mutilationis.

2. *Rat.* Qui vacat rei illicitæ, vel qui vacans rei licitæ, non debitam adhibet diligentiam, est culpandus: ergo si ex ejus actione, vel omissione sequatur mors, vel mutilatio, meretur irregularitatem incurrere.

Confect. unicum. Sequentes personæ sunt irregulares. 1. Presbyter, qui disciplinæ causa percussit puerum in capite, qui post paucos dies mortuus est; quia fines disciplinæ excessit: Cap. *Presbyterum*, de homicidio. Presbyter, qui volens ferire quemdam de sua familia cingulo, quo cingebatur, contigit ut gladius de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus est, & puerum in dorso vulneravit, ex quo vulnere recreatus est, sed alio morbo correptus obiit: in illo dubio, an vel ex vulnere priori, vel ex morbo posteriori obierit, Sacerdos ille declaratur non debere Sacerdotio fungi, sed ex dispensatione in minoribus Ordinibus ministrare: cap. *Ad audientiam*, de homicidio, quia excessit modum in correctione, & quia non adhibuit sufficientem diligentiam. 2. Diaconus, & alii Clerici, qui ludum viatorum imitati baculos projiciebant in aera, quidam Laicus cum ejusdem Diaconi baculum percussisset, quasi victor, incautus in dorsum veluti equitaturus insiluit; & falce, qua erat accinctus Diaconus, sibi vulnus inflixit, quo octo post diebus mortuus est: ille Diaconus declaratus est irregularis, vel quia vacabat rei illicitæ ludendo cum Laico, vel quia non adhibuit sufficientem diligentiam, ne alius falce, qua erat accinctus, læderetur: cap. *Continebatur*, extra. de homicidio. 3. Monachi custodientes domum jussu Abbatis, latrones, qui domum expilare volebant, ligaverunt, & dum unus e Monachis rem Abbati deferret, alter videns quod fures abire niterentur, timens ne ab illis occideretur, eos occidit: uterque Monachus irregularis declaratur, vel quia licitæ defensionis modum excesserant, vel quia pro vitanda jactura rerum temporalium nemo debet homicidium admittere: cap. *Suscepimus*, extra. de homicidio. 4. Presbyter maleficum, qui Eucharistiam ab Ecclesia efferebat, fossorio abrepto, percussit; Parochiani maleficum insecuti sunt, & occiderunt; Presbyter declaratur irregularis: quia modum defensionis excesserat; vel quia suo exemplo Parochianos ad homicidium excitaverat: cap. *Significasti nobis*, ibid. 5. Monachus, & Clericus, chirurgiam, urendo, vel incidendo, exercentes, irregularitatem incurrunt; sic enim habet Concilium Lateranense: *Nec illam Chirurgiæ partem Subdiaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit*: Medicinam vero exercentes non incurrunt irregularitatem, si id faciant sine ullius quæstus gratia, & sint periti in ea arte; quia vacant rei licitæ, & maxime laudandæ: nullusque est canon, qui Medicos irregulares declaret; quin immo ex concordato inter Leonem X. & Franciscum I. Medici admittuntur ad Beneficia Ecclesiastica. In universitate Parisiensi omnes Medici erant olim Clerici, & continentiam profitebantur, & dispensati sunt a Papa, & eis permissum, ut tale votum non elicerent, anno 1452. Sanctissimi quoque Episcopi olim Medicinam exercebant: tales fuerunt Fulbertus Episcopus Carnotensis, Yvo Carnotensis, &c. & Baronius numerat triginta tres vel Presbyteros vel Episcopos, qui inter Sanctos sunt adscripti, licet Medicinam exercuerint: hinc patet quam longe a vero errent, qui docent Medicos ex vi suæ professionis irregulares esse. 6. Qui mandat homicidium, incurrit irregularitatem, si mandatarius personam designatam occidat, vel mutilet: immo si quis mandet aliquem verberari, licet expresse prohibeat, ne occidatur, si tamen occidatur persona designata a mandante, efficitur irregularis: quia in culpa fuit in mandato: Cap. *Is qui*, de homicidio: non tamen incurrit irregularitatem, si contrarium mandet, antequam crudele mandatum impleatur, vel si pacem ineat cum eo, cujus cædem imperaverat, vel affinitatem, vel alia amicitiæ signa, sciente mandatario; quia tunc homicidium adscribitur non voluntati mandantis, sed mandatarii: Cap. *Ad audientiam*, extrav. de homicidio. 7. Clerici incumbentes venationi interdictæ Clericis, v. g. venationi clamorosæ, & quæ fit cum armis, qualis est venatio aprorum, cervorum, &c. si incaute aliquem occidant, etiamsi prudentem diligentiam adhibuerint, sunt irregulares; quia vacant rei illicitæ: ita Sotus lib. 5. De justitia & jure q. 1. a. 9. 8. Qui invasorem occidunt, aut mutilant, non servando moderamen inculpatæ tutelæ, sunt irregulares: cap. *Significasti*, extra. de homicidio. 9. Qui impediunt aliquem, ne se defendat, neve fugiat, aut prohibent ne cohibeat impetum aggressoris; si lacessitus occidatur, aut mutiletur, sunt irregulares, quia vacant rei illicitæ. Cap. *Sicut dignum*, extra. de homicidio in 6.

Prop. unica. Qui dat operam rei licitæ, & prudentem adhibet diligentiam, etiamsi ex ejus actione sequatur homicidium casuale, non est irregularis: ita jus Canonicum cap. *Laborem*: Cap. *Dilectus*: Cap. *Significasti*, extra. de homicidio, ubi dicitur, quod irregularitas non incurritur, cum extra omnem culpam contingit mors, vel mutilatio.

1. *Rat.* In memoratis casibus non solum nulla est culpa, sed etiam involuntaria omnino est occisio, & mutilatio: ergo non potest incurri irregularitas ex delicto.

Con-

Consect. unicum. Juxta Canonistas, sequentes personæ non incurrunt irregularitatem. 1. Presbyter, qui cum fœnum de curru deponeret, perticam, qua fœnum ligabat, projiciendo, puerum incaute occidit, diligentissime unde quaque circumspiciens, ne quem læderet: hic, inquam, Presbyter eximitur ab irregularitate, quia vacabat rei licitæ, & sufficientem adhibuerat diligentiam: Cap. *Ex litteris* de homicidio. 2. Monachus, qui deponens campanam de campanili, puerum oppressit per lignum, quod, invito Monacho, lapsum est a campanili; hic Monachus eximitur ab irregularitate; quia vacabat rei licitæ, & sufficientem adhibuerat diligentiam: Cap. 2. Ex litteris de homicidio. 3. Clericus equitans invitus raptus ab equo, mulierem obviam occidit: hic Clericus eximitur ab irregularitate; quia vacabat rei licitæ, & sufficientem adhibuerat diligentiam: Cap. *Dilectus Filius* de homicidio. 4. Pueris ludentibus, unus projecit lapidem, non animo lædendi, sed animo terrorem sociis incutiendi, quo lapide non est percussus puer, sed perterritus cadens contra alium lapidem, vulneratus est, & incuria tum Medici, cum Patris mortuus est: hic puer, qui lapidem projecerat eximitur ab irregularitate; quia non dederat causam homicidii: Cap. *Exhibita* de homicidio. 5. Consanguinei alicujus Clerici occiderunt Abbatem, qui Clericum beneficio spoliaverat, occiderunt, inquam, repugnante Clerico: Clericus eximitur ab irregularitate; quia non concurrit ad homicidium: Cap. *Petrus Diaconus* de homicidio. 6. Sacerdote pulsante campanam, ut populum advocaret, cadens tintinnabulum, Clericum oppressit: hic Sacerdos eximitur ab irregularitate; quia vacabat rei licitæ, & sufficientem adhibuerat diligentiam: c. *Quidam* de homicidio. 7. Qui aliter mortem evadere non valens, invasorem occidit, aut mutilat, liber est ab irregularitate: Clementina. 1. *Si furiosus*, de homic. Contrarium docuit D. Th. sed loquebatur juxta jus, quod ævo suo vigebat. 8. Qui occidit alium cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad defendendam vitam Patris, non incidit in irregularitatem, ut liquet ex interpretatione Tridentini, a Congregatione Cardinalium edita. 9. Qui bona fide porrigit aliquid infirmo, v. g. cibum, vel potum, vel ægrum commovet, de lecto in lectum transfert, aut aliud circa illum operatur, ex quo mors vel ejus acceleratio sequatur, non fit irregularis, nisi tanta intervenerit negligentia, ut prudentum judicio censeretur occisio, atque ideo mortalis temeritas; quia illi vacant rei licitæ, & sufficientem adhibent diligentiam: ita Sotus *De justitia & jure*, Lib. 5. q. 1. a. 9.

ARTICULUS IV.

De mediis, quibus tollitur irregularitas.

PRop. 1. Irregularitas jure divino, nullatenus tolli potest auctoritate Ecclesiæ; quia sicuti Deus illam legem statuit, ita solus Deus potest ab illa lege dispensare. Et proinde irregularitas, quæ provenit ex defectu sexus masculini, ex defectu Baptismatis non suscepti, non potest tolli ab Ecclesia.

Prop. 2. Irregularitas quæcumque ex Ecclesiastico jure proveniens potest tolli ab Ecclesia, & ab eo, qui vicem ejus gerit, v. g. a Concilio OEcumenico, vel a Papa; quia sicuti Ecclesia legem illam condidit, ita sola Ecclesia potest ab illa dispensare. Et proinde irregularitas quælibet procedens ex defectu, vel ex delicto, potest tolli ab Ecclesia, a Papa, vel a Concilio.

Prop. 3. Irregularitas ex jure Ecclesiastico proveniens potest tolli ab Episcopo, si proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum; minime vero si proveniat ex defectu, vel ex homicidio directe, & in se volito: ita Trid. sess. 24. de ref. c. 6. Et ita irregularitas proveniens ex defectu animæ, ex defectu corporis, natalium, ætatis, lenitatis, bonæ famæ, libertatis, non potest tolli ab Episcopo. Irregularitas proveniens ex homicidio voluntario, etiam occulto, non potest tolli ab Episcopo. Irregularitas ex quocumque crimine publico, ad forum contentiosum deducto non potest tolli ab Episcopo. Irregularitas ex homicidio casuali potest tolli ab Episcopo, si homicidium sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum; immo potest tolli a Sacerdote delegato ab Episcopo: ita Dominus de Sainte Beuve 3. p. pag. 255. Et ideo hæc exceptio Trid. *Episcopis tantum, & non eorum Vicariis sit permissum* absolvere in hæresis crimine &c. locum non habet in Gallia, ubi Vicarii Generales, immo delegati a Vicariis Generalibus absolvunt ab hæresi, & ab his, a quibus absolvunt Episcopi. Irregularitas proveniens ex quocumque delicto, occulto, & diverso ab homicidio, modo res non sit deducta ad forum contentiosum, potest tolli ab Episcopo. Episcopus potest in irregularitatibus, quæ egent dispensatione Papæ, permittere, si ita exigat necessitas & bonum Ecclesiæ cui ministrat, Episcopus potest, inquam, permittere Parocho Sacerdoti irregulari exercere suas functiones Ecclesiasticas; quia pœnæ debent esse in ædificationem Ecclesiæ: tenetur tamen Parochus dispensationem a supremo Pontifice postulare. Ita Dominus de Sainte Beuve.

Prop. 4. Irregularitas ex defectu natalium tollitur multis modis. 1. Per matrimonium subsequens inter eorum parentes, modo illi parentes tempore conceptionis valide potuerint contrahere. 2. Per Professionem in Religione approbata; ita Lateranense II. Canone 21. Religiosus tamen, irregularis ex defectu natalium, non habet ex vi suæ Professionis, quod possit sine nova dispensatione promoveri ad Episcopatum, & ad Regulares Prælaturas, v. g. ad Abbatiam, ad Prioratum, &c. ut constat ex cap. *Ut filii*, extra. de filiis Presbyterorum non ordinandis. 3. Ex dispensatione Episcopi, qui filios illegitime natos potest reddere habiles ad minores Ordines, minime ad majores; ad exigua beneficia, minime vero ad Canonicatum, & ad dignitates Ecclesiæ Cathedralis, & ad Beneficia, curam animarum habentia. Is usus viget in Gallia, & explicatur cap. 1. De filiis Presbyterorum in 6. 4. Ex dispensatione Romani Pontificis, qui tamen non dispensat, ut Filii Presbyterorum recipiant beneficia Patrum suorum, quovis titulo, etiam titulo commendæ. Ita Trid. sess. 25. c. 15. De reformat.

AR-

ARTICULUS V.

De depositione.

Depositio est pœna Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum privatur omni beneficio, officioque Clericali, sine spe restitutionis, retento tamen privilegio fori & canonis. Et proinde Clericus depositus privatur omni officio & exercitio sui Ordinis, & omni beneficio, gaudet tamen privilegio, quo redditur immunis a percussione, sub pœna excommunicationis latæ a Canone, *Si quis suadente diabolo &c.* & redditur immunis a Tribunali sæculari.

ARTICULUS VI.

De degradatione.

Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua Clericus, depositus solemniter, privatur omni gradu Clericali, omni officio, & beneficio, & exuitur quibuscumque privilegiis, & insignibus Clericorum: hæc degradatio fit cum quadam solemnitate: Clericus degradandus sistitur coram Episcopo, indutus omnibus insignibus Clericorum, & eisdem sacris vestibus exuitur, & indignus omni gradu, & Clericali honore declaratur. Ritus ad hanc cæremoniam requisiti describuntur in Trident. *sess.* 13. c. 4. de reformat.

ARTICULUS VII.

De cessatione a Divinis.

Prop. unica. Cessatio a Divinis est legitima desistentia ab Officiis divinis, & ab administratione Sacramentorum, ut hac Divinorum cessatio ne appareat quantum doleat Ecclesia ob injuriam suo sponso, Christo scilicet, illatam.

Prob. 1. Ex Jure Can. Cap. *Non est vobis*, de sponsal. ubi Alexander III. loquens de Provincia subjecta interdicto, vel cessationi a Divinis, hæc habet: *Nulla divina officia, præter baptismum parvulorum, & pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari*: ergo in interdicto, & cessatione a Divinis, cessant omnia divina officia.

2. *Rat.* Ecclesia non potest armis propulsare injuriam sibi illatam: ergo potest uti cessatione a Divinis, ut ea privatione sentiat populus, quam amarum sit a Deo recedere, & contra Ecclesiæ præcepta rebellare; sed quia per cessationem a Divinis posset populus sensim ad irreligionem deflectere, ideo ea pœna raro utendum est.

Consectaria.

In quibus casibus cessandum sit a Divinis.

Consect. 1. Toties cessandum est a Divinis in aliqua Ecclesia, quoties polluitur; quia indecens est divina Officia in Ecclesia polluta celebrari: Ecclesia autem polluitur in sequentibus casibus.

1. Per injuriosam sanguinis effusionem, mortaliter culpabilem: Cap. *Proposuisti* de Consecratione.

2. Per notoriam humani seminis effusionem intra Ecclesiam, sive fiat per voluntariam pollutionem, sive per copulam conjugalem: Cap. *Si Ecclesia*, eod. tit.

3. Per sepulturam hominis excommunicati denuntiati, vel infidelis, vel infantis non baptizati: Cap. *Consuluisti*, eod. tit.

CAPUT UNICUM.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

TRACTATUS TERTIUS.

In quo explicantur singula, quæ ad Beneficia Ecclesiastica pertinere possunt.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum.

§. I. *Definitur Beneficium.*

Beneficium est potestas spiritualis, quam habet Clericus exercendi ministerium aliquod Ecclesiasticum, cui, auctoritate Ecclesiastica, annexum est jus perpetuum percipiendi fructus aliquos ex bonis Ecclesiæ.

1. Dicitur, quod *Beneficium est potestas spiritualis*; quia id, quod primo debet concipi in Beneficio, est potestas spiritualis exercendi sacrum aliquod ministerium; quia ex Trident. *sess.* 21. c. 3. de reform. *Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia subeunda sunt constituta*. Ideo Beneficium per se primo est potestas spiritualis.

2. Dicitur *potestas spiritualis, quam habet Clericus*: quia potestas illa, utpote spiritualis, non potest conferri, nisi homini per clericatum consecrato; & ita nemo potest recipere Beneficium, nisi sit saltem Clericali tonsura initiatus.

3. Dicitur, *potestas exercendi ministerium aliquod Ecclesiasticum*, v. g. potestas recitandi Officium publice, aut Ecclesiæ nomine, celebrandi Missam, &c. Ita Concilium Mediolanense I. præcipit Episcopo, *ut quibuscumque Beneficiis pro fructuum ratione munera imponat*. Part. 2. tit. 26.

4. Additur, *cui annexum est jus perpetuum percipiendi redditus temporales*; quia Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat. Concil. Coloniense anno 1545. tit. 19.

Jus illud debet esse perpetuum; quia pensiones ad certum tempus concessæ, quæ pensionarii morte extinguuntur, non sunt beneficium.

Jus illud debet esse auctoritate Episcopi constitutum; unde Capellaniæ, quas obitus vocant, non sunt Beneficia.

§. II. *Dividitur Beneficium.*

Beneficium aliud est regulare, aliud sæculare.

Beneficium regulare est illud, quod confertur Clerico regulari, idest illi, qui vel emisit professionem in Religione approbata, vel saltem Novitiatum ingressus est.

Beneficium sæculare est illud quod confertur Clerico sæculari, idest Clerico, qui nec emisit professionem in Religione approbata, nec Novitiatum ingressus est.

Beneficium aliud est habens curam animarum, aliud non habens curam animarum.

Beneficium habens curam animarum est illud, cui ex Officio adjuncta est animarum cura: talis est, v. gr. Episcopatus, Decanatus, Parochia, Abbatia, Prioratus, ubi sunt regulares.

De-

Digitized by Google

Beneficium non habens curam animarum est illud, cui ex Officio non annexa est animarum cura: talis est v. g. Canonicatus, Præbenda, Prioratus simplex.

Beneficium aliud est habens jurisdictionem contentiosam, aliud non habens jurisdictionem contentiosam.

Beneficium habens jurisdictionem contentiosam est illud, cui annexum est jus correctionis, ut Archidiaconatus.

Beneficium non habens jurisdictionem contentiosam est illud, cui annexa est aliqua præeminentia sine jure correctionis: talis est, v. g. Præcentoria, Sacristia.

Beneficium aliud est in titulum, aliud in commendam.

Beneficium in titulum est illud, quod datur ei Clerico, cui ex natura beneficii debet dari: ut Beneficium sæculare sæculari, regulare regulari.

Beneficium in commendam est illud, quod jure novo datur Clerico, cui, ex natura beneficii non debet dari, v. g. Beneficium regulare datur sæculari.

Demum a concordati tempore aliud est beneficium *Consistoriale*; aliud non *Consistoriale*. Beneficium *Consistoriale* est illud, quod post Regis nominationem, confertur in Consistorio Romano: tales sunt Episcopatus, & Abbatiæ. Beneficium non *Consistoriale* est illud, quod confertur extra Consistorium Romanum a quocumque legitimo Collatore.

Quot modis conferatur Beneficium.

Beneficium confertur tribus modis. 1. Per collationem. 2. Per præsentationem. 3. Per electionem.

Electio, est alicujus personæ idoneæ ad dignitatem, vel ad fraternam societatem, servata forma canonice facta, vocatio, talis est v. g. electio Episcopi facta a Capitulo, Abbatis facta a Monachis, &c.

Præsentatio est legitima exhibitio Clerici ad Beneficium, facta ab eo, qui jus habet præsentationis: talis est nominatio facta a Principe, ab Universitate pro Prælatura vacante.

Collatio est libera attributio Beneficii, non dependentis a jure Patronatus: talis est v. g. collatio Parochiæ, facta ab Episcopo, collatio Præbendæ facta a Capitulo, &c.

Jus autem Patronatus est potestas præsentandi Clericum Episcopo, vel Capitulo, a quo Episcopo vel Capitulo Clericus præsentatus institutionem accipit. Patronatus dicitur Laicalis, quando est fundatus a Laico .... dicitur Ecclesiasticus, quando est fundatus a Clerico.

ARTICULUS II.

De Dotibus requisitis in Clerico, vel Monacho, ut licite & valide possit Beneficium recipere.

Aliæ sunt Dotes, quæ requiruntur coram Deo, ut receptio Beneficii sit licita: aliæ sunt Dotes, quæ requiruntur & coram Deo, & coram hominibus, ut receptio Beneficii sit licita, & non irrita.

§. II. *De Dotibus requisitis coram Deo.*

Prop. 1. Et fundamentalis. Clericus vel sæcularis, vel regularis, non potest citra peccatum gravissimum suscipere Beneficium, si ad illud Officium non sit divinitus vocatus.

Prob. 1. Scriptura. *Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Ad Hebræos 5. Ergo sicut Aaron a Deo vocatus fuit, ita vocetur a Deo necessum est qui aliquod Beneficium suscipit.

2. Ex Concilio Trident. *Cum nullus debeat*, inquit, *ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*: Ergo neque ad Beneficia assumi. §. 15. cap. 16.

3. *Rat.* Vocatio est origo gratiæ necessariæ ad exercendum munus Ecclesiasticum; uti enim Deus in ordine naturali aptat causas naturales, eisque virtutem administrat; ita in ordine supernaturali dat Christianis, quos vocat ad statum Ecclesiasticum, gratias ad illum statum necessarias. Ergo nullus debet Beneficium aliquod Ecclesiasticum suscipere, nisi vocatus a Deo. Vide quæ de vocatione dicemus ubi de statibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tuta conscientia recipere Beneficia non possunt qui ad Beneficia sese intrudunt seditione & ambitione; quia non sunt vocati a Deo. Can. *Principatus* causa 1. q. 1. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi, moribus, atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo: & difficile est bono peragantur exitu quæ mala sunt inchoata principio.*

Consect. 2. Tuta conscientia recipere Beneficia non possunt qui ea optaverunt solo honoris & redditum temporalium intuitu; quia non sunt a Deo vocati. Non enim Petro dictum est: *Mulge, aut tonde oves*, sed *pasce*, exemplo conversationis, verbo prædicationis, & fructu orationis. *Oprandum est*, inquit Trident. §. 25. c. 1. *ut ii, qui Episcopatus Ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.*

Consect. 3. Tuta conscientia accipere Beneficium quodcumque nequeunt qui non habent voluntatem, saltem conditionatam, si Deus ita approbet, perseverandi in statu Clericali: quia alias accipiunt Beneficium, non ut Deo, sed ut suæ utilitati serviant. Cap. *Commissa*. De electione in 6. ubi sic habetur: *Caterum si promoveri ad Sacerdotium non intendens, Paræcialem receperis Ecclesiam ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter.*

Consect. 4. Tuta conscientia recipere Beneficia nequeunt qui mediis quibuscumque ab Ecclesia prohibitis in Beneficia sese intrudunt; quia non sunt vocati a Deo. *Beneficium* quippe *Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri*. Reg. 1. De Regulis juris in 6.

Prop. 2. Sequens ex priori. Clericus, sive sæcularis, sive regularis, non potest citra peccatum recipere Beneficium Ecclesiasticum, si sit corruptis moribus, etiamsi corrupti illi mores non palam, & publice appareant.

Prob. 1. Scriptura. Ad Timoth. 3. v. 7. *Oportet au-*

ante illum, id est, Episcopum, *& testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt*: Ergo requiritur, ut clericus sit probatæ vitæ coram hominibus: Ergo & requiritur, quod sit probatæ vitæ coram Deo.

2. Ex jure Canonico. *Præsenti Decreto statuimus, ut nullus ad regimen Parœcialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate*. Cap. *Licet Canon*, de electione in 6. Et quamvis Canon loquatur expresse de Ecclesia Parœciali, mens tamen Ecclesiæ est, ut clericus ad nullum Beneficium assumatur, nisi sit scientia idoneus, vita laudabilis, & conversatione honestus: ut docet Clemen. *Cum ei quem*. Tit. 3. de Concessione Præbendæ.

3. *Rat.* Quia ex eo quod Clerici corruptis moribus ad Beneficia promoveantur, multa sequuntur damna. 1. Sequitur, ut plurimum, æterna damnatio Beneficiatorum; quia intrudunt se ad Beneficia, quibus divinitus non destinantur; & contingit illud Jerem. 23. v. 21. *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant*. 2. Sequitur damnatio fidelium, qui ipsis committuntur; quia clerici illi ingrediuntur ovile, non ut pastores, sed ut fures, & latrones. 3. Sequitur maximum damnum toti Ecclesiæ; maxima enim perversitas est in Republica, dum per pessimos rectores gubernatur. 4. Sequitur quod Clericus contemnitur, fideles non instruuntur, & demum contingit malum illud prædictum a Propheta: *Sicut populus, sic Sacerdos*. Isai. 24. v. 2.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant graviter, qui conferunt Beneficia his, quos sciunt esse corruptis moribus; quia cooperantur peccato, quod committitur ab his, qui ea recipiunt.

Consect. 2. Peccant graviter parentes, qui videntes filios pravis esse moribus, nihilominus curant, vel permittunt eis conferri Beneficia.

§. II. *De dotibus requisitis & coram Deo, & coram hominibus ad suscipienda Beneficia.*

PRop. 3. Illata ex priori. Clericus, sive sæcularis, sive regularis, non potest citra peccatum suscipere beneficium Ecclesiasticum, si non habeat bonos mores, scientiam, & ætatem competentem: & si ignorantia ejus, vita corrupta, & ætas inferior probari possint in foro contentioso, Clericus privari potest beneficio.

Probatur iisdem rationibus, quibus superior conclusio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De moribus*. Citra dispensationem nulla est collatio beneficii, facta excommunicato, deposito, interdicto; quia censetur Clericus ille corruptus esse moribus.

Consect. 2. *De Scientia*. 1. Beneficium simplex non potest suscipere valide is, qui nescit legere, & Grammaticæ Latinæ rudimenta non potest addiscere; quia hæc scientia requiritur ad tonsuram suscipiendam; ex Trid. S. 23. Cap. 4. *Prima tonsura non initientur..... qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant*; & proinde ad beneficium quodlibet sunt inepti qui sunt Latinæ Linguæ omnino rudes. 2. Beneficium habens curam animarum, nemo potest suscipere, nisi sciat casus conscientiæ. Can. *Nulli Sacerdotum*. Dist. 38. Nulli Sacerdoti liceat sacros Canones ignorare. 3. Beneficium Parœciale in oppidis muratis, aut quamlibet dignitatem, etiam primam Collegialem, nemo potest suscipere, nisi sit vel graduatus, vel artium Magister, aut per tres annos vel Theologiæ, vel juri Canonico studuerit, gradumque aliquem in ea facultate consecutus sit. Concordatum titulo de collationibus, & edictum Henrici II. 4. Beneficium Episcopale non potest suscipere nisi qui legerit attente & non obiter sacros Canones & Divinam Scripturam. *Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita*. Canon. *Omnes psallentes*. dist. 30. 5. Beneficium quodcumque, cui annexa est cura animarum, nemo potest suscipere, nisi sciat idioma populorum, quos debet instruere; ita habet Regula 21. Cancellariæ Romanæ recepta in Gallia. 6. Ille, qui falso titulo est graduatus, non potest suscipere, vel retinere beneficium, ad quod requiritur ex lege Ecclesiastica gradus in aliqua Universitate; quia lex concordati, utpote justa, observanda est: sed titulus ille falsus, est titulus nullus. 7. Ille, qui peregit cursum studiorum, & tamen non assecutus est scientiam congruentem gradibus, quos recipit, aut Ecclesiasticis muneribus utilem, non potest suscipere, vel retinere beneficia illa, quæ ex præcepto Ecclesiastico scientiam exigunt; quia non habet scientiam competentem. *Certum est, quod is committit in legem, qui verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. De Reg. juris in 6. Reg. 88.

Consect. 3. *De ætate*. Beneficium non potest recipere qui non habet ætatem ad hoc competentem. Pro beneficio simplici requiritur annus decimus quartus, in Gallia tamen ex consuetudine sufficit annus decimus pro beneficiis Collegiatis.

Pro beneficio, quod exigit Subdiaconatum, requiritur annus vigesimus primus. Pro beneficio, quod requirit Diaconatum, requiritur vigesimus secundus. Pro eo, quod requirit Sacerdotium, requiritur annus vigesimus quartus completus: ita Trid. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur*. S. 23. Ca. 12. ubi Concilium expresse loquens de ætate requisita ad Ordines, implicite loquitur de ætate requisita ad beneficium, requirens talem, vel talem Ordinem.

ARTICULUS III.

Quot modis Beneficium amittatur.

§. I. *Quo pacto citra crimen Beneficium amittitur.*

BEneficium citra crimen amittitur. 1. Defectu natalium: natus enim ex illegitimo matrimonio est incapax beneficii, si litteras a Principe & dispensationem non habeat: & dispensatus circa beneficia simplicia, non dispensatur circa beneficia habentia vel curam animarum, vel dignitatem annexam. 2. Defectu ætatis: qui enim non habet ætatem competentem, non potest suscipere beneficium, ætatem superiorem requirens; & si illud susci-

suscipiat, statim potest illo privari. 3. Defectu cælibatus: qui enim matrimonium init, hoc ipso singula beneficia amittit. 4. Defectu dotium: qui enim non eas habet dotes, quas jura requirunt, vel quas fundatores Beneficiorum exigunt, meretur Beneficio privari: si enim civili munere privandus sit qui eo est indignus, a fortiori Beneficio Ecclesiastico privari debet qui eo indignus est. 5. Defectu lenitatis: qui enim artem militarem exercet, hoc ipso beneficium amittit.

§. II. *Quæ crimina privent Clericum suo beneficio.*

Beneficia amittuntur criminibus, quæ hic subjiciuntur.

1. Hæresis. Can. *Ad abolendam*. De hæreticis. 2. Simonia realis & confidentialis. Extrav. *Cum detestabile*. De Simonia. 3. Falsificatio litterarum Apostolic. Cap. *Ad falsariorum*. De crimine falsi. 4. Homicidium Clerici, percussio Cardinalis, incarceratio Beneficiati; tum quia hæc crimina merentur excommunicationem; tum quia specialem hanc pœnam meretur, ut qui ea commiserit, Beneficiis suis privetur: ut habet Felinus super Cap. *Inquisitionis* De pœnis: & Clemen. *Multorum* De pœnis. 5. Sodomia. Cap. *Clerici*, De excess. Prel. 6. Excommunicatio manifesta; collator enim excommunicatus non potest eam jurisdictionem exercere, quæ requiritur, ut Beneficium conferat: & suscipiens Beneficium, hoc ipso quod est excommunicatus, indignus est qui illud recipiat. 7. Concubinatus publicus. Concord. De publicis concub. 8. Perjurium. Cap. *Querelam* De jure jurand. 9. Sortilegium. cap. De sortilegiis. 10. Absentia ultra sex menses a loco Beneficii, quando Beneficium requirit residentiam. 11. Ignorantia, scandalum, pravi mores, &c. Trid. sess. 7. c. 17. & sess. 15. cap. 9.

§. III. *Quo pacto aliquis suum Beneficium resignare possit.*

Resignatio est spontanea proprii Beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante.

1. Dicitur *Spontanea Dimissio*, quia si cessio fieret violenter, dolose, aut fraudulenter, nulla esset: ita c. *Super hoc*, de renunciatione. *Supervacuum esse non credimus, causam resignationis diligenter inquiri; quam si forte probabilem, id est, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extortam judex invenerit ... admittere non postponat*. 2. Dicitur *Beneficii proprii*; quia non potest resignari Beneficium alienum. 3. *Coram legitimo Superiore*; quia resignatio non potest fieri reluctante Superiore: ita cap. *Admonet*, De renunciatione; renuntiatio enim est juris proprii spontanea refutatio, quæ fieri debet in manibus ejus, a quo habetur institutio & confirmatio.

Resignatio est duplex: pura, & conditionata.

Resignatio pura est ea, quæ fit sine conditione & pacto, coram Ordinario, qui Beneficium potest conferre, cui voluerit. Resignatio conditionata, seu in favorem, est illa quæ fit cum aliqua conditione & pacto apposito coram summo Pontifice, qui Beneficium non potest nisi certæ personæ conferre. Resignatio conditionata, seu in favorem, est duplex: simplex, & qualificata. Resignatio in favorem simplex est ea, quæ fit absque reservatione. Resignatio conditionata qualificata est ea, quæ fit cum aliqua reservatione, v. gr. quando resignans reservat sibi jus regressus; & hæc dicitur causa mortis; vel ea, quæ sibi reservat jus pensionis.

Prop. prima & fundamentalis. Beneficiarius non potest cedere suo Beneficio nisi ob causas Canonicas, & cum renunciatur Beneficio, id debet fieri juxta Canones Ecclesiæ.

Prob. 1. Scriptura. Textus sacer illud insinuat; exhibet enim Christum & Apostolos, qui sunt exemplar omnium, qui habent Beneficia in Ecclesia. Christus autem & Apostoli, non ad tempus, sed ad ultimum usque vitæ articulum Ecclesiæ servierunt. Ergo & idem præstare debent beneficiati: Ergo non possunt Beneficio cedere, nisi justa de causa.

2. Jure Canonico, cap. *Nisi cum pro idem* De renunciatione. Probatur ibi, quod Beneficiatius non debeat sine causa suo Beneficio cedere.

3. *Rat.* Beneficium non est sicuti hæreditas, quæ pro arbitrio retineri, vel abjici possit: sed est instar Ministerii a Deo commissi, cui homo non potest sine legitima dispensatione renunciare, vel est instar matrimonii spiritualis, quod init Clericus cum Ecclesia, quodque solvi non potest, nisi gravibus de causis, quas Canonistæ istis carminibus comprehendunt.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possunt.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Beneficiarius potest suo cedere Beneficio, si aliqua ex causis subsequentibus interveniat.

1. Infirmitas corporalis, impediens ne Clericus possit servire Ecclesiæ. 2. Defectus scientiæ competentis, necessariæ ad exercenda munia Beneficii. 3. Malitia plebis, injuste etiam Beneficiarium odio habentis. 4. Scandalum, quod aliter sedari non potest, quam per cessionem Beneficii; quia in illis casibus aut Beneficiarius non exhibet ministerium Ecclesiæ, aut si exhibeat, non cedit in bonum eorum propter quos impendendum est illud ministerium.

Consect. 2. Peccant qui renunciant Beneficio ad vitandum laborem, & vitam in otio transigendam; debent enim recolere exemplum D. Martini dicentis: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*. Quod autem resignario non debeat fieri nisi juxta Canones, clarius patet, quam ut probatione egeat.

Prop. 2. Resignatio in favorem, per quam resignans designat suum successorem, est illicita & simoniaca simonia Ecclesiastica.

Prob. 1. Jure Canonico. Can. *Plerique Sacerdotes*, causa 8. q. 1. & Can. *Apostolica*. Ibidem. Prohibetur enim ibi Sacerdotibus successores sibi designare: Ergo talis designatio est simoniaca simonia Ecclesiastica.

2. *Rat.* Hæc resignatio in favorem coarctat Ordinarii collatoris libertatem in spiritualibus, pactionem & conventionem introducit, & quasi hæreditariam quamdam successionem: Ergo merito ab Ecclesia prohibita est tamquam simoniaca.

Con-

Digitized by Google

Consectaria hujus doctrinæ.

Confect. 1. Resignatio in favorem facta in manibus cujuscumque collatoris, excepto summo Pontifice, est nulla & illicita; quia solus Papa potest dispensare in Simonia Ecclesiastica. Const. 58. Pii V. quæ incipit *Quanta Ecclesia*. Idem potest Rex jure regaliæ, quod haud dubie habet ex concessione Papæ.

Consect. 2. Resignatio Beneficii, facta in manus Ordinarii collatoris, cum pacto expresso vel tacito, ut illud conferat certæ cuidam personæ, ab ipso resignante designatæ, est illicita & simoniaca, quia ita docet Can. *Quam pio mentis*, Causa 1. q. 2. ubi omnis pactio, omnis conventio prohibetur in Beneficii renunciatione & collatione. Attamen post factam resignationem, licitum est resignanti manifestare collatori personam idoneam ad Beneficium; quippe preces illæ, utpote præcise manifestantes meritum personæ, non sunt illicitæ, nec censentur cogere collatorem; nec impedire, ne libere digniori conferat.

Consect. 3. Ut plurimum resignatio cum expressa, vel tacita conditione regressus est illicita: ita Trid. sess. 25. cap. 7. *Nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur*. In *Gallia* tamen ex usu permittitur *regressus* in tribus casibus. 1. Si resignatarius illud idem Beneficium sponte & ultro resignanti offerat, & Episcopus judicet regressum ad majorem Dei gloriam conducere, modo tamen in ipsa resignatione nulla interveniat pactio de hujusmodi retrocessione. 2. Si resignans in manus Episcopi, mortis causa, Beneficium remiserit: ita edictum Ludovici XIII. 1638. art. 20. 3. In permutationibus si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci: c. *Si Beneficia* de Præbendis in 6.

Prop. 3. Resignatio in favorem maximam habet cum donatione affinitatem, ideo iisdem conditionibus constare debet quibus coalescit donatio.

Probat. rat. Juxta præsentem Ecclesiæ praxim, & communem modernorum Canonistarum doctrinam, Beneficium dat Beneficiario jus percipiendi redditus, quibus nutriri potest: ergo æquum est, ut renunciatio Beneficii facta per resignationem in favorem, fiat ad instar donationis, qua quis donat quod suum est: & ita quod resignatio in favorem iisdem muniatur conditionibus, quibus munitur donatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *In quo explicatur, quæ personæ resignare valeant.* Hi solum possunt resignare, qui actu habent Beneficium, vel proximum jus ad Beneficium: sicuti hi solum possunt donare, qui vel actu rem dandam possident, vel ad eam jus proximum habent; quia quilibet potest transferre in alium jus quod habet.

I. Qui hic subjiciuntur possunt resignare.

Primo, qui actu inierunt validam possessionem Beneficii, qui actu Beneficium illud possident. 2. Qui signaturam pro aliquo Beneficio acceperunt, etsi possessionem nondum inierint, nec examen subierint, nec professionem fidei fecerint, quippe per signaturam, & per verba ista, *fiat ut petitur*, perficitur gratia, conferens Beneficium, inquit Ranchinus part. 4. Concl. 29. Sic e contra, qui hic subjiciuntur non possunt resignare, eo quod nemo transferre possit in alium jus, quod non habet. 1. Indultarii, Graduati, Mandatarii Apostolici; quippe ex vi indulti, ex vi gradus, ex vi mandati, non habetur quoad Beneficia jus in re, sed solum jus ad rem. 2. Ille, qui impetraturus est Beneficium ab Ordinario, etiam post examen, post verbalem collatoris approbationem, si litteras provisorias actu non obtinuerit; quippe ex vi approbationis verbalis, ex vi examinis, non habet jus in re quoad Beneficia, ut docet Boerius dec. 300.

II. Hi soli possessores Beneficii possunt resignare, qui criminibus non sunt impediti; minime vero hi possessores, qui certis criminibus indigni facti sunt, ut possint valide resignare: sicuti enim reis quorumdam criminum licentia donandi admittitur; ita & facultas resignandi Beneficia.

Sic rei criminum, qui hic subjiciuntur, modo illa crimina vel ante resignationem, vel post resignationem juridice probentur, resignare non possunt. 1. Rei criminis læsæ majestatis in primo & secundo capite. Rei assassinii, rei sodomiæ: ita Mornacius ad legem 6. Dig. *De his qui notantur infamia*; tanta enim est illorum criminum atrocitas, ut etiam ante Sententiam reos reddat indignos ad resignandum. Sic e contra rei, qui hic subjiciuntur, possunt secundum jura resignare ante sententiam, immo post latam sententiam, si ab ea appellaverint, sicuti reis, pendente appellatione, jura permittunt Testamentum condere: l. *Quia a latronibus* ff. De Testamentis. Tales sunt rei cujuscumque criminis etiam capitalis, v. g. homicidii extra assassinium, furti, &c. modo non sint de genere criminum supradictorum.

Qui actu possident Beneficium, vel jus in re habent ad Beneficium, possunt resignare vel per se, vel per procuratorem, modo dent mandatum speciale; sicuti quilibet donare potest, vel per se, vel per procuratorem ea, quæ vel actu possidet, vel circa quæ jus habet in re ad possidendum.

Consect. 2. *In quo explicatur quæ libertas requiratur in resignante.* Resignatio in favorem ita debet esse libera, & non coacta, ut illicita sit & nulla, si coactio, dolus, metusve injuste incussus, interveniant: sicuti donatio est nulla, quando vis, dolus, metusve injuste incussus, interveniunt; & ita resignatio est nulla in sequentibus casibus. 1. Omnis resignatio vi, dolo, metuve injusto extorta, est nulla, cap. *Super hoc* de renunciatione. Tunc autem resignans potest obtinere regressum, modo probet coactionem: sicuti post donationem extortam potest obtineri bonorum datorum possessio, modo probetur coactio. 2. Resignatio facta a minore viginti quinque annis, non est quidem invalida, sed cassa fiet per restitutionem in integrum, si resignans velit resilire: ita Rebuffus tit. qui sic incipit: *Ratione personæ & rei vitiatur resignatio*; tunc enim præsumitur minorem deceptum fuisse. Immo parentes & tutores minoris possunt petere pro minore restitutionem in integrum. 3. Resignatio facta per procuratorem est nulla, si procuratio non sit specialis, si non sit facta coram Notario, si procurator terminos mandati tantisper excedat, si re-

Digitized by Google

si revocata fuerit, si intra annum non fuerit mandata executioni; etenim si aliquir ex prædictis defectibus interveniat, mandatum vel censetur involuntarium, vel ett contra formam constitutionis Henrici II. & proinde nulla est resignatio vi illius mandari facta; sicuti donatio, facta per procuratorem, est nulla, quando censetur involuntaria, vel quando est contra formam juris. 4. Resignatio in favorem, facta in manibus Papæ, vel in manibus Regis in tempore regaliæ, cum istis clausulis, *non aliter, non alias, non alio modo*, non valet, nisi acceptetur juxta terminos in resignatione præscriptos: sicuti enim donatio conditionalis non censetur completa, si non observentur conditiones præfixæ; ita nec resignatio in favorem, si sit conditionalis. Jus enim gentium non permittit quemquam contra propriam voluntatem sine causa bonis suis expoliari: & ita si resignans in favorem, resignet Petro; Papa, vel Rex non possunt Beneficium conferre Paulo. Si resignans reservet sibi pensionem, & Papa nolit admittere illam pensionem, resignatio illa est nulla, & Beneficium quasi non dimissum censendum est; atque ideo si resignans moriatur, Beneficium vacat per obitum; si resignans superstit resignationi, retinendus est in possessione Beneficii, vel in eam restituendus est. Item si Beneficium resignetur causa permutationis, & hæc permutatio non admittatur vel a Papa, vel ab Episcopo, vel ab eo, in cujus manibus fit permutatio, quilibet ex compermutantibus manet pacificus sui Beneficii possessor; quia cum hæc dimissio sit conditionata, censetur nulla, non admissis conditionibus, sub quibus facta est: Clem. unica De rerum permutatione. Bona quippe fides non patitur, ut quis sine culpa rebus suis spolietur: *& quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest*. L. *Id, quod nostrum est*. ff. De regulis juris.

Demum, ut completum censeatur Testamentum, hæres debet adire hæreditatem: itaque ut completa censeatur resignatio, resignatarius debet adire possessionem Beneficii sibi resignati; potest autem per triennium differre hujus beneficii aditionem, siultra triennium differat, & resignans Beneficium a se dimissum possideat, in vi triennalis possessionis pacifice: Beneficium remanet in possessione resignantis. Si autem ante sex menses elapsos a resignatione, resignatarius ineat possessionem Beneficii sibi resignati, valida erit aditio, sive ante mortem, sive post mortem resignantis possessionem ineat. Si vero ultra sex menses possessionem distulerit, eamque non inierit biduo integro ante insinuationem & ante mortem resignantis, nulla erit inita possessio, & Beneficium per obitum vacasse censebitur.

Consect. 3. Ea resignatio est invalida & illicita, in qua non observantur regulæ Cancellariæ, in Gallia communiter receptæ; sicut donatio est nulla, quæ non fit juxta regulas & leges in regno vigentes. Tres autem sunt regulæ Cancellariæ, in Gallia receptæ, scilicet, 1. Regula *De infirmis*. 2. Regula *De publicandis resignationibus*. 3. Regula *De verisimili notitia*.

Sic ea resignatio est illicita, & nulla, in qua non observatur regula *De infirmis*, qua determinatur, quod si resignans non vivat viginti saltem diebus post resignationem factam, Beneficium censebitur vacare per mortem. Et ut ea regula exacte observetur, sub gravibus pœnis cavetur in Gallia, ne quis celet mortem resignantis. *Defendons*, inquit Franciscus I. Galliarum Rex an. 1539. art. 56. *la garde des Corps decedez... sous peine de confiscation des corps & des biens contre les Laiques qui en seront trouvez coupables, & contre les Ecclesiastiques, de privation de tout droit possessoire en Benefices ainsi vacans, & de grosse amande à l'arbitration de la Justice*. Sic ea resignatio est illicita & nulla, in qua non observatur regula *De publicandis*, qua determinatur, quod si resignatarius non ineat possessionem Beneficii intra mensem, si resignatio facta sit in manus Ordinarii, & intra sex menses si resignatio facta sit in manus Papæ, Beneficium censebitur vacans per mortem: & ut ea regula exacte observetur, si resignatarius sinat resignantem pacifice frui Beneficio resignato, post tres annos elapsos resignans vi triennalis possessionis censetur novum jus acquisivisse in Beneficio resignato, vi decreti *De pacificis* idem habetur in edicto an. 1646. Sic ea resignatio est illicita & invalida, in qua verisimiliter non intercessit tempus sufficiens, ut a die resignantis vacatio Beneficii ad notitiam collatoris, scilicet Papæ, vel Episcopi, potuerit pervenire.

ARTICULUS IV.

De Permutationibus Beneficiorum.

PErmutatio Beneficiorum est quædam species conditionalis resignationis; & fit cum duo Beneficiarii unum, vel plura Beneficia summo Pontifici non reservata, in manus Episcopi, aut ejus Vicarii resignant cum conditione, ut is postea vicissim alteri alterius Beneficium conferat, vocatis his, quorum interest, v. g. vocatis Patronis in permutatione Beneficii Patronati.

Prop. unica. Permutationes Beneficiorum non possunt fieri privata conventione partium, sed solum auctoritate Episcopi, qui non debet eas approbare, si advertat labem simoniæ intervenire, modo eam possit juridice probare; alias cogeretur acceptare.

Prob. 1. Jure Canonico. *Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem consinet semper simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere*: cap. *Quæsitum* de rerum permutatione.

2. Auctoritate D. Thomæ. *Nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec Permutatio Præbendarum, vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, sicut nec Transactio, ut jura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes hujusmodi facere pro causa utili vel necessaria*. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5.

3. *Rat.* Beneficia non sunt possessiones temporales, quas pro libito vel vendere, vel permutare possimus, sed sunt jus exercendi ministeria Ecclesiastica:

stitui regulariter, nisi auctoritate summi Pontificis.

Prob. 1. Jure Canonico. Caput *Ut nostrum*, jubet, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, ibique statuitur, quod redditus Beneficii non separentur a Beneficio sine auctoritate summi Pontificis.

2. *Rat.* Ex jure Ecclesiastico in collatione Beneficii omnis pactio vitanda est; pensio autem pactionem importat: ergo pensio est contra Jus Ecclesiasticum; solus autem Papa potest dispensare in jure Ecclesiastico: ergo solus potest inducere pensionem. Demum ex factis constat, quod vel solus Papa, vel Concilia generalia pensiones statuerint: ergo ad solum Papam, vel ad Concilia generalia pertinet pensiones statuere.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui auctoritate privata paciscuntur de pensione super beneficio resignato, eamque exigunt, licet auctoritate Pontificis non fuerit confirmata, tenenturque ad restitutionem; quæ restitutio debet fieri eo modo, quo fit restitutio de rebus simoniace acceptis. Vide dicta de simoniace acceptis. Vide dicta de simonia.

Consect. 2. Peccant qui habentes aliunde ex bonis propriis unde vivant, Beneficiis resignatis pensiones imponunt; quia extra necessitatem Beneficiorum fructus scindi non debent, juxta banc regulam: *Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Quod item patet; quia in ipsis rescriptis Apostolicis hæc additur clausula: *Ne in rebus suis nimium dispendium patiatur.*

Consect. 3. Peccant qui imponunt pensionem super Beneficio resignato, etiam si accedat consensus Summi Pontificis, si id fiat sine justa causa. De motivis instituendi pensiones dicetur infra.

Monit. Dixi, quod regulariter pensio debeat institui, & confirmari auctoritate Papæ: sunt tamen casus, in quibus pensiones possunt statui auctoritate solius Episcopi. 1. Propter paupertatem & senium Clerici resignantis; ita censet Sylvius in D. Th. 2. 2. q. 100. Stylus tamen curiæ Romanæ est, ut reservetur Papæ creatio etiam istius pensionis. 2. Propter litis compositionem; eum enim duo litigant de Beneficio, & jus obscurum est, potest Episcopus, tamquam judex, vel arbiter, uni pensionem, alteri Beneficium assignare, cap. *De cetero* de Transactionibus. 3. Propter Seminarii contributionem, Trid. sess. 23. c. 18. 4. Propter Vicarii sustentationem, quando Beneficiatus non potest vel ob inscitiam, vel ob infirmitatem, vel ob alias causas Beneficii munus exercere. Trid. sess. 4. cap. 6. De ref. In Gallia tamen pensio in foro exteriori negari poterit, nisi fuerit a summo Pontifice confirmata.

De motivo pensionis restituendæ.

Ut pensio sit licita, sequentes conditiones sunt observandæ.

1. Pensio debet statui per modum eleemosynæ ad sublevandam inopiam Clerici vel Laici. Illud patet ex Concilio Chalcedonensi supra citato, ubi constat pensiones esse constitutas *miserationis* intuitu, *nutrimenti*, *vel alimentorum*, seu necessariorum gratia; quia ex Concil. Aquisgranensi ann. 816. Can. 116. *Res Ecclesiæ vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Et Cardinales citati in Congr. habita sub Paulo III. ajunt: *Nulla alia de causa nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas quæ in pios usus, & indigentibus concedi solent.* Sic pensio statui non potest ob solam permutationem Beneficii pinguioris cum minus pingui; nec ob resignationem in favorem, nec pacis causa, vel litis sedandæ gratia, si Clericus recepturus pensionem habeat ex redditibus Ecclesiæ ad victum & vestitum necessaria. 2. Pensio non debet excedere tertiam partem fructuum juxta constitutionem Caroli VI. 3. Soluta pensione, debet adhuc superesse Beneficiato congrua portio trecentarum librarum præter oblationes quotidianas. 4. Requiritur, ut qui exigit pensionem, per quindecim annos Beneficii functiones exercuerit, vel saltem in illis exercendis non contraxerit morbum, quo reddatur inhabilis ad serviendum Beneficio; ita edictum Ludovici XIV. Vide Acta Cleri Gallicani Tom. 1. Parte 2. Tit. 13.

ARTICULUS VI.

De variis Beneficiorum Collatoribus juxta præsentem Ecclesiæ Gallicanæ usum.

§. I. *Qui, & quot sint Collatores Beneficiorum in Gallia.*

NOta 1. Quod Episcopus est naturalis collator omnium Beneficiorum suæ Dioeceseos. Uti enim ad Episcopum pertinet Clericos suæ Dioeceseos ordinare; ita ad eum spectat Clericos Ecclesiæ alicui astringere, & eis redditus Ecclesiasticos, quibus vivere queant, assignare: quod idem est ac Beneficium conferre. Antiquitus enim nullus ordinabatur Clericus, nisi alicujus Ecclesiæ ministerio astringeretur.

Nota 2. Quod Episcopus tum in ordinandis Clericis, tum in assignandis redditibus Ecclesiasticis, Capitulum consulebat; inde factum est, quod post separationem redditum Episcopalium a redditibus Capituli, Collationem Beneficiorum inter redditus computare voluerit, & proinde Beneficia Ecclesiastica conferre; ideo juxta varias inter Capitulum & Episcopum conventiones, aliquando Episcopus confert omnia Beneficia, aliquando Capitulum, & interdum Capitulum confert aliqua Beneficia, Episcopus vero alia.

Nota 3. Quod Papa, utpote Ordinarius Ordinariorum, censet sui juris esse, si velit, conferre singula Beneficia, quæ vel Episcopus, vel Capitulum conferre solent. Ideo Papa multis titulis conferre potest multa Beneficia, ut dicemus infra.

Nota 4. Quod Beneficia multa Ecclesiastica redditus suos temporales acceperunt ex liberalitate vel Regum, vel subditorum sive Laicorum, sive Ecclesiasticorum; qui omnes reservarunt sibi aliquando jus præsentandi ad Beneficia, quæ fundaverunt, & Patroni dicti sunt: atque ideo collatores Beneficiorum sunt Papa, ejusque Legati, Episcopus, Capitulum, eorumque Vicarii, Monasteria Monachorum, vel Monialium, Rex, Patroni Laici, vel Ecclesiastici. De quibus omnibus collatoribus sigillatim agendum.

Digitized by Google

§. II. *Quibus regulis adstringantur Collatores Beneficiorum in Gallia.*

Regula prima. Beneficii collator, habens jurisdictionem spiritualem, qualis est, v. gr. Papa, ejusque Legatus, Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, Capitulum & ejus Vicarius Generalis, si quem habeat, in conferendo Beneficium, nihil debet attentare, quo directe, vel indirecte temporale Regum, vel ejus subditorum attingat.

Prob. Si in collatione Beneficiorum attingeretur temporale per collatorem spiritualem, interveniret *Abusus*; hæc est enim præcipua libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ut Superior Ecclesiasticus jurisdictionem suam spiritualem neque directe, neque indirecte extendat ad temporale.

Regula secunda: Collator non habens jurisdictionem spiritualem, sed solum facultatem præsentandi, qualis est Rex, & patronus quilibet, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, in conferendo Beneficio debet solum præsentare, & nihil attentare, quod directe, vel indirecte attingat institutionem Canonicam.

Prob. Si collator Beneficiorum, non habens jurisdictionem spiritualem, attingeret jurisdictionem spiritualem, attingeret institutionem Canonicam, attingeret spirituale, & ita interveniret, ut loquuntur, *intrusio*; potestas enim spiritualis, qualis est institutio Canonica Beneficii, non potest nisi ab habente jurisdictionem spiritualem conferri.

Regula tertia. Uterque collator, scilicet ille, qui habet jurisdictionem spiritualem, & ille, qui habet solum vim præsentandi, nil debet agere contra usum Gallorum, contra concordatum inter Franciscum I. & Leonem X. initum, nec contra concordata particularia, inter particulares collatores inita.

Prob. Si Beneficiorum collatores agerent contra usum Gallorum, & contra concordatum, interveniret *Abusus*. Unum est enim caput libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quod jurisdictio Ecclesiastica, & collationes Beneficiorum fiant juxta concordata, in Ecclesia Gallicana communiter recepta.

Ex tribus prædictis regulis educuntur Consectaria in sequentibus Paragraphis explicanda.

§. III. *De Collatoribus Jurisdictionem spiritualem habentibus.*

Quales sunt Papa, Episcopus, Capitulum, eorumque Vicarii. Nota, quod collatores, spiritualem jurisdictionem habentes, proprie conferunt Beneficia, quia dant institutionem Canonicam: alii vero vel solum nominant, vel præsentant collatori eum, qui instituendus est.

Consect. 1. *De Beneficiis, quæ Papa non potest conferre sine Regis licentia.* Papa non potest conferre sine Regis licentia ea Beneficia, quorum collatio pertinet ad Regem, vel jure Regaliæ, vel jure Patronatus, vel jure recentis consecrationis Regis, vel jure fundationis Regiæ, vel jure Concordati, vel Indulti; quia si Papa hæc Beneficia conferret sine Regis licentia, attingeret temporale Regum; potestas enim conferendi Beneficia, inter redditus temporales Regis recensetur a Doctoribus Galliæ. Item non potest conferre sine patronorum licentia ea Beneficia, quorum nominatio pertinet ad patronos Laicos; quia si Papa hæc Beneficia conferret, attingeret temporale subditorum Regis: jus enim patronatus Laici inter temporales redditus numeratur.

Si Papa beneficia, quorum nominatio pertinet ad Regem, vel ad patronos Laicos, conferre nequeat, eadem Beneficia conferre nequeunt Episcopus, vel Capitulum; quia nequeunt attingere, etiam indirecte, temporale Regum, vel subditorum.

Consect. 2. *De personis, quibus Papa etiam ea Beneficia, quorum est collator, non potest conferre.* Papa etiam ea Beneficia, quorum est collator, si sita sint in Regno Galliæ, non potest conferre extraneis, sed adstringitur ea conferre solis Regni Gallici incolis; si enim ea conferret extraneis, attingeret temporale Regum, vel redditus Ecclesiasticos extrahendo e Gallia, vel extraneos in Galliam introducendo contra Regis voluntatem. Si Papa ea Beneficia, quorum est collator, si sint in Gallia, non potest conferre extraneis; illud idem præstare nequeunt Episcopus, & Capitulum, quia nequeunt attingere temporale Regum.

Consect. 3. *De Beneficiis, quæ Papa potest conferre.* Papa, exceptis Beneficiis, de quibus in superioribus Consectariis, potest conferre quæcumque Beneficia, quoquo modo vacantia, sive vacent jure ordinario, sive jure concursus, sive jure præventionis, sive jure devolutionis; quia est Ordinarius Ordinariorum: & quia, ut ait Gregorius Magnus can. *Decreto*. 2. q. 6. *Ecclesia Romana suas vices ita aliis impertitur Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non plenitudinis potestatis.* Idem habetur cap. *Licet Ecclesiarum*. De Præb. in 6 & Clemen. cap. *Si duobus, ut lite pendente*. Sic *jure ordinario* Papa confert Beneficia, non quidem curata, sed alia quæcumque vacantia in curia Romana, idest, ea Beneficia, quorum Titulares obeunt vel Romæ, vel intra duas dietas legales: ita habetur cap. *Licet Ecclesiarum*. 2. De Præben. in 6. Si autem Papa non ea conferat intra mensem a die obitus, decidit suo jure; & collatio ad Ordinarium devolvitur; ita habetur cap. *Statutum* ibidem. Sic jure *præventionis* Papa præveniens Ordinarium collatorem, confert omnia Beneficia, quæ a collatoribus Ordinariis conferri possunt, v. gr. ab Episcopo, Archiepiscopo, Capitulis, immo a a patronis Ecclesiasticis; quia est Ordinarius Ordinariorum, patronus patronorum Ecclesiasticorum: immo prævenit omnes Indultarios, & Graduatos, & mandatarios; quippe favores concessi a Papa, ipsi nequeunt præjudicium afferre, eumve jure ordinario privare. Sic *jure concursus*, quando idem collator contulit Beneficium duobus eodem anno, eodem mense, & die; vel diversi collatores eodem anno, eodem mense, & die, idem Beneficium duobus contulerunt; in tali concursu utraque collatio est nulla, & Papa *jure concursus*, potest illud Beneficium conferre, & prævalet ejus collatio: ita habetur in terminis Tom. 2. De Journal des Audiences, lib. 4. Cap. 15. Sic *jure devolutionis* quando collator Ordinarius, v. gr. Episcopus, Capitulum infra sex menses, patronus Ecclesiasticus infra pariter sex menses, Laicus infra quatuor menses, non conferunt Beneficium, collatio devolvitur

ad

ad Superiorem, v. g. a Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, & a Primate ad Papam; & a Patrono tum Laico, tum Ecclesiastico ad Episcopum, ab Episcopo, ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, & a Primate ad Papam: quo in casu confert Beneficia jure *Devolutionis*: cap. *Licet Magister* de supplenda negligentia Prælatorum, & Cap. *Nulla Ecclesiastica* de Concessione Præbendæ. Sic *jure concordati* inter Franciscum primum Regem Galliæ & Leonem decimum Papam initi, solus Papa post nominationem Regiam potest conferre omnia Beneficia Consistorialia, in concordato expressa, qualia sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, & Abbatiæ Regulares, quæ dantur in Commendam.

Sic jure *Mandati* Papa potest certa Beneficia, per mortem solum vacatura, certæ personæ, per mandatum designatæ, adscribere; tunc collator, cui intimatur mandatum cum debitis formulis, tenetur Beneficium conferre personæ per mandatum Apostolicum designatæ, modo eas dotes habeat, quæ vel ex vi Canonum, vel ex vi fundationis requiruntur in eo, qui tale Beneficium debet accipere. Collator non potest nisi semel in vita subjici mandato Apostolico: si habeat solum decem Beneficia, quorum sit collator, unum tantum Beneficium potest subjici Mandato Apostolico; si quinquaginta habeat, tunc duo solum Beneficia mandato Apostolico subjiciuntur. Ab eo onere eximuntur Beneficia Patronatus Laici, Beneficia Electiva, Beneficia tempore Regaliæ vacantia. Item Bursæ Collegiorum, & Commendæ Ordinis Melitensis.

Sic *jure particularium concordatorum*, quæ Papa iniit cum quibusdam Provinciis Galliæ, v. g. cum Britannia, Papa ante datum indultum ad movendos collatores Ecclesiasticos ad residentiam, confert Beneficia vacantia in mensibus Januarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, Novembris; Ordinarii vero collatores, conferunt Beneficia vacantia in aliis mensibus, & Papa his mensibus non potest prævenire collatores ordinarios, nec præveniri a collatoribus ordinariis. Post vero collatum indultum ad movendos Ecclesiasticos collatores ad residentiam, tunc Papa & Collatores ordinarii conferunt Beneficia alternis mensibus, Papa mense Januario, collator Ordinarius mense Februario, & sic alternatim usque ad finem anni.

Consect. 4. *De his, quæ potest Papa circa Beneficia, concedendo dispensationes Canonicas & validas.* Solus Papa potest in conferendis Beneficiis dispensare circa ea, quæ exigunt dispensationem a Canonibus, in Ecclesia universaliter receptis; quia solus Papa, ut diximus ubi de dispensatione a lege, potest in omnibus dispensabilibus dispensare, ut loquitur D. Th. Sic solus Papa potest omni tempore resignationem in favorem admittere, solus potest permutationes cum pensione admittere; quia hic intervenit simonia Ecclesiastica, quam solus Papa potest purgare. Sic solus Papa potest dare Beneficia regularia sæcularibus, & sæcularia regularibus, conferendo in Commendam, ut dicunt; quia solus Papa potest dispensare ab hac regula: *Sæcularia sæcularibus, regularia regularibus*. Sic solus Papa potest dispensare circa incapacitatem Beneficiariorum tum ratione ætatis, tum ratione irregularitatis: potest permittere pluralitatem Beneficiorum incompatibilium: quia dispensatio a Canonibus ad solum Papam pertinet. Qua cautione & peti & dari debeant hæ dispensationes, diximus in primo tomo ubi de dispensationibus.

Consect. 5. *De Legatis Papæ in Gallia.* Legatus Papæ in Gallia non utitur jure delegationis, nisi ejus litteræ fuerint prius a Curia Parisiensi examinatæ; & post illud examen non utitur jure delegationis, nisi juxta tenorem acceptum a Curia Parisiensi: & ita non potest conferre Beneficia, nisi juxta tenorem, per curiam Parisiensem admissum.

§. IV. *De Episcopo, & Archiepiscopo, & eorum Vicario Generali.*

Consect. 1. Episcopus & Archiepiscopus jure ordinario possunt cui voluerint, modo sit dignus, conferre Beneficia sæcularia suæ Diœceseos, immo Beneficia regularia curata, ut habetur causa 16. q. 1. ubi sic legitur: *Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, ut in ejus potestate consistant, in cujus territorio sitæ sunt.* Idem habet concordatum, & usus Ecclesiæ Gallicanæ.

Consect. 2. Episcopus, Archiepiscopus jure concordatorum specialium, debent conferre Beneficia non curata juxta concordata, quæ inierunt vel cum Capitulo, vel cum aliis collatoribus: quia stare debent concordatis initis vel a se vel a suis prædecessoribus.

Sic in quibusdam locis Episcopus confert omnia Beneficia Capituli, in aliis locis Capitulum confert omnia, in aliis vero locis certa confert Capitulum, certa Episcopus: quod determinatur juxta variam cujuscumque Diœceseos consuetudinem.

Consect. 3. Episcopus, Archiepiscopus jure Patronatus, jure Indultorum, jure Graduatorum, astringuntur conferre Beneficia vel Indultario, vel Graduato, vel ei, quem Patronus præsentaverit, si ejus indignitatem probare nequeant in foro exteriori; tunc enim non sunt plene liberi in conferendis illis Beneficiis, sed solum dant institutionem Canonicam, quam non *Visa* vocamus; quam institutionem Canonicam, si Episcopus sine justa causa negaverit, recurritur ad Metropolitanum.

Consect. 4. Vicarius Episcopi, aut Archiepiscopi, post acceptas litteras, easque inscriptas & insinuatas, ut dicunt, non potest conferre beneficia, nisi juxta tenorem sibi ab Episcopo aut Archiepiscopo præscriptum; quia non habet nisi jurisdictionem delegatam: cap. *Finali* de Officio Vicarii in 6. Item mortuo, aut excommunicato Episcopo, nihil potest ejus Vicarius Generalis, quamvis delegatus ab Episcopo possit negotia incepta perficere; Vicarius enim Generalis habet unum & idem cum Episcopo Tribunal, quod vigorem nullum habet, mortuo aut excommunicato Episcopo; Delegatus vero ab Episcopo diversum cum eo habet tribunal, quamvis inferius. Vicarius Generalis post acceptas litteras, quibus in suo Officio constituitur, potest ea omnia, quæ moram non patiuntur: v. g. potest dare litteras dimissorias ad Ordines: cap. *Cum nullus* de temp. ordin. in 6. Po-

6. Potest confirmare eum, qui canone electus est: cap. *Ex frequentibus* de institutionibus. Item potest dare institutionem Canonicam iis Clericis, qui ex licentia Episcopi sua beneficia invicem permutarunt, ut colligitur ex eodem capite; quia hæc singula moram non patiuntur.

De Capitulo, ejusque Vicario.

Confess. 1. Capitulum jure ordinario potest omni tempore ea conferre beneficia, quorum est Collator ex vi concordatorum particularium quæ inita fuere cum Episcopo; potest etiam conferre ea beneficia, quæ pendent ex electione Canonicorum; quia Capitulum est collator ordinarius eorum beneficiorum. Id colligitur ex cap. unico *Ne sede vacante* in 6.

Confect. 2. Capitulum Cathedrale, sede vacante, succedens jurisdictioni Episcopali, ea solum potest, quæ moram non patiuntur; ea autem nequaquam potest, quæ venturo Episcopo nocere possent: sede enim vacante, nihil innovandum: cap. *Illa devotionis*, Ne sede vacante. Sic Capitulum, sede vacante, potest approbare Confessarios, dare litteras dimissorias ad Ordines recipiendos: sed iis solum, qui sunt *arctati*, idest iis, qui debent recipere Ordines, ut ministrent fidelibus, suoque serviant beneficio: cap. *Cum nullus*, Verbo *Episcopo* de temp. Ordin. in 6. Potest dare institutionem canonicam beneficiario, per Patronum nominato, aut ei, qui ex consensu defuncti Episcopi permutavit beneficium: ita Rebuff. §. *Si quis vero*. De Coll. in concord. Item potest absolvere excommunicatos. Cap. *Cum olim*, de majorit. & obedien. prædicta enim omnia moram non patiuntur. Sed Capitulum non potest conferre beneficia neque graduatis, neque indultariis, ut censet Corrasius, neque aliis clericis; quia collatio beneficiorum *est in fructu & cum fructu*, ut dicunt: & ita sede vacante vel ad Regem pertinet jure Regaliæ, vel ad futurum Episcopum reservatur, tamquam emolumentum Episcopatus.

§. V. *De iis Collatoribus Beneficiorum, qui non habent jurisdictionem spiritualem, scilicet de Rege, de Patronis, &c.*

Nota. Qui non habent jurisdictionem spiritualem, in rigore loquendo, non conferunt Beneficia; sed præsentant, aut nominant eum, cui collator Ecclesiasticus, habens jurisdictionem spiritualem, dat institutionem canonicam.

De Rege, quatenus est Collator Beneficiorum.

Rex potest conferre Beneficia multis titulis. 1. Jure Regaliæ. 2. Jure adventus ad coronam. 3. Jure Patronatus. 4. Jure Fundationis. 5. Jure Indulti. 6. Jure concordati initi inter Leonem X. & Franciscum I. Galliarum Regem.

Confess. 1. Juxta praxim Curiæ Parisiensis & declarationem Ludovici XIV. anno 1682. Rex jure Regaliæ, sede Episcopali aut Archiepiscopali vacante, exceptis Beneficiis curatis & pure electivis, id est, quæ conferuntur via electionis per solum Capitulum faciendæ, & non via electionis faciendæ per Episcopum & Capitulum: Rex, inquam, his exceptis Beneficiis, confert omnia & singula Beneficia, quæ conferuntur ab Episcopo; aut Archiepiscopo; quia Regalia, ut dicunt, est jus, quo Rex per œconomum percipit omnes fructus Episcopatus, aut Archiepiscopatus vacantis; & quia collatio beneficiorum censetur esse in fructibus, ideo confert beneficia: sed quia collatio beneficii curati, habentis regimen animarum, aut collatio beneficii pure electivi supponit jurisdictionem spiritualem, quam Rex non habet; ideo Rex tempore Regaliæ non confert beneficia curata, vel pure electiva, id est, quæ conferuntur via electionis per solum Capitulum faciendæ; ea vero Beneficia, quæ sunt electiva electione facienda & a Capitulo, & ab Episcopo, Rex juxta quosdam doctores conferre potest, non quidem eligendo, sed nominando, non instituendo, sed præsentando. Sic, juxta praxim ejusdem Curiæ Parisiensis, Rex jure Regaliæ confert omnia Beneficia, quæ Episcopus & Archiepiscopus conferre potuissent; quia gaudet, inquiunt, privilegio Episcopi; sed confert superiori & eminentiori modo: ea enim Beneficia confert, *quoquomodo vacent*; sive de jure, id est, si Beneficiarius sit in possessione Beneficii sine justo titulo; sive de facto; si Beneficium a nullo possideatur, quocumque modo Beneficium concipiatur vacare sive per permutationem, sive per mortem. Rursus sive vacet mensibus Graduatorum, sive tempore indulti, immo etiam si vacent in curia Romana; quia Rex nullum agnoscit in jure Regaliæ Superiorem: ita Chopinus lib. 2. De sacra politia tit. 6. Sic, juxta jurisdictionem supremæ curiæ Parisiensis Rex tempore Regaliæ admittit resignationes in favorem, uti Papa, permutationes, uti Episcopus, dispensat in omnibus regulis cancellariæ Romanæ; quia non agnoscit Superiorem nisi in spiritualibus. Ita Lovet. R. 47. una cum Brodeau. Sic etiam Rex tempore Regaliæ confert omnia Beneficia, quæ Episcopus cum Capitulo per electionem conferre solet; quia gaudet jure Episcopi. Circa autem Beneficia, quæ ab Episcopo & capitulo per electionem conferuntur, si quam jurisdictionem spiritualem ea Beneficia habeant, qualia sunt, v. g. Decanatus, Archidiaconatus, &c. qui hæc Beneficia per Regaliam acceperunt, tenentur sistere se vel Episcopo, vel Capitulo, ut examen subeant tum circa mores, tum circa scientiam; & Rex permittit, ut si digni sint, admittantur, si indigni, rejiciantur, datis tamen in scripto causis, propter quas non admittuntur. Ita edictum Ludovici decimi quarti.

Juxta Declarationes Ludovici decimi quarti, anno 1682. Clero Gallicano consentiente, omnes Episcopatus Galliæ Regaliæ subditi sunt, his exceptis, qui titulo oneroso liberaverant se a tali jure.

Regalia incipit a tempore sedis vacantis, & non clauditur, nisi cum novus Episcopus juramentum præstitit fidelitatis: jusque Regaliæ a sola Parisiensi curia judicatur.

Confess. 2. Rex *jure indulti* confert semel tantum unum Beneficium cujuscumque collatoris, vel sæcularis, qualis est Episcopus, quale est Capitulum sæculare; vel regularis, qualis est communitas regularis: confert, inquam, vel Cancellario, vel Præsidi, vel Senatori curiæ Parisiensis, aut personæ designatæ per Cancellarium, aut per Senatorem,

Digitized by Google

vi illius indulti a Papa concessi, & per litteras Regias collatori intimati, collator astringitur conferre beneficium, quod primo vacat a die, quo ipsi innotescit indultum: si indulsum rejiceret collator, indultarius ejus executionem persequeretur coram Abbate Sancti Victoris. Indultarius potest semel tantum in vita uti privilegio indulti; & collator non potest nisi semel in vita hoc onere gravari: & communitas, v.g. Monasterium non potest eodem onere gravari, nisi semel per vitam Regis. Totum istud patet ex Bulla Eugenii quarti, & ex bulla Pauli tertii, quibus jus illud statutum est: ita habetur *Mem. du Clergé*, 2. p. tit. 9.

Confess. 3. *Rex jure adventus ad Coronam*, seu ratione consecrationis, potest conferre quamcumque primam Cathedralis Ecclesiæ Præbendam, quæ vacat a die, quo Rex coronatus est, & quamcumque Præbendam, cujus Episcopus est Collator, quæque vacat a die, quo novus Episcopus juramentum præstitit fidelitatis. Jus illud, litesque, quæ circa illud agitantur, a sola curia Parisiensi judicantur: ita habetur. *Mem. du Clergé*, 2. p. tit. 8. & *Declar. du Roy* 22. Octob. 1612. & *Decla.* 15. Mart. 1646.

Confess. 4. *Rex jure Patronatus* confert ea omnia beneficia, quorum ipse est Patronus, aut quorum nobiles viri Patroni fuerunt, quorumque juri Rex successit: Rex etenim non est pejoris conditionis, quam Patroni privati. Si ergo Patronus quilibet præsentet instituendum ad beneficium, cujus est Patronus; id poterit & Rex. Ut autem quilibet sciat, quæ sunt beneficia, quorum Rex est fundator, hic ea Gallice recenseo.

Les Benefices cy dessous enoncès sont de fondation Royale. 1. Les Canonicats de St. Sauveur à Blois, de St. Fourcy à Perone, de Notre Dame à Clery, de St. Pierre au Mans de Notre Dame à Estampes, de St. Spire à Corbeil, de St. Etienne à Troyes, de St. Melon à Pontoise, de St. Florentin à Reye, de la Vierge à St. Quintin, de Toussains a Mortaignes, de la St. Chapelle à Paris, à Dijon, à Bourges, de St. Vulfran à Abbeville, de St. André à Grenoble, des Prieurez du Val de Choux. Voyez Choppin. liv. de la Police. tit. 1. n. 18. On en decouvre tous les jours des nouveaux, qu'on ne peut apprendre, que de ceux qui etudient le droit du Domaine du Roy.

Confess. 5. *Jure fundationis Regiæ* Rex confert omnia Beneficia, quæ sunt fundationis Regis; quia est specialis Patronus quoad ista Beneficia; ideoque potest præsentare eos, qui instituendi sunt. Catalogum Beneficiorum, quorum Rex est Patronus, habes apud eumdem auctorem.

Confess. 6. *Rex jure concordati* inter Leonem decimum & Franciscum Primum, nominat, seu præsentat ad omnia Beneficia, quæ sunt Consistorialia, qualia sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, & Abbatiæ omnes regulares, non electivæ, quæ dantur in commendam: & Papa dando Bullas, confert institutionem Canonicam: sed sicuti Patronus tenetur præsentare non indignum, sed dignum; ita &c. Tenetur ergo nominare ad Episcopatum Clericum, qui vigesimum septimum annum compleverit; & qui sit vel Doctor, vel Licentiatus vel in Theologia, vel in jure Canonico aut civili, nisi esset Princeps; quia eo in casu ratione dignitatis ab ea regula eximeretur. Qui nominantur ad Abbatiam, aut Prioratum regularem, debent attigisse vigesimum tertium ætatis annum, & insuper oportet, ut ejus sint Ordinis, in quo est Abbatia, vel Prioratus. Si secus faceret Rex, nominatio devolveretur ad Papam, quia *qui dat incapaci, dat nulli*. Dicam Gallice Beneficia, quæ non conferuntur secundum regulas concordati. *Les Benefices cy dessous enoncès ne sont pas de la nomination du Roy. 1. Tous les Chefs d'Ordre. 2. Les Prieurez de Ste. Claire par l'Ordonnance d'Orleans* 1560. Art. 3. 3. *Les Dignitez des Eglises Cathedrales, Collegiales, & Conventuelles: par Ordonnance de Blois*. art. 1. & 7. 4. *Les commanderies de St. Antoine*. Choppin. liv. 1. *De sa Police*. 5. *L'Abbaye de St. Honoré de Lerins en Provence. Par le consentemente d'Henry* II. 1547. *Et par celuy d'Henry* IV. 1597. 6. *Tous les Monasteres de la Caze St. Benoit, & de St. Sulpice à Bourges*. 7. *L'Abbaye de St. Genevieve de Paris*. 8. *Les Abbayes de Citeaux, Clairvaux, Laferte, Morimont, & Pontigny, Par la liberalité d'Henry* IV. *an.* 1598.

§. VI. *De Patronis*.

Confess. unicum. Patronus, id est ille, qui ædificavit, vel dotavit, vel fundavit Ecclesiam, potest ad ea omnia Beneficia vacantia nominare, quorum sese Patronum probat vel per instrumenta indubitata; vel per possessionem immemorabilem. Cap. *Novis fuit* de jure Patronatus, & Cap. *Pia mentis* Causa 15. quæst. 7. Fieri debet præsentatio a Laico Patrono intra menses quatuor, ab Ecclesiastico intra menses sex, licet jus Patronatus a Laico acquisiverit. Cap. *Unico* §. *Verum* de jure Patron. in 6. Patronus Ecclesiasticus, eum semel aliquem præsentaverit, variare non potest, alium præsentando; quippe si præsentet indignum, cadit suo jure pro hac vice, & collatio devolvitur ad Superiorem. Laicus vero variare potest; quia Ecclesiasticus habere debet scientiam Canonum, minime vero Laicus. Cap. *Pastoralis* de jure Patron. Patronus seipsum præsentare non potest, alias videretur se ingerere. Cap. *Per nostras* eodem tit. Decet, ut non præsentet filium, ut appareat, se non quærere commodum familiæ. Cap. *consuluit*. Tamen non excluditur filius a præsentatione. Cap. *Per nostras* eodem tit. Si plures sint ejusdem Ecclesiæ Patroni, possunt convenire, ut singuli alternis vicibus præsentent. Clemen. *Plures*. De jure Patron. Si discordent, Beneficium Episcopus pro suo arbitrio conferre potest. Cap. *Quoniam* de jure Patron. Facta præsentatione, institutio debet subsequi; ille, cui jus est instituendi, debet præsentatos, si sint idonei, recipere, si non sint idonei, repellere. Cap. *Significasti* de jure Patron. Jus Patronatus transit una cum fundo ad eum, qui acquirit fundum, sive acquirat titulo hæreditatis, sive titulo donationis, sive titulo emptionis, vel permutationis. Clemen. *Plures* de jure Patron. Patronus nil proprie juris habet in Ecclesia. Can. *Pia mentis*. Potest & debet bonorum Ecclesiæ a se fundatæ sollicitudinem gerere. Can. *Filius*. Causa 6. qu. 7. Si Patronus ad inopiam redigatur, potest subsidium ab Ecclesia petere. Cap. *Nobis fuit* de jure Patron. Ei debetur præcessionis honos. *Nobis* Eod. tit. Cedat jus Patronatus, si jus suum Ecclesiæ contulerit, si Ecclesiam

Digitized by Google

sine reservatione juris competentis patiatur fieri Collegiatam, si Ædes sacræ terræmotu aut alio vitio interierint, si Ecclesia infidelibus occupetur, si Patronus sit Hæreticus. Cap. *Vergentis* de Hæreticis.

§. VII. *De Universitatibus*.

Concord. unicum. Universitates possunt ad Beneficia non Consistorialia, & non Patronata, nec per indultum, vel mandatum reservata, nominare, quando vacant mensibus Graduatorum scilicet, Januario, Aprili, Julio, & Octobri, præsentando Graduatos, vel simplices, ut dicunt, vel formatos; & collator beneficium mensibus Januario, & Julio vacans, tenetur conferre Graduato formato antiquiori & digniori, scilicet, Theologo potius quam Canonistæ, Doctori potius quam Baccalaureo; potest vero beneficium conferre, cui libuerit Graduatorum simplicium, mensibus April. & Octobri, ut patet ex Conc. Basileensi sess. 31.

Est autem Graduatus, ille qui studuit tempore, per concordatum præscripto. Graduatus autem triplex est: Graduatus præcise, Graduatus simplex, & Graduatus formatus. Graduatus præcise is est, qui licet non studuerit in Universitate famosa, in ea tamen examinatus & capax repertus, gradum obtinuit, sed litteras sui gradus non insinuavit. Graduatus simplex est ille, qui tempore requisito studuit in Universitate, & gradum obtinuit, & Litteras sui gradus in aliqua Diœcesi insinuavit: Graduatus vero formatus est ille, qui tempore requisito in Universitate studuit, gradum consecutus est, litterasve sui gradus in aliqua Diœcesi insinuavit, & insuper litteras ab Universitate obtinuit, quibus ab Universitate ad beneficia designatur; inde est, quod vocetur Graduatus nominatus.

Graduatus præcise potest accipere ea beneficia, quæ vacant extra menses Graduatorum, v. g. beneficia in vicis muratis, vacantia extra menses Graduatorum. Graduatus simplex potest recipere Beneficia, quæ vacant in mensibus Aprilis & Octobris, qui dicuntur menses gratiæ. Graduato formato conferri debent beneficia, quæ vacant mensibus Januario & Julio. Quanto autem tempore studendum sit, habes ex concordato de collationibus, ubi sic legitur: *Tempus autem competens decennium in Magistris, seu Licentiatis, aut Baccalaureis in Theologia; septennium vero in Doctoribus, seu Licentiatis in jure Canonico, Civili, aut Medicina; quinquennium autem in Magistris, seu Licentiatis in artibus cum rigore examinis a Logicalibus inclusive; sexennium autem in Baccalaureis simplicibus in Theologia; quinquennium vero in Baccalaureis juris Canonici, aut Civilis; si ex utroque parente nobiles fuerint, triennium esse decernimus*.

Præter studium prædictum requiritur adhuc, 1. Quod Graduatus sit Regnicola; aut si sit externus, oportet ut litteras a Principe receperit, quibus Regnicolæ privilegiis potiatur. Glossa in Proœmio *Pragmatica Sanctionis*. 2. Quod sit tonsura initiatus. Cap. *Cum idio* de rescriptis. 3. Quod sit natus ex legitimo matrimonio. Can. *De filiis Presbyterorum*. 4. Quod sit sæcularis pro beneficio sæculari, regularis pro regulari, juxta regulam; *Secularia sæcularibus, regularia regularibus*. 5. Quod attigerit annum vigesimum tertium, si beneficium obtinendum annexam habeat curam animarum. 6. Quod nullum aliud beneficium, quantumvis tenue, habeat, si sit regularis; quippe per unicum beneficium & victui, & vestitui regularibus paupertatem professis sufficienter providetur; si vero Graduatus sit sæcularis, requiritur, quod non habeat in regno beneficium, cujus redditus ad 400. libras pertingat; quia si ex beneficio habeat unde decenter vivere valeat, non debet ex vi gradus beneficium aliud consequi, alias privilegium Universitati concessum cupiditatem foveret. 7. Oportet, quod post primam insinuationem, factam in aliqua Diœcesi, eam quolibet anno renovet, quam si omiserit, pro eo anno suo jure decidit. Renovatur autem hac formula: *Vobis, & Reverendo Patri N. insinuo, & exhibeo nomen meum, & cognomen, quod est N. N. requirens mihi provideri de beneficio, ut in prima mea requisitione continetur*. Concord. Cap. De Collatione. 8. Requiritur, quod collatio beneficii, facta in favorem Graduati simplicis, has voces contineat: *Tibi Graduato simplici*, vel, *Tibi tamquam Graduato*, vel *Tibi capaci & sufficienti*. Facta vero in favorem Graduati nominati, debet istas voces continere: *Tibi Graduato nominato*.

ARTICULUS VII.

De peccatis, quæ committi possunt ab iis, qui conferunt Beneficia.

PRop. unica. Qui conferunt beneficia, sive illud fiat per electionem, sive per præsentationem, sive per resignationem, debent solam Dei gloriam quærere, & majorem Ecclesiæ utilitatem; alias peccant peccato gravissimo.

Prob. 1. Scriptura; *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Epist. 1. Ad Timoth. vers. 22. Et ita per quamdam proportionem collatori beneficiorum dicitur: nemini cito beneficia contuleris, ne reus fias omnium peccatorum, quæ ab indigno Clerico committuntur.

2. Ex Leone Epist. 1. ad Episcopos Africanos: *Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Quod dicit Leo de Sacerdotali honore, dici potest de beneficio Ecclesiastico. Et Innocent. III. tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, sic habet: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium in personam magis idoneam dispensare*.

3. *Rat.* Prima ratio. Qui confert beneficia est sicuti architectus fundans domum Domini, sicuti præfectus militiæ eligens armatos ad bellum, sicuti Princeps pastorum eligens inferiores pastores ad custodiam ovium. Architectus autem fidelis debet ædificare domum Domini, non ex paleis, festucis, & luto, id est, ex indignis Clericis, sed instar Salomonis ex lapidibus grandibus, & pretiosis, & dolatis, atque quadratis, id est, ex Clericis probatæ vitæ. Præfectus militiæ debet eligere, non imbecilles, sed fortissimos milites, doctos ad prælia. Demum fidelis Pastor debet inferiores Pastores seligere, qui pascant oves, & non qui

Digitized by Google

qui occidant, qui exemplo præluceant, & non vitiis suis scandalo sint. Secunda ratio. Qui conferendo beneficia, non quærit præcipue Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, crimen committit, inquit Ludovicus Granatensis, in quo multiplex reatus invenitur; præferens enim indignum, reus est omnium animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur, reus denique omissionis omnium aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni studio rectoris perficerentur. Quemadmodum autem, qui aut imperitum Medicum, aut ignarum Nauclerum, aut ignarum Ducem, aut pravum Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia consequuta sunt; ita & qui eligit indignum in Ecclesiæ ministrum, omnium malorum consequentium reus est, & vere dicere potest: *Ego sum reus omnium animarum Patris tui*. 1. Reg. c. 22. v. 22.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juxta Antoninum 2. p. tit. 1. cap. 22. §. 1. juxta Covarruviam. 2. §. 7. num. 4. juxta Cajetanum in 2. 2. quæst. 97. art. 2. juxta Navarrum de oratione Miscellanea 38. juxta Lessium lib. 2. de Benefic. cap. 34. dub. 13. num. 66. graviter peccant qui conferunt beneficia, quæcumque illa sint, sive simplicia, sive non simplicia, iis, qui indigni sunt; quia non quærunt majorem Dei gloriam, & majorem Ecclesiæ utilitatem .... Illud confirmat Concilium Lateranense IV. can. 26. *Nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum.... Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimen animarum assumptus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & personam electi, ut, cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat; quia, si secus fuerit incaute præsumptum, non solum dejiciendus est indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus.* Et can. 30. non solum loquitur de beneficiis curatis, sed etiam de beneficiis simplicibus, & ait: *Præcipimus, ut prætermissis indignis assumant idoneos, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum*. Quos canones Trident. renovavit sess. 7. c. 3. Optime enim ait Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio: *Equidem non opinor aliunde in Ecclesia tam multas turbas nasci, quam ex Episcoporum & Antistitum electionibus, casu potius ac temere, quam diligenter & accurate factis; nam Caput valentissimum esse oportet*. Omnis autem Beneficiatus est aliquo modo Caput.

Consect. 2. Graviter peccant, qui beneficia, curam animarum annexam habentia, non conferunt, non solum dignis, sed etiam dignioribus; quia non quærunt majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem: id confirmat Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. *Ubi Collatores hortatur & monet eos, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint: non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curarint*. Quod adeo verum est, ut damnata fuerit sequens propositio ab Innocen. XI. *Cum dicit Concilium Trid. eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, ad Ecclesias promoveant; Concilium primo videtur per hoc Digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit Digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus*. Illud confirmat Concil. Basileense, quod in Pragmatica Sanctione decrevit, ut collatores ita jurent: *Ego juro, & promitto Omnipotenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere, quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem; nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut alium interposita, aut aliter qualitercumque directe vel indirecte pro se electionem procurare*. Et in hoc Conc. sequitur antiquum Ecclesiæ usum; teste enim Origene, in cap. 8. Levit. sic eligebatur Sacerdos: *Requiritur*, inquit, *in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, ut sciant omnes, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sapientior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur in Sacerdotem*, idest eligitur, ut curam animarum habeat.

Consect. 3. Peccant graviter qui beneficia simplicia conferunt consanguineis indignis, vel qui beneficia curata conferunt minus dignis rejectis extraneis dignioribus: ita docet D. Thomas 2. 2. q. 63. a. 2. ad 1. *Circa consanguineos Prælati distinguendum est, quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune; & sic, si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quandoque vero consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æque digni ut alii, & sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre; quia saltem in hoc præminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent; esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi*. In hoc D. Th. sequutus est Doctrinam August. sic paucis verbis expressam Epist. 19. ad Hieron: *Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?*

Consect. 4. Peccant graviter patroni, qui minus dignum præsentant, postpositis dignioribus; quia non quærunt majorem Ecclesiæ utilitatem. Non tamen peccant Episcopi illos instituendo in Beneficiis, si non possint in foro contentioso illorum indignitatem probare; quia ex rigore juris tenentur instituere eum, quem patronus præsentat, Cap. Cum dilectus de electione. Quamobrem in re tanti momenti, inquit Lessius, lib. 2. de Beneficiis c. 33. Dubio 3. n. 29. *tenentur Superiores sub peccato mortali dare operam, ut quam maxime idoneis conferantur talia Officia*.

Monit. Absque peccato conferuntur Beneficia curam ani-

Digitized by Google

animarum annexam habentia, minus sanctis, & minus doctis, si Ecclesiæ, cui providendum est, utiliores futuri judicentur iis, qui sanctiores sunt, atque doctiores: quia tunc quæritur major Ecclesiæ utilitas: ita D. Thom. Quodlibeto 2. quæst. 5. art. 2. *Aliquis potest dici melior dupliciter: uno modo simpliciter, qui est sanctior, vel plus habens de caritate: alio modo dicitur aliquis melior, quoad aliquid; contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod Beneficium percipiat, quia aliquis forte potest Ecclesiam magis juvare vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia: Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter; sed tenetur dare meliori quoad hoc.* Propter similem rationem dignum ex Ecclesiæ gremio alteri alias digniori præferre licet; quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 93. art. 2. ad 4. *Ille, qui de Ecclesia gremio assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune; quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus: & propter hoc etiam mandatur Deuter. 17. vers. 15. Non poterit alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.*

Consect. 5. Peccant mortaliter, & insuper excommunicationem incurrunt quicumque simoniace beneficium quodcumque conferunt, sive simonia illa fiat vel per munus a *manu*, vel per munus a *lingua*, vel per munus ab *obsequio*: quod late explicuimus in Tomo I. ubi de simonia. Sed inter simoniacas labes ea est omnium pessima, in qua collator volens concludere matrimonium vel fratris, vel sororis, vel nepotis, vel neptis, vel consanguinei, vel consanguineæ, vel demum amici, aut amicæ, quasi dotis loco aut explicite, aut implicite se beneficium gratis collaturum promittit aut proli ex tali matrimonio nasciturae, aut alicui ex illis, quibus per novum matrimonium collator affinis efficitur; hæc, inquam, conventio est omnium pessima. 1. Quia *promissio ipsa continet simoniacam pravitatem*, cum per eam promoveatur negotium temporale, scilicet matrimonium: ut habetur cap. *Cum essent* de simonia. 2. Quia partes contrahentes matrimonium, si sint hujus simoniacæ conventionis conscii, quadruplex Sacrilegium committunt, primum quidem confitendo, secundum communicando, tertium contrahendo matrimonium in statu peccati mortalis, quartum vero consentiendo simoniæ. 3. Demum quandiu persistunt in illa labe simoniaca, divinam omnem benedictionem a matrimonio suo longe amovent, & divinam iram tum contra se, tum contra filios concitant.

ARTICULUS VIII.

De peccatis, quæ committi solent in pluralitate Beneficiorum.

P*Rop. unica.* Habere plura Beneficia non est ab intrinseco malum, uti, v. g. mentiri, sed ut plurimum multa habere beneficia continet in se plures deformitates.

Prob. 1. Script. *Nemo potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.* Matth. 6. v. 24. Prædicto textu utitur septima Synodus cap. 15. ad excludendam pluralitatem Beneficiorum. *Clericus*, inquit, *non connumeretur in duabus Ecclesiis; audivimus enim, quod nemo potest duobus Dominis servire. Et rursus; Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? Quomodo ergo non erit væ eis, qui Beneficia Beneficiis cumulant?*

II. Ex Patribus. Chrysostomus citatus a D. Th. hæc habet: Quod figuræ non fuit concessum, rei teor esse illicitum, figuræ autem, idest veteri Testamento, non fuit concessum, quod inter Levitas, qui capiebat in Bethlehem, caperet in Jerusalem: cum ergo perfectiores esse debeamus, qui capit in Tyro, non capiat in Damasco.

III. Ex Greg. relato a Grat. dist. 89. ubi sic habetur: *Singula Ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus.*

IV. Ex D. Bernardo Epist. 271. ubi sic legitur: *Nec cuiquam plures dignitates in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem.*

V. Auctorit. D. Th. *Habere plures præbendas, plurimas in se inordinationes continet, utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus, cum Præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis Testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest: & multa alia hujusmodi quæ de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones: & multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bona, ut dare eleemosynam, & hujusmodi.* Quodlib. 9. q. 7. art. in corp. Ideo ait Bernardus: *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.*

VI. *Rat.* Pluralitas in Beneficiis repugnat aliquo modo juri naturali, juri canonico, & juri civili. I. Juri naturali; quia sicut contra naturam est 1. quod unum membrum locum habeat in diversis corporibus; ita & quod Clericus locum habeat in diversis Ecclesiis. 2. Quod caput unius corporis sit membrum alterius; ita pariter quod Clericus, qui est caput in una Ecclesia, sit oculus in alia, v. gr. Episcopus in una Ecclesia, Archidiaconus in alia. II. Juri Canonico; quippe jus Canonicum prohibet sub gravissimis pœnis plura retineri Beneficia, quando alterum sufficit ad commodam Beneficiati sustentationem; ita Concilium Chalcedonense part. 2. cap. 10. ubi sic habetur: *Non licet Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis.* Et Concil. Nicænum II. act. 8. cap. 16. *Clericus ne connumeretur in duabus Ecclesiis.* Ita etiam Can. *Sanctorum Canonum* dist. 70. & extra. Joan. 22. quæ incipit *Execrabilis*. Quos omnes Canones confirmavit Trid. sess. 24. cap. 17. *Statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hocque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed* etiam

etiam ad alia omnia Beneficia, tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. III. Jure civili, jus quippe civile improbat, ut quis duas militiæ præfecturas habeat: ergo a fortiori, ut quis habeat plures titulos diversorum Beneficiorum. Si enim humana Respublica eumdem Ducem variis in arcibus non præficiat, eumdem Consulem variis in urbibus non constituat, eumdem Judicem diversis in curiis præsidere non sinat; quorsum in Republica Christiana idem Clericus variis in Ecclesiis personam ducis, & consulis, & Judicis sustinebit?

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nemini licet possidere simul plura Beneficia incompatibilia, qualia sunt plura Beneficia curata. Item plures dignitates, personatus, vel plura Beneficia uniformia sub eodem tecto; adeo ut qui plura beneficia hujus generis habuerint, nisi infra sex menses unico contenti, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, aut infra annum, cætera dimittant, omnibus ipso jure privati existant, & ad restitutionem fructuum teneantur: ita Trid. sess. 7. c. 2. 4. & sess. 24. cap. 17. *Illi vero, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere; alioquin tam Parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tamquam vacantia libere aliis idoneis conferantur: nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant*. Parochialem tamen Ecclesiam una cum sua annexa Ecclesia, & Canonicatum una pariter cum sua annexa retinere poterit, modo in ea Vicarius cum congrua portione constituatur. Ita habet consuetudo; quippe cum Parochia, aut Canonicatus ita tenuis est, ut Sacerdotem nutrire non valeat; alia ei Ecclesia adjungitur. Ita cap. *Eam te*: de ætat. & qualit.

Consect. 2. Nemini licet possidere plura beneficia diversi generis, quorum quodlibet residentiam postulet in sua Ecclesia: ita plurima jubent Concilia Generalia, nimirum Chalcedonense, Nicænum II. &c. & cap. *Ad hoc licet* de Præb. sic habet: *Omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesiis plures dignitates, vel personatus obtineat, cum singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum*. Ingens illud malum ita describit extra. Joan. 22. c. *Execrabilis; Habentibus plura Beneficia paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, Hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilium, quæ magnificentia extruxerat decessorum; & quod amarius est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur*.

Consect. 3. Plura beneficia cujuscumque naturæ retinere non licet, quando alterum est sufficiens ad vitam honeste sustentandam: ita jubet Trid. sess. 24. c. 17. Vide locum supra citatum. *Sancta Synodus... statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*, ergo si unum sufficiat, non erit licitum aliud retinere, vel accipere. Quod adeo constans est, ut Durand. sic loquatur: *Theologorum communiter hoc habet opinio, quod si unum Beneficium habens, de quo potest non laute, nec ad elationem & pompam, sed convenienter & mediocriter sustentari, recipiat, vel retineat aliud, mortaliter peccat*. Et Facultas Par. an. 1238. ait: *Nemo potest duo Beneficia, si alterum sit sufficiens ad alendum, obtinere sine peccato mortali*.

Consect. 4. Dispensatio a Summo Pontifice concessa, non excusat a peccato, si non sit legitimis de causis concessa: illud patet ex Conc. Lat. IV. *c.* 29. *In eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiam si curam non habeat animarum. Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*.

Ratio autem dispensandi non alia esse potest, quam major Ecclesiæ utilitas, ut dictum est ubi de Dispensatione.

De dispensationibus autem sine causa concessis sic loquitur Bernardus ep. ad Robertum: *Quid sibi blandiris de dispensatione, cujus conscientia tenetur divina sententia ligata?* Et Bellarminus: *Sciendum est Pontificiam dispensationem, quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli*, ut aperte docet D. Th. Idem tenet Guillelmus Episcopus Parisiensis, Cajetanus, Toletus, Panormitanus. Cajetanus enim sic loquitur. *Dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum & morale; pluralitas autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum & morale*. De verb. beneficium. Toletus vero sic habet lib. 5. c. 4. *Quando causa* dispensans in pluralitate beneficiorum *non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo*. Tandem Panorm. sic loquitur: *Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem Beneficiorum sine causa, etiam si sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non est tamen quoad triumphantem*: in c. *Dudum* de elect. Intentio etiam expendendi redditus Beneficiorum non excusat beneficiorum pluralitatem; quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona ... nec Deus exigit a nobis eleemosynas ultra vires, & redditus nostros.

ARTICULUS IX.

De Residentia.

Residentia est in loco beneficii commoratio; muniorumque Ecclesiasticorum functio; nam residentia, ut ait Fagnanus, debet esse laboriosa, non desidiosa, cum Beneficia ad divinum cultum & Ecclesiastica munia sint constituta. In caput *Licet* de Præbendis n. 23.

Prop. 1. Qui habet beneficium, cui annexa est

cura

Digitized by Google

cura animarum, tenetur residere in loco debito, idest tenetur exhibere personale ministerium in loco, in quo est beneficium.

Prob. Ex titulis, quos Scriptura attribuit his, qui talia beneficia habent; siquidem illi beneficiati vocantur *Pastores*, *Speculatores*, *Magistri*, *Rectores*, *Doctores*, *lux populi*: quæ omnia denotant munia, & officia præsentiam personalem exigentia, ut innuit textus Joan. c. 10. v. 11. *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Et v. 2. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium, huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur; quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum* ... Quæ omnia manifeste ostendunt, Pastorem non debere ab ovili suo abesse.

2. Ex Conc. Can. *Si quis Presbyter, vel Diaconus*. 7. q. 1. Can. *Clericus ab instanti*. 21. q. 1. Can. *Placuit ut a nullo*. 7. q. 1. Can. *Scisitaris itaque*. 7. q. 1. cap. *Quia nonnulli* de Clericis non residentibus. In omnibus his locis præcipitur Clericis, ut in suis Ecclesiis commorentur, & gregi suo invigilent. Demum Trid. sess. 6. c. 1. de refor. monet Clericos: *Ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant.*

3. *Rat.* Desumpta ex Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de ref. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt*: ergo beneficiati habentes curam animarum tenentur in loco debito residere.

Prop. 2. Nihil est, quod ab obligatione residentiæ dispenset, nisi Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. De refor. *Cum christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit.*

2. *Rat.* D. Th. In qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis: obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem: & ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam ponere teneatur pro ovibus suis. Cum vero salus ovium postulabit, ut absint Pastores, tunc Pastores abesse poterunt; quia finis residentiæ est utilitas fidelium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De his qui residere debent*. Episcopi, & Parochi, Abbates, Cardinales &c. tenentur in suis beneficiis residere; quia hi omnes curam habent animarum. Item residere tenentur qui dignitates, Canonicatus, Præbendas &c. in Ecclesia obtinent, & ultra tres menses vel discretos, vel continuos abesse non possunt: ita determinavit Trid. sess. 24. cap. 12. De ref. *Non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.*

Consect. 2. *De loco & tempore residentiæ*. Parochus non potest extra limites Parochiæ manere, sed debet manere in loco commodiori Parochianis, juxta determinationem Episcopi: ita multoties respondit Sacra Congregatio. Unde Episcopi, Parochi, Abbates &c. tempore pestis debent in suis beneficiis residere; quia tunc temporis oves maxime egent Pastoribus. Pastor bonus, cum opus est, animam ponit pro ovibus suis; Mercenarius vero fugit. Ita determinavit Congregatio Concilii, teste Fagnano in cap. *Non liceat* de Præbendis & dignitatibus n. 45. 46. 47.

Consect. 3. *De modo residendi*. Episcopi, Parochi, Abbates &c. debent per seipsos, & non per Vicarios residere: quia cuilibet Pastori in persona Petri dictum est: *Pasce oves meas*; minime vero, solum cura, ut pascantur oves meæ: *Qui enim*, ait Bernardus, *per Vicarium inservit, in Vicario remunerabitur*. Si tamen Parochialis Ecclesia Præbendæ vel dignitati annexa sit, tum Parochus residens in majori Ecclesia, debet idoneum Vicarium statuere in Ecclesia Parochiali: ita cap. *Extirpanda* de Præbendis. Unde Episcopi, Parochi, Abbates, &c. non satisfaciunt præcepto residentiæ, si corporaliter tantum resideant, & Pastoris munia per seipsos non obeant ... quia residentia debet esse non otiosa, sed laboriosa; quod expressit Tridentinum jubet, ut Pastores oves suas pascant, & regant. Clerici quippe, qui obligantur ad residentiam, debent se gerere, ut pastores, ut medici, ut nutritii: debent esse ut *Pastores*, non quales erant Pastores Synagogæ, de quibus Ezechiel ait cap. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis*; sed tales debent esse, qualis describitur pastor Novi Testamenti ab eodem Ezech. ibid. *Suscitabo super ea armenta Pastorem meum, qui pascat ea, servum meum David: ipse pascet ea, &*

ipse

Digitized by Google

ipse erit eis in Pastorem. Qualis autem fuit Christus Princeps Pastorum, tales decet esse Clericos suis in locis, in quibus resident. 2. Debent esse ut medici, non tales quidem, quales describuntur apud Ezechiel. ib. his verbis: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis*; sed tales debent esse medici, qualis est Christus, de quo scriptum est: *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. 3. Debent esse nutritii, non tales, quales describit Propheta dicens: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*.

Consect. 4. *De peccato & pœna non residentium*. Episcopi, Abbates, Parochi, Canonici &c. quamdiu absunt sine causa, sunt in statu peccati mortalis, & fructus beneficiorum suorum non possunt percipere: ita Trid. sess. 23. cap. 1. *Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur*. Unde distributiones quotidianas illi solum habent jus percipiendi, qui divinis intersunt officiis, nisi justa ex causa dispensentur; ut docet Trid. sess.24. c. 12. *Distributiones vero*, inquit, *qui statutis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*. Distributiones tamen quotidianas, licet absentes, percipere possunt ægroti, senes, injuste incarcerati, Canonici Theologi, qui vel concionantur, Canonici pœnitentiarii, qui audiunt confessiones, vel Canonici Curati, qui Parochi munus obeunt: ita declaravit Congregatio. Minime vero illi, qui absunt sola studiorum causa; tunc enim grossam, ut dicunt, accipiunt, non vero quotidianas distributiones.

ARTICULUS X.

De causis excusantibus a Residentia.

P*Rop. unica*. Nulla est causa valide dispensans a residentia, nisi bonum vel universalis, vel particularis Ecclesiæ, aut ingens utilitas Reipublicæ.

Prob. ratione desumpta ex Trid. sess. 23. cap. 1. Nemo potest abesse a sua Ecclesia etiam per trimestre concessum a Concilio, nisi *id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento*: atqui, ut diximus in primo tomo loquentes de dispensatione, sola justa causa dispensandi est, non cupiditas, sed caritas, non bonum privatum, sed publicum: ergo nulla est causa valide dispensans a residentia, nisi bonum Ecclesiæ, vel universalis, vel particularis, vel ingens utilitas Reipublicæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I. *De fictis titulis non residendi.*

Consect. 1. Tenuitas fructuum non excusat a residentia; quia Parochus ei debet adhærere Ecclesiæ, quam desponsavit, sicuti maritus debet adhærere uxori, quam duxit: ita respondit Congregatio, teste Fagnano, supra caput *Extirpandæ*: sed Parochus debet compellere Episcopum, aut parochianos, ut ei congruam assignent portionem.

Consect. 2. Numerus exiguus parochianorum non excusat a residentia: ita declaravit Congregatio, teste Fagnano, ibid.

Consect. 3. Episcopi, Parochi, Abbates, & Canonici &c. non possunt trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestris sequentis jungere; adeo ut licite valeant jungere absentiam mensibus Octobri, Novembri, Decembri anni currentis, & prorogare absentiam mensibus Januario, Februario, & Martio anni sequentis: ita respondit Congregatio, teste Fagnano; quia sic diuturnior foret absentia, & insuper Pastores abessent ab Ecclesia tempore adventus & quadragesimæ, quo tempore decet Pastores ovibus suis invigilare, easque verbo, exemplo, & Sacramentorum administratione pascere.

Consect. 4. Juxta Carolum Borromæum non excusantur a residentia qui hic subjiciuntur. 1. *Qui beneficium Ecclesiasticum habet, de cujus titulo adhuc lis & controversia pendet*: 2. *Ille, qui nondum Sacerdotio, aut eo Ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus est; nec præterea, qui justa aliqua causa, impedimentove distinetur, quominus eo initietur*. 3. *Nec vero a residentiæ munere liberi sunt qui tertiam partem fructuum, qui sibi ex dignitatibus adveniebant, quas in Ecclesiis Cathedralibus obeunt, in distributiones contulerint: immo vero, si cetera etiam, quæ in Trid. decreto in sess. 24. promulgato, ipsis præscripta sunt, præstare ab Episcopo cogantur*: 4. *Nec ille quidem excusetur cujus Ecclesia, aut beneficium ejusmodi est, unde omnis, aut certe magna pars fructuum, aliquo modo reservata, ad alium pervenit*. Ita habetur expressis terminis Lib. 4. constit. Synodalium Ecclesiæ Mediolanensis c. 30.

Consect. 5. Episcopi, Parochi, Abbates, Canonici &c. qui assidue resident in suis Beneficiis, non possunt sine causa uti licentia non residendi, quam concedit Trid. quia, ut ait Vanespen de instituto & officio Canonici par. 3. c. 5. §. 2. Concilium absentiam trium mensium non approbat, sed tolerat; juste tamen conceditur assidue residentibus, ut interdum absint relaxationis causa: Concilium quippe non dat licentiam non residendi, nisi ex justa causa. Causæ autem non residendi ex dictis sunt. 1. Utilitas vel totius, vel ipsius, cui præest, Ecclesiæ: & sic Episcopi possunt abesse a suis Ecclesiis, ut eant in Concilium vel Provinciale, vel Universale, quod in bonum Ecclesiæ convocatur; ut eant in curiam Romanam, vel in aulam Regiam jura suæ Ecclesiæ defendendi causa: ita cap. *ex parte* 11. de Cler. non resid. *Propositura tua jura fideliter prosequeris, cum ex hoc censeri debeas residens, perjurium non incurrit*. 2. Civilis Reipublicæ utilitas: & sic Episcopi possunt adesse comi-

comitiis generalibus, ut causam etiam temporalem populorum sustineant; licentia tamen debet a legitimo superiore & peti, & obtineri, exceptis casibus repentine occurrentibus: ut docet Fagnanus in c. *Relatum* de clericis non resident.

§. II. *De justis titulis non residendi.*

Consect. 1. Juxta Carolum Borromæum excusantur a residentia qui ob Seminarii causam, ob senectutem, ob adversam valetudinem, ob cæli intemperiem, ob populi odium, diutius absunt: modo in his casibus pastor, qui residere possit, Ecclesiæ provideatur. Ita Conc. Mediol. V. p. 3. tit. de residentia.

Consect. 2. Excusantur a residentia Theologiæ Professores, quamdiu in Scholis docent: item Scholares, si serio studio vacent, secus, si non studeant, per quinquennium excusantur a residentia, & fructus Beneficiorum suorum, exceptis quotidianis distributionibus possunt licite percipere; ita Trid. *Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis studens, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, prabendarum & beneficiorum suorum, in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant, & fruantur.* §. 5. c. 1. quia, ut dicitur cap. *Super specula* de magistris; *Cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Idem privilegium conceditur & Professoribus, & studentibus in jure canonico, ut declaravit Sacra Congregatio, teste Fagnano. Facultas debet concedi ab Episcopo; sed hac facultate, eoque privilegio privantur, qui non student, sed aliis omnino rebus vacant: ita Conc. Turon. an. 1583. c. 13. Illud idem privilegium Parochis concedi non potest, juxta Conc. Aquense an. 1586. Usus tamen contrarius in Gallia prævaluit.

Consect. 3. Duo Canonici, Episcopo ad Ecclesiæ utilitatem servientes, a residentia legitime excusantur, fructusque Beneficiorum legitime percipiunt: ita c. *Ad audientiam* de Clericis non resident.

Consect. 4. Regiæ Capellæ Clerici a residentia pariter dispensantur, durante servitii tempore; sed eo elapso tempore, ad Ecclesias suas redire, eisque servire tenentur. Illud privilegium concessum est Regi Galliæ a Clemente VI. confirmatum a Pio II.

Consect. 5. Episcopi, & Archiepiscopi, vocati a Rege, vel Imperatore, causa vel pacis stabiliendæ, aut procurandæ, vel causa consilii dandi, vel causa legationis obeundæ apud exteros, a residentia dispensantur: ita Fagnanus in c. *Qualiter* de Clericis non residentibus, n. 16. quia id bonum Reipublicæ exigit.

Consect. 6. Cum Pastor specialiter quæritur, ut ei mors inferatur, tunc si ejus præsentia non sit ovibus necessaria, licite potest fugere: minime vero, si ejus præsentia sit eis necessaria, ut docet D. Th. 2. 2. q. 185. a. 5. in corp. *Ubi*, inquit, *subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere.* Idem docet Aug. Ep. 180. ad Honoratum, ubi sic habet disertis verbis: *Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quispiam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia: cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent.* Sic in nupera phanaticorum persecutione, qui Pastores quærebant ad mortem, & non oves, prudenter quidam Pastores fugerunt; quia, ut innuit Aug. Pastor potest fugere, cum inquiritur Pastorum mors, & non ovium. *Fugiat*, inquit, *minister Christi, sicut ipse Christus in Ægyptum fugit: fugiat exemplo Pauli, qui a Fratribus per murum submissus est in sporta.* Fugiat jussus a Christo; ait enim Dominus discipulis: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Fugiat exemplo Christi; ille enim abscondit se, & exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum.

Monit. Quicumque justis de causis a residentia dispensantur, tenentur Ecclesiæ, quam deserunt, idoneum Pastorem providere: ut expresse jubet Conc. Trid. sess. 23. c. 1. *Ita tamen*, inquit, *ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.*

ARTICULUS XI.

Quas obligationes induat Beneficium simplex.

PRop. un. Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam nullum est Beneficium, etiam simplex, quod aliquod ministerium adjunctum non habeat, quod exercendum est ab eo, qui Beneficium illud obtinuit.

Prob. 1. Script. D. Paulus 2. ad Tim. 3. generatim dicit: *Qui non laborat, non manducet*: ergo, qui percipit redditus Ecclesiæ, debet Ecclesiæ aliquod impendere Ministerium.

2. Ex Conc. Trid. sess. 21. c. 3. de refor. *Beneficia ad divinum Cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda, sunt constituta*; ergo nullum est beneficium, etiam simplex, quod aliquod ministerium Ecclesiasticum non exigat.

3. *Rat.* Desumpta ex jure Canonico. *Beneficia Ecclesiarum propter Officia, seu ministeria divina instituta fuerunt*, ut habet Glossa in caput *Ex parte tua* de Officio Vicarii; ergo cum lex non eximat Beneficium simplex a Ministerio Ecclesiastico, Beneficiarius quilibet, etiamsi Beneficium dumtaxat simplex obtinuerit, tenetur tamen aliquod Ministerium Ecclesiæ exhibere, alias injuste redditus Ecclesiasticos percipit. Inde est, quod in Concil. Agathensi Can. 36. dicitur: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanter deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum SERVITII sui meritum per ordinationem Canonum a Sacerdotibus consequantur*; ergo & redditus percipi solum debeant juxta

SER-

Digitized by Google

SERVITIUM, nullos possunt percipere redditus qui nullum Ecclesiæ impendunt ministerium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clericus, qui potitur solum Beneficio simplici, tenetur ad omnia munia communia Clericis, sive ea munia respiciant Deum, sive Ecclesiam, sive proximum, sive seipsum; (de quibus Officiis agemus ubi de statu Clericorum) quippe si Beneficiarius simplex potitur privilegiis Clericorum, debet & muniis Clericorum vacare; æquum enim est, ut vivat tamquam Clericus, qui exigit tamquam Clericus honorari; juxta hanc regulam juris: *Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & e contra.* Reg. 55. n. 6.

Consect. 2. Qui habet beneficium simplex, debet omnia onera huic beneficio connexa exacte obire, v. g. Missas celebrare, quæ in fundatione exprimuntur, preces recitare &c. quia nemo potest redditus alicujus beneficii percipere, nisi ea exequatur, quæ huic beneficio annectuntur; jus enim naturale exigit, ut pacta & promissa servemus, & conventionibus stemus; beneficium autem simplex est quasi quædam conventio inter fundatorem & beneficiarium; illud expresse definitur in capite *Significatum* de Præbendis, ubi dicitur, quod *Sacerdos* beneficiarius simplex, *nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ*, in qua erat Beneficiarius; *& quanto frequentius potest, salva honestate sua, & debita devotione, Missarum solemnia celebrare.* Tale enim erat onus huic Beneficio annexum: *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.*

Consect. 3. Quamvis beneficiarius simplex non teneatur ad personalem residentiam, tenetur tamen ad specialem quamdam curam erga eam Ecclesiam, ex qua percipit redditus temporales; quippe nemini licet otiose ex Altari vivere, aut lac ex ovibus, quas non custodit, sugere; est enim quilibet beneficiarius quasi sponsus ejus Ecclesiæ, quam desponsavit: ergo si sponsæ suæ personaliter non assistat, eam saltem affectu non deserat. Ideo prioribus Ecclesiæ temporibus, ut habemus ex Conciliis, nullus Clericus ordinabatur, nisi certo loco, certæque Ecclesiæ alligatus; ita enim loquitur Nicænum I. Can. 16. *Quicumque sunt Presbyteri, aut Diaconi ... hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas Parœcias revertantur:* & Chalcedonense Can. 10. sic habet; *Non liceat Clericum in Ecclesiis duarum civitatum ordinari.* Ergo secundum spiritum illorum Canonum, qui spiritus semper viget dum variam mutationem exterior disciplina suscipit; secundum, inquam, mentem illorum Conciliorum, Beneficiarius simplex debet specialem aliquam curam ei Ecclesiæ, cujus est sponsus; v. g. debet bona spiritualia fidelibus illius procurare, puta, Missionem aliquam, qua sponsam suam de tam longa absentia consoletur: debet aliquam suorum redditTuum portionem in fabricam, in ornamenta Altaris, in subsidium pauperum hujus loci reservare: debet interdum eam Ecclesiam invisere, ut sedula inspectione, sollicitoque examine perscrutetur, quid hæc Ecclesia sibi desponsata exigat, quid hi fideles sibi commissi expostant, quid demum major Dei gloria circa illud beneficium efflagitet.

ARTICULUS XII.

Quas Obligationes inducat Beneficium in Commendam.

PRop. 1. Beneficium in Commendam est de genere eorum usuum, quos Tridentina Synodus reformari vehementer exoptat.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 25. c. 21. Cupit Synodus ... *ut iis Monasteriis, quæ nunc Commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, Regulares personæ ejusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi REGULARIBUS spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur:* ergo optat Sancta Synodus, ut usus conferendi Beneficia regularia in commendam reformetur.

2. Ex Rebuffo, Titulo de Commenda, ubi sic habet a nu. X. usque ad XXV. Hæc, inquit, Commendarum nimia indulgentia est exitium totius Reipublicæ Christianæ ... & juxta Clementem V. plurima incommoda ex hac Commendarum concessione oriuntur. 1. Divinus Cultus minuitur; nam multi commendatarii Abbates vix aut numquam sunt in servitio Dei. 2. Animarum cura negligitur. 3. Hospitalitas debita non servatur. 4. Ruinis ædificia patent ... Omnia jura tam spiritualia, quam temporalia ex ministrorum defectu collabuntur. 5. Omnia jura Monasteriorum & Ecclesiæ destruuntur, devastantur, & degluttiuntur ab istis comessatoribus, & hoc probat experientia, tam in lignis nemorum, quam in omnibus aliis rebus Monasteriorum, quas vendunt. 6. Bigamia contrahitur in Ecclesia, cum unus & idem Clericus duas Ecclesias habet; alteram in titulum, alteram in commendam; quod tamen Deus semper odio habuit. *Non licet* tibi, inquit, *habere uxorem fratris. Væ qui cumulatis agrum agro.* 7. Decoloratur universalis Ecclesia; quia nullus est sæcularia Abbas, qui regulam servet, vel disciplinam, vel qui præcipiat servari. Hactenus Rebuffus.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Quando Beneficium regulare nondum est in Commenda, pietas exigit, ut non sollicitis precibus urgeamus Papam, ut illud Beneficium a statu suo naturali, regulari scilicet, ad statum non naturalem, scilicet ad statum Commendæ, transferat; non enim bonum est legem hanc universalem *Regularia Regularibus* extortis privilegiis infringi: numquam enim purior est Ecclesiæ disciplina, quam cum sublatis privilegiis omnes indiscriminatim universalibus legibus subjiciuntur; unde, teste Rebuffo, *cum olim cuidam Sancto Episcopo Parisiensi oblata esset Abbatia*, in Commendam scilicet, *respondit: Absit ut cum sponsa habeam concubinam* & Paulus IV. cum rogaretur, ut cuidam filio Regis, habenti jam Episcopatum, Abbatiam in Commendam concederet, respondit: *Absit, ut in Ecclesia Dei ponam Bigamiam.* Quæ duplex responsio altera Papæ, altera Episcopi Parisiensis aperte ostendunt,

Digitized by Google

dunt, non immunes a peccatis esse eos omnes, qui sollicitis precibus urgent summum Pontificem, ut Beneficium regulare Commendatarium reddat.

Confect. 2. Quando Beneficium regulare est jam in Commenda, pietas exigeret, ut Beneficium illud ad statum regularitatis sibi connaturalem rediret, si hoc commode fieri posset; major enim hinc vulgo oriretur Ecclesiæ utilitas, ut patet exemplo Abbatis *de la Trape*, qui regularitatis zelo incensus Abbatiam suam commendatariam, ad statum regularem revocandam curavit, quique a reformatione inducta pristinum Monasticæ vitæ institutum cum magna Ecclesiæ utilitate ultimis istis temporibus revocavit.

Monit. Tot & tanta aliquando emolumenta ex commendis exoriuntur Ecclesiæ, ut non modo malum non sit, sed etiam maximum bonum, Beneficia jam commendata in commenda persistere, aut nondum commendata in commendam redigi: proinde omni prorsus peccato carent qui regularia Beneficia in commendam suscipiunt: hoc quidem fit quoties judicio prudentis viri existimatur, Abbatem aut Priorem commendatarium Ecclesiæ longe utiliorem fore, quam Abbatem aut Priorem regularem: quod quidem aliquando in certis casibus contingit; quis enim non fateatur multo magis Ecclesiæ prodesse beneficiarium commendatarium eruditum & probatæ vitæ, quam regularem ignarum & vitiosum? quis etiam negat, nos Abbates commendatarios, quales multos jam videmus, qui Ecclesiam sua pietate exornant; suis eruditis scriptis locupletant, utiliores esse, quam alios non paucos regulares Abbates, sola inscitia insignes, qui sub regula sine regula vivunt? Numquid bona eorum Monasteriorum, in quibus nulla viget Monastica disciplina, sanctius destinarentur ad dotanda collegia, ubi adolescentes bonis disciplinis instituantur, ad erigenda Seminaria, ubi clerici nutriantur & ad statum clericalem efformentur, ad fundandas missiones, quibus rudiores populi religionem edoceantur, quam si eadem bona insumantur in nutriendis regularibus, qui nec habitu religioso vestiuntur, nec in eodem Monasterio uniti vivunt, sed sæculari habitu vestiti, in privatis domibus dispersi degunt? qui demum de regularitate nihil nisi vacuum & inane nomen retinent? Circa quod ita pie, & erudite suo more loquitur Dominus de Fleury in suis institutionibus ad jus can. 2. p. c. 26. *Pro certo igitur habendum, quod Ecclesia auctoritatem habet applicandi redditus suos juxta cujuscumque temporis exigentiam: quod justa de causa quædam beneficia sæcularia quibusdam collegiis, aut communitatibus concesserit, quod jus habeat monasteria in commendam reducta donandi Episcopis; quorum Ecclesiæ sufficientes non habeant redditus, & Presbiteris, qui sub Episcopo suo directione utiliter inserviunt. Si quis autem commendis abutitur, & fructus Ecclesiæ percipit ei non inserviendo, aut pecuniam sine necessitate cumulando, stricte in die Judicii Deo rationem reddet.*

Prop. 2. Secundum præsentem Ecclesiæ usum beneficiarii commendatarii, præter communia singulis clericis Officia speciali obligatione tenentur singulas conditiones observare, quæ in Brevi aut Bulla institutionis præscribuntur.

Prob. ratione desumpta ex jure Canonico. Breve aut Bulla instituens beneficiarium Commendatarium est quasi Privilegium, quo contra legem communem Beneficium regulare commendatur sæculari Clerico; quia lex communis sic habet: *Regularia regularibus*: atqui privilegium debet tantum in sua forma servari, & non ultra extendi, ut habetur cap. *Porro*, de Privilegiis: ergo Beneficiarius commendatarius tenetur singulas conditiones exacte observare, quæ in Brevi aut Bulla institutionis præscribuntur.

Consectaria hujus doctrinæ.

Confect. 1. Abbas aut prior commendatarius tenetur ad omnia Officia communia Clericis, ad Officia communia Beneficiariis, & ad munia specialia Abbatibus commendatariis: est enim 1. Clericus, 2. Beneficiarius, 3. demum Abbas commendatarius: ergo ad singula illa Officia obligatur. De Officiis clerici dicetur ubi de statu clericorum. De Officiis Beneficiarii in isto tractatu dictum est. De Officiis commendatarii in sequentibus consectariis agendum.

Confect. 2. Abbas aut prior commendatarius, præcise quatenus commendatarius, non est proprie Beneficiarius, non enim habet Beneficium in titulum, sed in commendam, nec ad vitam, sed ad certum tempus. Nihil potest de fructibus Beneficii percipere: ita expresse definit Glossa in caput *Nemo* De electione in 6. ubi sic habetur: *Hic*, inquit, *de commenda agimus, quæ est custodia Ecclesiæ alicui commissa: & primo quæritur, an talis sit Prælatus, & dico quod non, sed procurator tantum: habet tamen legitimam administrationem ... & quia custos est, nec in Ecclesia jus habet, nec in fructibus nisi ad colligendum, & gubernandum & providendum sibi & Ministris, & quod superest in utilitatem Ecclesiæ convertendum, sicut de Visitatoribus dicitur.* Illi autem Visitatores erant quasi Vicarii in spiritualibus, & quasi tutores in temporalibus, ut notat Dominus de Fleury loco citato; unde fit quod præter justam laboris sui retributionem nihil sibi arrogare possint. *Cautela ergo est*, inquit Rebussus de Commen. num. 26. *quod quia faciat apponere hanc clausulam, scilicet* quod liceat de fructibus disponere: *& tunc impetrans lucrabitur fructus, nec tenebitur de illis rationem reddere quemadmodum si haberet in titulum .... Et si non habeat illam clausulam in Bulla; fac*, inquit, *ut reformetur.*

Confect. 3. Abbas & prior Commendatarius cum hac clausula, *quod liceat de fructibus disponere*, vere est Beneficiarius, haberque Beneficium in titulum, & non in custodiam, habet ad vitam, & non ad certum tempus. Debet in Gallia intra annum ad sacros Ordines promoveri; sic enim habent declarationes super Concilium Trid. sess. 7. c. 2. ubi sic legitur: *Cæterum convenit ut in Galliis indistincte commendatarii teneantur promoveri ad sacros Ordines; ideoque in concessionibus Commendarum Gallicarum apponitur decretum*: ut infra annum Sacris initietur; *alioquin post annum elapsum Commendæ vacant ipso jure.* Illud videtur innui in Clementina *Ne in agro* de statu Monachorum, ubi hæc leguntur: *Cæterum Prioratus Conventuales alicui, nisi XXV. annum attigerit, alii vero curam animarum habentes, etsi cura ipsa per sæculares habeat Presbyteros*

exer-

exerceri, cuiquam, nisi XX. annum peregerit, conferri ne queant aut COMMITTI. Quæ vox videtur Commendam significare; & hoc fit eo fine, *ut se faciant* ad Sacros Ordines *ad Sacerdotium promoveri: quod si, cessante rationabili causa, non fuerint, eo ipso, nulla monitione præmissa, prædictis Prioratibus sint privati.* Idem habent Statuta Blesensia art. IX. Illi Abbates & Priores Conventuales, huic Officio deficientes, privantur Beneficio, & ad restitutionem fructuum obligantur. *Beneficia declarantur vacantia* (addit idem Dominus de Fleury) *& Abbates Prioresque Conventuales tenentur ad restitutionem fructuum, quos perceperunt, ut in pios usus impendantur.* Et quamvis forte & decretalis, & edictum loquantur de Beneficiariis regularibus, tamen juxta praxim Ecclesiæ Gallicanæ eadem lex ad Commendatarios Beneficiarios extenditur.

Consect. 4. Abbas & Prior commendatarius cum hac clausula, *quod liceat de fructibus disponere*, nihil potest attentare circa bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium alienationem: sic enim habent clausulæ in Commenda positæ. *Tale*, inquit Papa, *Monasterium, vel Beneficium auctoritate Apostolica concedimus & commendamus, ac providemus pro te quamdiu vixeris, &c. tenendum & possidendum; ita quod, durante Commenda, hujusmodi de fructibus, & redditibus ipsius N. disponere & ordinare valeas, sicuti veri Priores ipsius Prioratus, qui fuerunt pro tempore, ordinare & disponere potuerunt & debuerunt:* ALIENATIONE tamen BONORUM IMMOBILIUM ET PRETIOSORUM MOBILIUM IPSIUS PRIORATUS Tibi PENITUS INTERDICTA.

Consect. 5. Abbas vel Prior Commendatarius nihil debet circa Divinum cultum attentare, quod eum minuat: sic enim habet Bulla: *Volumus*, inquit Papa, *quod propter hujusmodi Commendam Divinus cultus, ac solitus Monachorum & Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minuatur, sed illius ac dilectorum filiorum Conventus ejusdem congrue supportentur onera consueta; & quod tu, oneribus hujusmodi debite supportatis, nec non QUARTA, si Abbatia sit separata & seorsim a conventuali, si vero communis mensa inibi existat, TERTIA parte omnium fructuum, proventuum Monasterii N. hujusmodi in restaurationem illius fabricæ seu ornamentorum emptionem, vel fulcimentum aut pauperum alimoniam, prout major exegerit & suaserit necessitas, omnibus aliis deductis oneribus, annis singulis impartita, de residuis Monasterii fructibus redditibusque & proventibus disponere & ordinare libere & licite valeas....*

Consect. 6. Abbas, vel Prior Commendatarius potest de tertia fructuum & emolumentorum & redditcuum disponere, tamquam verus illius Beneficii titularis possessor; quia Commenda concessa a summo Pontifice cum prædictis clausulis, est titulus canonicus, quo Abbas, vel Prior in Commendam institutus, fructus Beneficii & suos & proprios efficit, non secus ac alii Beneficiarii: ut docet Rebuffus de pacific. possess. n. 36. Proinde Abbas & Prior Commendatarii possunt Commendam resignare, permutare; Commenda enim censetur verum Beneficium: possunt præsentare, aut nominare ad Beneficia curata, quæ dependent ex Abbatia, vel Prioratu; quia nominatio & præsentatio ad Beneficia sunt in fructu: immo possunt pleno jure beneficia simplicia conferre, quæ ab Abbatia dependent: possunt exigere simul & frui omnibus emolumentis & utilibus & honorificis, quibus fruerentur Abbates & Priores regulares, excepta jurisdictione spirituali circa regulares exercenda; quia hæc omnia sunt in fructu. Sic v. gr. possunt juxta antiquitatem suæ receptionis, vel ante, vel post regulares incedere, ut determinavit Gregor. XIII. an. 1585. consulto a Concilio provinciali Rothomagensi: possunt succedere post mortem Monachorum peculio ab ipsis relicto; quia peculium est in fructu: olim istud ultimum concedebatur solis Cardinalibus Commendatariis; jam istud nulli negatur Commendatario, nisi sint specialia concordata inter Abbatem & Monachos inita, quæ illud impediant: possunt & prohibere ne Monachi tertiam partem fructuum sibi destinatam, vel ultra decennium locent, vel alienando distrahant; etenim utpote custodes in temporalibus bona debent tamquam fidei jussores & curatores bona temporalia Monasterii illæsa & indemnia conservare.

Consect. 7. Abbas & Prior Commendatarius nullam habent jurisdictionem spiritualem exercendam circa regulares; quippe eorum institutio canonica quidem est, sed sæcularis, & non regularis: unde Commendatarius nec tamquam judex, nec tamquam pater potest delinquentes punire, sed solum superiores regulares, vel Episcopos in istorum defectu commonere, ut vel Superiores regulares, vel Episcopi admoniti juxta regulas juris, scandala, si quæ exorta sint, puniant, aut quin exoriantur impediant. Item Commendatarii non possunt Priores claustrales instituere, aut destituere, Novitios admittere, aut rejicere, & alia hujusmodi, quia isthæc omnia pertinent ad jurisdictionem regularem: si tamen Abbas aut Prior commendatarius esset Cardinalis, illa omnia posset & licite, & valide attentare ob eminentem statum sui dignitatem. Ita judicatum an. 1698. in favorem Cardinalis de Condi.

ARTICULUS XIII.

De distributione fructuum Ecclesiasticorum.

NOta, quod bona temporalia Ecclesiæ sunt quadruplicis generis. Istiusmodi bona sunt, 1. Oblationes quotidianæ, ita voluntariæ, ut exigi non possint. Tales sunt oblationes, de quibus Paulus 1. ad Cor. cap. 16. v. 2. *Unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei placuerit:* de quibus pariter Canones Apostolici tertius, quartus, quintus, ubi dicitur: *quod super Altare non ponatur mel, aut lac, aut sicera, nec offerri liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria. Reliqua poma omnia ad domum ut primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur.* 2. Sunt retributiones pro Sacramentis collatis voluntariæ quidem, sed exigibiles; non per subtractionem Sacramentorum, sed per actionem coram judice Ecclesiastico. Tales sunt oblationes, quæ longo usu absque pactione consueverant dari vel pro celebratione Missæ, vel pro Sacramentorum administratione, vel pro sepultura: de quibus oblationibus Concil. Lateran. sub Innoc. X. can. 55.

ita decernit: *Pravas exactiones super his fieri prohibemus & pias consuetudines præcipimus observari ... statuentes ut libere conferantur Sacramenta; sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* 3. Sunt bona immobilia, quorum dominium Ecclesia obtinuit vel per liberalitatem Principum, vel per donationes factas a privatis hominibus, vel per restitutionem bonorum ad Christianos pertinentium, quæ temporibus persecutionum fisco addicta fuerant, vel per quamcumque aliam legitimam acquisitionem. 4. Sunt decimæ omnium fructuum, quæ Ecclesiæ adjudicatæ sunt ad imitationem Synagogæ, cui olim solvebantur. Lateran. III. de decimis p. 4.

Prop. 1. Bona, quorum Ecclesia habet dominium, hoc ipso quod sunt Ecclesiæ, sacra sunt, nec possunt nisi in usus a Deo, vel ab Ecclesia destinatos adhiberi.

Prob. 1. Script. Bona data Apostolis in pios usus, scilicet in eleemosynas, insumebantur; *quia non erat egens* apud primos fideles: Actuum 4. v. 34. ergo bona data Ecclesiæ debent in pios usus insumi.

2. Ex Conciliis. Ex can. 40. Apostolorum, qui ita juxta antiquam versionem: *Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret, tamquam Deo intuente: nec liceat aut ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, largiri. Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, sed non eorum prætextu vendat quæ sunt Ecclesiæ.*

3. Ex can. 23. Conc. VI. Carthag. *Episcopus rebus Ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur.* Et Alex. III. c. *Fraternitatem* De donationibus: *Cum Episcopus, & quilibet Prælatus rerum Ecclesiasticarum sit procurator, non dominus*: ergo bona Ecclesiæ non possunt, nisi in pios usus insumi.

4. Ex Patribus. Aug. *Quæ*, inquit, *Sacrosanctis Ecclesiis a fidelibus collata sunt, Episcopi, Sacerdotes, & Clerici dispensanda suscipiunt, & non recondenda, non possidenda sed eroganda: quidquid habet, pauperum est, viduarum, orphanorum, & eorum qui Altari deserviunt, ut de Altari vivant. Sacrilega eis pauperibus crudelitate subripitur quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique domini, vel possessores, ultra victum accipiunt & vestitum.* De vita eremitica cap. 24.

5. Ex Canonistis, & Theologis. 1. Raymundus in Summa lib. 2. tit. de raptoribus ait: *Prælatos, & Clericos, qui talibus, idest histrionibus, meretricibus, divitibus, &c. conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem.* 2. Antoninus in Summa par. 3. tit. 15. c. 16. *Quod Clerici habent, pauperum est: unde ad restitutionem tenentur omnium vel pauperibus vel in utilitatem Ecclesiæ.* 3. Panormitanus in c. *Cum secundum* extra. de Præbendis: *Si beneficiati haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ quod male expenderunt.* 4. Alexander de Hales. *Clerici qui in malos usus bona Ecclesiæ expendunt, sunt raptores, & fures.* Sed inquit, *an teneantur ad restitutionem, aliud certe non video; non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: ergo bona Ecclesiæ sunt in bonos usus impendenda. Addam cum Soto de instructione Sacerdotum part. 2. lib. 3. *Contrarium credimus, errorem que gravissimum, saltem contra bonos mores, & justitiam.*

6. *Rat.* petita ex intentione Fundatorum, qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, & communis Reipublicæ: reliquerunt illis bona temporalia, ut per ea debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis administrantibus piis Clericis Deus colatur, inquit Codex Justiniani; ergo non licet Clericis ea bona in alios usus insumere.

7. *Rat.* desumpta ex divisione bonorum Ecclesiæ. Divisio quæ facta est circa bona Ecclesiastica in quatuor partes nullam in eorumdem bonorum natura mutationem invexit: ideo manent Sacra & piis usibus destinata. Et licet trecentis ab hinc annis valeant in foro externo testamenta Clericorum ex bonis etiam sibi ex Beneficio partis; hinc non sequitur Clericos habere illorum bonorum dominium, quia hæc licentia fundatur in præsumptione, quod Clerici non dent nisi ea bona, quæ justis titulis acquisierunt; idque permissum est ad vitandas lites, quæ oriri possent in discernendo, quæ essent bona provenientia ex Beneficiis, & provenientia ex paterna hæreditate, aut ex alio titulo.

Et in Capitularibus Francorum lib. 1. c. 62. Carolus Magnus fatetur se nosse juxta Sanctorum Patrum traditionem *res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*; & proinde easdem res in pios usus esse expendendas.

Consect. unicum. Dato, & non concesso, quod Clerici sint absolute domini redditLuum omnium, quos ex Beneficiis suis percipiunt, ad præceptum de dandis eleemosynis tenentur multo pluribus, & urgentioribus titulis, quam Laici, inquit Soto acerrimus defensor illius opinionis, quæ dominium absolutum bonorum Ecclesiasticorum adscribit Beneficiariis: etenim Beneficiarii quantumvis domini reddituum Ecclesiasticorum, *tenentur esse viduis favori & auxilio ut mariti, orphanis tamquam patres, ac denique universis mendicis, & inopibus singulare præsidium, ac suffragium .... Viduarum enim honestas, Virginum pudor, rei familiaris penuria vehementer arietatur, & famem patientes jurandi, furandi, &c. periculis sunt expositi: quibus cavendis Antistites pro sua quisque facultate prospicere vigilantissime debent.* Et post peractam bonorum Ecclesiasticorum divisionem debent Beneficiarii animo recolere quomodo *Apostoli Diaconorum ministerio tam impense viduarum, orphanorum, indigentiumque curam gerebant. Neque vero debent de memoria prorsus delere, Ecclesiasticos fructus spirituales esse, gratiaque divini cultus, & peculiariter in honorem Christi impensos, cui tam cordi fuit pauperes suæ familiæ commendare, ac potissimum Pastoribus, quibus illam fidenter commisit.* Hactenus Soto lib. 10. De justitia, & jure q. 4. a 4. multasque affert hujus assertionis rationes, & quidem gravissimas. Etenim juxta omnes Doctores, tenentur singuli homines superfluum dare pauperibus juxta illud: *Quod superest date.* In Beneficiariis autem longe plura sunt superflua, quam Laicis; quippe Clerici frugalius vivere debent, quam divites hujus mundi. Neque enim conviviorum splendor, & lautities Clericis umquam potest esse licita, neque alius domesticus apparatus, nam, ut ait Hieronymus, *de Altari il-*

lis

lis fas est vivere, non luxuriari. Præterea cum uxoribus careant, eximio inde sumptu eripiuntur, quo vulgo opprimuntur mariti: cum prolem non habeant quam nutriant, quam instituant, quam vestiant, &c. non alios debent habere filios, quam pauperes. Rursus ergo dato, & non concesso, quod beneficiarii sint domini fructuum Ecclesiasticorum, non ideo debent suam conscientiam pacare, si in eleemosynis erogandis remissiores sint: *Nam cum*, inquit idem auctor, *preceptum misericordiæ ... sub reatu criminis mortaliter obliget, inde satis debent excitari, ut fidem Deo suo illæsam servent; præterquam quod, quamvis justitia eos ad restitutionem non obliget, debent profecto eorum Confessarii, tam durante vita, quam in mortis articulo, eis, quos pauperum negligentes noverint, per modum Sacramentalis satisfactionis largissimas eleemosynas imponere, ut eodem propemodum res recidat, ac si lege justitiæ ad restitutionem tenerentur.*

Prop. 2. Si Clerici sibi approprient, aut dissipent bona Ecclesiastica, quorum ex dictis non sunt domini, sed dispensatores, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur.

Prob. 1. Peccant, quia male contrectant bona temporalia Ecclesiæ. 2. Peccant contra justitiam; quia male contrectant bona, quorum non sunt domini. 3. Ad restitutionem tenentur; quia qui peccant contra justitiam, ad restitutionem tenentur.

Consect. unicum. Clerici peccant in sequentibus casibus, & ad restitutionem tenentur.

1. Si usurpent, dissipent, aut vendant bona immobilia; quia non sunt illorum bonorum domini, sed ad summum usufructuarii, vel œconomi. Qui ita se gerit, *furatur, diripit, devorat pauperum res, absorbet substantiam pauperum*, inquit Chrys. Hom. 1. in Ep. ad Titum.

2. Si bona Ecclesiastica alicui usui destinata, v. g. vel cultui divino, vel pauperibus, vel fabricæ, vel Clericis, retineant; quia, inquit D. Thom. 2. 2. q. 18. a. 7. in corp. *Non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur*. Et Concil. Tridenr. sess. 25. cap. 3. de reform. hæc habet: *Prædicti etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur.*

3. Si bona superflua decenti eorum sustentationi aut retineant, ut ditiores fiant, aut in pravos usus dissipent: *quia in nova lege decimæ, & alia bona dantur Clericis, non solum propter sui sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus; & ideo non superfluunt, sed ad hoc*, idest ad eleemosynas, *sunt necessaria*. 2. 2. q. 87. a. 3. ad 1. Et ideo Clerici peccant contra justitiam, si in alios usus insumant, & proinde ad restitutionem tenentur.

Prop. 3. Si Clerici dissipent, aut in pravos usus insumant ea bona, quorum sunt domini, peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem.

Prob. 1. Peccant; quia agunt contra legem, quæ vetat pravum usum bonorum, quorum sumus domini. 2. Non tenentur ad restitutionem; quia non agunt contra justitiam commutativam.

Consect. unicum. Clerici peccant in sequentibus casibus, non tamen obligantur ad restitutionem.

1. Si male insumant bona patrimonialia, ea scilicet quæ acquirunt ut Laici, v. g. hæreditate, industria, donatione, aliove modo, vivendo interim ex Beneficii redditibus; quia sunt veri eorum bonorum domini; quia quamvis Clericus laudabiliter se gerat, qui ad exemplum Pauli gratis ministrat Ecclesiæ, & paternis bonis vescitur, & redditus Ecclesiasticos distribuit pauperibus, tamen licite potest bonis Ecclesiasticis sustentari. *Quis enim*, inquit, Paulus, *militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* ad Cor. c. 9. v. 7.

2. Si male insumant bona quasi patrimonialia, vel si velis, quasi Castrensia, quæ acquirunt quidem ut Clerici, sed tamquam stipendia suis laboribus debita. Tales sunt retributiones pro concionibus, pro Missa, pro Funere, pro Officio Defunctorum, pro administratione Sacramentorum, pro Anniversariis, pro Vicariatus famulatu, videntur enim esse eorum bonorum domini juxta illud Conc. Agathen. *Clerici omnes qui fideliter Ecclesiæ deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum sui servitii meritum, vel ordinationem Canonum, a Sacerdotibus, seu Episcopis consequantur*. Conc. Agat. Can. 36. Ergo videtur supponere Concilium, quod acquirant illorum bonorum dominium, cum dicat ea bona Clericis *deberi*.

3. Si male insumant eos redditus Beneficii, quos parce vivendo subtrahunt congruæ decentique sustentationi; quia quilibet Clericus est vere dominus illius portionis, quæ congruæ decentique ejus sustentationi destinatur.

Quæ hactenus diximus de Beneficiis, ad forum partim internum partim externum reducuntur, suntque admodum necessaria ad resolvendos casus conscientiæ, qui circa illam materiam proponi solent; sed forte non erimus lectoribus ingrati, si quæ spectant praxim beneficiariam late a Petro Rebuffo conscriptam, in compendium redigamus, ut quilibet in brevi quadam synopsi habeat quæ tam insignis auctor longo & ingenti volumine exaravit. Ideo sit.

TRACTATUS QUARTUS.

De praxi Beneficiaria juxta Rebuffum.

PROOEMIUM.

Totum jus, teste Ulpiano, circa rem quamlibet consistit vel in acquirendo, vel in conservando, vel in amittendo; ideo Rebuffus praxim beneficiariam in tres partes divisit: prima exponit quomodo acquirantur beneficia: secunda quomodo conserventur: tertia vero quomodo amittantur. Nos Rebuffo inhærentes immensam illam materiam tribus capitibus concludemus. Abstinebimus a citatione vel legum, vel auctorum, utpote brevem solum synopsim proponentes praxis beneficiariæ, quam supponimus, ut revera est, sufficienter apud Rebuffum & stabilitam & probatam.

CAPUT I.

Quomodo acquirantur Beneficia, quæque instrumenta ad Beneficium suscipiendum sint necessaria.

ARTICULUS I.

De instrumentis publicis necessario requisitis ad beneficium valide suscipiendum.

AD beneficium valide suscipiendum necessariæ sunt litteræ Baptismi, Tonsuræ, litteræ dimissoriæ, si Tonsuram aut Ordines alius quam proprius Episcopus contulerit: item constare debet de litteris Vicarii Generalis, si Vicarius Generalis beneficium conferat, aut litteras dimissorias largiatur: item necessariæ sunt litteræ, quibus constet de institutione Canonica, sive ea sit vel electio, vel præsentatio, vel collatio: necessariæ etiam sunt litteræ attestantes missionem in possessionem, ut loquuntur. Demum in suscipiendis beneficiis quidquid agitur, quidquid requiritur, instrumentis publicis probari debet. Cum autem hæc instrumenta publica in foro contentioso, si lis forte exoriatur, examinanda sint, oportet ea esse muni ta iisdem solemnitatibus, quibus muniri solent instrumenta, quæ in jure Civili fidem faciunt: inde nata sunt ea edicta Regia quibus jubetur, ut *insinuetur*, idest registro publico dentur omnia, & singula instrumenta, quibus beneficia acquirimus, conservamus, aut amittimus, ut solemni illa publicitate tollatur omnis suspicio falsitatis: inde est pariter, quod ea, quæ suspecta efficiunt apud judices civiles instrumenta publica, eadem & suspecta reddunt instrumenta, quibus beneficia vel suscipimus, vel conservamus, vel amittimus: v. g. rasura, aut cancellatio in loco vel necessario, vel essentiali suspectum reddit illud instrumentum, in quo reperitur: inde est pariter, quod sicut in foro civili, si forte vel flamma, vel aqua, vel furto, vel alio casu instrumenta primæva amiseramus, ea supplemus vel extrahendo transumpta fidelia ex registris publicis; vel si registra publica perierint, per testes ea, quatenus possumus, comprobamus; idem omnino præstatur, si casu aliquo litteras Baptismi, Tonsuræ, Ordinum, perdiderimus, & ex registris publicis transumpta habere nequeamus. His præfatis, jam de instrumentis necessariis ad suscipienda Beneficia sigillatim agamus.

De litteris Baptismi recepti. Nemo potest Tonsuram recipere, nisi sit baptizatus. Ideo Episcopus non confert Tonsuram, nisi constet eum, qui ei offertur, fuisse baptizatum: litteræ attestantes Baptismum fuisse receptum ab eo, qui tonsuram postulat, debent esse a Parocho, vel ejus Vicario subscriptæ: debent insuper esse manu publica obsignatæ, vel ut dicunt Galli, *le Baptistaire doit etre legitime*.

De litteris Tonsuræ. In litteris Tonsuræ requiruntur quæ hic subjicio. 1. Nomen Episcopi, v. g. Joannes miseratione divina, ac sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Tolosanus Episcopus. 2. Exprimendus est locus, in quo data est Tonsura. 3. [E]xprimi debet nomen & cognomen recipientis Tonsuram, ejusque Patris, & Matris nomen, & expresse indicari debet, an Tonsuratus sit ex legitimo, vel illegitimo thoro oriundus; si forte sit illegitimus, non reticendum datam fuisse dispensationem ab Episcopo ad simplex Beneficium suscipiendum; ad alia vero Beneficia suscipienda, non nisi per Papam dari potest dispensatio illegitimis. Litteræ debent attestari legitimam ætatem, scientiam competentem, aliasve dotes ad Tonsuram necessarias. 5. Cum Tonsura conferri nequeat occulte, & constare debeat, an revera collata sit, litteræ debent monitionem facere de testibus, coram quibus collata est, nisi in solemni ordinatione recepta fuisset. 6. Demum debent in Calce litterarum scribi annus, mensis, dies, quibus collata est Tonsura; debent subscribi ab Episcopo, Secretario Episcopi, & sigillo publico Episcopi muniri.

De litteris dimissoriis. Qui vult accipere Tonsuram, aut Ordines ab alio, quam a proprio Episcopo, debet ab Episcopo, cui subest, vel ab ejus Vicario Generali, vel a Capitulo, Sede vacante, litteras dimissorias obtinere, alias Beneficium collatum poterit coram judice impetrari, ut loquuntur, idest poterit conferri alteri. Litteræ dimissoriæ requirunt quæ hic subjiciuntur. 1. Nomen illius qui dat litteras dimissorias. 2. Auctoritatem quam habet eas dandi. 3. Qui dat litteras dimissorias debet habere auctoritatem spiritualem supra eum, cui dantur litteræ dimissoriæ; ideo Laicus non potest dare litteras dimissorias, nec ille Clericus, qui est solum per Regem ad Episcopatum nominatus, nondum enim habet auctoritatem spiritualem 4. Litteræ dimissoriæ debent præcedere collationem Tonsuræ, aut Ordinum; non enim sufficit ratihabitio, qua approbetur quod factum est ... 5. Debent exprimere non vage, sed determinate nomen illius, cui conceduntur, & Ordinem propter quem dantur, & nomen illius Episcopi, ad quem diriguntur, nisi expresse dicatur, *a quocumque Episcopo &c.* & dicatur *ad omnes Ordines &c.* 6. Litteræ dimissoriæ expirant morte concedentis, aut ejus depositione.

ARTICULUS II.

Quomodo detur Beneficium.

BEneficium datur vel per electionem, vel præsentationem, vel per collationem. Electio est alicujus personæ idoneæ ad prælationem, vel fraternam societatem canonice facta vocatio, ut dicit Hostiensis. Præsentatio est alicujus personæ idoneæ per legitimum Patronum exhibitio facta vel Episcopo, vel alteri ad quem pertinet institutio. Collatio est libera quædam Beneficii, seu Præbendæ concessio.

Ad collationem beneficii requiruntur quædam ex parte conferentis, quædam ex parte recipientis, & quædam ex parte ipsiusmet beneficii.

Ex parte conferentis requiritur, quod sit habilis ad conferendum: v. g. quod non sit excommunicatus: quod pure conferat, & non sub conditione: quod sponte & libere conferat, nequaquam vero coactus, nec per violentiam, nec per metum: quod palam, & coram testibus id faciat, & instrumentum collationis duobus, aut tribus testibus obsignetur: oportet insuper, quod beneficium

cium non ad tempus, sed ad vitam conferat, nisi procurator daretur ad tempus Ecclesiæ vacanti; demum necesse est, ut beneficium sine fructuum diminutione tradatur.

Ex parte vero recipientis requiritur, quod habeat voluntatem recipiendi beneficium, capacitatem exequendi officia adjuncta beneficio, scilicet bonos mores, scientiam competentem, ætatem legitimam, & Ordinem requisitum; unde beneficium conferri nequit infami, illiterato, infanti non Tonsurato; ætas autem necessaria ad recipiendam Tonsuram est septimus annus completus: post septem annos completos possunt conferri Minores Ordines. Tonsura requiritur, & sufficit ad quodlibet beneficium recipiendum, modo intra annum Ordo requisitus recipiatur. Ad Cardinalatum requiritur Ordo juxta suum titulum: v. gr. Diaconatus, si titulum habeat Diaconi, Presbyteratus, si titulum habeat Presbyteri. Ad Episcopatum requiritur saltem Subdiaconatus, & vigesimus septimus annus in Gallia: ad Archidiaconatum Diaconatus; ad Abbatiam Presbyteratus. Qui Beneficia suscipit, non debet esse conjugatus, nec illegitimus, nisi iste dispensetur: si is cui confertur beneficium, absens fuerit, debet expectari ejus acceptatio, & consensus.

Ex parte ipsius beneficii requiritur, quod beneficium sit vacans vel de facto, vel de jure: de facto, ut si beneficiarius mortuus sit, vel vivens ei renunciaverit, de jure, ut si beneficiarius nec mortuus sit, nec renunciaverit beneficio, sed beneficium injuste detineat, puta si detineat duo beneficia incompatibilia, &c.

Post electionem, præsentationem, collationem, & institutionem sequitur missio in possessionem, ut dicunt, quæ sit vel per Notarium, vel per Clericum, & hoc, ne si beneficiarius propria auctoritate possessionem beneficii adiret, tamquam prædo haberetur. Missio autem in possessionem scribenda est in instrumento publico, in quo asseritur, quod Clericus vel Notarius beneficiarium in possessionem immisit per ingressum, v. g. in Ecclesiam per aspersionem aquæ benedictæ, per osculum altaris, per pulsum campanæ, &c. Addendumque instrumento, an si quis se opposuerit, necne: si quis Ecclesiam ingredi non valeat, sufficit quod annulum portæ contingat; immo, si quis resistat, & portam tangere non possit beneficiarius, sufficit quod pinnaculum Ecclesiæ aspiciat; quia non penes ipsum stat, si non ingrediatur.

ARTICULUS III.

De variis provisionibus, quibus datur Beneficium.

Si beneficium detur sive per electionem, sive per præsentationem, sive per collationem, debent dari provisiones, seu instrumenta publica, quibus certum sit beneficium collatum esse tali.

De forma collationis, & provisionis Ordinariorum. Forma collationis Ordinariorum debet continere quæ hic subjiciuntur. 1. Debet exprimi nomen collatoris, & nomen illius cui confertur: ille debet asserere se certo cognoscere meritum recipientis, iste vero debet libere acceptare beneficium, & jurare se præstiturum officia annexa Beneficio. Debet enarrari expresse modus, quo vacavit beneficium, an per mortem, an per renunciationem; nec modus vacandi pro expresso haberi potest. Ordinarius collator non potest istam clausulam adhibere *quovis modo vacet*, nec clausulam *non obstantibus*, nec clausulam *pro hac vice*; id enim ad solum Papam pertinet, qui quoquo modo beneficia conferre potest, & quascumque obstantias, seu impedimenta tollere. Exprimenda est Diœcesis, in qua situm est beneficium, & reticeri non debet nomen Sancti, cui dicata est Ecclesia, vel Capella in qua est beneficium. Mentio pariter debet fieri nominis beneficiarii immediati, immo & nominis procuratoris, si per procuratorem facta sit resignatio. Collatio debet duobus saltem testibus obsignari, alias ei non crederetur, quamvis deinde collator daret litteras Testimoniales, quibus assereret se contulisse beneficium. Instrumenta collationis, seu provisionis ut dicunt, debent scribi eadem manu; si enim diversa sit scriptio, fiunt suspectæ falsitatis. Qui semel contulit uni, idem non potest illud ipsum beneficium, conferre alteri, nec revocare collationem, si male contulerit; est enim privatus pro hac vice potestate iterum conferendi, nisi esset Patronus Laicus, qui variare potest, ut dicunt. Episcopus tamen, aut alius quicumque collator, potest jam collatum beneficium iterum altero jure, alterove titulo conferre: v. g. si primo contulerit in mensibus Graduatorum non Graduato, postea vero Graduato requirenti conferre potest; prima enim vice voluntarie contulerat, secunda vero vice confert tamquam executor concordatorum. Item si Episcopus ad nominationem Patroni instituat nominatum, potest tamquam verus collator vel eidem, vel alteri illud eidem beneficium conferre; vel si errore facti deceptus conferat beneficium quod credebatur vacasse, detecto errore, poterit illud idem beneficium eidem, vel alteri conferre. Inter plurimas ejusdem beneficii collationes, prima præfertur secundæ, nisi prior collatio esset vitiosa vel ex parte conferentis, vel ex parte recipientis, vel ex parte beneficii. Collator potest uni, & eidem duo beneficia incompossibilia conferre; qui a recipiens sex habet menses ad eligendum. Episcopus aliquando confert per se ipsum, aliquando per Vicarium Generalem.

De Vicario Generali Episcopi. Vicarius Generalis est, qui vices gerit Episcopi. Vicarius Episcopi non solo nutu, vel verbo, vel privatis litteris constitui potest, sed litteris publicis per plures testes, & per Secretarium obsignatis, & sigillo officii munitis, & ab ipso Episcopo subscriptis, & in registro publico insinuatis; alias in Gallia non agnosceretur in foro externo Vicarii Generalis auctoritas. Debet Vicarius Generalis constitui in temporalibus, & in Spiritualibus. Qui eligitur Vicarius Generalis, debet esse tanto officio idoneus, scilicet ætate, moribus, & scientia, natus ad minus viginti quinque annos, moribus optimis, & scientia non communi. Canonicus regularis potest esse Vicarius Generalis, immo & Monachus, modo Religiosum sui ordinis socium habeat, Religiosus mendicans nequit esse Vicarius Gene-

Digitized by Google

neratis. Illud officium gerere nequit officialis Regius, puta, Præses Consiliarius, Balivus negotiis regiis occupatus, nec ad eam dignitatem evehi potest Laicus, utpote Clericali dignitate non insignitus. Authoritas Vicarii Generalis ex litteris, quibus instituitur, dignosci debet. Talis tantaque est ejus authoritas, qualis quantave ei conceditur per Episcopum. Si generaliter constituatur *in temporalibus*, *& spiritualibus*, ut mos est, poterit omnem actionem spiritualem pertinentem ad jurisdictionem Episcopalem exercere, quia generale mandatum ad nihil restringitur: v.g. poterit interdicere, suspendere, excommunicare, dispensare, &c. sed non poterit exercere per se ipsum actiones pertinentes ad characterem Episcopalem: v. gr. confirmare, ordinare, Abbatissas benedicere, Ecclesias consecrare. Demum ut certo constet de authoritate Vicarii Generalis in conferendis beneficiis, in admittendis resignationibus, & in his peragendis, quæ ad praxim beneficiariam spectant, debet Episcopus expresse eam potestatem in litteris publicis exprimere, ut tollatur occasio litium, dum provisiones beneficiorum fiunt a Vicario Generali.

De provisionibus emanantibus a Papa. Papa potest providere beneficiis vacaturis, & vacantibus. Providet vacaturis diversimode, per privilegium, per mandatum, per reservationem, per expectativam. Per privilegium, quando dat alicui, qui non est legitimus collator, privilegium conferendi aliquod beneficium. Per mandatum, quando jubet tale beneficium conferri tali, & non alii. Per reservationem, quando sibi reservat collationem talis beneficii vacaturi. Per expectativam quando dat litteras alicui, quibus designatur ut dignus, cui tale beneficium conferatur. Sed quia modi illi conferendi nullius fere usus sunt in Gallia, quia occasioni essent optandi mortem illius qui Beneficium possidet; ideoque non immorandum est in explicando modo, secundum quem Papa potest providere Beneficiis vacaturis, & explicandum superest quo modo provideat Papa Beneficiis vacantibus.

CAPUT II.

De provisionibus Papæ circa Beneficia vacantia.

PRæter ea Beneficia, quorum Papa est specialis collator, de quibus egimus in superiori tractatu, Papa habet insuper generalem quamdam potestatem circa Beneficia singula vacantia, *quovis modo* vacent; eaque conferre solet vel *motu proprio*, vel post *supplicationem*. Sed quia in Gallia non admittuntur provisiones *motu proprio*; agendum ergo est de provisionibus, quæ emanant a Papa post *supplicationem* ei oblatam, & explicandus est tenor supplicationis oratoris, & tenor responsionis Papæ. Hæ autem provisiones vel dant primo Beneficium, & vocantur primæ; vel jus juri addendo, datum jam Beneficium in quantum opus est confirmant, & vocantur secundæ: dant Beneficium vel in Commendam, vel in Titulum, vel Beneficia non unita uniunt, vel jam unita dissolvunt, vel beneficia erigunt, aut Beneficium de uno loco in alium transferunt: quæ singula hic breviter percurremus.

Explicatur supplicatio ad Papam, quæ sic habet: *Beatissime pater*. Quia Papa pater est omnium fidelium. *Supplicat*: idest, suppliciter orat *Sanctitatem vestram*; quia Papa Sanctus est dignitate, licet non sit semper moribus. *Devotus orator*, id est, precator fidelis, & subditus *Joannes N.* quia nisi exprimeretur nomen & cognomen, lateret cui conceditur gratia. *Clericus*, &c. quia Laicus non potest Beneficium acceptare: hic referuntur dotes & qualitates Oratoris, puta, an sit sæcularis, vel regularis; collatio etenim est nulla, si taceantur qualitates, quæ redderent Papam difficiliorem ad concedendum, minime si taceantur illæ, quæ efficerent faciliorem. *Diœcesis N.* quia si reticeretur Diœcesis, aut alia pro alia poneretur, nulla esset concessio. *Ecclesia Sanctorum N. vacet*; quia debet exprimi nomen Sancti, cui dicata est Ecclesia, in qua est Beneficium, ne incerta sit Beneficii concessio. *Loci de N.* quia debet exprimi locus, in quo est Beneficium. *Vacet per obitum*; quia debet exprimi modus, secundum quem Beneficium vacat. *Ludovici N.* quia nomen, & cognomen Beneficiarii immediati debet apponi. *Defuncti extra Romanam curiam*; quia Beneficium Defuncti in curia Romana reservatur Papæ. *Cujus fructus ad* 24. *ducata*; quia si ad 30. ducata pertingerent, deberentur annatæ. *Sive quovis modo*; ut ea cautione Beneficium concedatur, quoquo modo vacaverit. *Joannis N. aut alterius cujuscumque personæ*; ut eo modo concedatur Beneficium, sive per mortem Joannis, sive per mortem alterius vacaverit. *Sive per resignationem dicti Joannis*; ut ea cautela concedatur beneficium, etiamsi resignatum fuerit. *Per resignationem liberam*; quia resignatio coacta vi, aut metu, facta nulla est. *Etiamsi vacet per constitutionem Joannis* XXII. qua Beneficium duplex curatum per mensem sine dispensatione retineri non potest. *Etiam si vacet per incapacitatem*, *inhabilitatem cujuscumque personæ*, *per devolutum litigium*, *&c.* ut ea cautione beneficium concedatur quoquo modo vacaverit.

Huic supplicationi respondet Pontifex hujusmodi: *fiat ut petitur*, ibique appositur prima littera nominis Papæ, vel scribuntur solum isthæc verba: *Concessum in præsentia Domini Papæ N.* hicque ponitur nomen Cardinalis Datarii.

Postea subjungitur, *cum absolutione*, scilicet a Censuris, quæ obesse possent, ne tale reciperetur Beneficium. Additur, *quod obstantie omnes* habeantur pro expressis; & hoc modo videtur, quod v. g. si non expressus fuerit verus valor beneficii, verus modus vacationis, verus status litigii, &c. implicite exprimuntur ea, quæ expresse reticentur. Multa alia adduntur in supplicatione, quæ de stylo sunt magis, quam de re; ideo ea reticeo. Si orator litteras testimoniales de vita, & moribus ab Episcopo acceperit, easque ad Papam miserit, beneficium datur *in forma dignum*, id est, quasi recipiens post examen dignus inventus esset. Si vero hujusmodi litteras non miserit, aut Beneficium sit Parochiale, Beneficiarius examinatur ab Episcopo, ut jubet Trident. Si forte contingat aliquis defectus vel in Oratoris supplicatione directa ad Papam, vel in Papæ responsione directa ad Oratorem, hujusmodi defectibus medendum est, quod utque fit per novam provisionem. Nova autem hæc provisio est rescriptum Papæ di-

re-

rectum ad Beneficiarium, quod sic habet: *Julius Papa*, verb. gr. (quia exprimi debet nomen Papæ gratiam concedentis) *dilecto filio N.* (quia exprimatur oportet nomen illius, cui gratia conceditur) *Rectori, aut Vicario perpetuo Ecclesiæ N.* (quia qualitas illius, cui conceditur gratia, reticeri non debet) *virtutum merita*, &c. *inducunt Nos, ut tibi reddamur ad gratiam liberales*, (ut ea præfatione constet a Papa non sine causa novam provisionem concedi) *cum, ut tua petitio præferebat, tu dubites collationem, & provisionem prædictas ex certis causis viribus non subsistere* (quippe motivum aliquod vel certum, vel dubium debet præcedere, ut novæ dentur provisiones) *nos præmissorum meritorum intuitu specialem gratiam facere volentes, a quibuscumque censuris*, &c. *Ad hunc solum effectum absolvimus*. Postea subjungit: *Quod si quæ, vel circa modum, quo Beneficium vacavit, vel reservatum est, expressa non fuerint, vel si quid non fuerit expressum circa litigium de hujusmodi Beneficio, modo tempore datæ præsentium non sit alicui specialiter jus acquisitum circa illud Beneficium: Nos*, inquit, *ea omnia præsentibus pro expressis habentes... mandamus* tali & tali N. *ut te, vel procuratorem tuum, tuo nomine in corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ inducant auctoritate nostra; & defendant inductum; amoto exinde quolibet illicito detentore*. Subjungit demum, quod ejus sit intentionis, ut nullo modo effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat, vel differri. Et sic concluditur rescriptum: *& nova hac provisione, quidquid in priori provisione vel omissum, vel peccatum fuerat, reparatur*.

REGULÆ CANCELLARIÆ RECEPTÆ IN GALLIA. Juxta Cujacium sequentes regulæ recipiuntur in Gallia, & impediunt, ne provisiones Papæ suum effectum consequantur.

Prima regula, quæ ordine est 19. dicitur regula de viginti, & sic habet: Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendæ cesserit, sui ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea intra viginti dies a die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per Resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

Secunda regula, quæ ordine est 20. diciturque de impetrantibus beneficia viventium, sic habet: Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque, tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio & quævis dispositio, dicto supplicanti, per obitum hujusmodi denuo faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Tertia regula, quæ ordine est 30. diciturque de verosimili notitia, sic habet: Item voluit, & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum: & ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem D.N. verisimiliter pervenissent.

Regula quarta, quæ ordine est 34. diciturque de publicandis resignationibus, sic habet: Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio, per *fiat*, & *concessum*, signaturis, ex eis, per *fiat*, etiam, *ut petitur*, habens, alteri per *concessum* etiam motu proprio habensi præferatur, etiamsi in illa per *concessum* præstantiores, & quantumlibet privilegiativæ, essent clausulæ.

DE PROVISIONIBUS PER COMMENDAM. Provisio per Commendam ea est, per quam Beneficium sæculare datur regulari, aut regulare sæculari, non solum in custodiam, sed etiam in titulum, quod a solo Papa fieri potest, dispensando ab hac regula sæcularia sæcularibus, regularia regularibus. Regulari non potest dari nisi unicum Beneficium; quippe qui professus paupertatem unico Beneficio debet esse contentus; sæculari vero plura Beneficia ex dispensatione conferri possunt, scilicet, unum in titulum, alterum in Commendam, licet illa Beneficia aliunde sint incompatibilia. Beneficia Claustralia, v. gr. Prioratus Claustralis, &c. non possunt in Commendam conferri. Beneficium in Commendam potest resignari, permutari, &c. non secus ac aliud quodcumque beneficium. Beneficium semel collatum in Commendam, non potest conferri, nisi facta mentione Commendæ. Beneficium datum in Commendam post tres collationes sibi succedentes, ita necessitat Papam, ut illud idem Beneficium conferre cogatur sæculari in Commendam.

DE UNIONE DUORUM BENEFICIORUM, VEL DUARUM ECCLESIARUM. Unio est duarum Ecclesiarum a legitimo Superiore Ecclesiastico facta annexio. Unio duorum beneficiorum simplicium potest fieri per Episcopum; duarum vero Parœciarum, vel Episcopatuum, vel dignitatum nequit fieri nisi per Papam. Unio autem fit vel ad tempus, vel ad perpetuum. Unionem ad tempus non recipimus in Gallia, quia sapit reservationem: bene tamen unionem in perpetuum, si intervenerint conditiones ad hoc necessariæ. Fit autem unio tribus modis: primo, ita ut unum beneficium subjiciatur alteri: secundo, ut quodlibet beneficium tale remaneat, quale ante erat: tertio, ut ex pluribus beneficiis fiat unum. Episcopus exigua beneficia potest in suo Episcopatu unire. Legatus in toto tractu suæ legationis consentiente Episcopo, minime vero dissentiente. Abbates, & inferiores Prælati beneficia unire non possunt. Capitulum beneficia unire poterit, si hæc unio præjudicium Episcopo non afferat. Vicarius Generalis ea potest unire beneficia, quæ ab Episcopo uniri possunt. Unio beneficiorum debet habere pro fine majorem Dei cultum; & utilitatem populi. Post unionem fideles utriusque Ecclesiæ participant de spiritualibus bonis utriusque beneficii, ideoque vocandi sunt; sed eorum consensus non requiritur, modo interveniat consensus Episcopi, qui vices gerit plebis. Requiritur tamen consensus Patroni, eoque dissentiente, unio fieri non potest. Licet ad unionem vocari debeant vocandi, scilicet, Episcopus,

Capitulum, Populus, & Patronus, si sint aliqui perperam nolentes, ipsis invitis, potest fieri unio. Quando Ecclesiæ Parochiales uniuntur mensæ Capituli, vel Episcopi, non constituitur Vicarius perpetuus; bene tamen quando unitur beneficium Conventui regulari, nisi in unione fiat expressa mentio, quod ipsi regulares servient Parochiæ. Vicarius perpetuus congruam debet habere portionem, qua congrue vivat, & jura Episcopalia solvere possit: quod ut certius fiat, debet exprimi valor beneficii uniti. Unio facta ob certa motiva, potest cessantibus illis motivis revocari, semperque revocanda est, si perniciosa fiat Religioni, si fraudentur eleemosynæ, si tollatur hospitalitas. Eædem solemnitates sequiruntur in dissolutione unionis, quæ in unionis erectione servatæ sunt. Revocata unione, res ad pristinum statum revertuntur.

DE ERECTIONE ECCLESIÆ. Aliquando immutatur Ecclesiæ status: v. gr. sæcularis fit regularis, vel regularis fit sæcularis, &c. Ea mutatio non potest fieri nisi ad augendum cultum divinum. Sic Ecclesia simplex, v. gr. Confraternitas erigitur in Capitulum Collegiale, Ecclesia Collegialis in Cathedralem, Episcopatus in Archiepiscopatum, Capitulum regulare fit sæculare, vel sæculare regulare. Ut Ecclesia simplex erigatur in Parochialem, requiritur & sufficit auctoritas Episc. & necessitas Populi, qualis esset, si Ecclesia Parochialis non esset sufficiens ad continendam plebem. Curatus, intra cujus Parochiæ limites erigitur nova Parochia, debet consentire: quia nova illa erectio ad eum spectat: si damnum aliquod patiatur, debet compensari. Fundator erigens novam Ecclesiam Parochialem debet sufficientes redditus destinare, quibus Ministri, & custodes Ecclesiæ nutriantur, luminaria, & alia Ecclesiæ necessaria suppeditentur. Ecclesia simplex potest erigi in Collegiatam, modo sit sufficiens numerus Ministrorum. Collegialis potest erigi in Cathedralem, modo alicui Episcopatui uniatur. Episcopatus vero potest erigi in Archiepiscopatum, modo subjiciantur ei aliqui Episcopatus.

DE TRANSLATIONE. Quando Ecclesia vel hostium incursione impetitur, vel malorum infestatione gravatur, vel aeris intemperie male afficitur, potest ab uno loco in alium transferri: sic Episcopatus Magelonensis translatus est in Montempessulanum. Ecclesia, a qua fit translatio, amittit sua privilegia, eaque communicantur Ecclesiæ, ad quam fit translatio: in priori tamen Ecclesia relinquendus est vel unus, vel multiplex Presbyter, qui ei ministret; quippe quod est semel consecratum, profanum fieri nequit. Porro in Gallia nec unio, nec erectio, nec translatio fieri possunt sine consensu Regis, qui tamquam Ecclesiæ Gallicanæ Patronus censendus est. Hactenus de modis acquirendi beneficia. Ideo sit.

CAPUT III.

De Modis conservandi Beneficia.

PROOEMIUM.

UT Beneficium collatum conservetur, provisiones, quibus obtentum est, debent esse 1. Validæ. 2. Debent esse absque controversia, & litigio. 3. Nulla debent dispensatione egere. Si vero e contra dubitetur de valore provisionum, recurritur ad rescriptum, quod dicitur: *Ad etiam & perinde valere*; quo rescripto fit, ut prior provisio, tametsi dubia, valeat: Si vero lis moveatur contra Beneficium, possessor beneficii providetur per rescriptum *subrogationis*, quo rescripto fit, ut possessor beneficii in jus litigantis, si quod habeat, subrogetur. Si ad conservandum beneficium opus sit dispensatione, recurritur ad dispensationem, qua succurritur defectibus, qui in collatione, vel receptione beneficii occurrunt. Ideoque hic agemus. 1. De rescripto, quod vocatur *ad perinde valere*, & de rescripto quod vocatur *quod rationi congruit*. 2. De rescripto *subrogationis in litigio*. 3. De dispensationibus, quibus beneficia conservantur.

ARTICULUS I.

De rescripto ad perinde valere.

QUando dubitatur de provisionibus, huic defectui mederi possumus vel petendo, quod nova detur provisio, vel quod prior provisio, quæ nobis apparet dubia, confirmetur, vel quod provisio, quam habemus dubiam, perinde valeat, ac si certa esset. Si Papa conferat novam provisionem, signum est nullam fuisse priorem provisionem, quippe quæ nova eguit. Si Papa confirmet priorem provisionem, signum est eam validam fuisse. Si det rescriptum *ad perinde valere*, signum est Papam dedisse priori provisioni totum robur necessarium ad conservandum beneficium. Petitur autem rescriptum *ad perinde valere*, quando quis dubitat priorem provisionem ex aliqua causa impugnari posse; qua tamen cautione per rescriptum *ad perinde valere* provisio dubia, & incerta erit æque firma, ac si omnino valida esset. *Perinde valere*, toties peti potest, quoties mederi volumus defectibus, qui occurrere possunt in collatione, & receptione beneficii, ex quocumque capite veniant illi defectus, sive ex parte conferentis, sive ex parte recipientis, sive ex parte ipsius Beneficii: v. g. si obtinuero beneficium ab eo, qui non erat verus collator, puta a Rege, quod forte beneficium non a Rege, sed a Capitulo conferendum erat: item si recepero beneficium ante legitimam ætatem, vel Tonsuratus ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel illegitimus non expresso defectu natalium, vel si non Graduatus obtinui beneficium, quod gradum exigit, vel si Professus Religionem ante tempus præfixum a Conciliis, obtineam beneficium præexigens Professionem Religiosam, his omnibus & similibus defectibus succurritur per rescriptum, quod vocatur *ad perinde valere*, modo exacte, & fideliter exprimantur summo Pontifici omnes defectus, quibus volumus, ut rescriptum summi Pontificis medeatur.

Rescripto *ad perinde valere* affine est rescriptum, cui nomen *Rationi congruit*, eo quod per illas voces incipiat. Adhibetur autem istud rescriptum, quando Papa voluit aliquid concedere, & præventus morte non potuit, tunc eadem gratia ab ejus successore petitur; quia, ut vulgo dicunt, gratia facta per mortem Papæ non extinguitur, sed ab ejus successore conceditur: ideo rescriptum sic incipit, *Rationi congruit*, ait Papa, ut concedatur quod prædecessor noster promisit; & hoc locum habet

sive

Digitized by Google

sive viva voce, sive scripto defunctus Papa promiserit, modo ea honesta sint, & non inhonesta, modo ea vere promiserit; nam si gratiam petitam recusasset, & eadem gratia nova supplicatione peteretur; retinendo, quod hoc petitum fuit, sed denegatum, non valeret rescriptum.

ARTICULUS II.
De Rescripto subrogationis in litigio.

SUbrogatio nihil aliud est, quam in locum alterius litigantis suffectio. Possessor autem Beneficii in locum litigantis contra ipsum potest subrogari vel morte, vel resignatione: morte quidem, puta, si pendente lite moriatur, qui beneficium tibi possidenti disputat: resignatione, si is, qui circa beneficium a te possessum tecum litigat, omne jus suum tibi resignet. Quod ut legitime fiat, debent quæ hic sequuntur exacte observari. 1. Recurrendum est ad summum Pontificem; & singula, quæ litem motam circa beneficium respiciunt, fidelissime exponenda. 2. Petenda est subrogatio, ne novus adversarius subrogetur, & lites crescant in immensum. 3. Papa pro expresso habet statum causæ, si forte quid innocenter omissum sit. 4. Papa subrogat oratorem in omne jus litigantis, qui vel mortuus est, vel per resignationem juri suo renunciavit. 5. Addit Papa se velle subrogationem valere, non obstante quacumque reservatione vel communi, vel speciali. 6. Asserit Papa se conferre non novum jus, sed jus illud omne, quod litiganti competebat. 7. Subrogatus non tenetur debita subrogantis solvere, nec fructus ab illo perceptos exhibere, nec expensas ab illo factas restaurare, nisi forte accepisset processum simpliciter, ut dicunt, onerando se scilicet & expensis, quibus posset damnari, si jure suo caderet, & incrementis, quæ lucrari posset, si collitigans litem perderet. 8. A beneficio subrogationis excludendi sunt indigni. Indigni autem sunt; primo intrusus, idest ille, qui beneficium sine titulo Canonico obtinuit. Secundo qui impetravit beneficium viventis, cujus mors propter senium, vel propter infirmitatem proxima sperabatur. Tertio qui movit litem contra eum, qui per triennium beneficium pacifice possedit. Quarto quicumque impetravit beneficium sine debitis conditionibus in trigesima quinta regula Cancellariæ contentis, puta, quod impetrans teneatur exprimere nomen, gradum, nobilitatem possessoris, tempus, quo illud possedit, causam impetrationis, & quod teneatur infra sex menses eum ad judicium vocare.

ARTICULUS III.
De dispensationibus, quibus beneficia conservantur.

DIspensatio est provida juris relaxatio. Dispensatio est necessaria ad conservandum beneficium, quoties beneficium retineri non potest, nisi fit communis juris relaxatio, puta, permittendo vel plura beneficia incompatibilia retineri, aut beneficium aliquod retineri ab eo, qui non habet ea, quæ requiruntur ad retinendum beneficium; v. g. non habet Ordinem requisitum ad beneficium conservandum, vel patitur defectum aliquem aut natalium, aut corporis, aut mentis, qui defectus impedit quominus citra dispensationem Papalem beneficium retinere valeat; in his singulis casibus necessaria est summi Pontificis dispensatio. Quando autem dispensatio reddat dispensatos tutos in conscientia, quando vero non, diximus in primo tomo, ubi de lege. Cæterum nulla datur dispensatio, nisi præmissa ad summum Pontificem supplicatione, quæ motiva contineat dispensationis obtinendæ: cui supplicationi sic, aut simili modo respondet summus Pontifex.

De dispensatione ad duo, & super ætate. Dispensatio ad duo, & super ætate, sic habet: *N. Papa, &c. Dilecto filio N. nobili genere procreato.* Exprimitur nobilitas; quia est motivum ad dispensandum, quippe utilis potest esse Ecclesiæ. *Ut te specialibus favoribus prosequamur.* Hæc verba significant, quod dispensatio actus est liberalitatis, & non justitiæ. *Hinc est quod nos te, qui, ut asseris, es de nobili genere ex utroque parente procreatus, & quinto decimo anno constitutus in Universitate N. studens actu, Parochialem Ecclesiam S. N. Diœcesis N. ex concessione Apostolica in Commendam obtines.* Tria hic asserit orator. 1. Quod sit nobilis. 2. Quod sit minor, qua ætate beneficia Parochialia obtineri non possint. 3. Quod actu studeat, ut fiat utilis Ecclesiæ: quæ singula instrumentis publicis coram summo Pontifice probari debent. *Tunc in hac parte supplicationibus inclinati permittimus, ut Beneficia incompatibilia, si tibi alias Canonice conferantur, valide recipere, & simul retinere licite possis quoad vixeris; illaque simul dimittere, vel simpliciter, vel causa permutationis, quoties tibi placuerit; & loco dimissi, vel dimissorum, aliud simile, vel dissimile recipere valeas.* Primo Papa dicit: *beneficia incompatibilia;* quia ad plura Beneficia compatibilia non requiritur dispensatio, si recipiens sit aliunde capax. Secundo dicit: *si tibi Canonice conferantur;* quia si collata essent non Canonice, v. g. usurpata vi, aut dolo, non valeret dispensatio. Tertio dicit: *quoad vixeris;* quia beneficium in titulum non datur ad tempus, sed ad vitam. Quarto addit Papa, quod possit ea dimittere, vel resignando, vel permutando non secus, ac si nulla dispensatione eguerit. *Consuetis tamen oneribus supportatis;* quia dispensatio, qualiscumque sit circa Beneficia, non eximit ab obligatione essentiali annexa beneficio, qualis est v. g. quod parochiani instruantur, Ecclesiæ ornentur, Eleemosynæ dentur, &c. *Alienatione bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum penitus interdicta;* quia dispensatio non facit dispensatum bonorum Ecclesiasticorum dominum, sed tantum usufructuarium; *Auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis gratiæ dono dispensamus;* quia Papa id facit auctoritate, quam Christus Apostolis, eorumque successoribus contulit. *Proviso quod* Beneficia incompatibilia propterea *debitis non fraudentur obsequiis*, & *animarum cura* nullatenus *negligatur*; & *onera Beneficii congrue supportentur*; quia isthæc omnia sunt de jure divino, a quo per dispensationem nullatenus eximi potest Beneficiarius.

Dispensatio circa defectum natalium explicatur. Honestas postulat, ut illegitimi ad statum Clericalem non admittantur: nam si in lege Mosaica homo de scorto natus ad Sacerdotium Aaronicum evehi non poterat; a fortiori id fieri non debet in lege Evangelica; id enim exigit dignitas Clericalis, id pa-

Digitized by Google

postulat atrocitas criminis paterni, & debita plebeiis reverentia, qui insigni scandalo moventur, si illegitimum videant ad beneficium Ecclesiasticum evehi, paternumque crimen in memoriam revocant, quoties illegitimi Clerici Altari serviunt. Sed quia aliquando de scorto geniti utiles possunt esse Ecclesiæ, ideo cum illis dispensatur, sed ea cautione. 1. Quod illegitimus dispensatur ab Episcopo ad Tonsuram recipiendam, & ad beneficium simplex, v. g. ad Præbendam Collegialem, minime vero dispensatur ad dignitatem, vel ad Præbendam Cathedralem. 2. Dispensatus a Papa ad majores ordines, non dispensatur ad beneficium, nisi de eo fiat mentio: & dispensatus ad unum beneficium, non dispensatur ad alia, neque ad Prælaturas. Is, a quo tollitur defectus natalium per professionem religiosam, non ideo fit capax ad Prælaturas; & sublato per dispensationem defectu natalium, vel per professionem religiosam, non absolvitur ab irregularitate homicidii nec per professionem nec per dispensationem, nisi de ea fiat mentio. Demum quantacumque sit dispensatio, spurius numquam dispensatur, ut beneficium patris obtineat.

Dispensatio circa defectum corporis explicatur. Sicuti inhonestum est illegitimum ministrare Ecclesiæ, ita decet deformem corpore ab Altari removeri; quocirca vitiati corpore egent dispensatione, ut Beneficium obtineant. Si defectus sit exiguus, puta, abscissio digiti, non pollicis, claudicatio non difformis, dispensatio ab Episcopo dari potest. Si defectus sit ingens, dari potest a solo Papa, qui rem committit examinandam Episcopo, sic enim habet formula dispensationis: *Mandamus quatenus, si & postquam dictus N. coram te personaliter se exhibuerit, oculum vel membrum ipsum diligenter inspicias: & si super quo conscientiam tuam oneramus, ex hujusmodi inspectione tanta deformitas in eodem oculo non appareat, quod ex hoc possit in populo scandalum generari, ac aliud Canonicum non obsistat; cum eodem N. si secum super se dispensare contingat, ut quæcumque Beneficia, &c. & recipere, & quoad vixerit retinere libere & licite valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali dono gratia dispensamus.*

Explicatur dispensatio de non promovendo. Qui habet beneficium curatum, idest Ecclesiam Parochialem, tenetur in annum a pacifica possessione computandum, quæ non habetur, nisi transacta annuali possessione, idest, tenetur intra duos annos ab institutione Canonica ad Presbyteratum evehi, quod si omiserit, beneficium vacat. Dixi, qui habet Ecclesiam Parochialem; nam qui habet Episcopatum, Abbatiam, Conventum, Capellam, non tenetur infra duos annos ad Presbyteratum evehi. Curatus ergo, qui voluerit non promoveri, supplicationem ad Papam diriget cui Pontifex sic respondit: N. *Papa, &c. Ne ad aliquem ex sacris Subdiaconatus, Diaconatus, vel Presbyteratus Ordinibus hujusmodi te facere promoveri minime tenearis, neque ad id a quoquam invitus valeas cogi ... Auctoritate Apostolica de speciali gratia indulgemus, proviso quod Ecclesia debitis interim non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea non negligatur, &c.*

Explicatur dispensatio circa male promotos. Qui male promoti sunt ad Ordines, puta, quia sine dimissoriis sunt ordinati ab extraneo Episcopo, vel quia sunt promoti ante legitimam ætatem, vel extra tempora a jure statuta, hi omnia egent dispensatione, alias eorum Beneficia impetrari possent; quia Pius II. voluit, quod prædicti omnes acceptis Beneficiis possent privari. Oportet ergo, ut supplicationem ad Papam dirigat, cui Papa respondet, concedendo gratiam, quæ in supplicatione continetur.

Explicatur dispensatio de non residendo. Quando quis obtinet Beneficium personalem residentiam postulans, si ob causas non jure expressas velit personaliter a suo Beneficio abesse, debet dispensationem a Papa postulare, & eo fine ad eum supplicationem dirigere, quæ numquam a Papa admittitur nisi cum hac clausula: *proviso quod Ecclesia interim debitis non fraudetur Officiis.* Vide quæ supra diximus de residentia.

CAPUT IV.

Quomodo amittantur Beneficia.

IN hac tertia parte Rebuffus agit de modis, quibus amittuntur Beneficia, puta de resignatione, permutatione, &c. Sed quia nos de his omnibus fuse in superiori Tractatu egimus, ideo huic materiæ finem imponimus.

DE VARIIS HOMINUM STATIBUS.

PROOEMIUM.

ARTICULUS I.

De necessitate divinæ vocationis ad quemlibet statum suscipiendum: quove pacto inquirenda sit divina vocatio, & qua fidelitate sequenda.

NOta. Status est certa vitæ conditio, qua quis adstringitur ad certam vivendi formam, vel perpetuo, vel ad tempus ineundam.

Status alius est sacer, alius non sacer, seu sæcularis. Status sacer est ille, quo Christianus speciali modo Deo consecratur: Talis est status Clericalis, quo Christianus Tonsura, vel Sacramento Ordinis Deo consecratur. Talis est etiam status Religiosus, quo quis professioni regulari Deo consecratur.

Status non sacer seu sæcularis est ille, quo homo sæcularibus negotiis implicatur, nec Tonsura, nec Ordine, nec Monastica Professione consecratur. Talis est status eorum, qui in sæculari dignitate constituti sunt, ut Magistratus, & conditio eorum, qui subsunt Magistratibus, ut cives. Talis est pariter status eorum, qui artibus liberalibus occupantur, ut advocati, medici, &c. & eorum, qui artibus mechanicis detinentur, ut milites, agricolæ, artifices, &c. De quibus omnibus sigillatim agendum.

Prop. unica. Nullus Christianus debet statum aliquem seligere sine divina vocatione.

Prob. 1. Scriptura. *Scio Domine, quia non est hominis via ejus: nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos:* Jerem. 10. v. 23. Ergo dum aliquam vivendi formam seligimus, ad eam debemus divinitus vocari, & dirigi.

2. *Rat.* Prima ratio. Homo non est sui juris, sed Dei: *Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos.* Psal. 99. v. 3. Ergo sicut servus, qui non est sui juris, non

potest

Digitized by Google

potest sine beneplacito heri sui statum aliquem eligere; ita nec nobis licet aliquam vivendi formam sine beneplacito Dei suscipere.

Secunda ratio. Multiplex est status in Ecclesia, scilicet status cælibatus, & matrimonii, status Religiosus, status Ecclesiasticus, status Laicalis: quilibet ex illis statibus bonus est absolute, sed non est bonus respective; potest enim quis aptus esse ad statum Laicalem, minime vero ad statum Religiosum, aut Ecclesiasticum: ergo oportet ut a Deo cognoscat, ad quem ex illis statibus divinitus destinetur.

Tertia ratio. Ecclesia corpus est, inquit Paulus 1. ad Cor. 12. cujus caput Christus est, membra vero illius sunt homines baptizati: sicuti ergo in corpore: *Non omnia membra eumdem actum habent*: ita in Ecclesia non omnes fideles idem habent Officium: Ergo sicut *posuit Deus membra unumquodque in corpore, sicut voluit*; ita oportet, ut quemlibet Christianum in suo Officio statuat. Si secus factum fuerit, fidelis injunctum male exercebit officium; sicuti pes manus officia ægre exequitur. Insuper vitam molestam ducet, sicuti membra extra debitum situm collocata non exiguum dolorem afferunt. Rursum sicut Deus in ordine naturali cuilibet causæ creatæ confert vim ad effectus, quibus producendis destinatur, necessariam, minime vero alteri creaturæ, v. g. confert igni vim calefaciendi, non aquæ, & contra aquæ dat vim humectandi, quam igni denegat; ita quos ad aliquem statum eligit, illis confert gratiam specialem huic statui necessariam, quam eis, qui se intrudunt, juste ut plurimum denegat juxta illud Isaiæ c. 30. v. 1. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum; & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam ... Ægyptus enim frustra & vane auxiliabitur*. Ut enim optime ait Psalmista: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; ita frustra statum aliquem vitæ nos ipsi eligimus, nisi ad eum divinitus dirigamur, & ab eo adjuvemur.

Consectarium unicum.

Quid faciendum Christiano de eligendo statu cogitanti.

1. Qui de eligendo alicujus vitæ statu cogitat, hæc verba Ecclesiastici c. 2. vers. 1. debet alto animo infigere: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime*, id est humilia, *cor tuum, & sustine*, idest, nihil præcipitanter agas. *Inclina autem tuam, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis*, idest ne abjicias servitium Dei in tempore tribulationis. *Sustine sustentationes Dei*, idest patienter feras probationem a Deo immissam. *Conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua*, idest, ut prospere tibi cedat status vitæ, quem elegeris.

2. Si in peccato est, omnem affectum peccati debet abjicere, & ad Deum sincera pœnitentia redire; quia vix alioquin exaudietur a Deo, ut ipsemet contestatur; *Invocabunt me, & non exaudiam. Mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint*. Prov. c. 1. 6. 28. Et ad peccatores ait per Ezech. 14. v. 4. *Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum*; fiet enim ei quod factum est Saul: *Consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnium, neque per sacerdotes, neque per Prophetas*. 1. Reg. 28. v. 6. Cujus silentii causa est: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Sap. 1. v. 4.

3. Constitutus in gratia Dei per veram pœnitentiam, debet per bonum Sacramentorum usum a Deo enixe precibus petere, quem ei statum destinaverit, dicens: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam: doce me facere voluntatem tuam*. Psal. 42. v. 8. *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. v. 6. Ut Christo dicebat Petrus: *Si tu es, jube me venire ad te*. Matt. 14. v. 28.

4. In ea oratione, & in eo Sacramentorum usu, animum debet induere indifferentem, paratus eum amplecti statum, quem Dominus indicaverit. In divina voluntate indaganda necessarium est nos ita comparare, ut nostra omnis voluntas cesset, & in neutram partem magis vergat, inquit Climacus de fuga inanis vitæ. *Dominus Deus aperuit*, inquit Isaias, *mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii*. 50. v. 5. Et David ait; *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Ps. 107. Uterque Propheta his verbis indicat, quomodo affectus esse debeat, qui aliquem statum vult suscipere.

5. In illa indifferentia constitutus vereatur, ne cupiditatem sequatur potius quam caritatem, diabolum potius quam Christum, carnis potius quam spiritus propensionem: *Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis*. 2. ad Cor. c. 11. v. 14. *Et sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, & de mundi gloria non amare quod amat*, ut ait Greg. past. par. 1. cap. 9

6. Quas diaboli fraudes ut effugiat, & mentis sibimetipsi mentientis astutias detegat, nihil agat sine prudentum consilio. *Cor boni consilii statue tecum; non est enim tibi aliud pluris illo*. Eccl. c. 37. v. 17. rursus: *Fili nihil sine consilio facias, & post factum non pœnitebit*. Ibid. 32. v. 24. *Noli præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere, magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione, experire quid possis, amicos consule*.

7. In petendo consilio eos adeat, inquit D. Th. 2. 2. q. 189. art. 10. de quibus speratur, quod prosint, & non impediant. Et Ecclesiasticus 37. v. 12. indicans, a quibus petendum sit consilium, ait ironice: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum injusto de justitia ... Cum timido de bello ... Cum impio de pietate ... Cum servo pigro de multa operatione*. Et ut denotet illud ironice dictum, subdit: *Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto*. Consiliarius potest esse Confessarius pius & prudens, aut vir aliquis doctus & pius, qui de re tanti momenti semoto omni præjudicio judicet. Si parentes sint profuturi, bonum est

Digitized by Google

est eos consulere; ita enim exigit istud præceptum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Exod. 2. Si vero sint nocivi, non sunt audiendi; quia in his, quæ sunt divini obsequii, magis obtemperandum patri spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis. Ad Heb. 12. v. 9. Unde Dominus reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ; erant enim alii per quos illud opus impleri poterat, ut docet Chrys. super illud Matt. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et Hilar. c. 3. in Matt. super illud, *Jacobus & Joannes relictis retibus & patre secuti sunt Dominum*, ait: *Ex quo docemur Christum secuturi, & sæcularis vitæ solicitudine & paternæ domus consuetudine non teneri.* Ita apud D. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. arg. *sed contra.*

8. Cum divina vocatio inquiritur, & qui dat, & qui petit consilium, debent isthæc omnia diligenter observare. 1. Uterque debet solam Dei gloriam pura intentione quærere, neuter debet carni vel sanguini acquiescere: *Cujus enim finis malus est, ipsum quoque malum est*, inquit Boetius. *Si oculus tuus*, idest intentio tua, *fuerit simplex, totum corpus tuum*, idest opus tuum, *lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Matt. 6. v. 22. 2. Uterque debet vires tum corporis, tum mentis ejus, qui vult statum aliquem ingredi, cum ipso statu comparare: *Unusquisque*, inquit Ambr. *suum ingenium noverit; & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit: itaque quid sequatur prius consideret.* Lib. 1. offic. c. 44. *Quis enim*, inquit Christus, *volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?* Luc. 14. v. 28. 3. Non oportet in perenni suspensione persistere, sed sufficienti adhibita diligentia eum statum eligere, qui & viribus nostris judicatur convenientior, & gloriæ Dei manifestandæ opportunior; alias semper suspensus, nihil boni inciperet: *Qui observat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, numquam metet.* Eccl. 11. v. 4.

9. Cum divina vocatio inquiritur, & qui dat, & qui petit consilium, tanto majorem debent adhibere diligentiam, quanto status, qui proponitur, est periculosior: minorem vero quanto est securior, quia, ut optime ait D. Th. 1. 2. q. 199. a. 10. *Diuturna deliberatio, & multorum consilia requiruntur in magnis, & dubiis; in his autem quæ sunt certa & determinata, non requiritur consilium.* Sic magna requiritur circumspectio, quando status inducit obligationem perpetuam, qualis est status Religiosus, status Subdiaconatus, status Matrimonii, obligatio enim perpetua non debet temere suscipi. Sic magna requiritur circumspectio, quando status periculis est obnoxius. Talis est status Clericalis, *ad quem requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status.* D. Th. 2. 2. q. 184. a. 8. *Sanctificabor in his, qui appropinquant ad me*, inquit Deus Lev. 10. v. 3. Talis est pariter status sæcularis eorum, qui præsunt etiam civiliter: *Judicium durissimum his qui præsunt, fiet ... potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 6. Talis est pariter militiæ exercitium: *Non enim militare delictum: sed propter prædam, aut aliud quodvis pravum motivum militare, peccatum est.* Aug. ser. 29. veteris edit. de verbis Domini. Talis est pariter status judicis, advocati, procuratoris, tabellionis, quibus officiis nihil Reipublicæ utilius: *Remota itaque justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Aug. lib. 4. de civ. c. 4. Talis est pariter status eorum, qui occupantur artibus liberalibus, aut mechanicis; quælibet enim ars suas habet aleas, suaque pericula, quæ prævideri oportet antequam quis eas artes temere suscipiat ... De his omnibus statibus deinceps sigillatim agemus.

ARTICULUS II.

In quo statuitur, quod singulis hominibus interdicatur otium, & labor aliquis mentis, vel corporis præcipiatur.

PRop. un. Nullus est status, nulla conditio in Religione Christiana, in qua singulis hominibus non interdicatur otium, & non præcipiatur aliquis labor vel mentis, vel corporis.

Prob. 1. Scriptura. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job 5. v. 7. & Paulus 2. ad Thess. c. 3. v. 10. ait: *Si quis non vult operari, nec manducet*: ergo ex Scriptura labor singulis hominibus præcipitur.

2. Ex Aug. Operis imperfecti contra Julianum l. 6. c. 29. *Nomine quippe*, inquit, *sudoris generalem Sacra Scriptura significavit laborem, a quo nullus hominum est immunis, cum alii laborant operibus duris, alii sollicitantibus curis ... Nunc ergo laborant pauperes, laborant divites, laborant justi, laborant iniqui, laborant magni, laborant pusilli a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium:* ergo labor est de præcepto, & non solum de consilio.

3. *Rat.* Prima ratio. Generalis pœnitentia a Deo cunctis hominibus imposita, a qua nullus potest nos dispensare, hæc est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: Gen. 3. v. 19. ergo cuncti homines tenentur aut mentem, aut corpus aliquo labore occupare.

Secunda ratio. Otium est origo omnium vitiorum juxta illud Eccl. 33. v. 9. *Multam malitiam docuit otiositas*: ergo singulis hominibus interdictum est otium.

4. Exemplis. Quotquot extiterunt Sancti in veteri & novo Testamento, hi omnes & otium fugerunt, & labori vel mentis, vel corporis non languide, sed ardenter incubuerunt, ut patet hac inductione. Adam innocens positus in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. Adam pœnitens cogitur terram maledictam, & spinas & tribulos germinantes in pœnam peccati proprio labore subigere. Abel est pastor, Caïn agricola, Noe arcam manibus suis construit. Abraham, Isaac, Jacob, ejusque filii, pastores sunt ovium. Moyses, Josue, Gedeon, aliique Doctores populi aut rebus pastoritiis, aut agrorum cultura occupabantur. Saul, David, aliique Reges, immo & Prophetæ, aut pascendis gregibus, aut incolendis agris incumbebant, & simul Dei legem meditabantur, & ita & corpore & mente occupabantur.

In no-

Digitized by Google

In novo Testamento Christus secundus Adam Fabri est filius; immo secundum Marcum & Faber ipse operabatur manibus suis, non necessitate, cum multa populorum millia quinque panibus & paucis pisciculis nutrierit, sed ut nobis exemplum daret, & otium fugiendum esse ostenderet. Apostoli piscatores erant, & operibus & labore manuum vivebant. Paulus, etsi Civis Romanus, & indefesso zelo Evangelium prædicans, labore tamen manuum suarum victitabat; ideo scribens ad Thessalonicenses ait 2. Ep. c. 3. v. 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos; nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.*

Sic antiqui Eremitæ & Monachi, non modo labore manuum suarum vivere, sed inde lucrari etiam solebant, unde necessitatem patientibus eleemosynam impertirent. Post vero in Cœnobia & Conventus congregati, alii agros colere, alii scribendis libris sacris, & Sanctorum operibus pariter scribendis detineri cœperunt. Ergo exemplo Christi & Sanctorum oportet singulos Christianos, qui volunt salutem æternam consequi, aut mente, aut corpore occupari; nemo enim salvus esse potest, nisi Christum & Sanctos imitatus fuerit: *Imitatores mei estote*, inquit Paulus, *sicut & ego Christi*. 1. ad Cor. cap. 11. v. 1. Docet etiam neminem salvandum esse, nisi Christum imitatus fuerit: *quos præscivit*, inquit, *& prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*. Ad Rom. v. 29.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In magno salutis periculo versantur illi omnes, quorum vita ea est, ut a lecto ad epulas, ab epulis ad ludos, Comœdias, Choreas, aliaque mundi oblectamenta, rursus ab illis oblectamentis ad Cœnam, a Cœna ad lectum transeant, & vitam omnem inertes & desidiosi transigant: licet enim nec creditoribus suis injuriam faciant, nec domesticos debito fraudent salario, nec vassallos injustis vexent exactionibus, & sic coram hominibus innocentes appareant, ob vitam tamen desidiosam & inertem coram Deo abominandi sunt, ut docet Job 15. v. 16. *Quanto magis*, inquit, *abominabilis est inutilis homo*, idest otiosus, *qui bibit sicut aquam iniquitatem?* Et Proverbiorum 6. dicitur: *Homo Apostata est vir inutilis*, idest desidiosus. Quamvis enim homines illi inertes turpibus vitiis non inquinentur, sunt tamen coram Deo arbores infructuosæ, inutiliter terram occupantes, quas jubet Deus eradicari juxta illud: *Excide illam* arborem; *ut quid terram occupat?* Et rursus: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Vitam denique otiosam & delitiis diffluentem damnavit Christus exemplo servi, quem Dominus ob talentum reconditum in tenebras exteriores jussit detrudi. Eodem pertinet divitis illius parabola, qui *induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide*. Luc. 15. v. 19. quippe ob id *sepultus est in inferno*. Ibid. v. 22.

Consect. 2. In magno salutis periculo versantur omnes illi homines sive nobiles, sive plebeji, qui aut ingenti nummorum copia ditati, aut fugiferro fundo potiti, redditibus suis sine cura, sine labore, sed molli otio vitam omnem transigunt, rati nullius criminis esse reos, modo nulli injuriam faciant; ipsa enim vita otiosa crimen est non exiguum coram Deo juxta illud Davidis & Pauli: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Ubi indicatur, quod vita ipsa otiosa & crimen sit, & multorum criminum origo.

Consect. 3. In majori adhuc salutis periculo versantur Clerici tum regulares, tum sæculares, qui sola Breviarii recitatione contenti, reliquum diei tempus insumunt modo ludis, modo nova accipiendo & enarrando, aut vanis aliis detenti occupationibus. Si enim otium in laico vituperandum sit, longe magis in Clerico tum sæculari, tum regulari damnandum est; sunt enim Clerici hi, de quibus scriptum est Mal. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est*. Et illos præsertim Petrus alloquitur, dicens in c. 3. v. 15. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ est in vobis, spe*. Itaque semoto omni otio studeant vel ut concionari, vel confessiones audire, vel saltem Doctrinam Christianam rudiores docere valeant; quod si his muneribus sint impares, exerceant se vel manuali aliquo opere, ut Carthusiani Sacerdotes, vel addiscant manuscripta legere, ut ea transcribant monumenta Patrum, in quibus religio continetur; & sic alicui subsidio sint aliis Sacerdotibus, qui utiliter pro Ecclesia student, & in vinea Domini operantur.

Consect. 4. Prædicatores & Confessarii tenentur fideles admonere tum in concionibus tum in confessionibus, laborem vel mentis, vel corporis singulis esse non de consilio, sed de præcepto; & proinde unumquemque fidelem teneri ad amplectendum vel mentis, vel corporis laborem aliquem, qui statui suo atque conditioni conveniat. Sic alii debent studio vacare, alii vero aliquo labore exerceri: v. g. agricolæ debent agrorum culturæ incumbere, milites bellicos labores subire, mercatores mercaturam exercere, artifices arti suæ sedulam navare operam: Nobiles & plebeji, qui suis redditibus vivunt, diligentem debent bonorum suorum curam gerere, eaque tamquam rationem reddituri, administrare: demum quilibet eam, quam novit artem, aut nosse debet, in ea exerceat se necessum est, ut otium fugiat. Sic mulieres nobiles, sive plebejæ rei domesticæ curam debent conferre, famulis famulabusque suum cuique laborem præcipere, filiis filiabusque vestiendis insistere, demum mulierem fortem imitari, de qua scriptum est: *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*. Prov. 31. v. 27. Sic Clerici tum sæculares, tum regulares debent studio Religionis vacare, ut etiam ipsi addiscant, & populos edoceant. Judices, Advocati, &c. leges debent addiscere, ut jus suum cuique reddant. Medici morborum causas investigare, ut eis opportuna remedia afferant. Tandem juvenes omnes, qui scholas frequen-

tant,

Digitized by Google

tant, aut domi student, totis viribus eniti, ut eam scientiam acquirant, quæ est necessaria ad eum statum, quem ingredi intendunt. Confessarii ergo, & Concionatores debent, idque non oscitanter, sed serio inculcare omnibus & singulis laborem præceptum esse; declarat enim Sapiens, Prov. c. 11. v. 21. *Manus in manu*, idest vir desidiosus, *non erit innocens*. Et Eccl. 15. v. 22. expresse declarat, quod Deus otiosos odio habeat. *Non enim*, inquit, *concupiscet Deus multitudinem filiorum infidelium & inutilium*, idest otiosorum.

ARTICULUS III.

De variis peccatis, quæ in labore corporali committi possunt.

NOta. Labor corporalis est exercitium, quod membris corporeis exercetur: talis est, v. g. agrorum cultura, vel artis mechanicæ exercitium. Qui laborant corporaliter, peccare possunt vel ratione rerum, circa quas exercetur labor corporalis, vel ratione modi, quo laborant, vel ratione finis, quem laborando intendunt.

§. I. *De his, circa quæ labor corporalis exerceri potest.*

Prop. un. Circa ea debemus laborem corporalem exercere, quæ tum quoad corpus, tum quoad animam, nobis, vel proximo prodesse possunt: & ideo toties peccamus laborando, quoties noxio vel inutili labore incumbimus, & necessarium negligimus.

Prob. ratione. Labor corporalis ideo præsertim præcipitur, vel ut nobis necessaria comparemus, vel ut proximo ea, quibus opus habet, provideamus juxta illud Pauli: *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*: ad Ephesios 4. v. 28. ergo peccamus quoties laborando necessarium laborem omittimus, & noxio labore occupamur.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui eo labore occupantur, qui futurus est noxius vel nobis, vel proximo sive quoad corpus, sive quoad animam. Sic peccant qui conficiendis venenis incumbunt, quando venenum ad nihil aliud inservire potest, quam vel ut vitam tollat, vel ut sanitatem minuat. Sic peccant, qui artibus incumbunt, quæ vitia fovent: v. g. qui tabellas lascivas efformant, libros impudicos, aut hæreticos imprimunt: qui in cibis condiendis non quærunt quæ necessitati corporali possunt satisfacere, sed propriis inventis ea excogitant, quæ voluptati tantum serviunt, gulam fovent, & concupiscentiam excitant: qui in vestibus conficiendis propriis inventis eas excogitant formas, non quæ vestiendo corpori sunt necessariæ, sed quæ vanitatem, & immodestiam fovent, luxum adaugent, & amorem sæculi inspirant.

Nolo tamen hic damnare omnia ciborum condimenta, nec vestium diversitatem, hoc enim plane injustum esset; pulmentum enim, quod Isaac dabatur, satis aperte indicat ciborum condimenta ratione ætatis, infirmitatis, immo & conditionis, licita esse: decet enim aliter nutriri rusticos, aliter nobiles; aliter infirmos, aliter sanos; aliter senes, aliter juvenes: decet etiam aliis vestibus indui viros nobiles, aliis rusticos, uti haud dubie splendidius induebatur Esther, quam ejus ancilla. Sed hæc tum ciborum, tum vestium differentia intra eos limites est coercenda, ut semper in cibis caveatur intemperantia, & in vestibus vanitas quam semper & omnibus sine ullo discrimine damnat Christi religio, neve quis intuoi aut conditionis, aut dignitatis nomine, superbiæ, aut gulæ indulgeat.

Consect. 2. Peccant hi omnes, qui in labore manuum, quæ necessaria sunt, omittunt, & vanis, curiosis, inutilibusque operibus occupantur; oportet enim unumquemque juxta suam conditionem & artem occupari, ut agnovit Poeta etiam ethnicus: *Quam quisque norit artem*, inquit, *in hac se exerceat*. Unde optandum foret, ut a Republica Christiana exularent omnes illæ artes, quæ rebus vanis occupantur: v. g. artes conficiendi fucum, & pigmenta, ars conficiendi larvas, & alia hujusmodi, quæ ad nihil aliud, quam ad corrumpendos mores conducunt.

§. II. *Quando labor corporalis sit exercendus.*

Prop. un. Toties peccatur in laboris corporalis exercitio, quoties juxta modum Christianis præceptum non suscipitur.

Prob. ratione. Labor corporalis occupatio est, qua corpus occupatur, quæque his, qui studendo non occupantur, indispensabili lege præcipitur, ut patet ex dictis: ergo peccatur, quoties juxta modum Christianis præceptum non suscipitur; quia Christianis non solum res ipsa, sed modus rei imperatur.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui laborem corporalem vel actualiter, vel virtualiter Deo non offerunt; quia præcipitur Christianis, ut omnia in gloriam Dei faciant; juxta illud: *Omnia in gloriam Dei facite*. ad Cor. c. 1. v. 3.

Consect. 2. Peccant qui laborem corporalem interdum aliqua oratione non interrumpunt; non enim ita debemus rebus corporalibus insistere, ut mentem nostram a Deo amoveamus, unde notat Aug. quod Eremitæ, qui corporalibus operibus occupabantur, breves & ardentes in Deum orationes effundebant.

Consect. 3. Peccant qui laborando ita corpus aggravant, ut subeundis vulgaribus operibus ineptum fiat; Deus enim vult corpus nostrum exerceri, sed non aggravari.

Consect. 4. Peccant qui laborando ita lente & languide occupantur, ut otiari potius quam operari videantur; & si operas suas locaverint, tenentur ad restitutionem.

§. III. *De fine, quem debemus nobis proponere in labore corporali.*

Prop. un. Toties laborando corporaliter peccamus, quoties inhonestum nobis finem proponimus.

Prob. Labor corporalis est actio de se indifferens; atqui

atqui omnis actio indifferens inhonesto fine vitiatur: ergo labor inhonesto fine vitiabitur: ergo laborando debemus honestum finem nobis proponere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui laborem corporalem exercendo, fines hic subjectos sibi proponunt. 1. Qui laborant ob vanitatem: vanitas enim latens venenum est, quod in opera etiam viliora irrepit, ut patet exemplo illius Eremitæ, qui plus laboraverat quam jussus fuerat, cujusque opus in pœnam vanitatis igni addictum est: & quidem merito; Christus enim annuntiat Pharisæis inutilia fore eorum opera: eo quod vanam gloriam ac populares plausus appeterent.

2. Peccant qui laborant solo motivo avaritiæ, & amore divitiarum; nam, ut docet Paulus, 1. ad Timoth. cap. 6. v. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

Consect. 2. Non peccant, quinimo sancte se gerunt, qui laborando corporaliter subjectos sibi fines proponunt. 1. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut onus conditionis humanæ necessario adjunctum, *Homo enim*, ut diximus, *nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* 2. Qui laborem suscipiunt, ut pœnitentiam a Deo cunctis hominibus impositam, qua præterita peccata diluunt, & futura præcavent. 3. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut Christum imitentur, qui fuit in laboribus a juventute sua. 4. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut ea lucrentur, quæ sibi aut familiæ sunt necessaria; debent enim parentes labore manuum suarum filiis suis, & nutritionem, & hæreditatem providere: juxta illud Pauli 2. ad Corint. 12. v. 14. *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

ARTICULUS IV.

De variis peccatis, quæ studendo committi solent.

NOta. Studium est mentis applicatio, qua vel addiscimus quod ignorabamus, vel retinemus quod jam addiscimus. Qui autem student, peccare possunt vel ratione rerum, quibus student, vel ratione modi, quo student, vel ratione finis, quem studendo intendunt. Quæ omnia hic percurremus.

§. I. *De rebus, quibus studere liceat.*

Prop. unica. Ea tantum debemus addiscere, quæ inservire possunt conservandis, acquirendis bonis tum mentis, tum corporis, tum fortunæ. Toties peccamus, quoties vel noxiis, vel inutilibus rebus studemus, aut necessaria scire negligimus.

Prob. rat. Studium est pabulum mentis; quippe sicuti corpus escis corporalibus alitur, ita mens nostra studio & contemplatione nutritur: ergo sicuti peccaret ille, qui vel venenosos, vel noxios cibos sumeret, & necessaria sibi alimenta subtraheret; ita peccat qui studendo animum adjungit vel noxiis, vel inutilibus rebus, vel quæ sunt necessaria omittit addiscere. Anima nostra est quasi ager, quem Deus unicuique nostrum excolendum committit; dedit enim Deus animam homini, uti posuit Adamum in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum. Ergo sicut imprudenter ageret, & peccaret qui agrorum suorum culturam negligeret, vel eis aut noxia, aut inutilia semina mandaret; ita peccant haud dubie, qui animam suam vel utili studio non excolit, vel noxiis, aut inutilibus Doctrinis corrumpit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui student falsis Doctrinis, quæ fidem possunt corrumpere: *Jure enim naturali*, inquit Silvius... in 2. 2. *vetitum est legere libros Hæreticorum, quando periculum est subversionis: qui enim amat periculum, in illo peribit: & ea lectio*, inquit, *magis est periculosa, quam vel disputatio, vel colloquium verbale, partim quia scripta sunt magis meditata, magis ornata, & composita: partim quia cum in promptu sint, sæpius & attentius leguntur: partim quia sic vera falsis, & bonis mala immiscent, ut facile incautos decipiant. Nemo igitur, quantumvis doctus, potest eos libros sine licentia legere.*

Consect. 2. Peccant qui legunt libros obscœnos, qui castos mores possunt offendere; si enim corrumpunt bonos mores colloquia prava, a fortiori lectio obscœnorum. Ejusdem criminis rei sunt qui citra necessitatem curiosius, quam par est, diversi sexus anatomiam inspiciunt, quique eos ludos & Theatrorum spectacula contemplantur, quæ semper vel ad peccatum, vel ad peccandi periculum inclinant, contra illud Scripturæ præceptum: *Tamquam a facie colubri fuge peccatum.* Eccles. 21. v. 2.

Consect. 3. Peccant qui non student ad defendendam veritatem, aut qui student ad eam impugnandam: quales sunt Philosophi illi superbi, qui philosophiam suam fidei regulis subjicere renuunt, de quibus Paulus ad Coloss. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, & non secundum Christum.* Et Dionys. apud Div. Thom. 2. 2. q. 197. a. 1. ad 3. de iisdem Philosophis loquens, ait: *Quod Divinis non sancte contra Divina utuntur, per sapientiam Dei tentantes expellere Divinam venerationem.* Tales sunt etiam Hæretici, qui Scripturas lectitant, easque totis ingenii viribus in alienum sensum detorquent: de quibus omnibus ita loquitur Div. Thom. 2. 2. quæst. 167. art. 1. in Corp. *Qui student aliquid addiscere ad peccandum, vitiosum studium habent, secundum illud* Hierem. 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium; ut inique agerent laboraverunt.* Non longe ab istis recedunt qui immodico sciendi desiderio allecti, tempus ipsum pietati & exercitiis spiritualibus debitum, profano studio impendunt; maledictum enim studium, ut vulgo dicitur, propter quod relinquitur officium.

Consect. 4. Peccant qui curiosis insistunt cogitationibus, quæ nec ad corporalis vitæ necessitatem, nec ad laudabilem virtutis notitiam ordinantur; sed potius hominem ab aliqua utili consideratione avertunt: quales sunt vanæ speculationes: de quibus ita Paulus: *Stultas & sine disciplina quæstiones devita, sciens, quia generant lites:* 2. ad Timor. 2. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ.* Ad Tit. 3. Talis est pariter curiositas

in

Digitized by Google

in ludis, & spectaculis spectandis, & in inquirendis factis, aut arcanis aliorum, inquit Silvius.

Confect. 5. Peccant hi, qui nituntur addiscere ea, quæ Deus latere voluit: de quibus Eccl. 3. v. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris:* Et rursus: *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.*

Confect. 6. Peccant hi, qui sæcularem scientiam scientiæ salutis præponunt: quos ita monet Bernardus Serm. 36. in Cant. *Te scire prius amplinsque curato quæ senseris viciniora saluti.* Et August. 5. Conf. 4. *Beatus, qui te scit, etiam si illa nesciat: qui vero te, & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.*

Confect. 7. Peccat qui omittit scire quæ sui sunt Officii: v. g. Theologus negligens scire Biblia, Jurisconsultus leges, Medicus morborum causam & medicinam: quos ita alloquitur Ecclesiasticus c. 3. v. 22. *Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.*

Sic, juxta Aug. peccant omnes Christiani, *qui desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant: unde etiam tanta superbia gignitur, ut in ipso Cœlo, de quo disputant, sibimet habitare videantur.* Lib. 1. de moribus Ecclesiæ c. 21. Et post hæc addit: *Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vana cognitionis cupiditate, si se castam servare disposuit.*

Sic peccant Sacerdotes, qui cum debeant in lege Domini die ac nocte meditari, non alio quam fabularum studio delectantur, quique veteres, ac recentiores Poetas, & Oratores assidue lectitant, cum sacros libros nequidem norunt, ac prope fastidiunt: de quibus ita Hieron. de filio prodigo. *Sacerdotes*, inquit, *dimissis Evangeliis & Prophetis solent Comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare.*

Sic denum peccant sive Juristæ, sive Medici, &c. qui neglectis artis suæ libris, his student, quibus non fiunt in ea arte, quam exercent, peritiores: tenetur enim quilibet, omni posthabita scientia, eam, quam exerciturus est, artem primitus addiscere, & postea tantum eum occasio se se obtulerit, aliis scientiis vacare poterit. Imo admonendi sunt qui legendis comœdiis, aut Poetis ad animum relaxandum indulgent, ne forte relaxationis obtentu, aut voluptatis illecebra, aut profanæ eloquentiæ splendore decepti, nimiam temporis partem inanibus & ludicris studiis insumant.

§. II. *De modo, secundum quem nos studere oporteat.*

Prop. unica. Toties peccamus, quoties studium non suscipimus juxta modum hominibus Christianis præscriptum.

Prob. ratione. Studium est actio, qua mens nostra occupatur, & quæ indispensabili lege his omnibus præcipitur, qui corporali exercitio non occupantur; quia, ut patet ex dictis, oportet nos aut mente, aut corpore occupari: Ergo peccatur quoties studium juxta modum Christianis præscriptum non suscipitur; Christianis enim non solum res ipsa, sed modus rei imperatur.

Consectaria hujus doctrinæ.

Confect. 1. Ante studium oportet mentem nostram oratione aliqua præmunire; si enim Deum in oratione non alloquamur, nisi prius mente disposita; juxta illud: *Ante orationem præpara animam tuam, ne sis sicut homo tentans Deum.* Eccles. 18. v. 25. item si Deus exigat mentem nostram præparari, cum nos allocuturus est, juxta illud dictum Judæis legem recepturis: *Estote parati in diem tertium.* Exod. 18. v. 15. a fortiori decet nos paratos ad lectionem venire, præcipue si libros ab hominibus editos lecturi sumus, in quibus aliquid ignorantiæ, aut humanæ cupiditatis semper illabitur. Quocirca ante studium debemus ardenter in hanc orationem erumpere: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*, ut prævia hac dispositione salutaris fiat librorum humanorum lectio. Si enim pia consuetudine statutum est, nos cibos non sumere, nisi prævia oratione; hoc idem potiori jure fieri ante studium pietas admonet, cum naturali instinctu cibos corporales noxios præcavere possimus, noxiam vero lectionem nedum naturali instinctu perhorremus, quinimo depravato appetitu hanc ardentius concupiscimus.

Confect. 2. Dum actu studemus, necessum est ut studium subeatur tamquam sudor ille pœnalis cunctis hominibus impositus; cum dictum est Adamo: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; vel ad summum tamquam animi relaxatio, qua siamus ad officia nostra aptiores. Studium quippe Christiani hominis non vana est mentis delectatio, sed gravis exercitatio, non ludus, sed occupatio seria, cui insistere nos oportet, vel ut officio nostro faciamus satis, si studeamus seriis, vel ut siamus ad officium & promptiores & alacriores, si studeamus libris jucundis. Quo circa dum libris officii nostri insistimus, habeamus istud semper animo fixum: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*, Joan. 48. v. 10. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est opera sua dissipantis.* Prov. 18. vers. Dum legimus jucunda & ludicra ad mentis relaxationem, ad illud Apostoli monitum debemus sempet attendere: *Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Ad Galat. 5. v. 13.

Confect. 3. Quando studemus, lectionem debet interrumpere frequens oratio; duo enim extrema periculosa vitanda sunt, nimirum curiositas, & negligentia. Curiositas sciendi protoparentes ad peccandum allexit: *Eritis*, inquit serpens illusor, *sicut dii, scientes bonum & malum.* Gen. 3. v. 5. Negligentia Sacerdotes a Sacerdotio exclusit: *Quia tu scientiam*, inquit Deus, *repulisti, ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Osee Cap. 4. v. 6.

Confect. 4. Post studium debemus utilia, quæ studio didicimus, animo meditari, noxia vero longe rejicere. *Cibus*, siquidem, ut ait Bern. serm. 36. in Cantica, *indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit: Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne caritatis non fuerit, nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus conversus in pravos noxiosque humores?* Et Sapiens studentem, & non meditantem dolio perforato comparat: *Cor fatui tamquam vas*

Digitized by Google

vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Ecclef. 21. vers. 17. De iis vero, qui inutilia servant, utilia vero obliviscuntur, ita idem Sapiens loquitur; *Sicuti in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius*. Ecclef. Cap. 27. v. 5.

§. III. *De fine studii nostri.*

Prop. unica. Toties studendo peccamus, quoties inhonestum nobis finem proponimus.

Prob. Studium est actio de se indifferens: atqui omnis actio indifferens inhonesto fine vitiatur; ergo studium inhonesto fine vitiatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui studendo fines hic subjectos sibi proponunt. 1. Qui student, ut sciant. 2. Qui student, ut sciantur. 3. Qui student, ut lucrentur temporalia; quia illi fines sunt inhonesti, curiositas enim immodica sciendi, ambitio, & immoderatus divitiarum appetitus omnino studium vitiant: de his ita loquitur Bernard. serm. 36. in Cant. *Sunt qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est .... Et sunt item qui sciri volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent; & caritas est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur; & prudentia est.*

Consect. 2. Non peccant, quin imo sancte se gerunt, qui studendo fines hic subjectos sibi proponunt. Qui student, ut ignorantiam conditioni humanæ necessario adjunctam e mente expellant, & necessariam statui suo scientiam acquirant: de quibus ita Amb. Canon. *Legimus* dist. 37. *Legimus aliqua*, inquit, *ne negligantur; legimus, ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus*. 2. Qui studium sacrum suscipiunt in pœnam peccatorum, quæ commiserunt, studendo rebus vanis & inutilibus. Uti enim argumentatur Paul. ad Rom. 6. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ ad sanctificationem*. Ita sicuti mens nostra incubuit legendis pravis libris, ita & bonis legendis incumbat, ut saltem perinde sit intenta veritati, ut olim addicta fuit errori, tantumque saltem vacet bonis, quantum se se malis tradidit.

ARTICULUS V.

De Ludo recreationis causa assumpto.

POstquam de labore & studio disputatum est, ipsa rerum series nos vocat ad ea, quæ pertinent ad ludum, quo relaxantur animi.

Ludus, ut diximus ubi de contractibus, est triplex; recreativus solum, lucrativus solum, recreativus simul & lucrativus. In primo sola intenditur animi relaxatio; in secundo solum lucrum quæritur; in tertio magis quæritur animi relaxatio, quam lucrum. Hic Ludus solet definiri pactum, quo oblectantes deponunt aliquid cessurum victori.

Prop. unica. Ludus recreativus simul & lucrativus non est ex suo genere peccatum, sed recreatio utilis; potest tamen esse peccatum ex circumstantiis.

Prob. 1. Scriptura. *Avocare, & lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis*. Ecclef. 32. v. 15. 16. Ergo ludus potest esse sine peccato, & cum peccato.

2. Ex Aug. *Volo tandem tibi parcas: nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam*. Lib. 2. de musie. cap. ult.

3. *Rat.* Non minus debetur quies menti, quam corpori; quia virtus utriusque, utpote finita, diuturniore exercitio fatigatur: quies autem animæ non consistit in cessatione ab omni operatione; quia animus numquam cessat ab omni actione, nisi forte in somno: ergo consistit in cessatione ab operatione sacra, & in applicatione aliqua jucunda & ludrica: ergo ludus de se non est illicitus, sed necessarius; nec illicitus fit ratione rei appretiabilis, quæ in commune exponitur; quia potest quilibet res suas pro libito liberaliter dare: ergo & eas ludo exponere; ludus tamen potest esse illicitus ex circumstantiis, si fiat aliter, quam debet fieri.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Ex circumstantia *Quis*, ludus potest esse illicitus ratione personæ. Si ludus talis talem personam dedeceat: v. g. si senex ludis puerilibus occupetur, si Magistratus ad plebejorum ludos se deprimat, si Clericus Laicorum ludos sectetur. Ideo Canones antiqui renovati in Concilio Trid. alearum ludus Clericis interdicunt. Sess. 22. de reformatione Cap. 1. Clerici, inquit, *Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Can. 16.

Consect. 2. Ex circumstantia *Quid*, ludus potest esse illicitus ratione objecti. Si ludus virtutem aliquam offendat, puta Religionem, castitatem, justitiam, &c. v. g. Si Sacramenta in derisionem deducantur; & ludus ille dicitur irreligiosus. Si verba vel facta turpia assumuntur; & ludus ille dicitur obscœnus. Si noceatur vitæ, famæ, fortunis proximi; & ludus ille dicitur perniciosus.

Consect. 3. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia *Ubi*, scilicet ratione loci. Si ludus fiat in loco prohibito, v. g. si ludi Theatrales fierent in loco sacro.

Consect. 4. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia *Quibus auxiliis*, scilicet ratione rerum, quæ exponuntur ludo: v. g. si quis non habens rerum Dominium, puta Monachus, uxor, filiusfamilias, res ingenti pretio æstimabiles ludo exponeret ... nam res exigui momenti cum licentia ludo exponere non esset peccatum. Item si Paterfamilias res sibi vel Familiæ necessarias ludis consumeret, ut fusius diximus alibi. Item qui vel modicam pecuniam ludo tradunt, cum calamitosa sunt tempora: tunc enim coercenda est ludendi cupiditas, ut exerceatur caritas, & pauperibus, qui sunt imagines Dei, & membra Christi, copiosius subveniatur. Vide de Eleemosyna.

Consect. 5. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia *Cur*, scilicet ratione finis: ut si quis ludendo, alium sibi finem quam animi relaxationem proponeret, v. g. si solum lucrum intenderet.

Consect. 6. Ludus potest esse illicitus ex circum-

Digitized by Google

stantia *Quomodo*, scilicet ratione modi: ut si fraudulenter, aut ardentius, quam par est, ludatur. Fraudulenter quidem, ut si quis lucretur ab his, qui non possunt alienare, ut sunt Monachi, uxores, minores; si quis invitum traheret ad ludum vel vi, vel improbis precibus; si quis colludentem deciperet; si quis absenti pecunia luderet, dum alius ludit præsenti: quibus casibus fraudulenter acquirens, tenetur restituere quod ludo lucratus est. Si quis quod perdidit ludo, non solveret, nisi esset lex dispensans a promisso adimplendo, de quo ubi de contractibus. Ardentius vero cum quis contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ ludit, vel totam mentem ita ludo occupat, ut ad seria negotia fiat insufficiens.

Consect. 7. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia *Quando*, scilicet ratione temporis *quantitative* vel *designative* spectati. *Quantitative*, ut si multum temporis in ludo insumatur, & omittantur seria, vel quæ sunt de præcepto ... *Designative*, ut si ludatur tempore sacro, actionibus Religiosis indispensabilibus destinato, tempore calamitoso luctui & non ludo destinato; ex talibus circumstantiis ludus aliunde honestus, illicitus redditur.

Hinc constat, graviter peccare eos, qui ludendo nullam aliam nisi temporis jacturam faciunt, vel ex eo solum, quod nihil sit eo tempore pretiosius, quod ad comparandam æternitatem nobis concessum a Deo est: deinde singula temporis momenta ita sunt religiose ordinanda, & pie insumenda, ut dies plenos ante Deum habeamus: quod quidem minime præstant qui præter necessitatem ludis aliquam temporis portionem perdunt.

Hinc constat pariter insigniter peccare eos, qui, dum mala sunt tempora, ludo indulgent; quippe qui publicæ miseriæ videantur illudere, & divinam iracundiam, quæ nisi pœnitendo placari non potest, novis rursus delictis accendant, gravioresque calamitates intempestivis ludis terris potius accersant, quam vera cordis compunctione eliminent.

TRACTATUS QUINTUS.

De Statu Religioso.

PROOEMIUM.

POstquam tradita sunt ea, quæ ad laborem tum mentis, tum corporis pertinent, aut ad ludos, quibus interdum nos relaxari nostræ imbecillitati concessum est, juvat singulos hominum status percurrere, quæque sint omnibus ac singulis conditionibus præcepta, aut vetita recensere: ac primum quidem occurrit status Religiosus, qui secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam, nihil est aliud, quam collectio & societas hominum, qui ad Christianam perfectionem nituntur, quique triplici voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ se se totos Deo consecrant in Congregatione per Ecclesiam approbata.

Religiosa autem professio considerari potest, primo prout est promissio, qua Religiosus se se Deo totum devovet. Secundo, prout est pactum quoddam mutuum, quo Religiosus Communitati, & Communitas vicissim Religioso se obligant. Quibus ita præmonitis sit.

CAPUT I.

De his, quæ ad professionem Religiosam pertinent, prout consecratio est, qua se Religiosus Deo devovet.

ARTICULUS UNICUS.

Quibus votis continetur professio Religiosa.

PRop. *unica*. Professio Religiosa includit essentialiter tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, elicita in Communitate per Ecclesiam approbata.

Prob. 1. jure Can. *Custodia castitatis, & abdicatio proprietatis sunt annexa regulæ Monachali*. In his continetur obedientia, Cap. *Cum ad Monasterium* De statu Monach.

2. Ex Divo Toma. *Convenienter tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ status Religionis integratur*, 2. 2. q. 186.

3. *Rat.* Religio est 1. Tendentia ad perfectionem. 2. Recessus a sæculi sollicitudinibus. 3. Holocaustum Deo oblatum per prædicta vota. Religiosus hæc omnia assequitur. Si Religio consideretur prout est tendentia ad perfectionem, 1. Cupiditas exteriorum bonorum reprimitur per votum paupertatis. 2. Concupiscentia sensibilium delectationum per votum castitatis. 3. Inconstantia voluntatis figitur per votum obedientiæ. Si vero consideretur prout est recessus a solicitudine, solicitudo sæculi istius, seu divitiarum, & honorum tollitur per votum paupertatis; solicitudo circa uxorem & filios per votum castitatis; solicitudo propriæ determinationis per votum obedientiæ. Si consideretur, prout est holocaustum, bona exteriora offeruntur Deo per paupertatem, bona corporis per continentiam, bona animæ per obedientiam: ergo Religio prout est tendentia ad perfectionem, prout est recessus a sæculo, prout est holocaustum Deo oblatum, importat hæc tria vota, scilicet votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ; & quia status Religionis est societas sancta, ideo non potest stabiliri nisi per Ecclesiam approbetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnis illa societas, in qua eliciuntur hæc tria vota, approbante & acceptante Ecclesia, est vere status Religiosus. Tales sunt plures cœtus in Ecclesia: v. g. Ordo D. Benedicti, & hi, qui ab isto pullularunt: Ordines mendicantium, scilicet Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum, Augustinianorum: Ordo Jesuitarum toto Orbe satis notus: Ordo Theatinorum: Ordo militantium pro causa Religionis, ut Ordo Sancti Joannis Hierosolymitani: & Ordo ministrantium pauperibus, qualis est Ordo Cruciferorum sancti Antonii.

Consect. 2. Omnis illa societas, in qua non eliciuntur tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, aut si eliciantur, non acceptantur, nec approbantur ab Ecclesia, ut vota solemnia, non est vere status Religiosus, quamtumvis in ea sancte vivatur; sed solum est Congregatio aliqua pia: ejusmodi sunt multæ piæ societates erectæ sub solo titulo Congregationis, non Religionis. v. g.

Congregatio Clericorum sæcularium Oratorii insti-

instituta per Sanctum Philippum Nerium, & approbata per Gregorium XIII. Const. 101. *Copiosus*.

Congregatio Clericorum sæcularium Oratorii in Regno Galliæ instituta per Cardinalem de Berule, & confirmata per Paulum V. Constit. *Sacrosancta*.

Congregatio Clericorum sæcularium Doctrinæ Christianæ instituta per Cæsarem de Bus, & erecta a Paulo V. Constit. 36. *Ex credito*, quæ unita cum Somaschis a Paulo V. Constitut. 97. *Ex injuncto*, facta est per talem unionem regularis; postea vero dissoluta ab eisdem Somaschis, ad primævum statum sæcularem redacta est ab Innocentio X. & proinde jam status ille sæcularis est.

Congregatio Missionis erecta per Vincentium a Paulo virum vere Apostolicum, qui alta fugiens subsellia solis pauperibus evangelizare voluit, alumnosque suos, quantumvis aliunde doctos, vel Clericis in Seminariis dirigendis, vel rusticanis in Missionibus instruendis occupari præcepit.

CAPUT II.

De his quæ exigit Professio Religiosa, prout est mutua conventio Religiosi cum Communitate, & Communitatis cum Religioso.

ARTICULUS UNICUS.

Quid exigatur in Novitio profitente, & in Communitate acceptante Professionem.

PRop. *unica*. Professio Religiosa, prout est conventio mutua inter Religiosum & Communitatem, exigit in vovente habilitatem vovendi, & mutuum consensum in Communitate, & in vovente.

Prob. rat. Professio est quasi facer contractus ultro citroque obligatorius, quo vovens coram Deo obligat se Communitati, & Communitas voventi: ergo sicuti ad contractum civilem requiritur aptitudo ad contrahendum, & insuper consensus mutuus, quia sine consensu mutuo non inducitur obligatio; ita in Professione Religiosa requiritur aptitudo ad vovendum, & consensus mutuus, quo vovens se obligat Communitati, & Communitas voventi. Ita Fagnanus in cap. *Porrectum* De Regularibus num. 19.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ex vi juris naturalis Professio naturaliter inepti ad votum est nulla, quoties qui ex terius profitetur, est v. g. carens usu rationis, vi cogitur, &c. quia ad vovendum requiritur naturaliter plena deliberatio.

Consect. 2. Ex vi juris communis Ecclesiastici Professio est nulla, quoties vovens ex lege Ecclesiastica non est aptus ad votum solemne: v. g. non attigit 16. annum, non percurrit annum integrum Novitiatus, ut exigit Trid. sess. 25. de regularibus cap. 15. Si sint tamen constitutiones particulares, quæ ætatem majorem exigant, debent hæ constitutiones observari, inquit Fagnanus.

Consect. 3. Ex vi juris Civilis Gallicani ex edicto Molliniensi art. 55. Professio in Gallia habetur ut nulla, si per scripturam probari non possit, vel per testes oculatos, quando registra allegantur deperdita. Ita part. 2. *Du Journal des Audiences*.

Consect. 4. Quoties Professio habetur ut nulla aliquo ex prædictis capitibus, toties intra quinquennium potest contra eam reclamari, & judicio Ecclesiastico rescindi: sicut contractus nullus, vel naturaliter, vel civiliter potest per judicem rescindi. Quomodo fiat illa recisio, vide praxim juris Gallicani.

Consect. 5. Post transactum quinquennium nullitas Professionis non potest asseri, nisi habeatur remedium restitutionis in integrum, quia terminus quinquennii ad reclamandum, inductus a Trid. est ad instar præscriptionis, inquit Fagnanus, quæ reddit possessorem tutum in conscientia. Cap. *Nullus* de regularibus.

CAPUT III.

De his, qui juxta forum internum conscientiæ debent admitti ad Statum Religiosum, vel non admitti.

ARTICULUS UNICUS.

Quid requiratur in foro interiori, ut aliquis admittatur ad Statum Religiosum.

PRop. *unica*. Nemo debet admitti ad Statum Religiosum sine interiori vocatione.

Prob. 1. Scriptura. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*. Joan. 4. v. 1. ergo non omnes, qui postulant, debent admitti ad statum Religiosum, sed hi solum, qui præsumuntur & sibi & statui Religioso profuturi.

2. Ex Clem. VIII. *Superiores*, inquit, *diligenter inquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem finem sibi, proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari possint; an potius ex levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur*. Ita habetur in Bullario Romano part. 3. p. 128.

Prob. 3. ratione. Ad omnem statum requiritur interna vocatio: ergo & ad statum Religiosum; illudque examen est necessarium, tum quia desideria dilatione crescunt, & frequenti examine mens, & intentio, & aptitudo postulantis magis dignoscitur, tum quia, etsi constet, ut ait D. Th. statum Religiosum esse cæteris statibus perfectiorem & tutiorem; tamen potest esse speciale impedimentum tum mentis, tum corporis, vel aliqua hujusmodi, circa quæ debet esse deliberatio.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Illi non censendi sunt vocati ad statum Religiosum, qui non habent eas aut mentis aut corporis dotes, quas exigit status, ad quem ingressuri sunt: etsi enim, ut ait D. Th. illi, qui ingrediuntur Religionem, non confidant in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis divinæ; tamen si sit aliquid speciale impedimentum, deliberatione opus est, ut monet idem Doctor. 2. 2. q. 189. a. 1. Sic exigitur virtus bellica in eo, qui suscipit Religionem institutam ad bellandum pro causa Domini. Exigitur amor erga pauperes in eo, qui ingreditur Religionem destinatam ad famulandum pauperibus. Exigitur amor solitudinis in eo, qui vult amplecti Religionem ad contemplandum destinatam. Exigitur zelus animarum in eo, qui suscipit Religionem destinatam ad prædicandum, & conferenda Sacramenta. Exigitur amor litterarum

Digitized by Google

in eo, qui suscipit Religionem, cujus præcipuum munus in aliis edocendis situm est.

Consect. 2. Illi ad statum Religiosum vocari censendi sunt, qui præditi his dotibus tum mentis, tum corporis, quas exigit Religio, eam ingredi intendunt vel ut conservent vitæ sanctitatem, quam perderent in sæculo, vel ut per pœnitentiam recuperent eam, quam perdiderunt, quia in eis est & aptitudo ad Religionem & pia intentio. *Status autem Religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam*. 2.2.q.189.a.1. Quia, ut ait Bernard. hom. in hæc verba: Simile est regnum cælorum homini negotiatori, *In Religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius*: ergo qui habet dotes requisitas ad Religionem, & piam intentionem vel conservandi gratiam, vel eam recuperandi, ad illum statum potest præsumi vocatus. Ubi tamen observa, quod juxta Isidorum, qui judicantur apti ad statum Religiosum, debent aliquo tempore in sæculo manere, ibique piis se exercere operibus, & post tres menses cum novitiis admitti, non dimisso habitu sæculari, eisdem vacando exercitiis, quibus novitii: & si in proposito perseverent, debent admitti ad novitiatum, qui debet durare per annum integrum, quo tempore nihil debet abscondi novitio: & expleto anno novitiatus, si aptus ad statum Religiosum reperiatur, & animum profitendi habeat, ad Professionem admitti debet: si sit tamen periculum, ne qui petit recipi, pervertatur in sæculo, poterit promptius ad novitiatum admitti; *Nescit*, inquit Ambr. *tarda molimina Spiritus Sancti gratia*.

CAPUT IV.

De his, qui juxta forum etiam externum non debent admitti ad statum Religiosum.

ARTICULUS UNICUS.

An qui sunt juris alieni, possint recipi in Religione.

PRop. unica. Qui non sunt sui juris, non possunt admitti ad statum Religiosum, nisi ex consensu illorum, quibus subjiciuntur.

Prob. 1. Scriptura. *Magnis studiis cavendum est, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur*, 1. ad Tim. 6. v. 1. Blasphemaretur autem, si ii, qui sunt juris alieni, invitis dominis Religiosi fierent: ut habetur Can. *Generalis* Dist. 54. Ergo qui sunt juris alieni, non sunt recipiendi in Religione.

2. Ex Gelasio Epist. 1. cap. 16. Vetatur eos, qui sunt juris alieni, fieri Religiosos, *Ne per Christiani nominis institutum aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti*.

3. *Rat.* Nemo potest prudenter Deo offerre id, cujus non est dominus: & si imprudenter offerat, Deus non censetur acceptare: *displicet enim Deo stulta promissio*: sed qui sunt juris alieni, non sunt sui domini: ergo illi, qui sunt juris alieni, non possunt etiam juxta forum externum recipi in statu Religioso.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Qui hic subjiciuntur, etiam secundum forum externum, non debent admitti ad Statum Religiosum.

1. Servi non manumissi; quia non sunt juris sui, sed dominorum. Can. *Generalis querelæ*: Dist. 54. 2. Hi, qui dederunt nomen militiæ, quia non sunt sui juris, sed eorum, quibus nomen dederunt: quod colligitur ex eodem Canone, ex Can. *Legem* dist. 54. 3. Impuberes; quia non sunt sui juris, sed parentum; & quia non habent ætatem a Tridentino requisitam. Si pater, vel mater filium, filiamve impuberem intra septa Monasterii in disciplinam regularem tradat, filius filiave adultior facta dissentire poterit, & ad vitam sæcularem redire. 4. Conjugati post consummatum matrimonium; quia non sunt sui juris quoad corpus: nam neuter habet potestatem corporis sui: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. 1. ad Cor. 7. v. 3. 5. Episcopi inconsulta sedis Apostolicæ auctoritate; quia non sunt sui juris, sed Ecclesiæ, quam desponsaverunt; ut enim docet D. Th. voto solemni & perpetuo obligati sunt ad curam animarum: *Unde Episcopi Præsulatum non possunt deserere quacumque ex occasione absque auctoritate Romani Pontificis*. 2.2.q.189. art. 7. *Bene tamen Presbyteri, Archidiaconi, & Curati: quia non sunt voto perpetuo ligati*. Dist. 13. ibid. & Can. *Duæ sunt leges*. 6. Parentes carnales relictis filiis suis; quia per se eis convenit, ut filiorum curam habeant, & propter hoc non licet alicui filios habenti Religionem ingredi prætermissa filiorum cura, idest non proviso qualiter educari possint; dicitur enim 1. ad Tim. *Si quis suorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. 5. v. 8. 7. Filii carnales parentibus in tali difficultate, & necessitate existentibus, ut iis non possit commode per alios quam per filios subveniri; quia jure naturali tunc non sunt sui juris, sed parentum. *Parentibus*, inquit D. Th. *in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter, quam per obsequium filiorum, subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare. Bene tamen, si filii sint extra annos pubertatis, & parentes non sint in tali necessitate*. 2.2.qu.189.art.6. 8. Qui sunt ære alieno vel publico, vel privato obstricti, non possunt Religionem ingredi, *nisi prius, quantum in ipsis est, satisfacere studuerint, vel cedendo bonis suis in gratiam creditorum, vel aliter solutionem procurando*. D. Th. ibid. ad 3. Quia tamen secundum jura civilia persona hominis non semper obligatur pro debita pecunia, *si non esset scandalum, cedendo bonis suis posset Religionem intrare*. D. Th. ib.

CAPUT V.

De his, quibus erga Deum obligatur Religiosus vi suæ professionis, quatenus est consecratio sui Deo.

ARTICULUS UNICUS.

Quæ requiratur perfectio a Religioso.

PRop. unica. Religiosus vi suæ professionis tenetur, non quidem esse perfectus, sed tendere ad per-

perfectionem. 1. Per media essentialiter ad hoc requisita, scilicet per exercitium virtutum Theologicarum, & Cardinalium. 2. Per observantiam votorum. 3. Per exercitia spiritualia in suo ordine præscripta; non quod teneatur singula hæc pia opera exercere, sed quod nullum liceat ei contemnere.

Prob. 1. Scriptura. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cælo; & veni, sequere me.* Matth. 19. v. 21. Sequitur autem Christum tendendo ad perfectionem.

2. Ex D. Th. *Religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere.* 2. 2. q. 186. art. 2. Unde Tridentinum sess. 25. c. 1. de refor. præcipit, *ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad regula, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant.*

3. *Rat.* Religiosus potest considerari. 1. Quatenus baptizatus; & ut talis tenetur virtutibus Christianis niti ad perfectionem. 2. Quatenus ligatus votis: & ut talis tenetur vota, quæ elicuit, observare. 3. Quatenus membrum talis Communitatis; & sub hac consideratione tenetur ad regulas suæ Communitatis mores componere; & ita, inquit D. Th. ib. *non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quæ determinate sunt taxata secundum regulam, quam professus est.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Religiosus peccat gravius, quam ceteri Christiani, quoties lædit virtutes Christianas; quia tenetur perfectioni insistere ardentius, quam alii Christiani.

Consect. 2. Peccat peccato sacrilegii, quoties agit contra vota; quia violatio voti est sacrilegium.

Consect. 3. Peccat peccato inobedientiæ, quoties agit contra regulas sui Ordinis, si regulæ obligent sub peccato.

Consect. 4. Peccat peccato mortali, quoties cum contemptu vel scandalo agit contra regulam obligantem sub peccato; quia contemptus legis & scandalum faciunt peccatum mortale.

Consect. 5. Quoties peccat, ceteris paribus, gravius peccat, quam reliqui fideles; quia circumstantia personæ Deo consecratæ aggravat peccatum.

Consect. 6. Quoties peccat, si negligat pœnitere, longe periculosius peccat, quam alii Christiani: peccat vero minus periculose, si festinet pœnitere: de hoc ita Origenes homil. 9 in Ps. 36. *Injustus, si peccaverit, non pœnitet, & peccatum suum emendare nescit: justus autem scit emendare, scit corrigere;* etenim in Religione *juvatur sociis ad corrigendum; si unus ceciderit, ab altero fulcitur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Eccles. 4.

CAPUT VI.

De his, quæ Religiosus debet Communitati, & Communitas Religioso vi suæ professionis, quatenus est conventio cum Communitate.

ARTICULUS UNICUS.

De mutua inter Religiosum, & Communitatem inseparabilitate.

PRop. unica. Religiosus post professionem non potest sine causa dimittere Communitatem, nec Communitas Religiosum.

Prob. Ratione. Professio Religiosa est quasi quidam contractus ultro citroque obligatorius, initus inter professum & Communitatem: ergo utrimque servanda est æqualitas; scilicet ut Communitas det se professo, & professus det se Communitati.... nisi aliter conventum esset.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Professus a die professionis manet ita obstrictus Communitati, ut totus sit Communitatis; & Communitas ita obstricta est professo, ut quidquid habet cedere debeat in bonum professorum, sicut bonum corporis cedit in bonum membrorum.

Consect. 2. Professus sine Superioris licentia nequit obsequio alterius se subjicere, nec a Conventu recedere. *Quod si contra fecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur: nec liceat regularibus a suis Conventionibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.* Trid. sess. 25. cap. 4. de Regularibus.

Consect. 3. Professus ob nullum commodum temporale sibi obventurum potest Communitatem deserere, nec Communitas ob aliquod commodum temporale professum dimittere; manet enim obligatio utrimque solvenda. Sic professus non potest Communitatem deserere, ut alibi aliquid sibi lucretur, aut lautius vivat; nec Communitas Religiosum ejicere, quia est infirmus, onerosus, &c.

Prop. 2. Professus, & Communitas possunt mutuam obligationem rescindere ob causas, quæ salutem æternam respiciant.

Prob. Ratione. Salus æterna est suprema lex: ergo, quoties salus æterna tum Religiosi, tum aliorum membrorum Communitatis id exiget, rescindi poterit mutua Religiosi & Communitatis obligatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Professus potest ab uno Ordine ad alium transire ex causa pia; quia tunc, ut supponitur, agit ob causas, quæ salutem æternam respiciunt: sic potest transire ad alium statum. 1. Ex zelo perfectioris status...., Sed in praxi cavendum, an revera Ordo, ad quem fit transitus, sit strictior: *Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem,* inquit Trid. sess. 25. cap. 19. De reform. Regul. 2. Ex amore perfectionis promissæ, quæ incipit in suscepto statu tepescere; *Laudabiliter transit aliquis ad Religionem etiam minorem, si melius observetur. Sic Abbas Joannes a vita Eremitica, qua incipiebat tepescere, transiit ad vitam Cœnobiticam.* D. Th. 2. 2. q. 189. a. 8. 3.

8. 3. Propter infirmitatem & debilitatem corporalem. *Ex qua interdum provenit, quod aliquis arctioris Religionis statuta servare non potest; potest autem servare statuta laxioris*. D. Thom. ib. In primo casu debet peti licentia ex humilitate; in secundo ex necessitate; in tertio necessaria est dispensatio. D. Thom. ibid.

Consect. 2. Communitas potest ejectionem professi petere coram judice, quando est necessaria ad salutem aliorum; quia tunc agit ex causa, quæ salutem respicit, & sic potest eam petere in sequentibus casibus.

I. Si ex consortio professi timor sit, ne alii corrumpantur: *Quandoquidem Apostolus velit, ut auferatur malum de Communitatibus nostris, ne modicum fermentum totam massam corrumpat; justum est, ut abscindamus, ac ejiciamus Monachum incorrigibilem, ac insolentem*. D. Th. quodlib, 12. q. ult. 2. Si ex rebellione opponat sese incremento status religiosi juxta Fagnanum, debet a fratrum consortio excludi. 3. Si sit vere incorrigibilis juxta Urbanum VIII. postquam unius anni spatio in jejunio & pœnitentia probatus fuerit in carceribus, ne contagione pestifera plurimos perdat, poterit tandem ejici ab ipso Generali tantum, ex consilio & assensu sex Patrum ex gravioribus, instructo processu juxta Canonum præscriptum. Tamen Renatus Choppinus docet in suo Monastico lib. 1. tit. 3. quod vix in Gallia permittitur hæc expulsio, & Episcopi ejectos ad Sacra Officia non admittunt, nisi assignetur titulus, unde vivere possit religiosus ejectus, si Sacerdos fuerit. Vide VVanespen 1. Par. tit. 27. c. 7. & Fagnanum in c. *Ne Religiosi*.

CAPUT VII.

De his, ad quæ obligatur Religiosus, vi votorum.

ARTICULUS I.

De his, ad quæ obligatur Religiosus vi voti paupertatis.

PRop. 1. Votum paupertatis elicitum in Communitate importat rerum omnium temporalium abdicationem. 1. Quoad proprietatem. 2. Quoad usumfructum. 3. Quoad usum absolutum & independentem, adeo ut proprietas, & ususfructus sint penes solam communitatem; usus vero concedi debeat a Superiore juxta privatam cujuslibet necessitatem, & indigentiam.

Prob. 1. Ex Scriptura: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*: Matth. 19. v. 21. Ergo sicut ille, qui vendit Patrimonium suum, deditque illius pretium pauperibus, spoliatus est & patrimonio, & ejus pretio, neutroque potest uti, nisi de licentia eorum, in quos translatum est dominium bonorum venditorum; ita & qui vovit paupertatem, spoliatur bonis omnibus temporalibus, & ea Deo offert, nec illis utendi facultatem retinet, sed eam accipit a Superiore gerente vices Dei.

2. Ex Patribus. 1. Ex Basil. *Si quis Religiosus aliquid proprium sibi esse dicit, absque dubio alienum se facit ab electis Dei*. Ita in serm. 1. De institutione Monachorum. 2. Ex Aug. de Reg. c. 1. *Non dicatis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum a Præposito vestro victus, & tegumentum*. 3. Ex Benedicto, cap. 33. Reg. *Ne quis præsumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino*.

3. *Rat.* Religiosi professi tenentur ex vi voti paupertatis ad ea, quæ observabant Christiani Jerusalem; quia juxta Patres & Doctores isti fuerunt exemplar Religiosorum: atqui Christiani Jerusalem ita intellexerunt Consilium Evangelicum; *Etenim vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*: en bonorum temporalium abdicatio, & translatio in Apostolos. *Et erant illis omnia communia*: en bonorum illorum communio & confusio. *Dividebantur singulis, prout cuique opus erat*: en concessio solius usus facta a superioribus, juxta cujuscumque necessitatem. *Neque enim quisquam egens erat inter illos*: en perfecta æqualitas inter eos, qui in communitate paupertatem voverunt. Act. 4. 35.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui voverunt paupertatem in aliqua Communitate, non possunt ullius rei temporalis proprietatem habere: quia per votum eam abdicarunt; & ita non possunt quæ hic subjiciuntur.

1. *Non possunt bona immobilia, cujuscumque sint qualitatis, quasi propria retinere*: v. g. *agros, vineas, domos*: ita Trid. sess. 25. c. 2. de reform. Regul. 2. *Non possunt bona mobilia quasi propria habere*, v. g. *supellectilia, pecuniam, census, proventus, eleemosynam*. Ita Clemens VIII. In Constit. quæ incipit *Nullus omnino*. 3. Non possunt bona temporalia quovis modo acquisita quasi propria habere: ita Clemens VIII. *Sive ex lectionibus, sive pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, alioque ipsorum justo labore, & causa quocumque modo acquisita*. Ita Clemens VIII. ibid. 4. *Non possunt retinere ea, quæ eis gratis donantur, etiamsi fuerint subsidia consanguineorum, aut Piorum largitiones, aut donationes*. Clemens VIII. ibid. 5. Non possunt retinere quasi proprium aliquid ad vestiendum se necessarium. *Si quispiam aliquam vestem contulerit, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, & in communem rem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur*, inquit Aug. c. 8. de Reg. ad servos Dei. 6. Non possunt reservare pensiones vitalitias quolibet anno sibi persolvendas, quarum dominium possideant; Concil. Mechliniense Titul. de Reg. c. 1. *Pensiones vitales, aut redditus perpetuos nulli Regulares permittantur recipere*. 7. Non possunt recipere a Superioribus certam pecuniarum summam, ut sibi victum, vestitumve procurent; sed victum, vestitumque debent in specie a communitate recipere: ita Concil. Audoromense tit. 17. c. 16. *Victus, & vestitus, ceteraque vitæ necessaria æqualiter omnibus pro cujuscumque necessitate, & Monasterii facultate placide, ac benigne ex communi Monasterii thesauro, ac penu subministrentur, non pecuniis æstimata, aut compensata, sed ipsis rerum speciebus præsenti; id enim in virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus*. 8. Non possunt bona temporalia, qualiacumque sint, materiam contractuum face-

facere, v. g. dare, vendere; quia qui contrahit, v. g. dat, vendit, debet habere dominium rei, quam dat, aut vendit. 9. Non possunt reservare sibi certa quædam peculia quantumvis exigua, quorum proprietas sit penes ipsos. *Ne Monachi peculium per mittantur habere; quod si Monachus peculium habuerit, a Communione removeatur Altaris; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam.* Concil. Lateran. c. Monach. de statu Monach. 10. Non possunt bona Monasterii, a fortiori bona externa, in privatum sui commodum administrare. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel administrationem, vel commendam,* inquit Trident. ubi supra. 11. Quæcumque accipiunt vel ex domo, vel ex mercede, vel alio quocumque titulo, tenentur Conventui incorporare, & in communem usum convertere, ita ut post incorporationem omnes indifferenter his bonis uti possint juxta beneplacitum Superioris. *Statim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur,* inquit Trid. ibid. *Caveant, ne quid pecuniæ, aut alterius rei, sibi ita retineant, ut Communitati nolint esse commune,* inquit Conc. Cameracense c. 6. an. 1565.

Consect. 2. Qui voverunt paupertatem in aliqua communitate, non possunt habere usumfructum alicujus rei frugiferæ; quia haberent illius fructus proprietatem, cui tamen renunciarunt: & sic non possunt quæ hic subjiciuntur. I. Non possunt habere usumfructum fundi alicujus; quia hoc arguit proprietatem: de quo ita Sylvest. verbo *Religio. Non autem habet Religiosus rei usumfructum, idest jus utendi, & fruendi, salva rei substantia, ut scilicet ultra suam necessitatem possit de residuo donare etiam eleemosynaliter, etiamsi esset de bonis patrimoniis; quia omnia sunt Monasterii, nisi habeat licentiam dandi, & tunc bene utatur: alias peccat, & tenetur restituere Monasterio, recipiens ex turpi causa: & similiter qui ex dono, quando scilicet dans non habet licentiam, vel ipse indigentiam.* II. Si ususfructus concedatur a Superiore; potest Superior illum, quando libuerit, auferre: ita Sylvester ibidem. *Si aliquis ususfructus Monacho relinquatur, Abbas potest illum auferro, prout notatur in authentica.* Cap. de Sacrosanctis Ecclesiis, & cap. de statu Monachorum.

Consect. 3. Qui vovit paupertatem in aliqua Communitate, non potest habere usum absolutum rei temporalis; quia usus absolutus & independens importat proprietatem cui per votum paupertatis renunciatur: & ita Religiosus non potest habere usum absolutum, & independentem a nutu Superioris; quia ille usus independens denotat proprietatem. *Ne eorum, quæ ad necessitatem concessa, nullus quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur,* inquit Trident. ibidem.

Monit. Dixi bonorum temporalium abdicationem voto paupertatis importari; quia Religiosus retinet bonorum spiritualium dominium: de hoc ita D. Th. 2. 2. q. 176. a. 7. ad 4. *Honori, qui Deo & Sanctis exhibetur propter virtutem, non competit religiosis abrenunciare; quia ad perfectionem virtutis tendunt ... honori autem, qui exhibetur exteriori excellentiæ, abrenunciant ex hoc ipso, quod sæcularem vitam relinquunt.* Etenim, ut ait Aug. de Serm. Domini lib. 1. n. 13. *intelliguntur pauperes spiritu humiles & timentes.*

Prop. 2. Votum paupertatis elicitum in Communitate exigit, ut ligatus voto ita moderatum observet bonorum temporalium usum, ut ab omni superfluo abstineat, ab utili, & commodo temperet, ut paratus sit interdum aliquam penuriam pati.

Prob. 1. Scriptura. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. ad Tim. 6. v. 8. ... Et rursus: *Esurimus & sitimus.*

2. Concilio Trid. *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod necessarium sit, eis denegetur.* Trid. ibidem.

3. *Rat.* Votum paupertatis in eo situm est, ut Christum pauperem imitemur: de Christo autem dicitur; *pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea.* Psal. 87. v. 16. *Propter vos egens factus est, cum esset dives.* 2. Cor. 8. v. 9. Ergo sicuti Christus natus est pauper, vixit pauper, mortuus est pauper; ita a die professionis Religiosus debet absque curis divitiarum earumque splendore & commodis vivere; satis & abunde dives erit, si Christum sequatur pauperem: quippe, ut ait David Psal. 22. v. 1. *Dominus regit me & nihil mihi deerit;* etenim, ut ait Salvianus; *Providentia Dei est patrimonium pauperum;* &, ut ait Cyprianus: *Paupertas non habet loculos rerum plenos, sed sit abundat, ut universum parvi pendat.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ligati voto paupertatis non possunt uti superfluis aliquam vanitatem præferentibus sive in vestibus, sive in supellectili. *Superfluitatem vestituum, & inhonestatem deferant,* ut Eugenius III. ait in Concil. Rom. c. 4. *Competit religioso vilitas vestium; quia Religio est status pœnitentiæ, & contemptus vanæ gloriæ,* inquit D. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. ad 1. Contra hos Monachos ita insurgit Bernardus; *Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & clamydem ..... quæritur ad induendum non quod utilius, sed quod subtilius invenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat ... habitus, qui solebat esse in signo humilitatis, a Monachis nostri temporis gestatur in signum superbiæ.* Apologia contra Guillelmum Abbatem. Superfluitatem & vanitatem supellectilium sic ridet Bernardus ibidem: *Putasne,* loquens de Christianis Jerusalem, *putasne, inquam, cujuspiam ibi lectuli opertorium byssinum, aut discolor Barricanus operiebat? ... non illic arbitror valde curatum fuisse de pretio, de colore, de cultu.*

Consect. 2. Ligati voto paupertatis non possunt uti superfluis, quæ inserviant ad pompam, & delicias periculosas. Sic stipatum Monachorum sui temporis infectatur Bernardus ibidem: *Dicas, si videas transeuntes, non patres esse Monasteriorum, sed Dominos Castellorum; non rectores animarum, sed Principes Provinciarum.*

Consect. 3. Ligati voto paupertatis non possunt uti superfluis, quæ incitent ad peccandum; quia id vetitum est omnibus fidelibus, a fortiori Religiosis.

Consect. 4. Ligati voto paupertatis debent interdum

Digitized by Google

in aliquo penuriam pati. *Fœdum est profanumque mendacium, summa paupertatis professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle*. D. Bonaventura Epist. 1. ad Provinc. Illi enim longe a paupertatis scopo aberrant, qui voluntariam paupertatem in nuda paupertatis professione constituunt, non in molestiis, & incommodis, quæ ex paupertate nascuntur.

Consect. 5. Voluntas deliberata habendi aliquid pretio æstimabile tamquam *proprium* est peccatum mortale: sicut enim iis, qui castitatem voverunt, non solum nubere, sed etiam *velle* nubere prohibitum est: can. *Voventibus* dist. 26. ita paupertatem professis non solum habere *proprium*, sed etiam *velle* interdictum est; unde Benedictus in Regula c. 32. vult *vitium proprietatis radicitus esse amputandum*, ita ut professus paupertatem nec intentione, nec voluntate, nec affectu aliquid pretio æstimabile possideat. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas possidendi interius nutriatur, quippe, ut ait Aug. *non attendit Deus facultatem, sed cupiditatem*: in Ps. 84. Qui enim paupertatem vovimus, audiamus Ambr. in Luc. c. 3. v. 9. *Relinquamus umbram qui Solem quærimus, deseramus fumum qui lucem sequimur*, idest longe a nobis omnem rerum periturarum affectum amoveamus. *Non enim*, ut monet Bern. *Paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor*. Et apud Christum *beati sunt pauperes*, non re, sed *spiritu* seu affectu: & optime præmonet Aug. explicando hæc verba, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*; scilicet bona temporalia. *O loquentes vanitatem, o vaniloqui, o filii alieni! Quid tu Corpus Christi, quid vos membra Christi, quid dicitis? Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*. In Ps. 143. n. 19. *Sufficit nobis*, inquit Tobias, *paupertas nostra*: cap. 5. v. 25. Sufficiat nobis Deus. *Major est Deus corde nostro*. 1. Jo. cap. 3. v. 20.

ARTICULUS II.

De his, quæ non repugnant voto paupertatis Religiosæ.

PRop. 1. De possessione bonorum in communi. Non repugnat voto paupertatis religiosæ, quod Religiosi habeant bona mobilia, vel immobilia in communi.

Prob. 1. Exemplo Christi & Apostolorum: nam Christus *loculos habebat*, & Judas *ea, quæ mittebantur, portabat*. Jo. 12. v. 6. Rursus Jo. 4. v. 8. dicitur: *Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent*. Apostoli vero habebant pretium bonorum venditorum, & *dividebatur singulis, prout cuique opus erat*. Act. 4. v. 35.

2. Ex Conc. Triden. *Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum qui Minorum de observantia vocantur... ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*: sess. 25. cap. 3. de regularibus.

3. *Rat.* Illa solum proprietas Religiosis interdicitur, quæ præcludit viam ad perfectionem, quia Religio est tendentia ad perfectionem: habere autem bona in communi non præcludit viam ad perfectionem, quæ sita est in exercitio caritatis, quin immo viam illam aliquibus aperit, præbens ansam facilius preveniendi ad scopum intentum a cœtu Religioso... Sic Religiosi militantes & Hospitalarii debent habere abundantes divitias, ut data occasione bellum contra Ecclesiæ hostes facilius gerant, & eleemosynas copiosius distribuant. Sic Religiosi, qui vacant Verbo divino prædicando, & Sacramentis ministrandis, debent habere bona in communi, ut facilius vacent sacro huic officio. Sic Religiosi, qui vacant contemplationi, ut Carthusiani, possunt habere bona immobilia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnes Ordines, exceptis Capucinis & Minoribus, possunt habere bona in communi, potestque possessio illa in communi coalescere, vel ex manuali opere Monachorum, ut olim fiebat in Monasteriis, in quibus Monachi labore manuum suarum vivebant; vel ex donis fidelium, uti factum in Ordine D. Benedicti, & D. Bernardi, vel etiam ex successione hæreditaria, quæ potest cuilibet Monacho contingere: nam licitum olim erat Monachis succedere; jam vero, neque in Belgio, neque in Gallia possunt succedere. Undecumque tamen veniat bonorum immobilium possessio, necessaria est amortizatio, idest diploma Regium, quo permittatur Religioso statui bona immobilia acquirere & possidere.

Consect. 2. Religiosi, qui possident bona temporalia in communi, debent ea possidere, non ut otium foveant, luxumque sectentur; nam, ut ait Bern. de Offic. Episc. *labor & tenebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia*; sed bona temporalia in communi possident, ut curis sæcularibus vacui, liberius Deo serviant. Ita fecit Christus, qui *ita faciebat per civitates & castella prædicans & evangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo... Et mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Luc. 8. v. 1. & 2. Ita fecerunt Apostoli circumducentes sorores, quæ ministrabant eis necessaria, 1. ad Cor. 9. v. 5. Ita & factum est tempore Constantini, qui teste Theodoreto litteras dedit ad Provinciarum Præfectos, quibus mandavit, *ut certus frumenti numerus viduis, & iis, quæ perpetuam servant Virginitatem, quin & illis qui divinis Ministeriis obeundis consecrati sunt, in singulis civitatibus quotannis suppeditaretur*.

Prop. 2. De possessione pensionum, & peculiorum. Juxta Fagnanum, Christianum Lupum &c. nulli Religioso, Monialive solemniter Professis licet habere peculium, pensionemve vitalitiam, etiam cum licentia Superiorum; sed quidquid habet Religiosus, Monialisve debet Conventui incorporari.

Prob. hæc sententia. 1. Ex Concil. Trident. loquens enim de bonis mobilibus & immobilibus ait: *Statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*. 2. *Quia magis nocet Religioso habere usum peculii sine proprietate civili, quam habere proprietatem sine usu; sicuti furioso magis nocet habere usum cultelli sine proprietate, quam proprietatem sine usu*, inquit Dionys. Carthus. de reform. claustrali cap. 16.

Juxta Navarrum, Sylvestrum, Lagonam, licet Religioso, Monialive solemniter Professis habere peculium, pensionemve vitalitiam, modo his bonis non utantur, nisi in honestos usus, & cum facultate Su-

Superioris, & relinquant liberam suo Superiori prædictorum bonorum dispositionem.

Prob. hæc sententia. 1. Ex Conc. Lateranen. sub Innoc. III. cap. 5. *Qui vero peculium habuerit*, inquit Synodus, *nisi ab Abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, a communione removetur*: ergo, inquiunt, si Abbas permittat, licitum erit habere peculium. Et Rota decisione 772. a.t: *Non repugnat voto paupertatis habere peculium ex permissu Superiorum.*

2. *Rat.* Proprietas, inquiunt, in eo sita est, ut proprietarius possit uti re, quam habet arbitratu suo: ergo cum in nostro casu Religiosus non utatur peculio, nisi dependenter a Superiore, non videtur proprietarius.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando Monasterium est opulentum, & Superiores possunt commode necessitatibus inferiorum providere, non debent permitti neque pensiones vitalitiæ, neque peculia; quia tunc, vel pensio vitalitia & peculium cedunt in bonum communitatis, vel in commodum privatum Religiosi. Si cedant in bonum communitatis, magis nocent, quam proficiant; quia, ut optime ait Salvianus, *nimia profusione opum non suffulcitur Religio, sed evertitur*. Lib. 2. ad Eccles. Cath. Si vero cedant in commodum privatum Religiosi, tunc pax extinguitur, inquit Greg. lib. 12. Epist. 22. *Ubi peculiaritas a Monachis habetur, neque concordia, neque caritas in Congregatione eadem poterit permanere.*

Consect. 2. Quando Monaster um est tenue, nec potest commode necessitatibus Religiosorum providere, tunc Superiores possunt permittere, ut inferiores habeant pensiones vitalitias, aut peculia, quibus suppleantur necessitatia, quæ Monasterium suppeditare non potest, v. gr. remedia peculiaria quæ Monasterium non tribuit; hoc enim jus naturale permittit, nec illud prohibet Fagnanus. *Ceterum*, inquit, *communem penuriam ab omnibus perpetiendam, usque adeo, si quid alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id tunc ad Superiorem recta deferri oportere, qui ex eo primo succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur: reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.* In cap. *Monachi* num. 15.

Consect. 3. Quando pensiones vitalitiæ, aut peculia permittuntur, ea adhibenda est cautio, ut inferior plenam relinquat Superiori prædicti peculii dispositionem; Superior vero ita moderatum permittat suo inferiori illius peculii usum, ut nedum superflua, & curiosa interdicat, sed etiam ad tolerandam in aliquibus penuriam adhortetur, ut Christi, & Apostolorum, & antiquorum Monachorum paupertatem imitetur; Christus enim dicit de se ipso: *Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Luc. 9. v. 58. Apostolis vero dictum est: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Matt. 10. v. 9. Antiquis vero Monachis divitias ambientibus ita scribit Hieronymus: *Non suffarcinati auro Christum pauperem sequimur.* Ep. 13. *Habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* Epist. 2.

ARTICULUS III.

De his, ad quæ obligatur Religiosus vi voti castitatis.

PRop. unica. Religiosus vi voti castitatis obligatur se abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, interna & externa; proindeque si peccet contra castitatem, duo peccata committit, alterum luxuriæ contra castitatem, alterum Sacrilegii contra votum, vel quod idem est, committit luxuriem, quæ est sacrilegium.

Prob. 1. Script. *Adolescentiores autem viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. ad Timoth. 5. v. 11. Ubi Paulus juxta August. lib. de adulterinis conjugiis cap. 24. loquitur de his, qui continentiam voverunt, & dicit, quod fidem Deo datam violarunt, quod pertinet ad sacrilegium.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 154 a. 10. ad 3. *Sacrilegium committitur in re sacrata; res autem sacrata est vel persona consecrata, quæ concupiscitur ad concubitum, & sic pertinet ad luxuriam; vel concupiscitur ad possidendum, & sic pertinet ad injustitiam. Potest etiam ad iram pertinere sacrilegium, puta, si aliquis ex ira injuriam inferat personæ sacræ, vel si gulose cibum sacrum assumat, sacrilegium committit: specialius autem sacrilegium attribuitur luxuriæ, quæ opponitur castitati, ad cujus observantiam aliquæ personæ specialiter consecrantur.*

3. *Rat.* Actus unius virtutis, vel vitii ordinatus ad finem alterius, assumit speciem illius; sicut furtum, quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii. Manifestum est autem, quod observatio castitatis, secundum quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus Religionis, ut patet in illis, qui vovent, & servant castitatem, ut patet per August. lib. de Virginitate cap. 8 Unde manifestum est, quod etiam luxuria, secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii. Ita D. Th. ibid. in corp.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Religiosus toties sacrilegium committit, quoties violat castitatem, sive violet mente per cogitationes morosas, sive verbis per verba obscœna, sive oculis per aspectus libidinosos, sive tactibus per contactus impudicos; quia, ut ait Aug. de Civ. Dei lib. 15. cap. 16. *si iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum; quanto est iniquius libidine concumbendi transgredi limitem morum?* Sed transgredi limitem agrorum in rebus sacris est peccatum sacrilegii: ergo pari ratione subvertere limitem morum libidine concumbendi in rebus sacris, facit sacrilegii vitium.

Consect. 3. Totuplex committitur sacrilegium specie diversum, quotuplex concurrit cum diversis luxuriæ speciebus, quia cum sacrilegium sit species luxuriæ, diversum fit juxta diversitatem luxuriæ. *Sic si aliquis abutatur persona conjuncta sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus.... Si autem abutatur Virgine Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii. In quantum vero est sub spi-*

Digitized by Google

spiritualis Patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; & si violentia inferatur, erit spiritualis raptus. D. Th. ibid. ad 2.

Consect. 3. In Confessione omnes illæ deformitates sunt necessario explicandæ, quia sunt circumstantiæ non solum aggravantes, sed etiam speciem variantes, quæ juxta Tridentinum debent necessario in Confessione explicari.

Consect. 4. Qui castitatem voverunt, debent ad instar infantium omnem ignorare libidinem: etenim juxta Cyprianum, *Virginitas est sancta pueritia, cum sempore non senescens, quæque nulla annorum injuria formam amittit, nec innocentiam*: l. 1. de bono pudicitiæ. Castitas autem, juxta Bern. *quinquepartita est, videlicet in ore, in oculis, in auribus, in odoratu, in gustu, in tactu.* Sent. n. 318. ult. edit. In oculis quidem juxta illud Psal. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* In verbis, juxta illud Pauli ad Eph. 5. v. 3. *Fornicatio nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* In auribus, qualis fuit Loth, de quo ita Petrus 2. Ep. 2. v. 8. *Aspectu, & auditu justus erat.* Odoratu autem, gustu, & tactu, cum omnia refugimus eorum sensuum objecta, quæ castitatem, quam vovimus, possent labefactare, ut juxta Paulum *sciat unusquisque* nostrum *vas suum possidere in sanctificatione & honore.* 1. Thess. 4. v. 4. Quippe, ut monet Bern. *Tenetur castitas in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur.* De morib. & off. Episc. n. 8.

Consect. 5. Qui castitatem voverunt, oportet, ut sint casti non solum corpore, sed etiam mente. *Beati mundo corde, quoniam Ipsi Deum videbunt*, inquit Christus Matt. 7. *Te ipsum castum custodi*, inquit Paul. ad Tim. 1. cap. 5. v. 22. & c. 2. eum præmonuerat ut fierent orationes pro omnibus *in omni pietate & castitate*: quid enim nobis proderit corpus abstinens a libidine, si nobis sit *cor fornicans & recedens* a Deo? ut exprobrat Ezec. 6. v. 9. *Quid virgo, si corpore integra, & mente corrupta?* Aug. Ps. 56.

Consect. 6. Qui castitatem voverunt, debent omnem luxuriæ aditum præcludere, ad omnem carnis tentationem vehementer pavere, omnemque libidinis motum in ipso tentationis primordio reprimere; id innuit Scriptura dicens: *Omni custodia serva cor tuum*; est enim cor nostrum, ut docet Paulus, Templum Spiritus Sancti, cujus custos est pudicitia, ut docet Tert. de pudic. *Templi istius*, inquit, *æditua & Sacerdos pudicitia*; ideo omnes motus contra pudicitiam initio reprimendi sunt, ut docet Aug. in Ps. 136. *Parvuli Babylonis nascentes mala cupiditates ... Cum parvula est mala cupiditas, nequaquam prava consuetudinis robur accipiat, cum parvula est, elide illam.* Vide alia remedia contra luxuriam infra de castitate Clericorum.

ARTICULUS IV.

De his, quibus obligatur Religiosus vi voti obedientiæ.

PRop. unica. Quando legitimus Superior præcipit aliquid in virtute sanctæ obedientiæ, Religiosus professus tenetur sub peccato sacrilegii obedire legitimo Superiori in his omnibus, quæ sunt secundum regulam; minime vero in his, quæ sunt contra regulam.

Prob. 1. Ex Script. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Ergo Religiosus ex vi voti tenetur obedire Præpositis suis.

2. Ex Hier. Ep. 22. ad Eustach. *Prima apud eos*, idest Religiosos, *confœderatio est obedire Majoribus, & quidquid jusserint facere.* Et Severus Sulpitius loquens de statu Religioso: *Præcipua ibi virtus, & prima, est obedientia.* Dial. 1. c. 11.

3. *Rat.* Sicuti per paupertatem assimilamur Christo pauperi, ita per obedientiam assimilamur Christo obedienti, de quo dicitur: *Factus est obediens usque ad mortem*; Ergo sicuti ex vi voti paupertatis Religiosus tenetur imitari Christum pauperem; ita ex vi voti obedientiæ tenetur imitari Christum obedientem; & proinde obedire in his omnibus, quæ sunt secundum regulam, minime vero in his, quæ sunt contra regulam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De his, in quibus Religiosus non debet obedire. Religiosus non debet obedire, 1. In his, quæ sunt contra legem Dei; de quo ita Apostolus: *Satius est obedire Deo, quam hominibus.* 2. In his, quæ sunt contra vota; de quo ita Bern. Ep. 7. *Ergo Abbati per omnia obediendum est, sed salva professione.* Et rursus: *Libere recusabo hujusmodi obedientiam, quæ me transgressorem voti proprii constituit, & pejerare facit nomen Dei mei.* Lib. de dispens. & præcept. 3. In his, quæ sunt contra regulam, in quibus Superior pro majori bono non potest dispensare, nec in his, quæ sunt extra regulam sine necessitate: de quo ita Bern. lib. de disp. & præc. c. 2. & 5. *Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec ultra contrahi: nihil me prohibeat horum, quæ promisi; nec plus exigat, quam promisi; vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine necessitate.*

Consect. 2. De his, in quibus Religiosus debet obedire. Religiosus tenetur obedire, 1. In his omnibus, quæ sunt juxta legem Dei, juxta vota, & juxta Regulam; quia vovemus obedientiam secundum regulam. 2. In his, quæ possunt conducere ad bonum gubernium status Religiosi; quia superior est in statu Religioso ad instar patris, inferior ad instar filii: Ergo sicuti filii tenentur obedire patri in his, quæ spectant gubernium domesticum; ita & Religiosi debent obedire Prælato in his, quæ spectant gubernium status Religiosi. 3. In his, quæ sunt indifferentia, licet sit dubium, an conducant ad bonum status Religiosi gubernium; quia in dubiis standum est judicio Superioris.

CAPUT VIII.

De his, qui vota simplicia eliciunt in aliqua Congregatione sæculari, qualis v. g. est Congregatio Doctrinæ Christianæ, Congregatio Missionis.

ARTICULUS I.

Qualis, & quanta sit obligatio voti simplicis.

PRop. un. Coram Deo votum simplex, & votum solemne, unicum essentialiter, & idem votum est,

Digitized by Google

est, ejusdem prorsus rationis, & obligationis; & ita qui in dictis Congregationibus violant vota simplicia in materia gravi, peccant mortaliter, licet non sint vere Religiosi.

Prob. 1. Script. nihil distinguens inter votum simplex & solemne, generaliter obligat ad votorum observantiam. *Vovete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro*. Psal. 75. v. 12. *Si quid vovisti, ne moreris reddere; displicet enim infidelis & stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde*. Eccl. 5. v. 5. Rursus videmus Ananiam & Saphiram, licet essent infractores votorum, quæ haud dubie nondum declarata fuerant solemnia, tamen severa morte punitos: ergo eadem est coram Deo votorum simplicium & solemnium obligatio.

2. Patres nihil distinguunt inter votum simplex & solemne, sed Patres quoscumque votum infractores sacrilegos nuncupant. *Scire debemus & nequaquam ignorare, quod quæcumque promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed Dei; & si inde quid defraudamus, ea non nos sumere tamquam nostra, sed ut Dei Sacrilegio compilare*, inquit Athanasius in Passionem & Crucem Domini. *Qui seipsum semel Deo devovit, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiverit, Sacrilegii se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui consecraverat, veluti subterfuratus sit*, ait Basil. Reg. 14. *Priusquam esset voti reus, liberum fuit ... nunc vero, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo*. Aug. Ep. olim 45. *Ambigi non potest crimen magnum admitti ubi & propositum deseritur, & consecratio violatur; nam si humana pacta non possunt imp[illegible]ne calcari, quid iis manebit, qui corruperint fœde[illegible] divini Sacramenti?* inquit Leo. Epist. 92. cap. 1.

3. Cano[illegible] unanimiter declarant eamdem esse voti simplicis [illegible] solemnis obligationem, *Solemnitas voti ad substantiam voti non pertinet:* Glossa in c. nuptiarum 27. q. 1. Idem docet Fagnanus in c. *Si quis* de Regular. de hoc ita Summa Hostiensis lib. 3. de voto & voti redemptione n. 5. *Quantum ad Deum simplex votum non minus obligat, quam solemne, nam ex sui natura utrumque eamdem observantiam habet, utrumque enim est in perpetuum observandum: utriusque violatio mortale peccatum inducit; utrumque enim prohibet contrarium actum. Majus tamen peccatum est in fractione solemnis voti, quam simplicis, & solemne dirimit matrimonium; & major pœnitentia imponitur in violatione voti solemnis, quam simplicis: ratio est, quia qui frangit votum solemne, peccat in Deum, offendit constitutionem Ecclesiasticam, & homines conscios scandalizat, quod simplici voto non contingit* ... Eadem tamen gravitas cum quadam proportione invenitur in fractione votorum simplicium, quæ eliciuntur in Congregatione Doctrinæ Christianæ, & Missionis, in qua hæc vota simplicia, licet non sint solemnia, fiunt tamen cum quadam publicitate, & hæc publicitas ad scandalum inducendum sufficit.

4. Theologi eamdem fere esse & voti solemnis & voti simplicis obligationem ex professo asserunt. Magister sententiar. in 4. dist. 38. *Privatum*, idest simplex, *votum, si violetur, peccatum est mortale, solemne vero votum violare & peccatum, & scandalum est*. D. Th. in eadem dist. *Dicendum*, inquit, *quod votum simplex quoad Deum dicitur non minus obligare, quam solemne in his, quæ ad Deum spectant: sicut est separatio a Deo per peccatum mortale; quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemne, quamvis gravius sit peccatum frangere solemne*, q. 1. a. 3. q. 11. ad 1. D. Th. assentitur D. Bonav. in eadem dist. *Ad illud, quod objicitur, quod non minus obligat votum simplex, quam votum solemne, dicendum: quod verum est quantum ad culpam sive transgressionem; tamen minus obligat quantum ad alterius vinculi solutionem*, idest quoad solutionem matrimonii.

5. *Rat.* Idem convincit. Votum generatim spectatum est promissio facta Deo de meliori bono: atqui promissio facta Deo est eadem sive privatim, sive publice fiat, sive solo corde eliciatur, sive externis signis exterius promatur: ergo obligatio semper eadem est coram Deo, qui testibus non eget, nec tabulis obsignatis, quibus homines cum hominibus agentes voluntates suas obsignant; quia Deo apertæ sunt tabulæ cordis, cuique interna cordis locutio magis ac tutius rem exprimit, quam hominibus externa oris professio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In foro interiori exigua est differentia inter eum, qui violat votum simplex, & eum, qui violat votum solemne; quia uterque sacrilegium committit.

Consect. 2. In foro exteriori maxima est differentia inter eum, qui violat votum simplex, & eum, qui violat votum solemne; quia etsi uterque sit sacrilegus, tamen infractor solius voti simplicis non potest contentiose coram judice Ecclesiastico accusari, bene tamen infractor voti solemnis, quia Ecclesia solemniter acceptat votum solemne, minime vero votum simplex.

Consect. 3. Si votum simplex fiat publice coram testibus, vel uniatur cum juramento coram testibus præstito, tunc infractor voti simplicis potest citari coram judice tum ob scandalum inductum Ecclesiæ, tum ob juramentum violatum.

TRACTATUS SEXTUS

De Statu Clericali.

PROOEMIUM.

QUÆ sint status Religiosi Officia vidimus. Jam quæ sint status Clericalis obligationes videamus. Secundum autem præsentem Ecclesiæ disciplinam status Clericalis est vitæ institutum, in quo homo vel tonsura initiatus, vel Sacramento Ordinis consecratus Deo devovetur.

Status Clericalis potest considerari. 1. Prout est consecratio, qua Clericus se Deo consecrat. 2. Prout est ministerium, quo Clericus Deo consecratus Fidelium saluti procurandæ invigilat.

CAPUT I.

De variis Dotibus requisitis in eo, qui vult fieri Clericus.

ARTICULUS I.

De Dotibus requisitis ad statum Clericalem, prout est Consecratio, qua Clericus se Deo devovet.

PRep. un. Status Clericalis, prout est Consecratio, qua Clericus se Deo devovet, exigit Sanctitatem internam, eamque specialem.

Prob. 1. Script. Dominus Levitas alloquens ait: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Lev. 19. v. 2. En Sanctitas, quæ juxta Paulum 2. ad Tim. c. 2. v. 15. debet esse non communis, sed specialis; *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem Verbum veritatis.*

2. Ex Ambr. ep. 25. ad Cler. Vercellensem, *Cavendum non solum, ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem*, qui ad Clericatum aspirat.

3. *Rat.* Nihil sublimius statu Clericali: si ad Deum compares, peculium est Dei, uti olim tribus Levitica: *Eritis mihi peculium de cunctis Populis, & in regnum Sacerdotale, Gens sancta.* Exod. 19. v. 5. Si ad Christum conferas, Clericus Christi minister est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos ... Dei adjutores sumus.* 1. ad Cor. 3. v. 9. Si Ecclesiam spectes, Clericus est nobilior hujus Civitatis portio: *Super muros Jerusalem Clericos constitui custodes.* Is. 26. v. 6. Si statum Clericalem cum statu Religioso conferas, status Clericalis est Superior: *Monasticus enim Ordo debet sequi Sacerdotales Ordines, & ad eorum imitationem ad divina ascendere.* Dion. cap. 6. Hierar. Eccl. majoresque exigit dispositiones: *Ex his, qui in Monasterio permanent, nonnisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere solemus*, inquit Aug. Epist. 76. & Hier. *Sic vive in Monasterio, ut merearis fieri Clericus.* Ep. ad Rust.

Si Clericum novi Testamenti cum Levita veteris Testamenti compenas, Clericus est Levita tanto excelsior, quanto major est Ecclesia Synagoga, & Christus Moyse: ergo omnes dotes illæ sanctitatem non vulgarem supponunt in Clerico.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Major requiritur sanctitas ad statum Clericalem, quam ad statum Religiosum; quia, ut docet D. Th. 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3. *Ordines sacri praexigunt sanctitatem; sed status Religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam.*

Consect. 2. Optandum esset, ut qui ad statum Clericalem admitti cupiunt, sanctitatem baptismalem conservassent, uti eam conservasse crediderunt Ambrosius, Augustinus, & alii. Clericus *qui adolescentiam suam nulla sorde commaculaverit, ad Altare Christi de thalamo virgo procedat*, ait Hier. ad Rust. & in c. 1. ep. ad Tim. *Sine crimine jubetur esse Episcopus ... non quod eo tempore, quo ordinandus est, sine ullo crimine sit, & praeteritas maculas nova conversatione diluerit; sed quod ex eo tempore, quo in Christo renatus, nulla peccati conscientia remordeatur.*

Consect. 3. Si is, qui in Clerum vult recipi, in occultum aliquod crimen mortale non canonicum lapsus fuerit, oportet ut vera pœnitentia crimen occultum deleverit, & peracta pœnitentia criminis non canonici poterit in Clerum admitti; oportet enim, ut Clericus sit *segregatus a peccatoribus.* Ad Heb. 6. Oportet, ut sit *irreprehensibilis.* Ad Tim. 3. Sit *sine crimine.* Ad Titum 1. Oportet etiam *prius purgari quam purgare, prius sanctificari quam sanctificare*, inquit Greg. Nazianz. Orat. 1. Et quia Clericus medius est inter Deum & plebem, *debet bona conscientia uti ere quoad Deum, & bona fama quoad homines*, ait D. Th. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. ad 2. Quæ omnia haberi non possunt ab eo, qui lapsus est in peccatum mortale, nisi vera pœnitentia doluerit.

Consect. 4. Si is, qui in Clerum vult recipi, lapsus sit in aliquod manifestum crimen canonicum, quod juxta Canones publicam pœnitentiam mereatur; tunc non temere a Confessario & præcipitanter admittendus est, sed consulendus Episcopus, & videndum, utrum in hoc liceat canonum severitatem temperare; nam juxta canones antiquos, qui rei erant criminis canonici, licet pœnituissent, excludebantur a Clero; sic enim habet Siricius: *Sicuti pœnitentiam agere cuipiam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem, ac reconciliationem nulli umquam licet Laico honorem Clericatus adipisci: quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* c. 14. Idem docet Innoc. I. c. 34.

Consect. 5. Si is, qui in clerum vult recipi, lapsus sit in occultum crimen carnale, a fortiori in manifestum, præcipue si crimen carnale sit contra naturam, juxta canones non licet eum in clerum admittere, nisi forte tanta dedisset pœnitentiæ argumenta, ut spes esset eum & sibi, & Ecclesiæ longe magis profuturum, quam si non peccasset: ita jubet 1. Script. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum ... Diaconos similiter pudicos*: 1. ad Tim. cap. 3. v. 2. & 8. & ad Titum 1. v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.* Idem jubent canones. Innocentius enim primus e. 31. ait: Laici ... *Si non concubinam, non pellicem noverint, si in omnibus bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi.* Gelasius vero, cum vellet Ecclesiis Lucaniæ & Siciliæ omni ministerio destitutis succurrere, jubet tamen, ut si qui etiam de Religioso proposito, & disciplinis Monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, *in primis ejus vita praeteritis acta temporibus inquiratur, vel si nulla gravi facinore prebetur infectus. Si secundam fortassis non habuit uxorem*, &c. c. 2. Quod & sollicitius vult de Laicis inquiri: c. 3. Illud foetius evincit solemnis illa Ecclesiæ consuetudo, quæ luxuriosos clericos a gradu clericali dejicit, & communionem Laicalem ad summum concedit. *Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto lapsus est, deponatur, non tamen communione privetur; dicit enim Scriptura: non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Similiter & reliqui Clerici huic conditioni sub-

ni subjaceant. Can. Apost. 15. & 16. Et Concilium Neocæsareense Can. 9. & 10. *Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quod ante Ordinationem deliquerit, oblata non conferret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab Ordine Ministerii subtrahatur.*

ARTICULUS II.

De dotibus specialiter requisitis ad statum Clericalem, prout status Clericalis est Ministerium, quo Clericus fidelium saluti invigilat.

PRop. unica. Status Clericalis, prout est Ministerium, in quo ministratur populo, propter specialem sanctitatem, de qua modo egimus, insuper exigit scientiam, quæ est necessaria ad Sacra ministranda.

Prob. 1. Script. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est:* Malac. 2. ergo scientia requiritur in Clerico, ut tamquam doctor dirigat; & pietas, ut tamquam pastor & dux præeat.

2. Ex Isidoro Hispalensi lib. 3. Sententiarum c. 35. *Sicut iniqui & peccatores Mysterium Sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti & imperiti a tali officio retrahuntur; illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt; isti vero sua ignavia,* idest inscitia, *iniquos corrigere nequeunt.*

3. *Rat.* Status Clericalis, & Sacerdotalis potest considerari primo in ordine ad corpus Christi naturale, quod est Eucharistia, secundo in ordine ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia: si Clericus consideretur in ordine ad Corpus Christi naturale, debet habere eam scientiam, quæ requiritur, ut decenter exerceat ea munia, quæ ad confectionem Eucharistiæ exiguntur, v.g. debet scire ritus & cæremonias, quas exercere debet: si Clericus & Sacerdos consideretur in ordine ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, debet ea scire, quæ necessaria sunt, ut populis Religionem Christianam explicet: ita D.Th. in 4. dist. 24. q. 1. 3. qu. 2. ad 1. Hæc autem scientia ex Scriptura, & Traditione, & Conciliis, & Patribus eruenda est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Qui Tonsura initiandi sunt, talis debent esse, qui spem præbeant Ecclesiæ Ministros utiles fore.* Conc. Mediol. V. De examinandi ratione.

Consect. 2. Qui Minoribus Ordinibus initiantur, ii debent esse, *ut scientia spes tales eos ostendat; qui digni sint, ut ad majores Ordines aliquando ascendant.* Ibid.

Consect. 3. Qui sacris Ordinibus initiantur, *Clericis inferioribus doctrina quodam quasi ascensu præstare debent.* Ibid.

Consect. 4. Qui admittuntur ad statum Religiosum, non tamquam Laici, sed tamquam Clerici cum ea spe, quod aliquando ad Sacerdotium evehentur, debent pariter scientiam Clericis necessariam aut habere, aut eam posse assequi, si aliquando Sacramentis ministrandis debeant incumbere; quia omnibus Ministris tum Religiosis, quam non Religiosis dicitur: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. v. 14.

Consect. 5. Qui admittuntur ad statum Religiosum, ad nullas functiones Hierarchicas evocandi, quales sunt Carthusiani, Camaldulenses, &c. non debent ea scientia pollere quæ est necessaria ad curam animarum, sed sufficit scientia ad Missam rite celebrandam necessaria: ita Div. Thomas. *Aliqui ad Sacerdotium promoventur .... sicut Religiosi, quibus cura animarum non committitur, & a talium ore non requiritur lex., sed solum quod Sacramenta conficiant; & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum perficiendum spectant, recte servare possint.* Loco sup. cit.

CAPUT III.

De admittendis, vel rejiciendis a statu Clericali.

ARTICULUS I.

De his, qui juxta forum internum conscientiæ debent admitti ad statum Clericalem, vel ad eum non admitti.

PRop. unica. Nemo debet admitti ad statum Clericalem sine interiori vocatione.

Prob. 1. Script. *Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Num. 3. v. 10. *Vocavit ad se quos voluit ipse.* Marc. 3. v. 13. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Joan. 15. v. 16. *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron:* ad Hebr. 5. v. 4.

2. Ex Abbate Gaufrido: *Consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est.... Sponsa nec cubiculum, nec tellum ingredi nisi Rege introducente præsumit; tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus....* Et postea referens aliquos, qui vel amore lucri attracti, vel superbia ducti, statum Clericalem eligunt, ait: *Quorum damnatio certa est.* Bernar. in declamatione in Evangel. *Ecce nos reliquimus.*

3. *Rat.* Deus in omni lege speciali vocatione attraxit quos in Ministerium eligebat. Sic in lege naturæ vocavit Abrahamum, in lege scripta Aaronem, in lege Evangelica Christum; Christus vero vocavit Apostolos, & Apostoli eos solos suscipiunt, quos divinitus vocatos agnoscunt: *Ostende*, inquiunt, *quem elegeris*, in electione Mathiæ. In electione vero Diaconorum ad Ministerium illud assumuntur qui tanto muneri censentur divinitus vocati. *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia.* Act. 6. v. 3. Et rursus: *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Act. 13. v. 2. Ergo necessaria est vocatio interior, qua Deus eum, quem vocat, idoneum Ministrum efficit, juxta illud: *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.*

4. Ex intrusione Clericorum non pauca sequuntur mala. 1. Sequitur, quod inutile est Clerici intrusi Ministerium. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant*, inquit Jere. 23. v. 21. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos*, ait Oseas 8. v. 4. 2. Sequitur fidelium scandalum, qui vulgo nec Sacramentis fruuntur, nec verbo instruuntur, nec bonis exemplis ædificantur. 3. Sequitur Ecclesiæ dedecus; quia Clericus in-

Digitized by Google

intrusos Sacerdotali Ordini magnas tenebras offundit, inquit Catechismus Tridentinus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illi non censendi sunt vocati ad statum Clericalem, qui non habent eas dotes, quas exigit status Clericalis, qualis est innocentia, & scientia, de quibus supra; quia cum Deus destinat ad aliquod officium, dat ea, quæ sunt ad hujusmodi officium exercendum necessaria.

Consect. 2. Illi non censendi sunt vocati ad statum Clericalem, qui statum illum sublimem pravo aliquo motivo suscipiunt; quia prava illa intentio denotat eos non vocari divinitus. Tales sunt, v. g. illi, qui fiunt Clerici, 1. Ut tranquille vivant: nam status Clericalis status est non otii, sed laboris: *Voca operarios*, inquit Matth. 22. v. 8. *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*, inquit Christus. 2. Qui fiunt Clerici, ut divitiis affluant; quia Clericos decet esse pauperes, & non divites. *Nolite*, inquit Christus, *possidere aurum, neque argentum*. Matth. 1. *Habentes enim alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, ait Paulus 1. ad Tim. c. 6. v. 8. 3. Qui fiunt Clerici, ut honoribus fulgeant; quia status Clericalis status est humilitatis, & non fastus. *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo*, inquit Paulus ad Galat. 6. v. 14. Quos ita inculpat Greg. in Pastor. lib. 1. c. 10. *Ministerium humilitatis vertunt in argumentum ambitionis*. Eos omnes ita admonet Concil. Mediol. I. Tit. de vita & honest. Cleric. *Cum in Dei militiam adscripti sunt, non ad commoditates, aut voluptates, sed ad labores, ac sollicitudines vocatos se esse intelligant.*

Consect. 3. Illi non censendi sunt vocati ad statum Clericalem, qui magis quærunt, quam quæruntur, ut ait Bern. quia status Clericalis status est quem timeas, & non ambias. *Reperio omnes Sanctos divini Ministerii ingentem velut molem formidantes*. Cyril. Alex. hom. 2. de Festo Paschali. *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut oneratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragatur necessitas excusandi*, inquit Leo.

Consect. 4. Illi non censendi sunt vocati ad statum Clericalem, qui a solis parentibus pravo aliquo motivo ad divinum Ministerium destinantur; quia Dei est, & non parentum Ministros sibi seligere. *Quos elegit Deus*, & non alii, *appropinquabunt ei*. Num. 16. v. 5. Ideo præsumendi sunt non vocati ad Clericalem statum, 1. Hi, quos parentes offerunt Ecclesiæ; quia statui sæculari non judicantur apti. *Indignum est enim dari Deo quod dedignatur homo*, inquit Hieronymus in Malach. c. 1. 2. Hi, qui Tonsuram suscipiunt, ut Beneficium aliquod a consanguineis aut cognatis possessum obtineant, quasi bona Ecclesiæ essent hæreditaria. Hos inculpat Psal. 82. v. 13. qui dicunt: *Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*. 3. Hi, qui offeruntur Ecclesiæ, ut inquit Bernardus, *Ne in tot liberos nostra dividatur hæreditas*, supra illud: *Ecce nos reliquimus omnia*.

Consect. 5. Illi e contra censendi sunt vocati ad statum Clericalem, qui prædictis dotibus, scilicet innocentia, & scientia dotati, exemplum Christi sequuntur: v. g. Qui fiunt Clerici, ut laborent in vinea Christi. *Venit filius hominis non ministrari, sed ministrare*, Matth. 20. v. 28. 2. Qui Spiritum Christi enixe postulant: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ad Rom. Cap. 8. v. 9. Et qui a Deo enixe petunt, an digni sint, qui ad Clericatum admittantur. *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*. Matth. 14. v. 28. 3. Qui vel Episcopum, vel aliquem virum probum consulunt, a quo addiscant quid eos oporteat facere: uti fecit Paulus Ananiam consulens, qui ei dixit: *Surge, ingredere in civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere*. Act. 9. v. 7.

ARTICULUS II.

De his, qui juxta forum etiam externum non sunt ad statum Clericalem admittendi.

PRop. unica. Qui sunt irregulares vel ex defectu, vel ex delicto, non possunt ad statum Clericalem admitti.

Prob. 1. Scriptura. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: 1. Ad Tim. Cap. 5. v. 22. Ergo hi non sunt ad statum Clericalem evehendi qui vel ex defectu, vel ex delicto sunt irregulares, idest ad illum statum non idonei.

2. Ex jure Canon. Can. 4. dist. 22. *Tales ad Ministerium eligantur Clerici, qui digne possint Sacramenta tractare*: ergo qui vel ex delicto, vel ex defectu sunt irregulares, non sunt ad statum Clericalem admittendi.

3. *Rat.* Status Clericalis exigit aliquas dotes naturales, puta, scientiam in mente, aptam membrorum conformationem in corpore, &c. qui his dotibus vacuus est, dicitur irregularis ex defectu. Status Clericalis exigit etiam aliquas dotes supernaturales, puta, sanctitatem, testimonium bonum, &c. qui his dotibus ex culpa sua vacuus est, dicitur irregularis ex delicto. Ergo quidam sunt irregulares ex defectu, quidam ex delicto: ergo hi non sunt ad statum Clericalem admittendi; Deus enim exterioribus illis signis videtur aperte indicare, quod hujusmodi homines ad Clericatum non vocentur.

Quinam sint irregulares tum ex defectu; tum ex delicto, diximus ubi de Censuris, & irregularitate.

CAPUT III.

De obligationibus Clericis, Monachisque communibus.

SUnt quædam obligationes Clericis, Monachisque communes: sunt quædam officia Clericis & Monachis communia, quatenus Clericatus, & Monachatus, seu uterque ille status Deo nos consecrat; ideo non erit abs re ea simul jungere.

ARTICULUS I.

De obligationibus Clericorum, & Monachorum quoad vestes.

PRop. unica. Oportet Clericos, a fortiori Monachos, iis vestibus esse indutos, quibus a populo distinguantur; immo oportet ut caput attonsum habeant.

Prob. 1. Scriptura. 4. Reg. c. 1. v. 7. Elias Thesbites ex habitu dignoscitur; *Cujus figuræ & habitus est*

Digitized by Google

est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. Et de Joanne Baptista dicitur, Matth. 3. v. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos ... Decet ergo, ut Clerici, & Monachi vestibus talibus Aaronem imitentur; tonsura vero capitis Nazaræos referant, qui post Nazaræatum capillos radebant, & igne Sacrificii adurebant; inquit Isidorus Hispalensis.

2. Ex Epiphanio hæresi 80. ubi ait: Oportet filios Sanctæ Virginis Matris Ecclesiæ, Clericos scilicet, & Monachos, esse venerandos in tonsura ... atque honesto habitu propter extraneos.

3. Rat. Vestis ad duo inservit, ad indumentum, & ad dignitatem; ideo ait Plinius secundus: Licet veste non augeatur dignitas, ornatur tamen & instruitur. Et Tertullianus libro de Pallio, indicem, custodemque dignitatis habitus vocat: ergo decet, ut habitus Clericorum, & Monachorum ab habitu vulgari Laicorum discernatur; & hoc propter quatuor, inquit Reynerus Pisanus.. 1. Propter Pœnitentiæ executionem .. 2. Propter mundanæ gloriæ vitationem .. 3. Propter sui humiliationem .. 4. Propter aliorum ædificationem: quibus omnibus pariter inservit tonsura capitis, oportet enim, inquit Clementina Quoniam de vita, & honestate Clericorum, Clericos, & Monachos per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De Religiosis.* 1. Religiosi peccant graviter, immo in excommunicationem incidunt, si sine justa causa habitum sui Ordinis dimittant. 2. Religiosi habitus debet esse secundum regulæ suæ statuta; ita tamen quod conveniat Religioni & pœnitentiæ. Cauf. 21. q. 1. can. Vidua.

Consect. 2. *De Religiosis.* Religiosi peccant graviter, quando induunt vestes statui Religionis, & pœnitentiæ disconvenientes. Per hanc vestium parum convenientium affectatam differentiam renunciare videntur & statui Religioso, & Professioni pœnitentiæ: statui quidem Religioso, quia priscis temporibus omnis sacratus vir cum mediocri aut vili veste conversabatur. Can. Omnis actura causa 21. q. 4. Professioni vero pœnitentiæ, quam Religiosus ex vi status profiteri debet; pœnitentes enim vilibus vestibus uti oportet, ut patet ex Joanne c. 3. Dicitur etiam de Rege Ninivitarum, quod indutus est sacco. Et de humiliato Achab dicitur, quod carnem suam cilicio operuit. 3. Reg. c. 21. Quam longe distant Religiosi nostri temporis a Joanne Baptista primo Eremitarum auctore qui habebat vestimentum de pilis camelorum; uti enim pœnitentiam prædicabat, inquit Glos. ita habitum pœnitentiæ prætendebat. Quam difformes pretiosæ nostræ vestes ab illa tunica, quam Paulus ex palmis sibi contexuerat, quamque D. Antonius in solis solemnioribus festis deferebat! Quantum debet abhorrere affectata nostra vestium munditiei ab illa Hilarionis optanda negligentia, qua sordes in cilicio quærere, vel abstergere nefas putabat! Amemus ergo, ut dicit Bern. paupertatem, non sordes.

Consect. 3. *De Clericis.* Clerici in Sacris constituti aut Beneficia possidentes, si vestes Ordini congruentes non semper deferant; ab Officio & Beneficio suspenduntur, & proventibus Beneficiorum privantur. Trid. sess. 14. de ref. cap. 6.

Quales debeant esse vestes Clericorum, ex variis Conciliis accipe. 1. Quoad materiam, non possunt esse sericæ, exceptis filiis Regum, Principum, & Ducum. Senonense in decretis morum c. 23. Debent esse laneæ. Mediolanense I. part. 2. de vestitu Clericorum. 2. Quoad colorem, non debent esse purpureæ, Narbonense cap. 1. nec virgatæ, idest virgis diversi coloris distinctæ: c. Quoniam de vita & honestate Cleric. nec virides: c. Clerici ibidem: sed nigri coloris. 3. Quoad formam, non debent esse breves usque ad medietatem tibiæ.. Tolet. 22. cap. 14. sed debent esse talares ... Lateran. 5. sess. 9. & clausæ a summo usque ad imum: Senon. ibid. & non partitæ. cap. Quoniam ibid. 4. Quoad decentiam, non debent esse pannosæ, aut laceræ. Senonense ibid. nec luctuosæ, aut funebres ... Toletanum 12. c. 8. 5. Quoad ornatum, non debent esse frangiatæ. Colonense II. part. 1. c. 26. 6. Clerici non debent portare torques, armillas, monilia, annulum, nisi ratione dignitatis. Mediolanense ubi supra. Demum Clerici ita debent vestiri, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tridentinum ubi supr. 7. Corona talis debet esse, qualem ordo postulat. Mediolanense ubi sup. 8. Modestiam vestium comitari debet modestia supellectilium, & mensæ: Episcopus vilem supellectilem & mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat, inquit Carthagin. IV. c. 15. Nec luxum excusat nobilitas Clerici, ut optime docet Bernardus: Si qui filios Comitis, aut consobrinus Regis es, manu effusiore tenetis expendere: necessitas hæc Christi patrimonium contingit.

II. Si tamen causa rationalis aliter exigat, poterit Clericus Monachusve uti vestibus sæcularibus: puta, si degens apud infideles vestis clericalis, vel Monachalis esset in causa, cur inquireretur ad mortem, vel cur non posset fidem prædicare, aut aliud hujusmodi. Ita cap. Quoniam de vita & honestate Clerici.

ARTICULUS II.

Quæ interdicantur Clerico, Monachove.

PRop. un. Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia, quæ feritatem aliquam redolent.

Prob. 1. Scriptura. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, non iracundum, non percussorem: ergo clericis interdicitur quidquid feritatem redolet.

2. Ex Hier. can. Si quis dist. 36. Est & aliud opus, quod fecit Moyses: ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos: sed quid facit? orat, & orat donec vincit populus ejus ... Oret ergo Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est: oret ergo, & non bellet.

3. Rat. Oportet, ut clerici Christi lenitatem imitentur, quia eis præcipue dictum est: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: ergo oportet, ut Clerici & Monachi ab his omnibus abstineant, quæ feritatem redolent.

Con-

Digitized by Google

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non licet Clericis, Monachisve arma gestare, aut bellum gerere; quia hoc feritatem redolet. *Arma enim militiæ nostræ non carnalia* sunt, *sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* 2. ad Cor. cap. 10. v. 4. Lacrymæ, & orationes arma sunt, & munimenta Sacerdotis, inquit Ambrosius oratione in Auxentium: *Dolere potero, gemere potero, flere potero, adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt: talia enim munimenta sunt Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.*

Clerici arma gestantes excommunicantur. Cap. *Clerici* de vita & honestate Clericorum. Non possunt uti hastis, balistis, selopeto, telis, & similibus armis (inquit Mediolanense 1. p. tit. de armis & ludis) nisi extra civitatem per loca suspecta eundum esset; & tunc arma deferri possunt cum licentia Episcopi in scriptis obtenta: ibid. Clerici & Monachi vacantes militiæ deponuntur. Mogunt. I. c. 27. Si in bello moriantur, non offeratur Missa pro illis. Can. *Quicumque Clericus*, caus. 13. qu. 8. can. 4. Clerici autem & Monachi possunt bellare contra hostes Religionis, puta contra Saracenos, contra Turcas, &c. Innocentius III. constit. 22. *ad liberandum*, & Pius V. constit. 145. *Cum nos.*

Consect. 2. Non licet Clericis, & Monachis judices esse in causa sanguinis, mortis, & mutilationis; quia hoc feritatem redolet. *Christus venit, non ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum.* Et mulieri adulteræ dixit: *Nemo te condemnavit, neque ego te condemnabo.* Idem præstare debent clerici; ideo Toletanum 6. can. 31. *Clericis judicium sanguinis agitare non licet.* Clerici judices in causa sanguinis excommunicandi sunt. Can. *His a quibus* caus. 25. qu. 8. can. 30. Non possunt esse præsentes ubi fit tale judicium. Later. IV. can. 18. Nec esse præsentes ubi reus interficiendus est, aut mutilandus. Matisconense II. cap. 19.

Consect. 3. Non licet Clericis, Monachisve venari, nec venatione *oppressiva*, quæ homines perdit; quia numquam licet occidere, nec venatione *arenaria* qua homo decertat cum bestiis; quia ea ea sequi solet hominum interitus; nec venatione *clamosa* & *saltuosa*, quæ in sylvis & saltibus feras persequendo, & occidendo armis exercetur; quia est quædam belli species, ut optime ait Aristoteles, & apta ad bellum præparatio, ut ait Xenoph. l. 1. educationis Cyri; & quia insuper triplex illa venatio clamoris plena est, & animum maxime à Divinis avocat, cogitque Clericos, ut alant canes, & accipitres, quod eis vetitum est, ut ait Gloss. in can. *Esau*: & occasio est, ut Clerici vestes talares deferant, quod eis interdictum est. Antiqua est venationis interdictio: hanc sibi interdictam dicit Synesius Ep. 115. Eam sub pœna excommunicationis, & suspensionis prohibet cap. *Episcopum* de Clerico Venatore. Idem dicunt Capitularia Regum nostrorum lib. 5. c. 122. Idem etiam videtur præscribere Trid. dum enim jubet Clericos ab illicitis venationibus abstinere, tacite innuit licitas esse aliquas venationes Clerico. Licita est v. g. venatio *arenaria* ad mortem vitandam. Glossa in can. *Qui venatoribus*. Licita est pariter Clerico venatio *clamosa* & *saltuosa*, ut vitetur fames, & victus necessarius habeatur. Licita est pariter venatio *quieta* causa recreationis honestæ exercita.

Consect. 4. Non licet Clericis, Monachisve artem Medicorum, aut Chirurgorum exercere, ubi incisione, aut adustione opus est, nisi erga pauperes, aut in necessitate; quia extra illos casus videtur hoc quamdam feritatem redolere. Cap. *Sententiam sanguinis.*

Prop. 2. Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia, quæ turpe aliquod lucrum sapiunt, vel negotiis sæcularibus implicant.

Prob. 1. Scriptura. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit:* 2. ad Tim. cap. 2. v. 4. Ergo Clericus, a fortiori Monachus, non debet se immiscere sæcularibus negotiis.

2. Ex Chrysostomo, qui ita loquitur de Clericis implicatis negotiis sæcularibus: *Quos oportebat animarum curam habere, ea prætermissa, sollicite curant, & quotidie cogitant quæ publicanis, quæstoribus, villicis curanda sunt.* Hom. 86. in Matth.

3. *Rat.* Ecclesiæ Regnum est spirituale, in quo non alia exercenda sunt negotia, quam ea, quæ animas Christo lucrifaciunt: ergo Clerici, a fortiori Monachi, debent ab his omnibus abstinere, quæ ad salutem animarum non conducunt.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Clericis & Monachis interdicta est, 1. Negotiatio lucri causa exercita: quia Ecclesia domus est orationis, & non negotiationis: ergo Clericos decet orare, & non negotiari. *Clericus, qui leviori comparat pretio, ut carius vendat, filius est avaritiæ, idololatra pecuniæ, servus mammonæ, & venundatus sub peccato*, inquit Petrus Blesensis ep. 17. 2. Clericus non potest negotiari, emendo, & vendendo, ut docet Honorius de vita, & honestate Clericorum apud Cyronium. *Presbyteri, inquit, Diaconi, de locis suis negotiandi causa ne discedant, sic Clerici nec Provincias circumeuntes quæstuosas nundinas sectentur.* Eliberitan. c. 19. 3. Clericus non potest possessiones alienas conducere: *Si quis Clericus conductor alienæ rei voluerit esse ... depositus a Clero, a communione alienus fiat*, inquit Arelat. II. c. 13. 4. Clericus non potest esse villicus, ut docet Concilium Cabillonense III. c. 7. Etiam non potest esse tabernarius, ut dicitur can. 7. in Trullo. Quæ omnes leges maxime vigent istis temporibus, quibus nulli Clerici admittuntur ad Subdiaconatum, nisi titulum habeant, aut Beneficium, unde nutriantur: proinde Clericis nunc maxime non licet, uti olim licebat, exiguas etiam negotiationes exercere ad victitandum.

Consect. 2. Clericis, & Monachis interdicta est omnis exercitatio, quæ sæculo implicat; quia Clericos decet, ut olim Levitas, solum divinis rebus esse intentos. Ita cap. *Sed procurationes*, ne Clerici, vel Monachi.

Quo circa 1. Clericus non potest exercere Officium Advocati, Procuratoris, Tabellionis, Notarii coram judice sæculari, exceptis causis propriis, vel Ecclesiæ, vel pauperum. 2. Non potest pro aliis fidejubere: non potest Principum, aut aliorum Lai-

Laicorum causas agere: non potest esse præcursor aut assecla feminarum. Hæc omnia vetat Concilium Mediolanense I. Cap. 26.

Prop. 3. Clericis, & Monachis interdicitur ea recreatio, quæ sobrietatem offendit, aut castitatem: quales sunt comessationes, tabernæ, choreæ, spectacula, concentus musici profani, & inhonesti.

Prob. 1. Scriptura. *Oportet Clericum sobrium esse, pudicum, castum ....* Ergo ei interdicitur id omne, quod sobrietatem lædit, aut castitatem.

2. Ex Conciliis. *Abbates, Episcopi, & Clerici ante se joca turpia facere non permittant; sed pauperes, & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude Domini.* Concilium Rhemense sub Carolo Magno cap. 17.

3. *Rat.* allata per Concilium Trident. sess. 2. *Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos,* hortatur etiam, *ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum; deinde cum in ea sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur.* Tales debent esse Clericorum deliciæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clerici, & Monachi debent ab ebrietatibus, & comessationibus abstinere. Omnibus dictum est: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate,* a fortiori id verum est Clericis, & Monachis. *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus.* Ad Rom. cap. 13. v. 13. *Nam ebrietatem qui habet, homo non est,* ait Chrysost. *Eum qui habet, se ipsum non habet* Aug.

Consect. 2. Clerici, & Monachi *non possunt tabernas ingredi,* nisi peregrinationis necessitate compulsi; id enim prohibet Concilium Laodicenum Can. 24. Idem vetat Turonense. *Non possunt se ad bibendum incitare,* ut dicitur Cap. *Crapula* de vita & honestate Clericorum. Non nisi raro debent apud Laicos epulari, ut docet Hieron. *Epulas,* inquit, *nunquam petentes: raro accipimus rogati. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat.* Ad Nepot.

Consect. 3. Clerici, & Monachi ab omnibus spectaculis & choreis abstinere debent, dato enim, quod hæc licerent Laicis, tamen interdicenda essent Clericis, quia ut ait Concilium Aquense an. 1585. *Quod in populo veniale est, in Sacerdote judicatur sacrilegium:* ideo districte Clericis prohibet choreas, comœdias, fabulas, &c. *Ne puritas Sacerdotis rerum inanium, aut etiam obscœnarum aspectu polluatur.* Eamdem rationem affert Concil. Parisiense VI. Can. 38.

Consect. 4. Clerici, & Monachi debent ab omnibus profanis concentibus abstinere: ita Concil. Turonense III. Can. 7. *Quæcumque,* inquit, *ad aurium, & ad oculorum pertinet illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei Sacerdotes abstinere debent.*

Consect. 5. Clerici, & Monachi debent ubique, præcipue in Ecclesia, abstinere ab ea musica. *Ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid* *miscetur.* Trident. sess. 22. Decret. de observandis & vitandis in celebratione Missæ.

Prop. 4. Clericis, & Monachis interdicuntur eæ recreationes, quæ gravitatem Clericalem & Monachalem dedecent; quales sunt, v. g. ludi, colloquia profana, turpia, contentiosa, aut jocosa.

Prob. 1. Scriptura. *Omnia mihi licent; sed non expediunt;* 1. ad Corinth. cap. 6. v. 12. ergo oportet, ut Clerici, & Monachi eas animi avocationes eligant, quæ ad suam & populorum salutem conducant.

2. Ex Patribus. *Magnis addictus es? noli minimis occupari: minima & vilia sunt quæcumque ad sæculi quæstus, & non ad lucra pertinent animarum,* inquit Petrus Blesensis: Ergo a Clericis vitanda est omnis recreatio, quæ gravitatem aliquam non sapit.

3. *Rat.* Sicut quies est necessaria corpori defatigato, ita & recreatio aliqua menti, quando intensiori studio defatigata est; sed cavendum, quod ut ludus sit licitus, debet personæ, tempori, & loco congruere: ergo, si juxta Tullium libro 1. de Officiis, *Pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ honestis actionibus non sit aliena, adeo ut in ipso etiam joco aliquid probi ingenii eluceat;* a fortiori non debemus permittere Clericis, & Monachis recreationes ludicras & gravitatem offendentes: si enim juxta eumdem Tullium lib. 1. Offic. *Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum, & ad jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora, atque majora:* si id Paganus de homine senserit; quid nos de Clerico & Monacho sentire debemus? Ergo omnis recreatio Clericorum debet esse & gravis & modesta, & nunquam ludicra, turpis, aut contentiosa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De Ludo.* Non licet Clericis & Monachis ludere publice, & cum Laicis, quia hæc recreatio gravitatem Clericalem & Monachalem deprimit. *Clerici,* inquit Senonense, *ne in publico ludant pila, aut aliis ludis maxime cum Laicis. A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendant, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant.* Conc. Senon. can. 25. an. 1528.

Consect. 2. Si aliquando Clerici vel Monachi ludant eo ludo, qui a sorte non pendet, id privatim & non publice faciant, & absque interventu pecuniæ, ut jubet Concil. Mediol. IV. *Si autem,* inquit, *valetudinis interdum causa, parva pila, aut alio non indecoro exercitationis genere uti contigerit, ne publice id faciant, nec pecunia in ludo intercedat.* Conc. Mediol. IV. cap. de armis.

Consect. 3. Si Clerici Monachive aliqua animi recreatione se oblectent, ita se gerant, ut licentia illa nulli sit scandalo. *Videte,* inquit Paulus, *ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* 1. ad Corint. cap. 8. v. 9.

Consect. 4. De conversatione. Clerici & Monachi in mutuis colloquiis, I. quoad fieri potest, de sacris, & utilibus rebus debent colloqui, & nihil profanum admiscere. *Profana,* inquit Paulus, *& vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem.* 2. ad Timoth. cap. 2. v. 16. *Tales,* inquit August. *convenit esse Dei cultores & servos,* man-

mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles in facto, immaculatos; ut qui viderit eos, stupeat, & admiretur, & dicat: vere hi homines sunt Dei, quorum talis est conversatio. Aug. de vita Christ.

II. Omnem contentionem debent effugere: *Noli*, inquit Paulus, *contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* 2. ad Timoth. c. 2. v. 14. ad exemplum Christi, de quo scriptum est: *Non contendet, neque clamabit.* Matth. 12. v. 19.

III. Omnem turpem sermonem longe debent abjicere. *Deponite*, inquit Paulus, *turpem sermonem de ore vestro.* Ad Coloss. cap. 3. v. 8. *Fornicatio, & immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ad Ephes. 5. v. 3.

IV. Debent omnem jocum, & ironiam supprimere. *Scurrilitas*, inquit Paulus, *non nominetur in vobis, quæ ad rem non pertinet, sicut decet Sanctos: Clericum enim scurrilem, & verbis turpibus jocularem, ab officio retrahendum*, jubet Concilium Carthag. IV.

ARTICULUS III.

De obligatione clericorum, & Monachorum, quoad orationem publicam, seu horas canonicas. Vide dicta alibi de oratione.

PRop. 1. In sancta Republica, qualis est Ecclesia, debent esse orationes publicæ, quibus per Ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi a Deo petitur quod est ad salutem necessarium.

Prob. 1. Scriptura. *Obsecro primum fieri obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* 1. ad Timoth. cap. 2. v. 1. Ergo oportet orationem fieri ab omni cœtu fidelium.

2. Ex Tridentino sess. 2. Præcipitur, ut privatim & publice orationes fiant pro omnibus hominibus.

3. *Rat.* Communis hic est instinctus omnium, qui speciem aliquam Religionis habent, ut orationem aliquam publicam coram Deo effundant: ideo legimus, quod ab Adamo usque ad nos religiose observata fuit publice orandi consuetudo... Abel, & Cain publicum offerunt Sacrificium. Gen. 4. v. 3. *Nos vero cœpit invocare nomen Domini.* ibid. v. 26. *Noe palam & publice ædificavit Altare Domino... Et obtulit holocausta super Altare.* Gen. 8. v. 20. Abraham in Sichem & Bethel sacrificat. Gen. 12. v. 8. In lege scripta Sacrificium juge publice celebrari debuit quotidie. Num. 28. In novo autem Testamento cernimus Christum & privatim, & publice orare; privatim, *cum dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Matth. 14. v. 23. publice, *cum hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Matth. 26. v. 30. Item cernimus de Christianis dictum: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu, & Fratribus ejus.* Act. 1. v. 14. Immo aliquando exprimitur hora orationis: *Petrus & Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Act. 3. v. 1. Et rursus: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Act. 10. v. 9. Postea demum cernimus statuta esse quædam tempora ad publicam orationem. Hoc ita scribit Auctor Epist. ad Demetriadem: *Præter Psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis Sanctam Scripturam discere debeas.* Hæc autem oratio publica solet varie denominari. Modo dicitur *officium*; quia per hanc Deo reddimus officium nostrum; modo *hora canonica*; quia ita canonibus sacris est instituta; modo *breviarium*; quia in breviario continentur quædam ex Scriptura, & ex Patribus excepta recitanda ab his, qui ab Ecclesia destinantur, ut preces Ecclesiæ nomine effundant.

Prop. 2. Ad Ecclesiam pertinet determinare, & quo pacto, & a quibus personis fieri debeat oratio publica.

Prob. 1. Ex canone II. Nicæno, ubi sic habetur: *Quoniam sunt quidem, qui in die Dominico genu flectant, & ipsis diebus Pentecostes: ut omnia similiter in omni Parochia serventur, visum est sanctæ Synodo, ut stantes Deo orationes effundant:* ergo ex illo canone patet, quod Ecclesia determinavit modum orandi: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare quæ ad orationem publicam pertinent.

2. Ex D. Th. quodlib. 1. q. 7. art. 1. *Ea vero, quæ ad Ecclesiam pertinent, qualis est oratio publica, subjacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ.*

3. *Rat.* Sicuti ad Rempublicam politicam pertinet determinare ea, quæ quietem publicam spectant; ita ad Rempublicam Sacram, qualis est Ecclesia, pertinet determinare ea, quæ pertinent ad cultum divinum: atqui oratio pertinet maxime ad cultum divinum: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare, quo pacto, & a quibus personis fieri debeat oratio publica.

Prop. 3. Juxta antiquam Ecclesiæ praxim omnes Clerici, in quocumque essent Ordine, tenebantur olim horas canonicas recitare; ita usque ad sæculum circiter decimum.

Prob. 1. Jure civili. *Sancimus, ut omnes clerici per se ipsos psallant nocturna, matutina, & vespertina.* L. 42. c. de Episcopis & clericis.

2. Ex jure can. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus* (tunc autem non erant nisi clerici deputati) *si intra civitatem fuerint, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur.* Concil. Tolet. can. 5.

3. *Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate, idest citra morbum, vigiliis deest, stipendio privetur.* Conc. Carthag. IV. can. 49.

Prop. 4. Præcipua Monachorum, Monialiumque obligatio fuit semper horas canonicas recitare.

1. Ita docet Basilius de institutione vitæ Religiosæ. Can. *Presbyter: Hora a Sanctis viris precibus ad Deum ac laudibus dicata frequenda sunt.* Idem docet auctor Ep. ad Demetriadem.

2. Id jubet status Monachorum & Monialium, est enim status institutus ad orandum, non solum pro se, sed etiam pro populo, quod utique melius fieri non potest, quam horis canonicis ad hoc institutis.

3. Regula Sancti Pachomii, Sancti Benedicti, Sancti Ferreoli, Sancti Francisci, Sancti Dominici præcipit recitationem horarum canonicarum: ergo ex universali illa omnium Ordinum Religiosorum consuetudine manifestum est, Monachos & Moniales teneri ad recitandum divinum Officium.

Prop.

Prop. 5. Juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem triplex est titulus obligans ad horas canonicas: Beneficium Ecclesiasticum, Ordo sacer, Professio Religiosa ad chorum deputans.

Prob. 1. Ex Concilio Basileensi sess. 21. cap. 5. *Quoscumque Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati diurnum nocturnumque officium reverenter verbisque distinctis peragant*: en obligatio pro clericis Beneficiatis, vel in Ordine sacro constitutis. De Monachis vero sic habet Antoninus par. 3. Tit. 12. cap. 4. *Tenentur ad horas Religiosi Professi, quorum Religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta, & per Ecclesiam confirmata.*

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. *De Beneficiatis.* Episcopatus, Rectoratus, Canonicatus, Dignitas, Præpositura, Præstimonia, Capellania collativa, & Commenda, denique qualibet Præbenda tituli clericalis, obligant Beneficiatum ad horas canonicas; quia hæc omnia sunt Beneficium Ecclesiasticum, cujus possessionem si culpa tua non inieris, aut si pariter culpa tua ejus fructus non percipias, tamen officium recitare teneris; quia debes id tibi imputare; quia non potes licite privare Ecclesiam debito officio: si vero sine culpa aut possessionem non ineas, aut redditus nullos percipias, non teneris officium recitare.

Consect. 2. Pensio Clericalis obligat pensionarium ad recitandum officium Beatæ Virginis: ita constitutio Pii V. *Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad officium Beatæ Virginis quotidie recitandum teneri. Præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus.* Et quamvis hæc constitutio non sit ubique recepta ut lex, habet tamen vim, si non legis, saltem piæ ordinationis, cui resistere nefas est.

Consect. 3. Beneficium, quamvis tenue, obligat ad horas canonicas. *Non excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non percipiant necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari*: cap. *Dolentes* de celebratione Missarum. *Sicut*, inquit Glossa, *vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis, quæ ei reddere debitum non valet; ita Clericus qui non percipit necessaria ab Ecclesia, tenetur officiare Ecclesiam, licet pauper sit, & dicere cum Apostolo: Scio & abundare, & esurire.* Idem tenet Antoninus 3. P. tit. 13. cap. 4 §. 42. Quia onus illud sibi imposuerunt clerici acceptando Beneficium. Si esset tamen aliqua consuetudo contraria ab Episcopo approbata dispensans ab Officio Clericum, tunc Beneficium possidens posset hanc consuetudinem sine peccato observare.

Consect. 4. *De Clericis in Sacro Ordine constitutis.* Ordo sacer obligat ad horas canonicas; quia per illum clericus immobiliter Deo consecratur: qui vero Sacris initiati Beneficium Ecclesiasticum non habent, si prætermiserint officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur, inquit Conc. Med. I. p. 2. c. 21.

Consect. 5. De Monachis, & Monialibus. Professio Religiosa deputans ad chorum, obligat ad horas canonicas, inquit Conc. Cabillonense III. cap. 59. quia per illam deputamur ad cultum divinum. Cui videtur favere istud Isaiæ 23. *Omnem illum, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum.* Novitii vero non tenentur recitare officium; quia non sunt Professi. Laici conversi non tenentur pariter; quia non sunt choro deputati. Religiosi Jesuitæ, militares, hospitalarii, etsi vere Religiosi, non tenentur recitare Officium; quia non sunt choro destinati.

ARTICULUS IV.

Qualis sit obligatio clericorum & Monachorum, qui tenentur recitare horas canonicas.

PRop. 1. Quicumque tenetur officium recitare, peccat mortaliter, si sine causa horas canonicas, vel notabilem earum partem omittat.

Prob. 1. Ex Alcuino. Qui omiserat horas canonicas, subjiciebat illam omissionem Sacramentali Confessioni, quæ tunc, ut plurimum, fiebat de solis peccatis mortalibus: sic enim habet formula Confessionis apud Alcuinum: *Peccavi, quod negligens fui de meo cursu, quem per horas canonicas exsolvere debui.*

2. Ex factis. Qui omiserat horas canonicas, coram judice Ecclesiastico tamquam reus de gravi delicto accusabatur, ut patet exemplo Joannis 12. cui illud exprobratum est. Idem patet exemplo Joannis 23. cui idem crimen in Concilio Constantiensi fuit objectum.

3. Ex D. Carolo Borromæo, qui vocat omissionem Breviarii *grave peccatum*. Concilium Aquense anno 1585. vocat *peccati mortalis reatum* eamdem omissionem. Idem censent unanimiter omnes Theologi & Canonistæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui sine causa omittit officium: v. g. qui id facit, ut genio indulgeat, ut studio litterarum vacet: qui Breviarium projicit in mare, ut fiat impotens recitandi officii; quia excusationes illæ sunt & injustæ & irrationales.

Consect. 2. Peccat mortaliter qui ex levi infirmitate omittit officium. *Meminerit se febri, morbove levi aliquo laborantem, non justam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve*, inquit Conc. Med. IV. de vita & honestate clericorum.

Consect. 3. Peccat mortaliter qui partem aliquam notabilem officii omittit, qualis est v. g. hora integra sine causa.

Consect. 4. Peccat qui non valens totum officium recitare, non recitat eam partem, quam potest recitare; quia damnata est sequens propositio: *Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

Consect. 5. Non peccat qui vel totum officium, vel aliquam ejus partem omittit, v. g. *si eum infirmitatis gravitas excuset*, ut dicit Concil. Marceacense Can. 29. si eum alio vocaret caritatis exercitium, v. gr. administratio Sacramentorum; quia *iniquum foret, si statuta pro sola caritate contra caritatem violare teneretur*, ut ait Bernardus, libro de præcepto & dispensatione c. 11.

Prop. 2. Qui habet aliquod Beneficium, si omittat

horas Canonicat, præter mortale peccatum, quod incurrit, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum pro rata omissi officii parte.

Prob. 1. Ex Concilio Lateranensi V. sess. 5. in quo statuitur, *Ut quilibet... habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissione recitationis Officii; sed eos tamquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur*. Idem jubet Pius III. Const. 135. quæ incipit *Ex proximo*.

2. *Rat.* Beneficiatus omittens officium peccat contra justitiam, cum sit per Beneficium quasi conductus ab Ecclesia, ut recitet horas canonicas: ergo tenetur ad restitutionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui tenentur recitare Officium vel ex vi solius Ordinis sacri, vel ex vi solius professionis Religiosæ, non tenentur ad restitutionem, quia non percipiunt redditus Ecclesiasticos; sed solum ad pœnitendum.

Consect. 2. Qui alia onera habent præter recitationem officii, v. gr. Episcopi, Curati, tenentur quidem restituere fructus perceptos, sed possunt retinere aliquid, quod respondeat prædictis oneribus; quia Concilium jubens restitutionem fieri *pro rata omissione recitationis Officii*, non privat justa retributione, quæ debetur beneficiatis ob ministeria, quæ exhibent Ecclesiæ, vel fidelibus.

Consect. 3. Beneficiarii, qui tenentur recitare officium, illudque omittunt, debent computare redditus Beneficii, & pro rata cujuslibet diei retributione restituere fructus perceptos: v. g. si beneficium annue reddat 366. libras, pro omissione integri officii debent pro quolibet die unam libram restituere, & sic proportione servata pro qualibet parte omissa.

Consect. 4. Beneficiarii choro addicti, etsi recitent officium extra chorum, non possunt retinere illos fructus, qui dantur titulo præsentiæ, & assistentiæ; & si recipiant, tenentur restituere: ita Trid. Sess. 24. De ref. cap. 12. renovans statutum Bonifacii VIII. quod incipit *Consuetudinem*. *Qui non sunt præsentes choro, si recipiant fructus destinatos his solum qui sunt præsentes, tenentur restituere; exceptis iis quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Cap. *Consuetudinem* in 6. de Clericis non residentibus.

Consect. 5. Qui addicti sunt choro, v. gr. Canonici, Præbendarii, &c. tenentur non solum attendere psallentibus, sed etiam debent & ipsi psallere, & cantare; quia ad id munus sunt deputati. Id expresse jubet Concil. Basileense Sess. 21. c. 3. *Cum*, inquit, *psallendi gratia ibidem conveniant, juncta & clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.... Horum autem transgressores plectantur pœna*; quod indicat eos teneri ad restitutionem aliquam propter cantus omissionem. Idem jubet Trid. Sess. 24. c. 12. *Omnes vero Canonici divina per se... compellantur obire officia.... & in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*. Ratio autem convincit eos & peccare, & teneri ad restitutionem. Uti enim Parochus non facit fructus suos, si resideat solum corporaliter: ita nec Canonicus, si adsit in choro tacens & mutus; quia ejus est Dei laudes canere. Si enim Capitulum, canendo, Officium divinum celebrare debeat; ad idem munus tenentur singula ejus Capituli membra. Unde non video quo pacto excusari possit ea consuetudo, qua in quibusdam Ecclesiis Canonici cantant per substitutos Sacerdotes. Quippe sicuti non possunt choro assistere per Vicarios, ita nec cantare; tum quia usus ille non usus est, sed abusus, non consuetudo, sed corruptela, cum deroget juri communi, & a nullo Concilio approbetur; quin immo reprobetur, ut patet ex verbis Concilii Basileensis & Trid. supra citatis; quibus adjungi possunt alia Concilia. Concil. Cameracens. an. 1565. sic habet: *Canonici omnes qui in choro fuerint, & sacellani psallant, nec sint in sedibus suis otiosi: nec putent se functos Officio, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent*. Idem habet Conc. Burdigal. an. 1583. & Turonense eodem an. habitum. Et demum Concil. Mediolan. I. ait: Canonici, qui huic Officio defuerint, *pro absentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione obiecint, distributionibus mulctentur*.

ARTICULUS V.

De modo interno & externo recitandi Officium divinum, tam privatim, quam publice.

PRop. *unica*. Quicumque tenentur Officium divinum recitare, debent id præstare cum ea intentione interna quam exigit oratio, & cum eo ritu externo quem præscribit Ecclesia.

Prob. 1. Scriptura: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*: ergo opus Dei, qualis est recitatio Officii divini, debet fieri & cum interna devotione, & cum externa gravitate.

2. Ex Jure canonico. *Districte præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote*: cap. *Dolentes* De celebratione Missarum. *Devote*: en attentio interna. *Studiose*: en ritus externus.

3. *Rat.* Officium Ecclesiasticum debet spectari, 1. ut oratio, 2. ut oratio publica. Quatenus oratio, exigit attentionem; quia attentio est de essentia orationis. Quatenus oratio publica, exigit ritus ab Ecclesia præscriptos; quia ex Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 12. *Cetera, quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant..... Synodus Provincialis certam cuique formulam præscribet*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non satisfaciunt recitationi divini Officii qui illud recitant sine attentione vel actuali vel virtuali terminata vel ad sensum verborum, applicando affectum, vel ad id, quod verbis significatur, vel ad Deum, vel ad Christum, vel ad id, quod petitur, scilicet ad gratiam, aut virtutem, quam a Deo per Christum petimus. Psallentes

sine

fine ulla attentione, ita inculpat Christus: *Hypocrita, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Matth. 15. vers. 7. & ita inquit Antoninus: *Qui inter recitandum Officium advertenter occupat se actione aliqua incompossibili cum attentione interna, v. g. scribit, legit, confabulatur, occupatur manualibus, non satisfacit recitationi officii.* In Conf. 3. parte interrogatorii, cap. 11. De Clericis in communi.

Consect. 2. Horis canonicis debite non satisfaciunt qui recitant Officium sine pronunciatione vocali exteriori, integra, & gravi; quia Ecclesia jubet, ut Officium recitetur vocaliter exterius, ut nedum mens, sed etiam corpus exultet Deo juxta illud Osee ult. *Reddemus vitulum labiorum nostrorum;* & juxta illud Psam. 15. vers. 9. *Laetatum est cor meum, & exultavit lingua mea.*

Consect. 3. Officium non recitant, ut oportet, & qui sacram illam actionem sine causa intermittunt, & qui alia intermiscent; quia officium recitandum est non syncopando verba, neque alia miscendo. Clementina unica, De celebratione Missarum. Unde non satisfaciunt horis Canonicis qui psallendo, 1. Confabulantur, mussitant, ut ait Concilium Coloniense II. p. 3. can. 6. 2. Qui ita festinanter recitant, ut vix possint intelligi. Concilium Lateranense IV. cap. 17. 3. Qui recitant truncatis verbis, vel intra fauces murmurando, nec articulate, nec distincte. Concil. Senon. de horis canonicis. 4. Qui actione aliqua cum Officio incompossibili occupantur, ut diximus ex Antonino.

Consect. 4. Officio recitando plane non satisfaciunt qui omittunt ritum externum praescriptum ab Ecclesia vel quoad qualitatem, dicendo Officium pro Officio, vel quoad quantitatem, non recitando aliquam ex septem horis; quia non servant usum Ecclesiae. Ita D. Th. Quodlibeto 3. q. 13. a. 2.

Consect. 5. Non plane pariter horas canonicas, ut oportet, recitant qui sine causa omittunt ritum externum praescriptum ab Ecclesia ve quoad ordinem horarum, vel quoad locum, vel quoad tempus; quia non servant Ecclesiae usum, qui sine causa perverti non debet.

Ordo horarum est, ut primo matutinum, deinde laudes, postea primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, postremo completorium recites.

Tempus vero est, ut intra viginti quatuor horas ejusdem diei integrum recitetur officium.

Locus vero est Ecclesia, si Officium canatur publice, ut habetur dist. 92. Si vero Officium recitetur privatim, quilibet locus alienus a tumultu, est Officio recitando idoneus, quia Deus ubique est.

CAPUT IV.

De obligationibus, quae Clericos non ita rigide ligant, sicuti Monachos, v. g. de paupertate, castitate, & obedientia Clericorum.

Licet Clerici paupertatem, castitatem, & obedientiam non voveant, sicuti Religiosi, tenentur tamen eas virtutes, prout eorum status exigit, exercere. Quocirca qualis debeat esse paupertas, castitas, & obedientia clericorum, hic paucis expendemus.

ARTICULUS I.

De dominio Clericorum.

PRop. 1. Ecclesia est capax dominii bonorum temporalium cum mobilium, tum immobilium.

Prob. 1. Scriptura. Synagoga habuit verum dominium bonorum temporalium; nam Levitis assignatae sunt quadraginta, & octo Urbes: Josue 21. datae sunt eis & decimae omnium fructuum, & pars praecipua in Sacrificiis: ergo & Ecclesia, quae in hoc non debet esse inferior Synagoga, habet dominium bonorum temporalium.

2. Ex Conciliis. In Chalcedonensi cap. 82. districtius inhibetur Clericis, ne post mortem Episcopi rapiant res ad eum pertinentes, quod indicio est Episcopos habere aliquid sibi proprium. Et in Constantiensi Sess. 8. damnantur illi articuli, in quibus VViclef docet, vetitum esse Clericis bona temporalia possidere.

3. *Rat.* Nulla Respublica potest stare sine adminiculo bonorum temporalium, quibus necessitatibus suis subveniat: ergo cum Ecclesia sit Respublica, debet habere verum dominium bonorum temporalium. Ideo tempore Christi Ecclesia loculos habebat. Joan. 12. v. 5. Tempore Apostolorum pretia bonorum venditorum a fidelibus dabantur Ecclesiae. Act. 2. & 4. Temporibus vero succedentibus Ecclesia bona temporalia diversi generis comparavit.

4. Nemo obligatur ad id, quod est supererogationis, nisi id voto se obstrinxerit, ut optime ait Augustinus Epistola ad Paulinum & Armentarium. Profiteri autem paupertatem est supererogationis; nam Matth. 19. post praeceptam observationem mandatorum, dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quae habes, & da pauperibus:* quod dictum est ei, qui vult ingredi Religionem. Ei vero, qui vult Clericus fieri, dicitur in persona Simonis: *Petre, si diligis me, pasce oves meas:* Ergo status Monachalis exigit professionem paupertatis, status vero clericalis exigit ardentem zelum animarum.

ARTICULUS II.

Qualis quantusque debeat esse amor paupertatis in Clericis.

PRop. *unica.* Qualis quantusque debeat esse amor paupertatis in clericis, ostendunt exempla Christi, Apostolorum, & antiquorum Episcoporum.

Christus enim ait de se ipso: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Nascitur pauper in praesepio, vitam degit pauperrimam, ex labore manuum suarum, & eleemosynis victitans, demum moritur nudus in Cruce. Apostoli vero hor per Paulum contestantur: *Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Nihil habentes,* inquit idem Paulus, *& omnia possidentes.* Et Petrus in persona singulorum Apostolorum ait: *Argentum & aurum non est mihi.* Alte quippe omnium Apostolorum mentibus infixum erat istud Christi praeceptum: *Nolite,* inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta; neque virgam; dignus enim est operarius cibo suo:* quibus certe verbis omnis superfluitas Evangelicis operariis interdicitur.

Digitized by Google

Exemplum autem Christi, & Apostolorum exacte secuti sunt insigniores Episcopi. *Ergo*, inquit Chrysostomus, *audenter dixerim, Ecclesiæ Præsules nihil præter victum & vestitum habere oportere*. Hom. 15. in 1. Tim. *Lex Christi*, inquit Origenes homil. 15. in Leviticum, *nec possessiones in urbe, nec in urbibus domos habere permittit; & quid dico domos, nec plures tunicas, nec multam concedit possidere pecuniam*, scilicet ultra necessitatem. Ideo addit: *Habentes enim victum & vestitum, his contenti simus*. Et quidem quæ verbis promebant, id exemplis suis confirmarunt egregii illi Ecclesiæ Pastores. De omnibus dici potest quod Possidius dixit de Beato Aug. *Magnus*, inquit, *Augustinus testamentum nullum fecit; quia unde faceret, pauper Christi non habuit*. Possidius in vita Aug.

Eumdem erga paupertatem Evangelicam inspirat amorem vel ipsum *Cleros* nomen, quo instruimur non ad divitias, sed ad paupertatem vocatos. *Si autem ego Domini pars sum ... nudam crucem nudus sequar*, inquit Hieron. Epist. 2. *Vis scire*, inquit Origenes, *quid intersit inter Sacerdotes Dei, & Sacerdotes Pharaonis: Pharao terras concedit Sacerdotibus suis; Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis*: Ego sum pars vestra. Homil. 16. in Genes. Quam vero ardenter Ecclesia semper optaverit clericos a divitiis abhorrere, vel inde colligo manifeste, quod neminem in album suorum ministrorum adscribere vulgo voluerit, qui egenus non esset vel conditione, vel voluntate. Clerici sunt, inquit Concilium Aquisgranense, *quos pauperes aut voluntas, aut nativitas facit*. Can. 108. Et auctor sermonum ad fratres de Eremo: *Quicumque*, inquit, *habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune faciat*. Serm. 52. Et Aug. lib. de morbis Eccles. c. 31. loquens de clericis potius quam de Monachis: *Nullo modo*, inquit, *satagunt, ut hac mundi commoda sibi abundent; sed omnino agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit*.

ARTICULUS III.

De Castitate a Clericis observanda.

CAstitas est a Clericis impense observanda, sive id procedat ex constitutione Ecclesiastica, sive id procedat ex voto, quod Subdiaconi eliciunt in susceptione Subdiaconatus.

Prob. 1. Scriptura. Necessitas, quam habent clerici observandi castitatem, videtur esse adumbrata in Scriptura per eam castitatem, quam Deus, Christus, & Maria, & Sacerdotes Levitici observarunt: nam Pater æternus fœcundus est simul & virgo; non enim actione carnali sed spirituali intellectione producit verbum sibi consubstantiale: Patet, & Filius amore casto & virginali producunt Spiritum sanctum. Maria Christum Deum & Hominem generat; ita tamen ut Virgo sit ante conceptionem, in ipsa conceptione, & post conceptionem.

Christus ex Virgine natus, desponsando Ecclesiam, eam Virginem efficit & fœcundam.

Sacerdotes Levitici generis toto tempore Ministerii sui abstinent a mulieribus, quia propositionis panes contingunt: ergo decet, ut Ministri Legis Evangelicæ castitatem Dei, Christi, & Mariæ imitentur; & cum quotidie offerre possint Christum Agnum immaculatum, oportet ut semper a mulieribus abstineant, & non solum certis temporibus, uti abstinebant Sacerdotes Levitici.

2. Ex Conciliis, quibus Presbyteris, Diaconis, immo Subdiaconis continentia præcipitur. Sic enim Canon Apostolicus 27. loquitur: *Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed lectores, cantoresque tantummodo*: indicans Episcopis, Presbyteris, Diaconis, immo & Subdiaconis interdictum esse omnino matrimonium. Quam disciplinam constanter in Ecclesia observatam esse declarat Quinisextum Concilium in Trullo habitum: ita enim loquitur can. 6. *Quoniam*, inquit, *in Apostolicis canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, soles Lectores & Cantores uxorem posse ducere; & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur*. Quæ Lex ut religiose observaretur, Justinianus novel. 22. c. 42. tit. 1. eam suo edicto sic firmatam voluit. *Si quis*, inquit, *inter Reverendissimos constitutus Clericos, ultra Cantorem & Lectorem, dicimus omnino, contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus, atque volumus*.

3. Ex Patribus: *Omnibus castitas necessaria est, sed maxime ministris Ecclesiæ, quorum vita aliorum debet esse eruditio*. Aug. Sermone 20. Dom. 15. Et lib. 2. cap. 22. de adulterinis conjugiis docet, quod Ministri inviti ordinati castitatem observare debent: *Quod si & vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini; nonne susceptum caste custodiretis Officium*? Hieron. vero rem ex professo agitans, contra Jovinianum sic scribit: *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici*. Non loquitur de Subdiaconis; quia nondum lata fuerat lex generalis obligans Subdiaconos ad continentiam. Et urgens eumdem Jovinianum, qui volebat matrimonium clericis esse imperatum, sic habet: *Quid faciunt*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt*?

4. *Rat.* Clerici, utpote Ministri Ecclesiæ, 1. Debent esse mediatores inter Deum & homines: ergo debent esse casti; quia castitas nos facit proximos Deo. 2. Debent esse addicti rebus divinis; hoc autem habetur per castitatem; *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem est cum uxore, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 32. Et si affectus erga nepotes tot malorum Seminarium est in Sacerdotibus; quantorum malorum origo esset affectus erga uxores, erga filios, erga generos, &c. qui ardentior esset, si Sacerdotes essent conjugati? 3. Debent ferre vasa Domini: ergo debent esse casti juxta illud: *Mundamini qui fertis vasa Domini*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clerici debent fugere quidquid accedit

Digitized by Google

ad incontinentiam. *Omnis fornicatio, & immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ad Ephes. cap. 5. v. 3. Memores punitionis contra Ozam exercitæ, qui juxta plures interpretes occisus est, eo quod licet pollutus aliqua immunditie, Arcam ausus est contingere. *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.* 2. Reg. cap. 6. v. 7.

Consect. 2. Horrere debent clerici quarumcumque mulierum societatem. *Pepigi fœdus*, inquit Job, *cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de muliere.* 21. v. 1. Etenim, ut ait Eccles. *De vestimento procedit tinea, a muliere iniquitas viri.* 42. vers. 13. De quo ita Origenes: *Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulieris, gluten est delictorum, & viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. Nam si modo putabimus nos intentabiles esse muliebribus jaculis; quid ergo restat cælestibus Regnis? Nec quisquam sibi proponat, & dicat: habere volo quod vincam, hoc est dicere, vivere desidero sub ruina... numquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus: nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus; duæ faculæ junctæ simul ambæ accenduntur.*

Consect. 3. Horrere debent Clerici specialius devotarum mulierum, monialiumque societatem. *Adolescentiores*, ait Paulus, *viduas devita*, 1. ad Tim. c. 5. v. 11. Et Conc. Epaonense an. 517. c. 38. *Monasteria puellarum nonnisi probatæ vitæ, & ætatis provecta ad quascumque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare Clerici.* Et Hieron. ad Nepotianum: *Omnes puellas, & Virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige; ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod Paradisi Colonum de possessione sua mulier ejecerit.*

Consect. 4. Horrere debent Clerici nimiam vini abundantiam. *Nolite*, inquit Paulus, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Ad Ephes. 5. v. 18. *Ebrietas & vinum auferunt cor*, inquit Oseas 4. v. 4. Optime enim ait Hieron. *Numquam ebriosum hominem castum putavi. Venter vino æstuans spumat in libidinem.* Et Lateranense Concilium sub Innoc. III. *Illum abusum decernimus penitus amputandum, quo in quibusdam partibus Clerici ad potus æquales se obligant.*

Consect. 5. Horrere debent Clerici otium. *Multam enim malitiam docuit otiositas*, inquit Eccles. 33. v. 29. *Fugienda est*, inquit Bernard. *otiositas mater nugarum, noverca virtutum.* Lib. 3. Consid. cap. 13. Attente perpendant Clerici illud Senecæ monitum, Ep. 1. *Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

Consect. 6. Ut Clerici promissam servent continentiam. 1. Debent magni facere castitatem. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* inquit Sapiens 4. v. 1. *Hæc est virtus, quæ nos Angelos facit, sine qua vasa Dei ferre non possumus*, inquit Aug. Serm. 37. ad fratres. 2. Debent magni facere orationem, sine qua haberi non potest castitas. *Nemo*, inquit Sapiens, *continens esse potest, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Sap. 8. v. 21. ideo Paulus libidinum stimulis lancinatus ad orationem recurrit, *Propter quod ter Dominum rogavi.* 2. ad Cor. c. 12. v. 8. Et Aug. *Continentiam jubes: da quod jubes; & jube quod vis.* Lib. 10. Confess. c. 29. 3. Debent studium præcipue Sacrarum litterarum magni facere; quia sacra hæc lectio eos castos efficiet, alias infeliciter eveniet, quod Ezech. vaticinatur. *Sacerdotes Dei inter Sanctum & profanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt: qui evitat discere, incidet in mala:* cap. 22. v. 26. 4. Debent carnis mortificationem amplecti. *Mortificate*, inquit Paulus, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Ad Colos. cap. 3. v. 5.

ARTICULUS IV.

De obedientia Clericorum.

PRop. *unica.* Clerici tenentur obedire Episcopis in his, quæ spectant regimen Ecclesiæ, & statum Clericalem.

Prob. 1. Scriptura. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Ad Hebræos c. 13. v. 17.

2. Patribus. *Episcopum sequi omnes debetis, ut* JESUS CHRISTUS *sequitur Patrem*, inquit Ignatius Ep. ad Smyrnæos: Ergo sicut Christus fuit plene subditus Patri, ita & clerici debent esse subditi Episcopis. Et ad Trallenses: *Necessarium est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil operari.* Et Hieron. ad Nep. *Subditus esto Pontifici tuo, & quasi animæ parentem eum suscipe.*

3. *Rat.* Actio, qua Sacerdotes promittunt Episcopo obedientiam, non est minus solemnis, quam actio, qua Religiosi promittunt obedientiam Superioribus suis; cum inter Missarum solemnia, & in actuali receptione Sacerdotii, interrogati ab Episcopo dicente: *Promittis Pontifici tuo reverentiam, & obedientiam,* respondeant: *Promitto.* Ergo si Religiosus teneatur obedire legitimo superiori in his, quæ spectant regulam; Sacerdotes tenentur obedire Episcopo in his, quæ pertinent ad statum Clericalem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clerici omnes Beneficiati, vel in Sacris constituti, tenentur exacte observare omnia statuta suæ Diœceseos.

Consect. 2. Clerici non possunt proprias Ecclesias deserere sine licentia Episcopi, & vocati ab Episcopo debent redire, ut docet Canon 15. Apostolorum. Si quis, inquit, Presbyter, vel Diaconus, aut de numero Clericorum quivis alius, suam Parœciam repudians, in alteram concesserit, & omnino demigrans, agat in altera Parœcia præter voluntatem proprii Episcopi; jam non amplius hunc mysteriis operari permittimus, ipsum maxime, suo si revocanti Episcopo, ut redeat, non obediverit, in sua inquietudine permanens; ut Laicus tamen ibi habitans communicet.

Consect. 3. Clerici non possunt sine licentia Episcopi e propria Diœcesi exire: ita jubet Concilium Laodic. *Quod non oporteat Ministrum Altaris, vel quemlibet Clericum præter jussionem sui proficisci Pontificis.* Can. 42. Ideo primis Ecclesiæ temporibus non licebat clericis ex sua Diœcesi exire, nisi prius

litteras formatas a suo Episcopo accepissent, ut habetur dist. 73. cap. 1. & 2. Ubi referuntur duo exemplaria *formatæ litteræ*, in quorum uno hæc leguntur: *Statutum est a Sanctis Patribus, neminem Clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inthronizari in sua Ecclesia, nisi habeat a proprio Episcopo Epistolam, quæ in Canonibus nominatur FORMATA.*

CAPUT V.

De obligatione status Clericalis, quatenus est Ministerium, quo Clericus Deo consecratus fidelium saluti procurandæ incumbit.

ARTICULUS I.

De Clericorum obligatione quoad verbi prædicationem, & Sacramentorum collationem.

PRop. *unica*. Quilibet clericus tenetur ex vi sui status juxta ministerii sui deputationem populorum saluti incumbere, Religionem docendo, & Sacramenta ministrando.

Prob. 1. Scriptura. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Matth. cap. 28. v. 19. Ergo Ministris Ecclesiæ duplex incumbit Officium, scilicet docere, & Sacramenta ministrare.

Ex Patribus. Et 1. Ex Hieron. in cap. 4. ad Eph. *Qui enim*, inquit, *Pastor est* (tunc autem omnis clericus addictus erat alicui Ecclesiæ ut Pastor, jam vero addicitur, ut cooperator) *esse debet & Magister. Nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen debet assumere: nisi possit docere quos pascit.* Ubi duplex Officium requirit in clerico, scilicet ut pascat Sacramentis, & ut instruat documentis.

2. Ex Amb. lib. 1. De Offic. ubi loquens generaliter de Officio Sacerdotum, hæc habet: *Jam effugere non possumus Officium docendi*, & pariter Sacra ministrandi, *quod nobis effugientibus imposuit Sacerdotii necessitudo*: Ergo si duplex illud munus incumbat his Sacerdotibus, qui inviti sunt ordinati; a fortiori his, qui sponte ad serviendum Ecclesiæ se obtulerunt. Et Aug. sic loquitur: *Quamvis assidue prædicemus, minus tamen reddimus quam debemus, dicente Scriptura: Clama, ne cesses:* non dicit: *post multos dies*, sed *ne cesses*.

3. *Rat.* Si Ecclesia est *castrorum acies ordinata*, Cant. 6. v. 3. non est sine ducibus, tribunis, & centurionibus, aliisque militiæ præfectis. Si est *Grex & Ovile*, Joan. 10. Pastores habet supremos, & subalternos. Si est *Navis*, adstant Nautæ, & gubernatores: si autem sunt, haud dubie clerici, qui dicuntur Ministri Ecclesiæ: Ergo debent populorum saluti ardenter insistere, docendo Religionem, & Sacramenta ministrando; quia in hac militia non aliter decertatur, quam per fidem, & gratiam; fidem autem ex auditu verbi divini concipimus, gratiam vero ex Sacramentorum fontibus haurimus. Hujus gregis oves non alio pabulo nutriuntur, quam verbo, & Sacramentis. Navis hæc inter scopulos & syrtes periculose navigat, nisi verbo dirigatur, & Sacramentis roboretur.

Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput Christus est, fideles vero membra; Ergo oportet esse in Ecclesia Ministros Christi, qui ministerialiter faciant quod Christus facit principaliter, & ita qui populum ducant, eique Sacramenta ministrent; ideo enim statuti in Ecclesia, juxta illud Pauli ad Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, &c.* Ergo clerici omnes debent huic operi, quisque juxta modum suum, insistere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnes clerici tenentur ex vi sui status, quilibet pro suo modulo, populos & verbo docere, & Sacramentis munire, uti fecerunt Christus & Apostoli; sunt enim lux mundi: Ergo debent populos docere; juxta illud Pauli ad Tim. 4. v. 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, attende tibi & doctrinæ, & insta in illis.* Sunt Pontifices aut Ministri Pontificum: ergo debent Sacramenta conferre, aut Sacramentorum collationi inservire: *Clericus est qui Christi servit Ecclesiæ*, inquit Hieronym. ad Nepotian. Et Trident. *Clerici non ad propria commoda, non ad divitias, aut ad luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* Sess. 25. c. 1. de reform.

Consect. 2. Clerici qui sunt in aliqua societate, cujus institutum est docere, & Sacramenta conferre, tenentur specialius ad illud officium; quia tenentur ad hoc primo ex vi clericatus, secundo ex vi instituti. Tales sunt Fratres Sancti Dominici, Sancti Francisci, Patres Societatis Jesu, Patres Oratorii, Doctrinæ Christianæ, Missionis &c. quia talis est illarum Societatum finis & institutio. Cuilibet ex illis clericis dictum est: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Ezech. 3. v. 17. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Isai. 58. v. 1.

Consect. 3. Clerici, qui nullum habent Beneficium Ecclesiasticum, sed ordinati sunt sub titulo patrimonii, non quidem ex justitia, sed ex vi suæ ordinationis, tenentur ad utrumque illud munus; quia Ecclesia non concessit Sacramentum Ordinis, nisi ea sub spe, quod tamquam auxiliares ministri fidelibus Sacramenta administrarent, & Verbum divinum annunciarent; ideo illis non minus, quam Beneficiatis dicit Episcopus: *Promittis mihi obedientiam?* ipsique respondent: *Promitto*: & certe si potiantur privilegiis clericorum, cur clericorum officiis non occupabuntur? Quotquot enim sumus Christi Sacerdotii participes, oportet pariter ut simus imitatores illius zeli, quo erga domum Dei, seu Ecclesiam comedebatur. Quorsum ad Christi exemplum non incipiemus *facere & docere*? Quorsum *pauperibus non evangelizabimus*? Quorsum non circumibimus villas & vicos, prædicantes Evangelium Regni? Quorsum demum *cum messis multa sit, & operarii pauci; non rogabimus Patremfamilias, ut mittat nos operarios in ejus vineam? Quid statimus tota die otiosi*? Cur Episcopos non rogabimus, ut committant nobis, non nobiles, non divites, sed pauperes & plebejos instruendos?

Consect.

Consect. 4. Clerici, qui habent Beneficium cui annexa est cura animarum, longe adhuc strictius ad hoc munus obligantur; quia ex eis hæc cura specialissime demandata est. *Nonne greges a Pastoribus pascuntur?* ait Ezech. cap. 34. vers. 2. *Quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festorum solemnitatibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem*; inquit Trid. Sess. 24. c. 7.

Consect. 5. Omnes clerici, cujuscumque sint status, qui in occasionibus opportunis non instruunt populos, nec eos, cum oportet, Sacramentis præmuniunt, divinam istam exprobrationem præmetuant: *Parvuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis.* Thren. 3. v. 4. Et istud; *Væ vobis, quia tulistis clavem scientiæ.* Luc. c. 52. Audiant illud Isidori sententiar. lib. 3. c. 46. *Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant.* Quos ita præmonet Prosper de vita contempl. lib. 1. c. 20. *Quid prodest non puniri suo, qui alieno puniendus est peccato?* Et If. *Væ mihi, quia tacui.* 6. v. 5. Et Ezech. *Si me dicente ad impium: impie morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* cap. 33. v. 8.

Prop. 2. Oportet in docendis populis, & in Sacramentis ministrandis eam methodum adhibere, qua Christus, & Apostoli usi sunt.

Prob. 1. Scriptura. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: 13. v. 15. Et Paulus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Ad Corint. 2. v. 1. Ergo in animarum cura oportet Christum & Apostolos imitari.

2. Ex Greg. *Ars artium regimen animarum.* Et ex Trid. sess. 6. cap. 1. *Onus est Angelicis humeris formidandum*: Ergo exigitur; ut qui eam artem exercet, aliquando sibi exemplar proponat; & proinde quod ea utatur methodo, quam Christus & Apostoli nobis verbo & exemplo tradiderunt.

3. *Rat.* Medicus, hoc ipso quod est Medicus, tenetur vel ex caritate, vel ex justitia medicinam juxta regulas artis exercere: nauta pariter navem juxta regulas artis dirigere: & dux milites juxta regulas militiæ exercere: ergo & clericus vel ex justitia, si sit pastor, vel ex caritate, si sit simplex clericus, tenetur fidelibus Laicis juxta regulas a Christo, & Apostolis præscriptas, tum Sacramentorum administratione, tum & verbi divini prædicatione providere; quod officium vel caritatis, vel justitiæ si omiserit, timeat illud Ezechiel. 34. v. 2. *Væ pastoribus Israel... Quod infirmum fuit, non consolidastis: quod ægrum non sanastis; quod confractum, non alligastis; quod abjectum est, non reduxistis... Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum erat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam; & pascam illas in judicio...*: ita tamen, ut ait Ezechiel, ut *sanguinem ejus peccatoris pereuntis de manu tua requiram.* 3. v. 20.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clerici, antequam instruant populos, eisve Sacramenta administrent, debent circa Religionem Christianam, & Sacramentorum administrationem instrui, ut rite monet Hieron. Epist. 4. ad Eusеb. *Si Clericatus*, inquit, *te titillat desiderium, discas, quod possis docere, & rationabilem Christo hostiam efferas, ne sis miles, antequam tyro, ne prius Magister, quam discipulus.*

Consect. 2. Clerici docentes debent prius facere, quam docere, ut dicit Lucas de Christo: *Cœpit Jesus facere, & docere.* Act. 1. vers. 1. Et Paulus instruens Titum: *In omnibus te ipsum præbe exemplum.* 2. v. 7.

Consect. 3. Clerici docentes debent se omnium captui accommodare; Christus enim rudioribus populis sermones suos attemperabat: *& sine parabolis non loquebatur eis*, inquit Evangelium. Paulus vero de se ait: *Omnibus omnia factus sum.* 1. ad Cor. cap. 9. v. 22. *Lac vobis potum dedi, non escam.* 1. Cor. 3. v. 2. Et Hieron. ad Lætam: *Balbutientis senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem mundi Babylonio periturum veneno, sed ancillam sponsam Christi erudiam Regnis cælestibus inserendam.*

Consect. 4. Clerici tum fidem docentes, tum sacra ministrantes debent omnem speciem lucri longe abjicere; nihil est enim, quod Deus magis in suis ministris horreat: loquens enim de futuro reprobatæ Synagogæ excidio, ait: *Principes ejus in muneribus judicabant; Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Propheta ejus in pecunia divinabant.* Mac. c. 3. v. 11.

Consect. 5. Clerici tum docentes fidem, tum Sacramenta ministrantes, nullum, quantumvis infimæ sortis, aut crassi ingenii, debent abjicere; nam Christus de se ait: *Pauperibus evangelizare misit me.* Luc. 4. v. 18. *Parvulos sinite venire ad me.* Matt. 19. 14. Et Paulus; *Sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Ad Rom. v. 14. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi.* Ad Philip. 1. v. 8. *Quis infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalizatur & ego non uror?* 2. ad Cor. c. 11. v. 29. *Ego libentissime impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. ad Cor. c. 12. v. 15.

Consect. 6. Clerici Sacra ministrantes, debent & dignos gratis ad Sacramenta admittere, juxta illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. v. 3. & indignos arcere, juxta illud Christi: *Nolite dare Sanctum canibus.* Matt. 7. v. 6. De quo late ubi de Sacramentis.

ARTICULUS II.

Quæ, & quanta sit Clericorum eminentia, ex eo, quod potestatem habeant instruendi fideles per prædicationem verbi, eosque nutriendi per Sacramentorum administrationem.

PRop. unica. Nullum est in Ecclesia officium sublimius, quam munus prædicandi verbum Dei, & auctoritas conferendi Sacramenta.

Prob. 1. Scriptura. Nulla est tanta potestas, quæ a Deo creaturis impertiri queat, quanta est potestas remittendi peccata: de qua ipsi Judæi, annuente Christo: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. 5. Atqui clerici verbum & Sacramenta administrantes, potestatem habent remittendi peccata: Ergo & dignitatem, qua major non potest concipi. Et

sicut

ficur Matrem esse Dei summa dignitas est, quæ in puram creaturam cadat; dignitas infinita etiam quodammodo est ea vis, qua clerici vel verbum prædicantes, vel Sacramenta ministrantes, Christum in mentibus fidelium procreant; sicuti Maria in alvo suo sanctissima prima omnium procreavit.

2. Ex Concilio Trid. sess. 7. can. 10. ubi sic habetur: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Quo decreto satis aperte indicat Concilium, munus prædicandi, & Sacramenta administrandi, officium esse non commune Laicis, sed solis clericis speciale, & quibuscumque dignitatibus Laicalibus longe sublimius.

3. Ex Patribus. Chrys. lib. 3. de Sacerd. cap. 5. ubi loquens de his, qui potestatem annuntiandi Evangelium & ministrandi Sacramenta acceperunt, hæc habet: *Potestatem*, inquit, *acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus*: non enim ad eos dictum est: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*. Et ante ipsum Gregorius Nazianz. dixit, quod Angeli *Sacerdotium* Evangelicum *veneratione prosequuntur*. Quibus verbis satis aperte ostenditur, quam sublimis & excelsa sit clericorum verbum & Sacramenta administrantium dignitas.

4. *Rat.* Prima ratio desumpta est ex excellentia Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum. Ecclesia est fidelium collectio, quæ Baptismo regeneratur, confirmatione roboratur, Eucharistia saginatur, pœnitentia a peccatis resurgit, Extrema-Unctione convalescit, matrimonio carnaliter multiplicatur, Ordine vero spiritualiter alii aliis præficiuntur: quia Sacramentum est id, a quo omnis justitia incipit, incepta augetur, & amissa reparatur; & demum ea est collectio fidelium, quæ verbo divino vivit, & nutritur: quippe, ut dicit Christus, non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: Atqui nihil potest concipi in mundo ea collectione sublimius, cum sit ipsamet Christi Ecclesia: Ergo nihil pariter potest excogitari excelsius, quam officium illud, quo clerici verbum divinum fidelibus prædicant, eisque Sacramenta ministrant.

Secunda ratio, in qua clerici Sacramenta & verbum administrantes, cum Christo comparantur. Christus est in Ecclesia supremus ille Pater & pastor, qui vitam dat, servat, & auget, qui incipit bonum opus, & perficit, operatur velle, & perficere, *Alpha est & Omega*: quæ omnia ex Scripturis manifestiora sunt, quam ut confirmari indigeant: atqui clerici verbum & Sacramenta ministrantes, non solum Christi Ministri sunt, sed etiam vivæ ejus imagines, cum per eos, & initium, & augmentum, & conservatio, & complementum gratiæ, seu vitæ spiritualis conferatur in Ecclesia; gignunt enim per Evangelii & Sacramentorum administrationem, dum per eam administrationem gratiam Dei, quæ vita est animæ, seu, ut loquitur Augustinus *vita vitarum*, & subministrant, & inserunt, eademque ratione alunt & pascunt, dum per idem verbum & Sacramenta eamdem gratiam fovent, & augent, quæ non solum vita, sed & pabulum verorum Christianorum est; per eadem enim alimur ex quibus sumus; & quamvis in natura non iidem semper alant & pascant qui genuerunt, secus in vita spirituali. Inde est, quod Paulus modo se patrem fidelium, modo nutricem nominat, modo eos genuisse, modo eis lac, modo solidum cibum præbuisse testatur.

Tertia ratio, in qua clerici verbum & Sacramenta ministrantes cum Patre æterno comparantur. Pater æternus est supremus ille parens, ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur, Deus Deum, lumen de lumine, æterna generatione, non extra se effundit, sed intra sinum suum germinat & fovet: Atqui eadem vis gignendi & pascendi fideles inest clericis, verbum & Sacramenta administrantibus; nam hoc discrimen est inter Ecclesiam, & humanas matres, quod hæ fœtus suos extra fundendo generant; Ecclesia vero intra se complectendo, & hoc ad honorem & venerationem generationis æternæ, qua Filius oritur a Patre; ut sit Unigenitus, qui est in sinu Patris: unde sit ut humanæ matres non foveant amplius, aut formare pergant intus in alvo proles suas jam genitas, ut fovebant antequam peperissent: Ecclesia vero proles suas perpetim in sinu suo conclusas ad instar æterni Patris fovet, auget, & perenni quadam generatione conformat, donec Christum in iis fidelibus penitus formaverit, & in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi perduxerit; ut denique in gremio Patris æterni, & Fratris, cohæredis Christi, unum cum Deo Spiritum, & vitam, & æternitatem ab ipso Patre hauriant, & sic generationem illam æternam & propius adorent, & vividius exprimant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Duo ex tam sublimi doctrina Consectaria educam. Primum quidem, ut clerici Hierarchiei etiam infimi, suam dignitatem agnoscant, qua sunt ipsis Angelis longe Ministerio suo superiores. *Agnoscant*, inquit Bonav. *Pontifices Christi, ac Sacerdotes, quod a Domino universæ terræ receperunt supremum dominium, & a diebus sæculi, non solum hominibus, imo & Angelicis spiritibus penitus inauditum*. De Eccles. Hierarch. p. 2. c. 1.

Alterum vero monitum, quod omnium clericorum mentibus infixum volo, istud est, quod sicut nullum est clericale ministerium vel Tonsuræ, vel minorum vel majorum Ordinum, quod specialem reverentiam non mereatur: ita etiam quod non specialem præexigat sanctitatem.

CAPUT VI.

An, & quomodo vota tum solemnia, tum simplicia paupertatis, castitatis, & obedientiæ possint conjungi cum Ministerio Ecclesiastico. Et quo pacto vivere debeant qui ligati hujusmodi votis exercent ministeria Ecclesiastica.

ARTICULUS I.

An vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ conjungi possint cum ministerio Ecclesiastico.

PRop. unica. Vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ cum ministerio Ecclesiastico componi possunt.

Prob. 1. Ex Jure Canonico. Can. ex auctoritate, cauf. 16.

cauf. 16. q. 1. ubi fic habetur: *Sacerdotibus, Monachis Apostolorum figuram tenentibus licet prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata solvere*: Ergo ligatis voto licet officia Ecclesiastica exercere.

2. Ex factis desumptis ex Scriptura, & historia Ecclesiastica. Apostoli juxta multos Patres tria prædicta vota elicuerant: servabant enim castitatem, paupertatem, & obedientiam: continentiam quidem abstinentes ab uxoribus: paupertatem vero nihil possidentes nisi in Communi: obedientiam demum utpote exacte morem gerentes Ecclesiastico Superiori: eodem modo vixerunt cum suo Clero Basilius, Gregorius Nazianz. atque Chrysostomus in Ecclesia græca: Martinus, Cyprianus, & Augustinus cum suis clericis in Ecclesia latina; & tamen hi omnes ministerium Ecclesiasticum exercuerunt: Ergo tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ cum statu clericali, & cum ministerio Ecclesiastico recte uniri possunt.

3. *Rat.* Vita activa, quæ ministerium Ecclesiasticum importat, potest uniri cum vita contemplativa, quæ adjunctam habet votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ observantiam: ergo Ministerium Ecclesiasticum non est incompossibile cum observatione votorum paupertatis, obedientiæ, & castitatis: Ideo cernimus in Ecclesia plures Congregationes tum regulares, tum sæculares, in quibus observantur tria prædicta vota, & quæ tamen utiliter Ministerio Ecclesiastico incumbunt. Tales sunt omnes Monachi Benedictini tam reformati quam non. Tales sunt omnes clerici Regulares. Tales sunt pariter clerici sæculares Missionis, & clerici Doctrinæ christianæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clerici regulares, & Monachi Regulares, Benedictini, &c. possunt Beneficia accipere, & retinere, sed ea solum quæ sui sunt Ordinis: ita jubet Trid. sess. 14. cap. 10. *Regularia*, inquit, *Beneficia in titulum Regularibus Professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa titulum obtinentia vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis ... conferantur.*

Consect. 2. Clerici sæculares Missionis, & Doctrinæ Christianæ, possunt Beneficia sæcularia, minime vero Regularia accipere, & retinere; cum enim per vota simplicia non fiant regulares, sed clerici sæculares permaneant, non possunt esse capaces nisi Beneficii sæcularis. Nec dici potest eos esse incapaces Beneficii etiam sæcularis; nam si votum solemne non reddat clericum Regularem incapacem Beneficii Regularis, pari ratione votum simplex non reddet clericum sæcularem incapacem Beneficii sæcularis. Inde est, quod plures Sacerdotes utriusque Congregationis, Missionis scilicet, & Doctrinæ Christianæ Beneficia sæcularia pacifice possident, & quidem merito: omnis quippe societas Ecclesiastica, si expresse Beneficiis non renuntiaverit, capax est Beneficiorum; qui enim Altari servit, de Altari potest & debet vivere. Ergo cum utraque hæc Congregatio Beneficiis non renuntiaverit, & aliunde sæcularis existat, Beneficia sæcularia & acceptare potest, & retinere. Quibus rationum momentis motus Senatus Tolosanus ann. 1709. solemni judicio pronunciavit, Clericos Doctrinæ Christianæ capaces esse qui Beneficia sæcularia & acciperent, & retinerent. Cum enim R. P. Videt ab Archiep. Tolosano nominatus esset ad Theologalem Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Felicis, & Raymundus Latcher & Henricus Masuer contra R. P. Videt litigantes contenderent, R. P. Videt, utpote Professum Congregationis Doctrinæ Christianæ, Beneficiorum esse incapacem; Suprema Curia clericos Doctrinæ Christianæ Beneficiorum capaces judicavit, & prædictos Latcher & Masuer litis expensas solvere jussit.

Consect. 3. Licet clerici regulares votis solemnibus ligati, sint capaces Beneficii regularis, & clerici sæculares votis simplicibus ligati sint capaces Beneficii sæcularis; neutri tamen possunt licite Beneficium collatum acceptare, vel retinere absque licentia superiorum vel expressa, vel præsumpta; id enim exigit obedientiæ votum, quo se societati, cujus sunt membra, obstrinxerunt: etenim qui votum obedientiæ elicuit, nullum vel officium, vel munus, vel Beneficium acceptare potest absque superioris licentia, cum nullum sit tempus in quo superior auctoritatem non habeat præscribendi inferiori suo aliquid, quod forte nullatenus cum Beneficio acceptato conjungi possit: ideo Concilium Ratisponense c. 12. vetat, ne Beneficia conferantur Religionem Professis, saltem sine superiorum licentia. *Statuimus*, inquit, *& cavemus ne cura Ecclesiarum, Beneficiorumque concedatur Religionem quamcumque professis, etiam exemptis. Quod si hactenus aliqui admissi, vel recepti essent, nisi de voluntate, favoreque Superioris sui, legitimisque de causis constiterit extra sua Monasteria degere, nequaquam sibi integrum fore putent, quando illos hic vagos per Ordinarios, vel Vicarios ad Superiores suos per victus denegationem, aut alia juris remedia remittendos esse jubemus.* His fundamentis innixi Patres Congregationis Doctrinæ Christianæ, accepta ab Innocentio an. 1647. potestate condendi Constitutiones, sapienter præscripserunt, ne quis Clericus, aut Sacerdos ejusdem Congregationis Beneficia sæcularia acceptaret sine superiorum consensu. Et Alexander VII. anno 1649. declaravit: *Quod si aliquis hujusmodi votis, & juramento, ut præfatur, emissis sine dispensatione & relaxatione prævia recesserit a Congregatione* (quod utique fit quando sine licentia retinetur Beneficium personalem residentiam extra domos nostras requirens) is, inquam, *eo ipso remaneat suspensus, donec hujusmodi dispensationem & relaxationem obtinuerit*: & juxta regulas statutas ubi de censuris, si suspensus celebret, erit irregularis.

ARTICULUS II.

Quo pacto vivere debeant clerici sæculares vel regulares, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum susceperunt.

PRop. un. Clericus tum sæcularis, tum regularis ligatus prædictis votis, qui Beneficium Ecclesiasticum suscepit, debet isthæc omnia exacte observare. 1. Quæ pertinent ad statum clericalem. 2. Quæ

2. Quæ pertinent ad statum suæ Congregationis.
3. Quæ spectant ad statum Beneficiarii.

Prob. 1. Ex jure Can. caus. 16. q. 1. c. 3. ubi sic habetur: *De Monachis, qui diu morantes in Monasteriis, si post ad clericatus Ordinem pervenerint, statuimus non debere eos a priori proposito discedere.* Quæ verba sic exponit glossa ibidem: Non debent discedere, *quantum ad ea quæ sunt de substantia Monachatus, ut de habitu servando, & continentia, & de non habendo propria; in his enim non absolvitur, licet transeat ad Ecclesiam sæcularem, sed in jejunio, silentio, & vigiliis absolvitur.* Et Concilium Ratisponense c. 13. vult, *Quod Ecclesiæ Monasteriis unitæ, usque adeo propinquæ sint, quod Religiosi earumdem curam habituri sub Religione in Monasterio, sub debitaque obedientia stare possint.*

2. *Rat.* Qui ad triplicem statum pertinet, debet singula triplicis illius statûs officia observare; quia nemo dispensari potest ab iis quæ sunt de ipsius officio: atqui prædictus clericus ligatus voto Beneficium Ecclesiasticum suscipiens, ad triplicem statum pertinet, scilicet clericalem, Religiosum aut quasi Religiosum, & Beneficiarium: ergo tenetur observare ea omnia officia, quæ pertinent ad statum clericalem, Religiosum aut quasi Religiosum, & Beneficiarium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Ad quid teneatur in genere prædictus clericus.* Tenetur ad ea omnia, quæ supra diximus de clericis, de Religiosis, & de Beneficiariis. De hujusmodi clericis potiusquam de Monachis loquitur Aug. lib. de moribus Ecclesiæ c. 31. *Quis*, inquit, *non illos miretur, qui contemptis mundi illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt viventes in orationibus, & lectionibus?* In orationibus quidem, ut se ipsos spiritualiter nutriant; lectionibus vero, ut alios Religionem doceant. De eisdem clericis ita Gregorius Nazianz. oratione prima: *Nihil tam optandum* videtur, clerico scilicet (clericos enim alloquitur qualis erat Gregorius) *nihil*, inquam, *tam optandum, quam ut exclusis sensibus, atque extra carnem, mundumque positus, & in se ipso collectus, nec nisi quantum necessitas exigit quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse & cum Deo colloquens superiorem rebus visibilibus vitam agat.*

Consect. 2. *Ad quæ teneatur prædictus clericus ratione voti castitatis.* Cum talis clericus extra communitatem degens multo pluribus exponatur tentationibus, quam si inter fratres vitam communem ageret, ideo debet esse longe cautior in præcavendis iis omnibus, quæ castitatem possent labefactare, & in iis observandis, quæ castitatem illæsam possunt conservare. Vide quæ supra diximus de castitate.

Consect. 3. *Ad quid teneatur prædictus clericus ratione voti obedientiæ.* Cum talis clericus obedientiam secundum regulam voverit, ex vi voti emissi debet singula suæ regulæ præscripta, quantum in ipso est, fideliter exequi, & ad omnia Superioris mandata, quæ cum Beneficii occupationibus componi possunt, paratus esse. Sic v. g. non eximitur, inquit glossa, ab abstinentia a carnibus; quando regula jubet talem abstinentiam; *Quia canon tantum infirmitatis causam excipit;* deinde, quia utens carnibus, a quibus fratres ejus abstinent, esset aliis scandalo. Quod glossa dicit de carnium abstinentia, ad alias observantias, transferri potest.

Consect. 4. *Ad quid teneatur prædictus clericus ratione voti paupertatis.* Cum talis clericus paupertatem voverit, & proprium habere non possit, nihil potest tamquam suum retinere, ut dicit glossa. Itaque una cum suo Superiore, quem hac in parte potest & debet consulere, seorsim seponat quæ necessaria sunt ad congruam sui sustentationem, ad decentem Ecclesiæ ornatum, ad providum indigentium levamen, & ea omnia, quæ supersunt, Superiori exhibeat, ut juxta Canonicas Sanctiones piis usibus insumantur. Juxta breve Apostol. Clementis VIII. ea bona apud nos in area communi recondi debent; sic enim loquitur Summus Pontifex: *Quæstus vero ex Laicorum prædictorum labore & industria provenientes, cum ceteris redditibus ex clericorum eorumdem Beneficiis Ecclesiasticis, ac patrimoniis, si quæ habeant, provenientibus, in area communi reponantur, ut exinde habeant quo sustentari possint.*

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Statu Laicali.

PROOEMIUM.

Status Laicalis diversas complectitur hominum conditiones: alii sunt, qui præsunt, ut Magistratus: alii, qui subsunt, ut cives: alii, qui judicant, ut judices: alii, qui judicantur, ut litigantes: alii, qui incumbunt artibus liberalibus, quales sunt ii, qui tradendis scientiis publice præficiuntur, aut in earum exercitio occupantur: alii, qui artibus mechanicis desudant, ut agricolæ, & generatim omnes artifices: alii, qui suis redditibus vivunt: alii demum, qui labore suo vitam suam degunt. De quibus omnibus sigillatim agendum.

CAPUT I.

De iis, qui civiliter præsunt, seu Magistratibus, & Magnatibus: & de iis qui civiliter subsunt, seu civibus, & plebejis.

ARTICULUS I.

De Magnatum & Magistratuum officiis.

Sicut in statu Laicali post dignitatem Regiam, nihil est aut Magnatibus, aut Magistratibus sublimius; ita quoque nihil est ea conditione periculosius ob innumera, quæ tum Magnatibus, tum Magistratibus incumbunt officia: debent enim Deo timorem, Ecclesiæ reverentiam, Regi fidelitatem, providam plebejis omnibus dilectionem, sibi vero continuam in dignoscendis & exequendis tot muneribus vigilantiam: quæ munia omnia nos sequentibus propositionibus explicabimus.

Prop. 1. Quicumque in aliqua dignitate civili constituti sunt præ aliis Laicis, debent Deo timorem aliquem specialem.

Prob. 1. Scriptura. Deus ubique a Magnatibus specialem exigit reverentiam; sed præcipue Sap. c. 7.

c. 7. *Audite ergo Reges*, inquit, *& intelligite, discite judices finium terræ ... Horrende & cito apparebit vobis; quoniam durissimum judicium his, qui præsunt, fiet ... Potentes autem potenter tormenta patientur*: Ergo Magnates specialem Deo debent timorem & reverentiam.

2. Ex Ferrando Diacono Ecclesiæ Carthaginensis, dirigens Epistolam ad Reginum Comitem, ubi sigillatim describit Magnatum Magistratuumque officia, & primo quidem erga Deum his verbis: *Omnem Deo gloriam*, inquit, *tribue; hoc quippe intelligens a Domino tibi populos subjici, voluntatem Domini procul dubio facere procurabis*. Primum ergo Magnatum Magistratuumque officium est Deum reverenti timore venerari.

3. *Rat.* Quanto quis sublimior est, tanto magis debet coram Deo sese humiliare: juxta illud Scripturæ, Eccles. cap. 3. v. 20. *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Magnates & Magistratus debent specialem timorem erga Deum. 1. Corde fovere. 2. Ore eloqui. 3. Factis suis coram omnibus palam facere; ea enim est pii timoris erga Deum natura, ut in corde foveatur, verbis se prodat, factis vero coram omnibus pateat.

Sic peccant Magnates & Magistratus, qui dignitate sua nimium elati, Deum superiorem omnibus rebus interius, ut par est, non venerantur: cujus superbiæ punitionem cunctis Magistratibus & Magnatibus tremendam suppeditat inopinus Holoferni interitus; hic enim non alio quam feminæ gladio interiit, ut agnoscant Magnates sexum ipsum femineum ad debellandos superbos esse potentissimum.

Sic peccant Magnates & Magistratus, quoties verbis suis Dei, cui omnes subesse debent, timorem minuunt, & de ejus excellentia, ut par est, non loquuntur; cujus superbiæ punitionem habet in stupenda totius exercitus Sennacherib delectione.

Sic peccant Magistratus & Magnates, quoties factis suis impediunt timorem, quem decet nos omnes erga Deum habere. Hujus superbiæ punitionem habes in illis Satrapis, qui in derisum Religionis voluerunt Danielem detrudi in lacum leonum, a quo Daniel liberatus est, ipsi vero jussu Regis in eumdem lacum missi sunt, & a leonibus statim devorati.

Consect. 2. Debent Magistratus & Magnates humilem erga Deum timorem cunctis, qui eis sub sunt, inspirare, quantum in ipsis fuerit: non enim sufficit, ut Deum Magnates timeant, nisi & aliis, quibus præsunt, erga Deum timorem inspirent.

Sic peccant, si negligant Dei timorem inspirare, 1. Servis, qui eis in rebus domesticis ministrant. 2. Militibus, qui eos jussu Regis tuentur. 3. Judicibus inferioribus, qui causas plebis examinant; demum cuncto populo, qui eis subest: *Qui enim suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*.

Sic peccant Magistratus & Magnates, qui licet nihil ipsi per se extorqueant; tamen, ne famuli, qui sibi subsunt, exactores sint, non impediunt. *Quid enim*, inquit Ferrandus ibid. *miseros juvat, si Dux exhibeat continentiam boni Ducis, & alius sub potestate illius occasionem faciat avaritiæ satiandæ? Deinde, quomodo corripiat extraneos, nisi primitus correxerit suos? Caveat ergo, & diligenter caveat, ne quis hominum suorum miseris noceat; non potest sapiens Dux excusari de ignorantia, quoties dixit forsitan: ego nescio, non audivi, nullius ad me querela pervenit; per ipsum namque, quid a suis agatur, oportet inquiri; quia nemo audet eos publicis interpellationibus accusare*.

Sic peccant Magistratus & Magnates, quoties milites, quos ad eorum tutelam habent, duriores esse erga plebem permittunt: *Nullatenus*, inquit idem Ferrandus ibid. *remanere impunita militum peccata dimittat; etenim*, inquit Cassiod. l. 9. ep. 64. *qui emendare potest, & negligit; participem se procul dubio delicti constituit*. Item peccant, quoties eosdem milites sine expressa Regis jussione, aut in Regno, aut extra Regnum grassari sinunt; sunt enim tunc Magnates & Magistratus rapinæ infandæ ad restitutionem obligantis cooperatores, cum eam non impediant quando possunt, & quando debent: quos ita alloquitur Aug. l. 4. de civ. c. 4. *Quia id ego exigno navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator*. Item peccant Magistratus & Magnates, quoties militum aut transeuntium, aut hibernantium non cohibent ferociam, & damna, si quæ contulerint, reparanda non curant: cujus obligationis exemplum refert Cassiodorus lib. 2. Ep. 8. in qua Theodoricus Severo Episcopo sic scribit: *Significamus nos Sanctitati vestræ mille quingentos solidos destinasse, quos Provincialibus, prout quemque præsenti anno exercitus noster transeunte dispendium pertulisse cognoverit, habita læsionis æstimatione distribuat*.

Sic peccant Magnates & Magistratus, quoties permittunt, ut judices sibi subditi munus judicandi languide obeant. Item peccant, quoties populis istud Pauli non inculcant; *Deum timete: Regem honorificate*.

Prop. 2. Quicumque in alia dignitate constituti sunt, quales sunt Magnates & Magistratus, debent post timorem erga Deum, cujus sunt creaturæ, maximam reverentiam erga Ecclesiam, cujus sunt membra.

Prob. 1. Script. Isaias futuram Ecclesiæ auctoritatem præsagiens, sic habet, c. 49. v. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent, & scient quia ego Dominus*. Præcipuum Regum, & proinde Magnatum officium, & Magistratuum munus, est officiosa erga Ecclesiam reverentia.

2. Ex Leone Ep. 33. *Res humanæ*, inquit, *aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendant auctoritas*: Ergo Magnates, si quam habent a Regibus auctoritatem, eam debent in Ecclesiæ utilitatem & defensionem insumere.

3. *Rat.* Magnates & Magistratus sunt Regis Ministri, sunt Ecclesiæ filii: ergo Regum, quorum sunt Ministri, jura tueantur; & Ecclesiæ, cujus sunt filii, statuta & servent, & servari procurent.

Con-

Digitized by Google

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant Magnates & Magistratus, cum ardentiori zelo, quam plebeji, dogmatibus fidei non acquiescunt, decretis morum non subsunt, statuta Ecclesiasticæ disciplinæ non venerantur; de quo idem Ferrandus ibid. *Ut Dux bonus, in omnibus quidem, si pio sapis, Ecclesiam consulas; si quando aliquis scrupulus mentem movet, non sequaris facile sententiam propriam, nec aliis persuadere coneris, nisi prius eam Sacerdotibus agnoveris placuisse: consule autem Sacerdotes pie quærenda, non violenter quid respondeant imperando: nec tibi umquam placeat in Provinciis, in quibus Ducatum geris, canonum decreta rescindere, si enim publicas leges transgredi metuis, quas Rome constituit; quomodo Spiritus Sancti definitionibus obviare tentabis?*

Consect. 2. Peccant Magnates, & quidem gravius, quam plebeji, si vel corde, vel verbo, vel opere veracitatem Ecclesiæ infirment, sanctitatem ejus rideant, & disciplinam ejus aspernentur. Si enim nefas est plebeju cuilibet canones fidei, decretorum, & regulas disciplinæ non venerari; crimen illud longe gravius in Magistratu & Magnate, cujus rebellio contra Ecclesiam tanto periculosior, quanto dignitas est sublimior: de quo ita Ferrandus eumdem Ducem alloquens: *Humanis divina prepone: Ecclesia catholica statio est, ubi vulnera nostra bonus medicus sanat: filius promissionis est quisquis eam ad effusionem sanguinis vindicat. Propterea Dux optime & fidelis tene omnia dogmata ejus sive circa fidem, sive circa mores, sive circa disciplinam, prædica, vindica: tene scilicet corde, prædica verbo, vindica auctoritate & exemplo*, & indicans modum, quo suscipi debeant a Magnatibus Ecclesiæ decreta, sic persequitur. *Adsit bonis Ducibus pia cordis humilitas: quoties requirunt veritatem, secularis dignitatis removeant potestatem, nec temere audeat, quamvis Dux, tamen Ecclesiæ discipulus, Ecclesiam docere, nec judicia sequi Sacerdotum, sed velle potius de Sacerdotalibus judicare judiciis.*

Consect. 3. Peccant Magistratus & Magnates, si ab his, quibus præsunt, non exigant debitum erga Matrem Ecclesiam honorem: v. g. si fideles baptizatos non cogant ad obedientiam, si infideles & non baptizatos non attrahant ad fidem, si baptizatorum non puniant rebellionem, si paganorum insultus non reprimant.

Quomodo enim baptizati Ecclesiæ obedire debeant, ita explicant Ferrandus alloquens Reginum Comitem: *Omnis*, inquit, *qui se ad Ecclesiam pertinere gloriatur, legibus vivat Ecclesiæ, maxime his, quas antiquitas roboravit; unde etiam consuetudo sine lege, quam tamen Ecclesiæ sancta traditio custodiendam jugiter posteris tradidit, eadem reverentia videtur custodienda, nullatenus amovenda, si non est fidei vere contraria. Non offendat animam tuam Ecclesiarum diversa consuetudo, dum fides est una. Tu vir sapiens Ecclesiæ, ad quam perveneris, si approbes finem, sequere statim consuetudinem, nec usurpet aliquam sacri ritus facere novitatem.*

Quomodo vero Magnates & Magistratus ad Ecclesiam infideles attrahere possint, sic explicat idem Ferrandus ibid. *Dux ad eam, id est Ecclesiam, volentes, compelle nolentes, non dolore suppliciorum, non metu gladii sævientis, sed modesta correptione, & severitate plena dilectionis. Procul absit timor diaboli militant: sciant Hæretici, quia Catholicus es, sciant catholici, quia detestaris Hæreticos. Deficiant temporibus administrationis tuæ Synagoge peccantium, crescat numerus electorum: si gloriosus efficitur, cujus labore dilatantur fines imperii; quanto erit gloriosior, cujus labore catholica multiplicatur Ecclesia? Gaude ad lucra Christi, dole in dispendiis.*

Consect. 4. Peccant Magistratus & Magnates, si quoties Ecclesiæ utilitas exigit, non præeligunt a dignitate sua excidere, potius quam sinant Ecclesiæ jura vel tantisper violari. Cujus intrepidi zeli exemplum habent in Moyse, qui maluit affligi cum populo Dei quam in palatio Pharaonis temporalem accipere jucunditatem. Habent & alia exempla tum clericorum, tum Laicorum, qui non modo exilia, sed etiam mortem passi sunt, potius quam permitterent vel Ecclesiæ jura amitti, vel ejus leges pessumdari: de hoc ita Ferrandus ibid. eumdem Comitem alloquens: *Ipsis quorum munere dux effectus es Regibus, si quæ forte contraria veræ Fidei senserint, & non obedire poteris, & repugnare paratus ad Martyrium.*

Prop. 4. Magnates debent omni tempore tum belli, tum pacis in speciali erga Reges fidelitate una cum suis vassallis persistere.

Prob. 1. Scrips. Omnibus, sed specialiter Magnatibus, dictum est: *Deum timete Regem honorificate.* 1. Pet. 2. v. 17. Ergo cum honor erga Regem, fidelitatem erga ipsum adjunctam habeat, debent omnes, sed præcipue Magnates, in indefectibili erga Regem fidelitate persistere.

2. Ex Ferrando. Dux talis debet esse, ut *sive vigilando contra insidias adversariorum, sive sciendo, qui soleant eventus rebus singulis deputari*, probe norit, *unde oriantur seditiones, unde bella nascantur, unde difficultas severitatis, ut hæc omnia in suis amputata radicibus iter sapientissimo Duci quietissimæ dispositionis aperiant*: Ergo Magnates debent omni tempore tum belli, tum pacis, in indefectibili erga Regem fidelitate persistere.

3. *Rat.* Magnates constituti sunt a Deo infra Regem, & supra populum; infra Regem, ut ei subsint; supra populum, ut eum contineant; ergo debent & se, & vassallos suos in indefectibili erga Regem fidelitate continere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Præcipuum, immo forte unicum Magnatum erga Regem officium est, ut certo sciant, & vassallis suis sæpius inculcent, quod omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debeat: *Quoniam data est a Domino potestas, & virtus ab Altissimo.* Sap. 7. v. 40. & quod ea sit Magnatum vassallis imperantium conditio, ut concessa sibi auctoritate non aliter uti valeant, quam ut divinam virtutem a Deo in Reges, & a Regibus in Duces diffusam venerandam reddant, & ad Deum referant, juxta illud Petri 1. 2. v. 13. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.*

Con-

Digitized by Google

Confect. 2. Magnates una cum vassallis tempore belli debent 1. Toto corde Regis partibus adhaerescere: uti fecie sanior pars populi Judaici, cum Absalon rebellaeet contra David; juxta illud: *Di- xeruntque servi Regis ad eum: omnia quaecumque praeceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur servi tui.* 2. Reg. c. 15. v. 15. 2. Debent, quantum possunt, hostium consilia, eorumque vires infringere: uti fecit Chusai, qui prudenter consilium Achitophel Davidi maxime noxium dissipavit, & quid agendum esset, tutis & secretis nunciis eidem Davidi manifestandum curavit.

Prop. 5. Magnates debent plebejis omnibus providam & beneficam dilectionem, & si quam forte habeant apud Reges auctoritatem, eam omnem in populorum utilitatem debent insumere.

Prob. 1. Scriptura. Quotquot apud sacros historicos perhibentur Magnates viri, qui aliqua apud Reges auctoritate valuerunt, ii omnes ea auctoritate usi sunt, non quidem in sui commodum, sed in utilitatem populorum. Sic Esdras bono Regis Artaxerxis animo usus est, ut captivum populum in Judaeam revocaret. Esdr. 1. Sic Nehemias Artaxerxis Pincerna ab eodem obtinuit, ut dirutam Jerusalem aedificaret. Esdr. 2. c. 1. Sic Tobias gratus Regi Salmanasar confratres captivos consolatur. Tob. 1. Sic Esther Regis Assueri etiam jux facta, ab omni Hebraeorum gente praeparatam ab impio Aman generalem internecionem avertit. Esth. 8. Ergo Magnates, si quam habent apud Reges auctoritatem; eam non in sui commodum, sed in populorum utilitatem provide debent insumere.

2. Auctoritate simul & exemplo Gregorii, qui de se loquens, fatetur se numquam Imperatoribus scripsisse, nisi ut eos ad tuendam justitiam incitaret, ita enim habet lib. 8. Epist. 51. *Debet*, inquit, *gloria vestra meminisse, quia numquam Epistolas meas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram favente justitia praestaretis.*

3. *Rat.* Omne bonum in se recuevum, inquit D. Th. est male ordinatum; adeo dicit Dionysius, quod bonum non in se sistat, sed quod extra seipsum quasi diffundatur: ergo si quam habent Magnates auctoritatem, non eam debent in seipsos reflectere, ut ditiores fiant, aut potentiores evadant; sed eam debent extra se quasi diffundere, ut populi & fiant ditiores, & tranquilliores vivant.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Quando Respublica tranquilla pace fruitur, Magnates a Rege, quantum poterunt, longe arceant pestiferos illos adulatores, qui Principi bellandi animum inspirant, certi, nihil esse quod Regnis interitum promptius attrahat, quam bellum injuste susceptum. Sic bellis perperam susceptis periere omnino quatuor supremae totius Orbis Monarchiae. Prima quippe Monarchia, Babylonica scilicet, injustis bellis, ferox ad instar LEONIS, inquit Daniel, destructa est a Persis. Secunda Monarchia, scilicet Persarum, non minus crudelis quam URSUS, inquit Daniel, a Graecis subacta est. Tertia Monarchia, Graecorum scilicet, PARDO similis, bellandi semper impatiens, a Romanis finem accepit. Sed quarta Monarchia, nimirum Romana, terribilis nimis, dentes ferreos habens, cunctis populis bella indicens, tandem ipsa periit; & Regnum pacificum Christi ex quatuor Monarchiis destructis exurgens usque nunc perseverat, & in aeternum perseverabit: nihil enim est quod citius Regnorum, populorumque perniciem moliatur quam bellum. *Quemadmodum enim*, inquit Chrys. *certantibus ventis mare concutitur; sic Regibus sibi adversantibus populus Regni vexatur.* Unde Seneca scribens ad Neronem, munimentum Regis non in armis, sed in amore populi collocat. *Inexpugnabile*, inquit, *munimentum amor populi: quid pulchrius quam vivere optantibus cunctis?*

Consect. 2. Quando statuta semel est Respublica, suis legibus munita, debitisque tributis stabilita, Magnates a Rege amoveant pestiferos adulatores, qui nova semper Regibus vectigalia suggerunt, ostendantque nihil esse, quod citius Regnorum perniciem moliatur, quam novorum vectigalium impositio. Quod vel ex eo solum patet, quod Regnum Judaicum ab ipso Deo stabilitum, ob insolita vectigalia imposita, & in duas partes infeliciter discissum sit, & tandem discissum penitus interierit. De quibus pestiferis adulatoribus ita scribit Ferrandus Reg. 4. *Ut potestas*, inquit, *detur opprimere pauperes, impossibilia pollicentur.... Ideo cupiunt emere graves actiones, quia cogitant vendere; promittunt falsa, ut vera subripiant; blandiuntur ut noceant; piamque quasi sollicitudinem pro utilitatibus publicis gerunt, affligere simul omnia & deteriorare moliuntur. Evertere cupiunt, non gubernare; dissipare, non custodire; devorare, non pascere; materiam seditionibus, incrementa miseriis, causam fletibus subministrant.*

Prop. 5. Tot tantaque sunt, & quidem passim sibi occurrentia Magnatum hominum officia, ut vix sine summa vigilantia attentaque cautione circumspici valeant.

Prob. 1. Script. & quidem Ps. 2. ubi sic habetur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram... Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus, & pereatis de via justa*: quibus verbis satis indicatur juxta Scripturam necessarium omnino esse, ut Reges, & Magnates homines instruantur suo potius studio, quam aliorum documento, sibique maxime invigilent.

2. Ex factis ex Scriptura desumptis. Quando Deus plebem alloquitur, eam ad Sacerdotes mittit, ut ab eis legem accipiat: *Venies*, inquit, *ad Sacerdotes Levitici generis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Deut. 17. v. 9. aequum enim est, ut qui nequeunt seipsos instruere, a Sacerdotibus doceantur. At vero ubi Reges & Magnates alloquitur, non eos mittit ad Sacerdotes, ut ab eis instruantur, sed ad legem, ut eam meditentur; non quod eos a Sacerdotum subducat magisterio, sed quod velit eos & proprio labore, & proprio studio erudiri. *Postquam*, inquit Script. *sederit Rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticae Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum, & custodire verba, & caeremonias ejus quae in lege scripta sunt.* Deut. 17. v. 18. Et Josue alloquens haec habet: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*: ergo Reges & Magnates debent sibi

 omni-

continuam attentamque vigilantiam, ut sua officia possint, ut par est, circumspicere.

3. *Rat.* Vigilantia, seu attenta circa seipsum circumspectio, & attenta mandatorum, quibus urgemur, consideratio, singulis Christianis necessaria est quidem propter tria. Primo quia Deus ita praecipit juxta illud: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Marc. 13. v. 37. 2. Quia id exigit diaboli adversarii nostri malitia. 3. Quia idem postulat nostrae carnis infirmitas juxta illud: *Vigilate; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. 26. v. 41. sed vigilantia, quae cunctis Christianis quasi necessaria praecipitur, Regibus & Magnatibus longe strictiori lege imperatur, ob infinita, quae eos avertunt a Divinae legis consideratione, impedimenta: Ergo continua vigilantia, & perpetua consideratio Regibus & Magnatibus est necessaria, ut obvia semper habeant varia, quibus ligantur, officia.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Ea debet esse cunctis Magnatibus impressa convictio, scilicet in negotio salutis nullam esse conditionem periculosiorem, quam sit virorum Magnatum status: in eo siquidem extinguitur fides, vacillat spes, languet caritas, pervertitur Religio; fides enim *prudentiam prudentium reprobat.* Magnates vero eam prudentiam saeculi magni faciunt; ideo dicit Paulus 1. ad Cor. 3. v. 26. *Videte enim vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Spes Christiana in solo Deo innititur. Magnates vero sperant *in incerto divitiarum. Substantia* enim *cujuslibet divitis urbs fortitudinis ejus est.* Prov. 10. v. 15. idest dives in suis divitiis quasi in arce munitissima conquiescit. Caritas christiana non *quaerit quae sua sunt.* Magnates vero omnia sibi debita, & quasi vectigalia arbitrantur. Religio christiana Deum adorat, humilitatem amat, ambitionem fugit; Magnates vero divitias, honores, saeculi voluptates pro diis habent, nec aliis vulgo numinibus sacra faciunt.

Consect. 2. Ea debet esse cunctis Magistratibus semper praesens & continuo obversans convictio, quo quantumvis sibi sublimes appareant, jure naturali sunt ceteris quibuscumque hominibus similes in natura; jure vero positivo sunt aliquibus tantum superiores conditione; & jure Divino quibuscumque aliis hominibus longe severius judicandi.

Magnates similes sunt cunctis hominibus in natura; juxta illud Sap. 7. v. 1. *Sum quidem ego mortalis homo, similis omnibus & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium; unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & simul exitus.* Invariabili ergo jure naturae Reges & subditi, Principes, & vassalli, Magnates & plebeii, idem omnino sunt & quoad corpus, & quoad animam; & ille solus superior, qui corpus menti, & mentem Deo subjicit: ille vere Rex, qui sibi vere dominatur; e contra ille vere servus est, qui pravis cupiditatibus obsequitur. *Rectus ergo ille homo est ubi spiritus imperat, caro servit*, inquit August.

Magnates sunt tantum aliquibus superiores conditione, *servitus enim*, & aliae conditionis differentiae; *a jure gentium originem sumpsit.* Inst. lib. 1. tit. 1. Jure ergo positivo infinitis casibus variabili Reges regnant, subditi serviunt, Principes praesunt, vassalli subsunt.

Magnates eminent, plebeii latent; sed quanto tempore? saepius ante mortem ille ordo pervertitur: saltem invariabili lege mors aequat omnes homines, Regem cum subditis, Principes cum vassallis, Magnates cum plebeiis, divites cum pauperibus in uno terrae sinu confundit.

Magnates sunt apud Deum judicem districtius puniendi juxta illud: *Quoniam judicium durissimum his, qui praesunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 6.

Consect. 3. Ea debet esse praesens & continuo obversans Magnatibus convictio, scilicet eam, quam acceperunt, conditionis sublimitatem, bonum quidem esse, sed ipsis Magnatibus onerosum, plebeiis vero solis utile, & fructuosum. Conditionis sublimitas ipsis Magnatibus vel ex eo onerosa censenda est, quod peccata singula ab ipsis commissa, quae in plebejo essent unica, in ipsis Magnatibus fiunt juxta numerum vassallorum, aut aliorum scandalom patientium multiplicia: ut satis aperte indicant haec verba Sapientis Eccl. 7. 2. 7. *Non pecces in multitudine civitatis, neque te immittas in populum.* Eadem vero Magnatum Dignitas non Magnatibus ipsis, sed aliis debet esse utilitati: quippe sicuti Rex, non sibi est Rex, sed subditis; ita Magnates non sibi prodesse debent, sed plebeiis: unde si quid ab aliis exigant, quod in propriam utilitatem convertatur, furtum est, rapina est.

ARTICULUS II.

De his, qui aliis subsunt, ut plebeii.

PRop. 1. Qui sunt in statu subjectionis, quales sunt omnes subditi erga Reges, omne vassalli erga Principes, & demum omnes plebeii, debent humiliter in eo statu persistere, & conditionem Magnatum timere, potius quam desiderare.

Prob. 1. Scriptura. *Noli quaerere a Domino Ducatum, neque a Rege cathedram honoris:* Eccl. 7. v. 4. Ergo qui est in statu humili, debet in eo lubens permanere. Et Paulus scribens ad Cor. ita eos ab omni praelationis pompa dehortatur, & ad subjectionem suaviter invitat. *Unusquisque*, inquit, *in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* 1. cap. 7. vers. 24. & v. 20. ejusdem capitis ait: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis utere.*

2. Ex Ambrosio in suo Pastorali. *Magna*, inquit, *sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis debet sollicitudine circumvallari. Cui plus creditur, plus ab eo exigitur, sicut scriptum est, scienti legem & non facienti, peccatum est grande; & servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum.* Ergo qui est in infima conditione, multo felicior, quam qui est in sublimi dignitate constitutus.

3. *Rat.* Ille status est amandus, in quo salus est facilis; e contra vero ille status est pertimescendus,

Digitized by Google

dus, in quo salus est difficilis, ut patet: atqui status subjectionis talis est, ut in eo salus sit facilis propter pauciora impedimenta, quæ cum eo conjunguntur; status vero prælationis est hujusmodi, ut in eo salus sit difficillima propter innumera impedimenta quæ adjuncta habet: ergo status subjectionis est amandus; status vero prælationis pertimescendus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hi, quibus prædicatio verbi & administratio Sacramentorum incumbunt, toti debent esse in inspirando populis amorem erga subjectionem, timorem vero erga prælationem: quod utique facient, si ostenderint Christum haud dubie elegisse id, quod est melius in ordine ad salutem; Christus autem non elegit mundanam prælationem, sed subjectionem. *Non veni*, inquit, *ministrari*, *sed ministrare*. Matth. 20. v. 28. Paupertatem elegit, divitias contempsit. Humilitatem amavit, pompam sæcularem exhorruit. *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde*. Matth. 11. v. 29.

Consect. 2. Omnes Christiani debent alto animo infigere nihil esse magis spernendum coram Deo, quam pompa sæcularis, & sæpius illud Christi meditari: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum* Luc. 16. v. 15.

CAPUT II.

De statu eorum, qui forensibus causis occupantur, quales sunt Judex, Ministri, Judices, litigantes &c.

ARTICULUS I.

De Litibus.

NOta. Lis est petitio justi coram legitimo Judice. Lis alia est circa rem, alia circa crimen.

Lis circa rem est ea, qua coram legitimo judice petimus vel ne res nostra, quam possidemus, nobis ab alio subripiatur: vel ut res nostra, quam alius possidet, nobis reddatur.

Lis circa crimen est ea, qua coram legitimo judice debitam crimini ultionem petimus.

In lite circa rem concurrunt Judex, Ministri Judicis, & partes litigantes. Judex est ille, qui jus dicit: Minister Judicis est ille, qui inservit judici, ut jus dicat: Partes litigantes sunt illi, qui jus petunt a judice.

In lite circa crimen concurrunt Judex, Ministri, accusator, & testes. Qui sint Judex, & Ministri, jam diximus.

Reus est ille, qui de crimine accusatur coram judice. Accusator est ille, qui appellat reum coram judice. Testes sunt illi, qui testimonium reddunt veritati.

Prop. 1. Litigare in judicio vel civiliter exigendo temporalia bona nobis juste debita, vel criminaliter exigendo justam vindictam contra reum, non est peccatum.

Prob. 1. Scriptura, *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis .... ut judicent populum justo judicio*. Deut. 16. v. 18. Ergo cum Deus constituerit judices, licitum est ab eis justum judicium exigere.

2. Ex factis. In lege naturæ quilibet Patriarcha erat judex in sua familia, ut patet ex judicio Judæ contra Thamar. In lege scripta Levitæ erant Judices in toto populo. In lege Evangelica Reges judicantes circa temporalia, Sacerdotes circa spiritualia. Ergo cum generalis ille omnium populorum consensus non possit esse malus, litigare non potest esse illicitum.

3. *Rat.* Prima ratio. Litigare est petere debitum: hoc autem nullam importat deformitatem, quin immo maximam æquitatem; ergo litigare non est illicitum.

Secunda ratio. Privatus non potest sibi jus dicere, immo aliquando non potest suum negligere, pura, cum id sibi, vel familiæ, vel statui suo est necessarium: ergo licitum est, ut illud coram judice litigando exigat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Privatus quilibet potest licite coram judice litigare, sive ut actor, exigendo quæ ei debentur, sive ut defensor, tuendo quæ ab eo injuste exiguntur: quia potest quilibet bona sua temporalia conservare.

Consect. 2. Quilibet paterfamilias potest licite coram judice litigare, ut conservet bona filiorum: quia pater debet filiis justam hæreditatem providere.

Consect. 3. Quilibet administrator boni publici debet coram judice litigare, ut conservet bona publica, quia non eorum dominus est, sed solum custos.

Consect. 4. De litibus circa crimen. In Gallia nullus privatus potest coram judice injuriæ acceptæ ultionem petere, sed solum reparationem damni: persona publica potest solum ultionem petere, qualis est procurator Regius coram judice civili, & promotor coram judice Ecclesiastico.

Prop. 2. Quamvis litigare coram legitimo judice sit licitum: tamen potest fieri illicitum ex circumstantiis: ideo melius esset non litigare, quam litigare.

Prob. 1. Scriptura. *Abstine te a lite, & minues peccata*. Eccl. 18. v. 10.

2. Ex Aug. *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam*. Aug. in regula.

3. *Rat.* Quamvis sua litigando repetere apud Christianum judicem non sit per se peccatum, concomitatur plerumque tamen peccatum quadruplex, inquit D. Th. 1. Cupiditas rerum temporalium, ex qua solent suscipi lites. 2. Discordia & exacerbatio animorum, odia, detractiones inter litigantes. 3. Fraudes & praxes captiosæ, quibus conatur causam suam promovere, & adversarios supplantare. 4. Scandalum, quo se mutuo ad ejusmodi peccata accedunt, & amicos etiam suos in partes trahunt. Denique cura illa & sollicitudo litigantium animos rebus terrenis plane immergit, & a Deo avertit. Potest tamen nullum esse peccatum, si cui incumbat ex officio bona aliena defendere, aut si liberis vel familiæ necessaria sint.

Litigantes autem toties peccant, quoties litigando offendunt virtutem aliquam vel moralem, vel infusam; quia peccatum est violatio virtutis: toties vero obligantur ad restitutionem, quoties offen-

ostendunt justitiam commutativam; quia violatio justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem, ut diximus ubi de restitutione.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. *Quis* denotat circumstantiam ex parte personæ. Peccat litigans, dum litigat, si ex qualitate personæ lites ei interdicantur; quia malum ex quocumque defectu consurgit.

Sic, juxta D. Th. Religiosi propria non possidentes, peccant litigando pro bonis temporalibus, non quidem in communi, sed in particulari possidendis: *Ideo non licet eis*, idest Religiosis, *in judicio repetere quasi propria, cum eis non liceat habere proprium; licet tamen eis in judicio repetere ea, quæ sunt communia; non enim hoc faciendo peccant, sed magis merentur: est enim opus caritatis defendere, vel recuperare res pauperum, secundum illud Psal. 81. eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*: In c. 6. ad 1. ad Cor. Lect. 2.

Consect. 2. *Quid* denotat circumstantiam ex parte rei petitæ. Peccat litigans, quando vel petit aliquid injustum, vel denegat aliquid justum. Rapina enim est aut denegare, quod debemus, aut exigere, quod non est debitum: itaque rapax est qui tuetur falsum testamentum, falsam cedulam obligatoriam; vel qui impugnat verum testamentum, vel veram cedulam obligatoriam exequi denegat: de quo D. Th. *Peccatur*, inquit, *ex perversitate judicis, puta, cum aliquis injuste, & fraudulenter in judicio procedit, secundum illud Isaiæ 1. ut opprimerent pauperem, & vim facerent causæ humilium populi mei: & hoc reprehendit Paulus in Corinthiis, ut patet per id, quod subdit. Sed vos injuriam facitis*. D. Th. ibidem.

Consect. 3. *Ubi* denotat circumstantiam Tribunalis. Peccat litigans, cum evocat ad judicem illegitimum, puta, causam Ecclesiasticam evocat ad judicem Laicum, aut causam Laicalem ad judicem Ecclesiasticum, juxta illud; *Maledictus qui pervertit judicium*. Ideo Paulus inculpat Corinthios coram illegitimo Tribunali litigantes. *Audet*, inquit, *aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos. Apostolus*, inquit D. Th. *non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti eorum judicio compareant, si vocantur, hoc enim esset contra subjectionem, quæ debetur Principibus; sed prohibet, quod fideles, non a legitimis judicibus judicati, ad illegitimos judices accedant*. D. Th. ibid.

Consect. 4. *Quibus auxiliis* denotatur circumstantia mediorum, quibus utimur litigando. Peccat litigans, si indebitis mediis utatur, etiam ut justum obtineat; v. g. falsificatur instrumentis, injustam dilationem procuret, aut justam impediat, quia non servat ordinem juris: ut docet D. Th. ibidem.

Consect. 5. Peccat litigans, qui ex fine pravo aut justum petit, aut tuetur; quia prava intentio vitiat actionem. Sic peccat qui litigat, juxta D. Th. *Ex cupiditate, ex avaritia*, & juxta Cajet. *Ex pertinacia quadam*, vel opprimendi, molestandive causa, unde Lucæ 12. *Cum quidam de turba Domino dixisset, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, Dominus dixit: Quis me constituit judicem, ad dividendum inter vos?* postea subdit; *Videte, & cavete ab omni avaritia*. D. Th. ibidem.

Consect. 6. *Quomodo* circumstantiam modi denotat. Sic, juxta D. Th. ibid. peccat qui litigando non servat debitum modum: v. g. qui cum contentione, & detrimento pacis judicium persequitur, quasi inimice, & non colloquendo inter se, ut ait Cajet. Ut enim dicitur Jacobi 3. v. 16. *Ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum*: & hoc videtur Apostolus reprehendere in Corinth. *Frater cum fratre judicio contendit*, idest, non fraterna caritate; sed odio litem persequitur.

Consect. 7. *Quando* circumstantiam temporis denotat. Sic peccat qui litigat eo tempore, quo litigando causat scandalum. *Ut contingit*, inquit Cajet. *quando frater contra fratrem, aut Religiosi contra Laicos gravatos filiis & filiabus, seu alios indigentes, &c. quibus deberent donare, litigant; deberent enim Præpositi proponere Capitulo, & cum Capituli consilio blanda caritate aut donare, aut differre in pinguiorem fortunam (hæc enim est vera fides boni dispensatoris rerum Christi) & non scandalizare mundum litibus, quasi suffocando debitorem* (redde quod debes) *prætextu Ecclesiæ quasi Christus non habeat, unde aliunde cultores suos pascat*.

ARTICULUS II.

De dotibus judicis.

PRop. 1. Dotes cuilibet judici necessariæ sunt. 1. Auctoritas judicandi. 2. Scientia discernendi. 3. Voluntas constans jus suum cuique reddendi. 4. Fuga cujuscumque venalitatis in judicio exercendo.

Prob. 1. Scriptura. Auctoritatem in judice requirit Scriptura his verbis: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Ad Rom. 14. vers. 4. Scientiam exigit, dum dicit: *Erudimini, qui judicatis terram*. Psal. 2. v. 10. Amorem vero justitiæ postulat, dicens: *Juste judica proximo tuo*. Lev. 19. v. 15. Fugam vero cujuscumque venalitatis præcipit, dum judicem ita commonet: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Exod. 23. v. 8. Ergo quatuor prædicta requiruntur in judice.

1. Ex Patribus. 1. Ex c. 4. *At si Clerici*. De judiciis: ubi requiritur auctoritas in judice his verbis. *Sententia a non suo judice lata non tenet*. 2. Scientia requiritur in judice, ut patet ex Aug. sic loquente Ser. 35. ad fratres in eremo: *Decet*, inquit, *judices sapientes esse, & in lege doctissimos, ne dicere valeant, tamquam legem Sanctam ignorantes, & bonum malum, & malum bonum*. 3. Amor justitiæ requiritur in judice, ut patet ex Ambrosio sic loquente: *Qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet; sed tenere, quod legum est, in judicando; magis sit cordi veritatis custodia, quam obedientia voluntatis*. Can. *Judices* 13. qu. 7. 4. Fuga cujuscumque venalitatis exigitur in judice, ut patet ex cap. *Cum ab omni* de vita & honestate Clericorum, ubi sic habetur: *Nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam sæcularibus legibus reprobatur*. Ergo illæ quatuor jam recensitæ dotes judicibus sunt necessariæ.

3. *Rat.* Judex est quasi legislator particularis; ideo

ideo vocatur lex animata: ergo sicut Legislator debet habere auctoritatem, qua possit legem condere; scientiam, qua possit sibi subditis, ut oportet, legum sapientia providere; amorem æquitatis, qua nihil injustum statuat; fugam avaritiæ, qua solum bonum publicum quærat: ita & judex debet habere auctoritatem, qua solum sibi subditos & alios judicet, scientiam, qua justum inter injustum discernat; amorem justitiæ, quo omnibus debitum reddat, nulli vero injuriam faciat; fugam vero avaritiæ, qua munera cuncta rejiciens, numquam a justo deflectat.

Consectarium generale hujus Doctrinæ in diversas propositiones distributum.

Peccat judex, quoties judicat vel sine auctoritate legitima, vel sine scientia competente, vel contra regulas justitiæ, vel vendendo judicium; quia in his omnibus casibus munus suum non, ut par est, exequitur; & si damnum cuiquam inferat, utpote peccans contra justitiam, tenetur ad restitutionem. Quæ omnia ut clarius pateant, sint sequentes Paragraphi.

§. I. De Judicio usurpato.

Prop. unica. Peccat judex, qui judicat sine auctoritate vel ordinaria, vel delegata, vel accessoria, vel arbitraria: Judex vero, qui habet aliquem ex prædictis titulis, potest & licite, & valide jurisdictionem suam, quamtumvis late pateat, exercere.

Prob. 1. Scriptura. *Judices & Magistratus constitues in omnibus portis suis... ut judicent populum justo judicio:* Deuter. 16. v. 18. Ergo judex constitutus per auctoritatem legitimam, potest jurisdictionem suam, quamtumvis late pateat, licite & valide exercere: peccat vero, si judicium sine auctoritate legitima exerceat; quia usurpat potestatem judicandi.

2. Ex jure Canonico. Can. Accusatores. 3. q. 8. *Nullum sententia a non suo judice dicta constringat*. Ergo ea, quæ fertur a legitimo judice constringit; & ita judex ille, qui exercet auctoritatem legitimam, bene facit; peccat vero, qui auctoritatem judicandi usurpat.

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 67. art. 1. *Manifestum est*, inquit, *quod nullus potest judicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus ejus vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam*. Ergo peccat qui judicat sine legitima auctoritate: qui vero habet legitimam auctoritatem, potest licite & valide eam exercere.

4. *Rat.* Judex est quasi legislator, ideo vocatur lex animata; atqui Legislator potest licite & valide exercere eam auctoritatem, quam habet: peccat vero usurpando eam, quam non habet; ergo & judex potest licite & valide exercere eam auctoritatem judicandi quam habet; peccat vero, si usurpet eam, quam non habet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Papa potest licite & valide judicare in spiritualibus in tota Ecclesia; quia ibi viget ejus jurisdictio. Id innuit Nicolaus scribens ad Michaelem Imperatorem his verbis: *Per principalem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli potestatem jus habemus, non solum Monachos, verum etiam quoslibet Clericos de quacumque Diœcesi, cum necesse fuerit, ad nos convocare:* Ergo & judicare.

Episcopus potest licite & valide in spiritualibus in tota sua Diœcesi judicare; quia ad totam Diœcesim extenditur ejus jurisdictio. *Cum Episcopus*, inquit Jus Canonicum, *in tota sua diœcesi jurisdictionem noscatur habere*. Cap. 7. De Officio Ordin. in 6.

Abbas potest valide & licite in spiritualibus in tota sua Abbatia jurisdictionem exercere; quia ex privilegio dato a summis Pontificibus ejus jurisdictio viget in tota Abbatia, ut late probat VVanespen part. 3. tit. 12. De exemptione a jurisdictione Ordinatiorum. Quomodo autem Papa, Episcopus, Abbas suam debeant exercere jurisdictionem in temporalibus, diximus primo tomo ubi de extensione legis Ecclesiasticæ.

Consect. 2. Rex potest licite & valide exercere suam jurisdictionem in temporalibus in toto suo Regno, Respublica in toto suo territorio; quia habent auctoritatem sibi propriam circa temporalia. Quid autem possit Rex circa spiritualia, diximus ubi de extensione legis civilis in primo tomo.

Consect. 3. Delegati a legitimo Superiore, v. g. a Papa, ab Episcopo, ab Abbate, a Rege, a Republica, possunt judicare valide & licite secundum formam suæ delegationis in toto territorio delegationis; quia habent authoritatem sibi delegatam a legitimo Superiore, ut supponimus.

Consect. 4. Arbitri possunt judicare valide & licite inter eos, a quibus electi sunt judices; quia habent authoritatem: arbitri autem eligi possunt quicumque, nisi prohibeantur a jure, quales sunt servi, mulieres, furiosi, surdi, muti, minores viginti annis, excommunicati. *In rebus humanis*, inquit D. Th. *aliqui propria sponte possunt se subjicere aliorum judicio, quamvis non sint eis superiores, sicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros*. 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2.

Consect. 5. Judex quilibet potest valide & licite judicare reum comprehensum in actuali crimine commisso in suo territorio, quamvis enim reus non sit subditus ratione personæ, fit ei subditus ratione criminis; quare habet in eum accessoriam auctoritatem. l. 20. *De jurisdictione* 1. & cap. *Ut animarum* De Constit. in 6.

Sic Religiosus exemptus delinquens extra Monasterium, potest valide & licite judicari ab Episcopo illius Diœcesis, in qua delinquit; *quia Episcopus fit superior illius ratione delicti*.

Sic extraneus, v. g. Hispanus, Italus, &c. potest valide & licite judicari in eo Regno, in ea urbe, in qua delinquit; quia, ut dicitur cap. 1. *De raptoribus*, aliquis sortitur forum ratione delicti.

Consect. 6. Peccant quicumque in judicando usurpant alterius jurisdictionem; quia, ut optime ait Greg. *Judex falcem judicii mittere non potest in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa*. In Deut. cap. 23.

Sic peccat judex civilis, qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpat, vel Ecclesiasticus, qui sine causa jurisdictionem sibi appropriat.

Sic peccat Judex superior, qui citra casum appellationis judicat causam pertinentem ad inferiorem judicem: quia usurpat jurisdictionem sibi non propriam.

Digitized by Google

Sic judicium videntur usurpare qui merito & cum fundamento habentur ut suspecti alteri ex litigantibus. Cap. *Quod suspecti* de appellationibus; quia rem male judicat omnis suspectus judex.... Suspecti autem juxta jura habentur accusator, aut testis. Can. *Nullus umquam*. 4. q. 4. Item qui habet similem causam cum parte. Cap. *Causam* de judiciis. Item qui est alterius Religionis & fidei. Can. *Catholicus*. 2. q. 6.

Consect. 7. Peccant quicumque ficto diplomate constituti sunt judices; quia titulus falsus est titulus nullus.

Sic peccat qui fingit se judicem, & tamen revera non est judex. Item qui, ut accipiat Doctoratum, comparet sub alia persona, & sub ementito illo gradu judex constitutus est, quia tunc, cum non sit vere judex, judicium tamen usurpat.

Judicia tamen exercita ab eo, qui habet titulum coloratum, licet tamen falsum, non improbantur, sed rata habentur a Principe, vel ab Ecclesia, modo non adsit impedimentum juris vel naturalis, vel divini; ut habetur l. *Barbarius*, ff. De Officio Prætoris, & causa 3. q. 7. Can. 1.

Sic Sententia lata a judice occulte excommunicato est valida; absolutio vero data ab eo, qui non est Sacerdos, est nulla.

Si vero judex ille publice declaretur usurpator, cuncta ab eo facta sunt irrita, nisi rata habeantur a Superiore. Can. 1. *Miramur*. 24. q. 1.

§. II. *De Judicio facto sine scientia competente.*

Prop. unica. Peccat judex, qui ex ignorantia, vel negligentia aliter, quam oportet, judicat.

Prob. 1. Scriptura. lib. 2. Paralip. 19. v. 5. De Rege Josaphat dicitur: *Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus: Videte*, ait, *quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non enim est apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum*. Quibus verbis innuitur, judices imitatores Dei esse debere, qui etsi sciat omnia, nihil tamen judicat nisi re cognita & perpensa. Unde judicaturus Sodomitas ait: *Descendam, & videbo*, ut per hoc doceat judices, nihil sine scientia, sine maturo examine esse judicandum.

2. Ex D. Th. *Singuli*, inquit S. Doctor, *tenentur scire ea, quæ ad eorum statum vel officium spectant*. 1. 2. q. 76. art. 2. in corp. Ergo judex debet habere scientiam convenientem, & adhibere necessarium examen: cui utrique Officio si non satisfaciat, peccat.

3. *Rat.* Judex est persona publica, dirimens controversias litigantium; atqui illud præstare non potest, nisi scientiam habeat legis, & diligenti examine causas judicandas perpendat: ergo judex peccat, si ex ignorantia, vel ex negligentia contra jura judicet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Judex debet habere scientiam legum, secundum quas exercetur judicium in ejus tribunali v. g. scientiam legum Romanarum, ubi viget jus Romanum; scientiam consuetudinum, ubi viget consuetudo.

Consect. 2. Judex, nedum debet habere scientiam legum, sed debet insuper prudenti examine, & indefessa diligentia eam peritiam ad causas propositas applicare, exemplo Job, qui sic de se ipso loquitur: *Pater eram pauperum*, inquit, *causam quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Job 29. v. 16. Judicibus enim dictum est: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite*. Paral. 2. v. 7.

Consect. 3. Judex in illo examine debet determinare quæstiones juris per jus scriptum, vel non scriptum, juxta præsentem vigorem; quæstiones vero facti per instrumenta & testes: quia leges scriptæ, vel non scriptæ universalia juris præcepta continent, instrumenta vero & testes facta determinant. De legibus ita Aug. de vera Religione cap. 31. *Cum leges fuerint institutæ & formatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*. De testibus & instrumentis ita Ambros. in Psal. 118. Serm. 2. *Bonus judex... sicut audit, ita judicat*.

Sic judex debet leges in veriorem aut probabiliorem sensum accipere, numquam vero in falsum aut minus probabilem detorquere: testimonia vero & instrumenta scripta debet suscipere si certa sint, rejicere si sint falsa; exacte examinare si sunt dubia.

Sic judex in illo examine non debet sequi privatam scientiam, quam habet, sed dirigi per scientiam publicam, quam depromit vel ex legibus, vel ex instrumentis, vel ex testibus; judex enim est persona publica, non declarans quid ipse sentiat, sed pronuntians quid leges imperent, quid instrumenta ferant, quid testes enuntient.

Consect. 4. Judex in illo tum legum, tum instrumentorum examine, tum testium auditione, multa debet observare.

1. Non debet judicare nisi audita utraque parte, ut ait Gregor. lib. 7. Epist. 45.

2. Debet moveri ad judicandum tribus capitibus, inquit Lateranense IV. c. 8. scilicet, accusatione, denunciatione, & inquisitione. Excipiuntur crimina notoria, in quibus sufficit facti evidentia. Cap. 9. *Evidentia* De accusationibus.

3. Debet omnia acta processus per personam publicam, vel per duos viros idoneos exequi; alias processus est nullus. Lateran. ibidem.

4. Non debet admittere actorem ad litigandum, nisi libellum de causa dederit. Cap. 1. *Ignarus*.

5. Non debet ferre sententiam contra absentem, nisi citatus nolit comparere. Conc. Carthag. IV. can. 3. Quæ omnia clarius patebunt in sequenti Paragrapho.

§. III. *De inique judicio vel quoad objectum, vel quoad modum procedendi.*

Prop. unica. Peccat judex, qui quocumque modo corruptus, vel odio, vel amore, vel timore, vel precibus, judicat difformiter ad leges, sive injustitia sit circa substantiam rei, sive circa modum procedendi.

Prob. 1. Scriptura. *Quod justum est judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distinctio personarum. Ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia judicium Dei est*. Deut. c. 1. v. 16. Ergo peccat judex, qui justum non judicat juste, id est, qui non sequitur formam juris.

2. Ex

Digitized by Google

2. Ex Ambrof. loco cit. *Constitue judicem*, inquit, *de hoc saeculo; numquid potest adversum Imperatoris formam venire rescripti*? Ergo judex tenetur secundum formam juris judicare.

3. *Rat.* Judex non est legum dominus, sed subditus; non est legum judex, sed custos: Ergo tenetur juxta leges judicare: ergo peccat, si judicet contra formam juris, sive injustitia attingat substantiam rei judicandae, sive modum procedendi, nisi aequitas postulet, quod modus ille procedendi in certis casibus sine justitiae praejudicio omittatur.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Peccat judex, qui corruptus odio, damnat innocentem, vel emollitus falsa misericordia, absolvit reum; quia judicat difformiter ad leges; ideo dicit Scriptura: *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Prov. 17. v. 15.

Consect. 2. Peccat judex, qui judicando inter pauperem & divitem, res divitis attribuit pauperi; quia in judicio oportet tam diviti, quam pauperi jus suum tribuere: *Pauperis quoque*, inquit Deus, *non misereberis in judicio.* Exod. c. 23. v. 3.

Consect. 3. Peccat judex, qui timore correptus vel reis divitibus indulget, vel pauperes contra divitum vexationem non tuetur. *Noli*, inquit Sacra Scriptura, *quaerere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Eccl. 7. v. 6.

Hujus criminis rei sunt judices, qui, ut Magnatum vindictae serviant, ideoque damnant innocentes: uti fecit Pilatus, qui audiens, quod non esset amicus Caesaris, si Christum morti non addiceret, statim illum damnavit, quamvis sciret eum esse innocentem.

Hujus criminis rei sunt, qui, ut Magnatum serviant cupiditati, eorum rationes audiunt, pauperum verum rationibus non attendunt: de hoc ita Isaias c. 1. v. 23. *Pupillo non judicant: & causa viduae non ingreditur ad illos.* Et rursus Eccl. c. 4. v. 10. *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum*, id est, jus pupillorum tuere, non secus filii tui essent.

Hujus criminis rei sunt, qui apertam videntes oppressionem vel contra innocentem, vel contra pauperem, injusta sua sententia & innocentis occisionem confirmant, & pauperis oppressionem corroborant: ut fuerune impii judices, qui ad instantiam Jezabel innocentem Naboth condemnarunt, vineamque ejus fisco addixerunt. Quod factum ita exprobrat Propheta: *Occidisti, & possedisti.* Illud idem objicit judicibus sui temporis Isaias: *Vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.* Isai. c. 3. v. 14.

Consect. 4. Peccat judex, qui secundum formas juris requisitas, justitiam reddere denegat, sive id faciat, ut faveat malefactoribus, sive ut renuat tutelam innocentibus. Utrumque execratur Dominus: *Maleficos*, inquit, *non patieris vivere.* Exod. 22. v. 18. Et postea ait: *Insontem & justum non occides; quia aversor impium*, Exod. 23. v. 7.

Consect. 5. Peccat judex, quoties in modo procedendi non observat formas juris ad investigandam veritatem necessarias: v. g. judicat sine dilationibus necessariis, aut superfluas concedit: quoties justas exceptiones non admittit, aut ineptas recipit; quoties interrogat circa ea, circa quae non debet interrogare, aut necessarias interrogationes omittit: quoties differt, ultra quam par est, proferre sententiam, aut eam prolata est, non vult eam partibus litigantibus communicare; quia in his singulis casibus agit contra formam juris.

Consect. 6. Peccant judices, qui in ea curia, in qua sunt judices, directe vel indirecte sollicitant alios judices. Quia id cavetur edictis Regum; & ita sunt transgressores legis justae. 2. Quia jurarunt se observaturos edicta Regum, & ita sunt perjuri. Verba autem edicti sic habent: Ordonnance de Blois, art. 120. *Deffendons a toutes nos Cours Souveraines, & autres, de s'intermettre, de recommander, ou solliciter les procès des parties playdantes en icelles, sur peine d'etre privez de l'entre de nos Cours & Sieges, & de leur gages pour un an.* L'Ordonnance de François I. 1539. art. 124. dit la meme chose.

§. IV. *De Judicio venali.*

Prop. unica. Peccat judex, quoties contra Regum edicta aliquid pretio aestimabile accipit vel ut jus dicat, vel ut alicui partium faveat, vel ut crimina impunita relinquat.

Prob. 1. Scriptura. *Maledictus judex, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis.* Deut. 27. v. 25.

2. Ex Clero Gallicano damnantem istam propositionem: *Possunt judices accipere munera a litigantibus, nec tenentur restituere quae acceperint ad pronunciandam sententiam.*

3. *Rat.* Per legem duodecim Tabularum Judex, qui accipit munera, punitur poena capitali; jure Gallorum punitur eadem poena, qua crimen repetundarum, Edicto Aurelianensi ar. 43. Molinensi art. 19. Blesensi art. 114. Quae omnia denotant, judicem accipiendo munera graviter peccare.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Peccant graviter judices sive superiorum, sive inferiorum Curiarum, qui a Magnatibus pensiones, reddituſve accipiunt. Id vetant edicta Regia locis citatis: quos omnes ita commonet Job 15. v. 34. *Ignis*, inquit, *devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

Consect. 2. Peccant judices, qui pro commisso aliquo crimine componunt, id est, cessant a punitione criminis, modo ipsis, aut parti civili, pecunia aliqua impendatur; quia 1. Pecuniam accipiunt pro non reddenda justitia. 2. Quia in causa sunt, quod criminia debitis poenis non puniantur. 3. Quia id ne faciant, gravibus poenis propositis prohibetur per edicta Regia: ita enim loquitur Franciscus I. Galliae Rex Cap. 43. art. 51. *Defendons a toutes personnes, qui ayans Justice, & connoissance des cas criminels & aux Officiers, soit notres, ou autres de mettre en composition aucun accusé de crime a peyne de privation de leurs jurisdictions, & Offices.*

Consect. 3. Peccant judices, qui fallaciis quibusdam, quas mala induxit consuetudo, aut lucri cupiditas, utuntur, quibus lites de die in diem producunt; quibusve litigantes pluribus expensis exponant, quae in ipsorum redeant utilitatem; ita enim fit, ut licet munera non accipiant, saltem munerum

Digitized by Google

utilitatem acquirant: quales sunt, ut Gallicia verbia dicam, *Ceux qui jugent en Parquet, ce qu'ils pourroient juger en Audience, qui taxent les depens excessivement*, &c.

Hinc enim fit, ut qui justam causam tuentur, litigare vix audeant: qui e contra in quam causam sustinent, litigare indesinenter quærant; quæ manifesta est perversio judiciorum. Istiusmodi abusibus Forum justitiæ fit iniquitatis asylum: quod maxime dolet Amos Propheta 5. v. 7. *Convertitis*, inquit, *judicium in absynthium, & justitiam in terra relinquitis*.

Isaias e contra describens justi judicia exitum, sic habet: *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit... Regem in decore suo videbunt oculi ejus*. Cap. 35. v. 15. 16. 17.

ARTICULUS III.

De requisitis in judicio criminum.

PRop. unica. In judicio criminis quatuor requiruntur: judex legitimus: actor non ex odio, sed ex zelo justitiæ accusans, aut denuncians: reus legitime accusatus: & testes irrefragabiles.

Prob. 1. Scriptura Act. 25. v. 16. *Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi ad abluenda crimina accipiat*. Ubi Scriptura morem Romanorum approbat, apud quos non exercebatur judicium contra crimina, nisi esset legitimus judex, actor non malitia ductus, sed amore justitiæ, testes irrefragabiles, & reus legitime accusatus. Totum id patet exemplo Pauli, qui, utpote civis Romanus, appellavit Cæsarem tamquam judicem legitimum, & non ab alio quam a Cæsare voluit judicari: quique non condemnatus est a Cæsare, quia non præsentes habuit accusatores, testesque irrefragabiles; e contra absolutus est, quia non legitime accusabatur.

2. Ex jure Canonico cap. 3. *qualiter* de accusatione, ubi hæc habentur: *Videmus Deum non protulisse sententiam contra Adam, nisi prius vocatum, auditum, & defensum*: ergo sicut Adam non condemnatus est, nisi legitime accusatus, legitime convictus, & accepta a legitimo judice libertate defendendi se; ita nemo in judicio criminis damnari potest, nisi hæc quatuor interveniant, scilicet, legitimus judex, legitimus accusator, testes irrefragabiles, & libertas reo defendendi se.

3. *Rat.* Judicium humanum debet esse imitatio divini judicii: uci enim authoritas judicandi hominibus communicata, participatio est authoritatis, quam habet Deus judicandi homines; ita & debet esse imitatio illius: atqui in judicio divino reperitur 1. Judex legitimus, scilicet Deus. 2. Actor plenus justitia accusans & denuntians nos, scilicet, Deus ipse, vel creaturæ, quibus Deus utitur ad accusandum nos. 3. Testis irrefragabilis, scilicet, testimonium conscientiæ nostræ, & testimonium creaturarum: Denique reus legitime accusatus, scilicet reprobi, qui damnandi sunt: Ergo & hæc quatuor requiruntur, quoties exercetur judicium humanum contra crimina.

Consectarium generale hujus Doctrinæ in diversas propositiones distributum.

Toties peccatur in judicio criminum, quoties vel accipitur judex illegitimus, vel rejicitur legitimus; quoties non admittitur actor legitimus, vel non rejicitur illegitimus; quoties testes veraces & irrefragabiles rejiciuntur, fallaces vero admittuntur; demum quoties reus plene convictus non punitur, aut innocens non absolvitur: quia in his omnibus casibus judicium pervertitur.

§. I. *de officio judicis in causa criminis.*

Prop. 1. Judex in causa criminis nullum hominem, quantumvis reum, debet judicare, nisi supra illum auctoritatem habeat vel ordinariam, vel delegatam, vel accessoriam.

Prob. ratione. Ex dictis constat, quod si judex judicet sine aliquo ex prædictis titulis, usurpat auctoritatem, quam non habet: ergo peccat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Judex civilis non potest procedere contra Clericum, vel Monachum, quoties agitur de crimine vulgari, & non privilegiato, ut habetur c. 5. Clericus, c. 1. *Cum non ab homine ab judiciis*. Potest tamen judex civilis procedere contra Clericum vel Monachum, si sit incorrigibilis, exauctoratus a judice Ecclesiastico, & traditus curiæ sæculari, ut habetur ibidem & c. *Novimus de verborum significatione*. Quia in primo casu judex civilis non habet auctoritatem; bene tamen in secundo, ut notant prædicti textus.

Consect. 2. Judex Ecclesiasticus non potest procedere contra Laicum vulgari crimine accusatum, ut patet ex c. *Generali* de foro competenti; bene tamen, si Laicus accusetur crimine, cujus notitia pertinet ad jurisdictionem Ecclesiasticam, qualia est omissio communionis Paschalis, invalida Matrimonii contractio. Cap. 13. *Novit de judicio*, Quia in primo casu judex Ecclesiasticus non habet auctoritatem; bene tamen in secundo.

Prop. 2. Judex habens legitimam auctoritatem vel ordinariam, vel delegatam, vel accessoriam, debet juxta juris formas procedere.

Prob. ratione. Ut judicium sit justum, debet secundum formas juris, ut dictum est, exerceri; quia bonum ex integra causa: ergo judex debet secundum formas juris judicare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoties agitur de crimine commisso, debet præcessisse vel accusatio, vel denunciatio, vel inquisitio, ut habeatur saltem semiplena probatio contra reum, qui accusatur; quia contra crimen omnino occultum nullam judex potest habere auctoritatem; judex enim est persona publica, cujus non est occulta scrutari, sed solum publica punire: rursum, ut persona publica ex scientia non privata, sed publica debet procedere.

Sic judex non potest contra reum agere ex vi notitiæ extrajudicialis, qualis esset confessio facta judici aut sponte extra judicium, aut inadvertenter

ter ex lapsu linguæ, aut ex repetitione litterarum, quas reus vel amico, vel procuratori, vel advocato suo scriberet.

Consect. 2. Quotiescumque agitur de crimine non commisso, sed committendo, judex potest sine prævia accusatione, inquisitione, & denunciatione crimen illud, cujus commissio præparatur, impedire; quia judex habet auctoritatem impediendi quodcumque crimen quod vergeret in præjudicium Reipublicæ.

Sic Prælati possunt, immo tenentur specialiter inquirere etiam de non diffamato, ut præcaveant, ne eligantur indigni. Cap. *Cum in multis*, & c. 3. *Dilectus de electione*.

Sic & Prælati possunt inquirere circa impedimenta Matrimonii, cum timetur, ne Matrimonium vel invalide, vel illegitime contrahatur.

Prop. 3. Judex habens legitimam auctoritatem, vel ordinariam, vel delegatam, debet procedere secundum formam juris, & judicare secundum allegata & probata.

Prob. ratione. Judex judicat, non ut persona privata, sed ut persona publica: ergo debet judicare secundum scientiam publicam: ergo secundum allegata & probata.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat judex, qui vel accusatores legitime procedentes rejicit, vel illegitime procedentes admittit; quia acceptio personarum ubique damnabilis, sed præcipue in judicio: ideo dicitur Deut. c. 16. v. 18. *Judices & Magistros constitues... Ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.*

Sic nec divitis accusatio contra pauperem prætextu misericordiæ rejicienda, nec pauperis accusatio contra divitem prætextu honoris erga dignitatem rejicienda: esset enim ibi acceptio personarum; quia juxta D. Th. Lect. 2. super c. 2. ad Galatas, *nihil est aliud proprie accipere personam, quam considerare conditionem personæ nihil facientem ad negotium.* Unde Lev. c. 19. v. 15. dicitur: *Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non considerес personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo.*

Consect. 2. Peccat judex, qui vel testes suspectos audit, vel veraces rejicit, ut sic alteri partium faveat; judex enim mediator est inter eos, qui judicantur. Sicut ergo medium æqualiter se habet ad utrumque extremum, ita affectus judicis in neutram partem debet propendere: & cum gerat personam Dei, debet in judicando cujuscumque passionis expers esse, sicut Deus. Debet ergo testium dicta caute examinare, uti fecit Deus scelera Sodomorum examinans: *Descendam*, & c., *& videbo*. Debet testium falsitatem exquirere, uti fecit Daniel, confundens falsos testes Susannam accusantes.

Consect. 3. Peccat judex, qui circa reum vel damnandum, vel absolvendum, aut sufficientes non admittit probationes, aut probationes plures, quam oporteat, exigit, oportet enim in omnibus sapere ad sobrietatem, sed præcipue in judicando.

Sic si secundum allegata & probata, qui revera reus est, innocens appareat, sine mora absolvendus est, præsertim cum nullum timetur contra Rempublicam detrimentum; quia præstat judicem in causis criminalibus benignum esse, quam severum.

Sic e contra, qui revera est innocens, si secundum allegata & probata reus appareat, tunc totis viribus enitendum, ut liberetur vel clam aperiendo carcerem, vel procrastinando judicium, vel timorem injusto accusatori, & falsis testibus incutiendo, vel demum cedendo ab officio judicis, & injuste accusatum ad alium judicem remittendo.

Quod si nequeat prædictis mediis innocentem liberare, poterit secundum allegata & probata sententiam pronunciare, ut dicit D. Th.

Prop. 4. Judex procedens contra reum accusatum, & convictum, tenetur eum pœnis a lege præscriptis addicere.

Prob. 1. Scriptura. Deuteron. cap. 25. v. 2. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: ergo judex non potest reum infra vel ultra condignum punire.

2. *Rat.* Judex in processione judiciali contra reum debet & parti læsæ providere, & Reipublicæ causam gerere: ergo tenetur reum justis pœnis addicere, tum ut parti læsæ debitam satisfactionem rependat, tum ut Reipublicæ justam scelerum punitionem procuret.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Judex inferior sine licentia Principis non potest aut pœnam remittere, ut videatur misericors, aut eam aggravare, ut appareat severus, sed pœnas præscriptas a lege debet infligere; quia judex legi debet subjici, & non dominari.

Consect. 2. Judex supremus habens potestatem a Principe, potest justa de causa vel ex parte, vel secundum totum pœnas corporales, vel infamantes reo remittere, præcipue si hujusmodi relaxatio non vergat in præjudicium Reipublicæ, sed e contra emolumentum aliquod sit allatura: v. g. si reus sit Reipublicæ utilis; quia Principis est legum pœnas temperare, & bono Reipublicæ providere.

Consect. 3. Peccat judex, qui carceris ærumnas aggravat, ut carcer, qui intuitus est, ut sit reorum custodia, fiat incarceratis supplicium longe gravius, quam possint esse pœnæ, quibus addicendi sunt. Peccat ergo judex, inquit Navarrus, qui non visitat carceres, aut non procurat, ut in eos conjectis necessaria vitæ suppeditentur.

§. II. *De Accusatore.*

Nota. Accusatio est criminis alicujus, & ejus, qui illud admisit, apud judicem facta delatio, observata formula accusandi.

Denunciatio est criminis latentis facta judici annunciatio, non observata formula accusandi.

Inquisitio est actio, qua judex nemine accusante disquirit, an aliquis deliquerit, vel quis tale delictum commiserit.

Hæc omnia educuntur ex cap. *Qualiter* De accusationibus, & inquisitionibus.

De iis, qui possunt, vel non possunt accusare.

Prop. 1. Illi omnes possunt accusare, qui expresse per jura non prohibentur.

Prob. ratione. Accusare nihil est aliud, quam motivo justitiæ exigere coram judice pœnam debitam crimini, quod si maneret impunitum, vergeret in

detrimentum Reipublicæ: atqui omnes id possunt, nisi expresse per jura prohibeantur: ergo accusare possunt omnes, nisi expresse jura obsistant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnes sive viri, sive feminæ, sive rei, sive innocentes possunt accusare in atrocibus criminibus, v. g. in crimine læsæ majestatis, hæreseos, simoniæ. Cap. *Tanti*, cap. *Licet Heli* de simon.

Consect. 2. Accusatus etiam pendente lite potest suum accusatorem accusare de majori crimine. Can. *Non est* 3. q. 11.

Prop. 2. Illi omnes jure prohibentur accusare, qui præsumuntur non agere motivo justitiæ, sed aliis motivis.

Prob. Accusare est petere motivo justitiæ pœnam debitam crimini, quod impunitum vergeret in præjudicium Reipublicæ: ergo omnes illi merito prohibentur accusare, qui non præsumuntur agere motivo justitiæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juxta jus civile simul & canonicum accusare non possunt infames, & facinorosi, ut perjuri, malefici, fures, adulteri, homicidæ, sacrilegi, conspiratores in Regem, in Patrem, &c. quia ejusmodi crimina, postquam comperta sunt vera, infamiam inurunt; qui vero infamia laborant, recte censentur justitiæ studio ad accusandum non adduci.

Accusare pariter non possunt capitale crimen confessi, aut de eo accusati pendente lite, neque inimici illius, qui accusatur, nec ejusdem criminis rei; quia præsumuntur non agere amore justitiæ.

Juxta jus canonicum accusare non possunt suspecti in fide, quales sunt hæretici, excommunicati. Can. *Omnis*. Item personæ viles nec Clericos, nec Sacerdotes, nec Episcopos accusare possunt.

Accusati pendente lite non possunt accusatores suos accusare vel minori, vel pari crimine, bene tamen majori. Can. *Cum non est*. Canon. *Neganda*. 111. q. 11.

Consect. 2. Juxta praxim Jurisprudentiæ Gallicanæ nullus privatus potest accusare, sed solum potest compellere procuratorem Regium, vel fiscalem, ut ipsemet accuset, quasi vindex publicus criminis vergentis in Reipublicæ damnum.

De iis, qui debent accusare, & quomodo debeant accusare.

Prop. 1. Illi omnes accusare debent, qui sufficientes habent probationes, quibus convincant eos, quorum impunitas prævidetur Reipublicæ nocitura.

Prob. 1. Script. Levit. c. 5. v. 1. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit; quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.*

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 68. art. 1. in corpore, ubi sic habetur: *Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare.... Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandum accusationem; quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.*

3. *Rat.* Quodlibet membrum Reipublicæ debet, quantum in se est, bonum Reipublicæ intendere, & malum a Republica avertere; quod fieri nequit, si impunita remaneant sceleratorum crimina: ergo qui habet sufficientes probationes, tenetur reum accusare, cujus impunitas prævidetur Reipublicæ nocitura.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties abstinere debemus a denunciatione, & accusatione, & uti debemus sola correctione fraterna, quoties crimen non vergit in præjudicium Reipublicæ; quia tunc huic malo per solam correctionem mederi possumus: de hoc ita D. Th. 2. 2. q. 33. art. 7. in corpore. *Quædam sunt peccata, quæ solum sunt in malum peccantis, & ejus, in quem peccatur, vel quia a peccante solum læditur, vel saltem ex sola notitia; & tunc ad hoc solum tendendum est, ut fratri peccanti subveniatur*, scilicet per fraternam correctionem.

Consect. 2. Quoties crimen vergit in præjudicium Reipublicæ, v. g. vergit in multitudinis corruptelam spiritualem, ut fit per hæresim, vel in corruptelam corporalem, ut fit per conjurationem in Principem, in Rempublicam, ut fit etiam per falsificationem monetarum, per rapinam publici ærarii, etsi crimen sit occultum, & probari non possit, & correctio fraterna non videatur sufficiens, tenemur denunciationem, & non accusationem coram judice adhibere; quia, ut ait D. Th. loco citato: *Hæc est differentia inter denunciationem, & accusationem, quod in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accusatione autem attenditur punitio criminis.* Punitio autem criminis non potest fieri, nisi post accusationem; emendatio vero potest haberi per denunciationem: ideo D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. in corpore sic habet: *Quædam enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta, si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines a fide avertat. Et quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur, nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.*

Consect. 3. Toties accusatione utendum est, quoties crimen vergit in multitudinis corruptelam, & quoties est publicum; quia aliter huic malo mederi non possumus: nec a justa accusatione retinere nos debet fidelitas in servando secreto; quia ut optime ait D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. ad tertium, *Revelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem; non autem si revelentur propter bonum commune, quod semper præferendum est bono privato.* Et docens, quo in casu & debeamus recipere, & servare secretum, sic prosequitur: *Contra bonum commune nullum secretum licet recipere*, immo si receptum sit, non injuste proditur. Et insuper, ut ait idem Doctor, *non omnino est secretum, quod per sufficientes testes probari potest*; & ita accusare debito modo, non est contra fidelitatem secreti.

Con-

Digitized by Google

Consect. 4. Toties accusatione utendum est, quoties loco nocentis innocens maliriose accusatur, & metus est, ne injuste capitali pœna damnetur, vel etiam pœna diffamante; quia bonum publicum exigit, ut reus potius quam innocens puniatur.

Prop. 2. Omnis accusatio injusta redditur vel per calumniam, falsa crimina imponendo, vel per prævaricarionem, fraudem scilicet in accusatione adhibendo, vel per tergiversationem, omnino videlicet ab accusatione desistendo.

Prob. 1. *Ex* jure Can. 8. 2. q. 3. Can. *Si quem pœnituerit*. Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur.

Prob. 2. ratione. Accusatio fit, ut reus debita pœna puniatur: ergo toties erit injusta accusatio, quoties per calumniam non reus, sed innocens accusabitur; quoties per fraudem reus vel infra, vel ultra cond g um punietur; & quoties malitiose ab accusatione justa & necessaria cessabitur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant, & ad restitutionem tum famæ, tum bonorum temporalium tenentur qui calumniose accusant. 1. Peccant; quia calumnia est peccatum. 2. Tenentur ad restitutionem; quia ex dictis ubi de restitutione, peccatum contra justitiam commutativam obligat ad restitutionem; ideo secundum jura puniuntur pœna talionis. 2. q. 3. Can. *Qui non probaverit*, ubi sic loquitur Adrianus Papa: *Qui non probaverit quod objicit, pœnam quam intulerit ipse patiatur*. Ex D. Th. 2. 2. q. 68. a. 4. ad 2. *Dicendum, quod ille, qui male accusat, peccat & contra personam accusati*, quem calumniatur, *& contra Rempublicam*, quam lædit in membris suis: *ideo propter utrumque punitur*, pœna scilicet talionis, quam vel accusatus potest remittere quatenus est offensus, vel Princeps quatenus gerit vices Reipublicæ.

Consect. 2. Peccant, & ad restitutionem tenentur quicumque fraudem aliquam in accusatione adhibent. 1. Peccant; quia uti fraudibus est peccatum. 2. Tenentur ad restitutionem; quia ex dictis ubi de restitutione, peccatum contra justitiam, qualis est fraus in accusatione proximi, obligat ad restitutionem: fraudes autem in accusatione semper sunt injustæ; quia aut eo tendunt, ut damnetur innocens, qui absolvendus est, aut ut liberetur reus, qui damnandus est.

Consect. 3. Peccant, & ad restitutionem tenentur quicumque malitiose ab accusando desistunt; & si quod vel Reipublicæ, vel reo damnum intulerint, tenentur ad restitutionem. 1. Peccant; quia desistunt ab accusatione, quam tenentur persequi. 2. Obligantur ad restitutionem; quia agunt contra justitiam, qua jubetur, ut accusatio incepta finiatur, vel ut absolvatur accusatus si sit innocens, vel ut puniatur si sit reus.

§. III. *De Reo.*

Hactenus de accusatore egimus, jam de eo, qui accusatur, agendum est. Ille autem, qui in judicium vocatur, in triplici statu potest esse. 1. Vel est omnino innocens coram Deo, & coram hominibus. 2. vel reus est solum coram Deo, & innocens coram hominibus. 3. Vel reus est coram Deo, & coram hominibus. Quomodo autem accusatus possit, aut debeat in triplici illo statu sese defendere, variis Sectionibus statuemus.

SECTIO PRIMA.

Monitum: quo modo confessario agendum cum eis, qui accusantur.

Si Confessarius velit saluti ejus, qui accusatur, prudenter providere, hæc ab eo religiose observanda sunt.

1. Præmoneat accusatum, sibi Confessario id solum onus impositum, ut saluti animæ invigilet, minimeque vero, ut litibus sese immisceat: sibi Confessario nullam esse, aut debere esse familiaritatem, qua possit vel prodesse, vel obesse, solisque tantum precibus posse coram Deo accusatos adjuvare: sibi Confessario non aliud negotium demandari, quam ut accusatus ad sinceram cordis contritionem, & fructuosam confessionem in Tribonali pœnitentiæ faciendam adhortetur: demum se vices Christi gerere, qui latronem non e manibus judicum liberavit, sed vere contritum & sincere confessum absolvit.

2. Præmoneat accusatos, nihil esse Confessario occultandum; quia sola criminis Confessione potest apud Deum obtineri venia; cum quia nihil est periculi, quod judicibus notum fiat id, quod Confessario dicitur, cum nihil religiosius observetur a Sacerdoribus, quam secretum confessionis. Reum potest, immo debet frequenter invisere, & eum de his, quæ salutem spectant animæ, præmoneat. Sed prudenter faciet, si ad Confessionem Sacramentalem accusatum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidæ; vix enim adigi poterit, ut omnia, quæ crimen, de quo accusatur, respiciunt, fateatur, ob timorem, ne deferatur, vel ne cogatur a Confessario eadem fateri judici.

SECTIO II.

De his, quæ non possunt licite fieri ab eo, qui accusatur.

PRop. un. Nemo sive reus, sive innocens, sive legitime, sive illegitime accusetur, potest in processu judiciali malas artes, quibus defendat sese, adhibere.

Prob. ratione. Nemini umquam licet in defensione excedere modum inculpatæ tutelæ, quia defensio aliunde justa, fit per excessum illum injusta: atqui adhibens malas artes in defensione judiciali, excedit modum inculpatæ tutelæ, ut patet: ergo nemini licet in processu judiciali adhibere malas artes, quibus sese defendat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui omnino innocens est & coram Deo & coram hominibus, licet injuste accusetur, non potest tamen innocentiam suam tueri aut per mendacium, aut per calumniam, aut per detractionem. Isthæc enim media sunt ab intrinseco mala, & proinde illis uti nequaquam licet.

Sic innocens, etsi injuste accusatus, nec testibus, nec judici potest falsa crimina imponere, aut occulta eorum delicta publica reddere; quia & calumnia

nia & detractio sunt ab intrinseco mala, & latius est innocentem reum haberi coram hominibus, quam per hæc crimina nocentem fieri coram Deo, exemplo Christi, qui licet innocens & illegitime accusatus, tamen noluit se adversus accusatores, testes, judicet calumniose defendere. *Recogitate enim*, inquit Paulus ad Hebræos 12. v. 3. *eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Exemplo est idem Paulus, qui licet innocens, & illegitime accusatus, nec Judæos accusatores, nec testes, nec judicem coram Cæsare accusavit, sed solum innocentiam suam sine ullo vindictæ affectu tuitus est.

Consect. 2. Qui reus est dumtaxat coram Deo, occulti scilicet criminis, quod nequit probari juridice, licet injuste accusetur coram hominibus, nequit tamen vitam suam vel per mendacium, vel per detractionem tueri; quia isthæc media sunt ab intrinseco mala, & satius est, ut illegitime accusatus vitam temporalem potius quam spiritualem amittat: præstat enim vitam caducam finire, quam mendacio, calumnia, ac detractione eamdem conservare.

Consect. 3. Qui & coram Deo & coram hominibus reus est criminis, cujus habetur semiplena probatio, quodque juridice probari potest, non potest nec contra accusatorem, nec contra testes, nec contra judicem aliquid moliri, sed debet processui judiciali humiliter acquiescere.

SECTIO III.

De iis, quæ licite fieri possunt ab eo, qui accusatur.

PRop. *unica*. Quicumque accusatur, potest juxta juris formas sese defendere; modo malas artes non adhibeat.

Prob. Ratione. Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ; atqui ille, qui servat legitimas juris formas, defendit se juxta moderamen inculpatæ tutelæ: ergo quicumque accusatur, potest se juxta juris formas defendere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui injuste accusatur, potest ad redimendam vexationem iniquum accusatorem rejicere, falsos testes repellere, & ab illegitimo judice ad legitimum appellare; quia quilibet habet jus ad defendendum se.

Sic Paulus inique accusatus Cæsarem appellavit. Actorum c. 25. v. 11. Appellatio autem 1. devolvit causam a judice inferiore ad superiorem. 2. Suspendit sententiam inferioris; in jure tamen canonico, ubi agitur de correctione delinquentis, vel de modo servando in cultu divino, appellatio non suspendit sententiam, ut habetur cap. *Ad nostram de appellationibus*, & hæc appellatio debet fieri gradatim a superiore locali ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Ordinis Protectorem, vel ad Sacram Congregationem Regularium; numquam vero ad Tribunal sæculare, ut expresse definierunt summi Pontifices.

Consect. 2. Qui occulte reus est, quamdiu non convincitur, modo pravas artes non adhibeat, nec pervertat ordinem juris, potest & accusatoris instantias eludere, & testium propositionis infirmare, & legitimi judicis sententiam impedire; quia jus habet ad hæc omnia: etsi enim reus sit coram Deo, non est tamen reus coram hominibus, & quamvis accusator, testis, judex, ex hac defensione incurrant quandam infamiæ notam, injustique habeantur apud homines; id debent sibimetipsis imputare, quod imprudenter in jus vocaverint eum, cujus crimen juridice probari non potest.

Consect. 3. Qui reus est coram Deo, & coram hominibus, si contra eum procedatur, prætermisso juris ordine, potest prudenter contra accusatorem, contra testes, contra judicem uti ea juris inobservantia; quia jus habet exigendi, ut contra ipsum procedatur secundum ordinem juris.

SECTIO IV.

De iis, quæ observanda sunt ab eo, qui interrogatur a judice.

PRop. 1. Quando judex non procedit juxta ordinem juris, reusque rationabiliter dubitat judicem procedere secundum formam juris, tunc reus interrogatus non tenetur respondere judici, nec tenetur ei veritatem aperire.

Prob. 1. Ex divo Th. 2. 2. q. 69. art. 1. in corpore, ubi sic habetur: *Si judex exquirat quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere; mendacium autem dicere non licet.*

3. *Rat.* Judex est quasi lex animata: atqui lex non ligat, nisi legitime intimata, ita nec judex præcipiens ligat, nisi legitime procedat: ergo accusatus non tenetur ei obedire, cum procedit extra ordinem juris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties accusatus potest non respondere, quoties interrogatur a judice illegitimo; quia judex illegitimus non habet auctoritatem interrogandi.

Sic Clericus interrogatus a judice sæculari non tenetur ei respondere, nisi in criminibus privilegiatis.

Sic Laicus non tenetur respondere judici Ecclesiastico, nisi in casibus spiritualibus.

Consect. 2. Toties accusatus potest non respondere, quoties interrogatur a judice quidem legitimo, sed circa ea, quæ sunt omnino occulta, quorum nulla est infamia, vel semiplena probatio; quia judex, utpote persona publica, non habet jus interrogandi nisi circa ea, quæ potest scientia publica cognoscere.

Sic reus criminis omnino occulti non tenetur illud judici interroganti manifestare.

Sic reus criminis, cujus habetur semiplena probatio, si complices illius sint omnino occulti, tenetur quidem crimen semiplene probatum confiteri, minime vero socios omnino occultos.

Sic reus criminis, cujus habetur semiplena probatio, non tenetur manifestare judici ea, quæ ipsi per secretum naturale commissa sunt, nisi secretum illud esset vel in præjudicium Reipublicæ, vel in præjudicium innocentis.

Con-

Digitized by Google

Confect. 3. Toties accusatus etiam coram legitimo judice criminis etiam illius, cujus habetur semiplena probatio, potest non respondere, quoties judex fraudulenter interrogat, & malis artibus utitur, ut reum cavillationibus implicet; quia tunc judex non procedit secundum formam juris: judex enim est vindex publicus: ergo potest tantum procedere mediis a jure statutis.

Sic si judex minis, tormentis, vi, fraude, aut falsa promissione impunitatis, aliove medio contra ordinem juris secretum aliquod delictum extorqueat, tenetur cessare, nec potest ulterius procedere, nec reum punire; ex his enim, quæ inordinate acta sunt, non potest ordinabiliter agi: ut habetur cap. *Qualiter & quando*. De actionibus.

Prop. 2. Quando judex legitimus legitime procedit, ac juridice reum interrogat, idque reus certo cognoscit, & in his circumstantiis, in quibus habetur diffamatio, & semiplena probatio illius criminis; tunc accusatus tenetur sub peccato mortali confiteri veritatem; etiam si ob eam confessionem sit pœna mortis plectendus: neque potest eam negare, etiam si ex hac negatione impunitatem consequeretur.

Prob. Ex D. Th. 2. 2. q. 69. a. 1. in corp. cujus hæc sunt verba: *Ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit; & ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.*

2. *Rat.* Reus diffamatus, & semiplene convictus, non habet jus defendendi sese, sed in pœnam criminis, quod non est omnino occultum, tenetur simplici, & nuda criminis sui confessione dare gloriam Deo, uti fecit Acham: ut habetur Josue 7.

Deinde reus semiplene convictus in his est circumstantiis, in quibus notam veritatem 1. negare non potest sine mendacio. 2. reticere non potest sine inobedientia erga judicem legitimum superiorem. 3. Defendere sese non potest sine injusta impunitate. 4. sine indirecta erga accusatorem, & judicem calumnia: ergo satius est reum semiplene convictum justam mortem subire, quam vitam temporalem tot sceleribus conservare.

Consectaria hujus Doctrinæ, in quibus determinatur, quomodo Confessarius gerere se debeat erga reum, qui juridice interrogatus est.

Confect. 1. Antequam reus sistat se judici, Confessarius debet diligenter inquirere tum a reo, tum ab ejus advocato, aut procuratore, an sit aliquis defectus in processu judiciali; tunc enim reus non tenetur respondere, cum contra eum procedatur prætermisso ordine juris. Quod si Confessarius advertat, reum servato ordine juris interrogandum esse, debet eum hortari, ut veritatem coram judice fateatur, & ostendere, quod si secus fecerit, eum grave crimen commissurum, eumque peccaturum, 1. contra justitiam; quia non obedit judici, cui ex debito justitiæ tenetur obedire. 2. contra Religionem; quia perjurium committit negando veritatem, quam tamen juravit se dicturum. 3. contra bonam fidem; quia negando veritatem in causa est, cur accusator, testes, & judex calumniatores habeantur, quasi falso imponentes crimen, cujus revera accusatus conscius est.

Confect. 2. Si reus legitime accusatus, post eam admonitionem dicat se nolle veritatem judici confiteri, dicatque se juraturum æquivoce, & proponat se constanter negaturum ea omnia, quibus crimen, cujus reus est, judici posset innotescere, tunc neganda est illi absolutio, cum velit in statu peccati perseverare, & expectandum donec in eum sententia vel absolutionis, vel condemnationis prolata fuerit.

Confect. 3. Reus post sententiam contra ipsum latam, non est a Confessario deserendus, etsi veritatem negaverit, sed ad pœnitentiam est excitandus.

Si reus post negatam illicite veritatem a pœna liberatus fuerit, tunc Confessarius reum ad sinceram pœnitentiam debet excitare; imposita salutari pœnitentia, injunctaque obligatione resti tuendi damna, quæ parti intulit illicite negando veritatem, poterit eum absolvere, modo in eo videat signa pœnitentiæ; non tamen cogi potest, ut iterum judicem adeat, ut se ipsum prodat, cum cessaverit jus interrogandi, causa jam decisa, reoque liberato.

Si reus post negatam illicite veritatem iterum resumendus, iterumque interrogandus sit, tunc hortandus est, ut veritatem fateatur; & si persistat in proposito negandi crimen, cujus reus est, & cujus est semiplena probatio, non est absolvendus.

Si vero reus post negatam illicite veritatem, morte condemnatus sit, hortandus est, ut veritatem publice fateatur tum ut gloriam Deo reddat, tum ut testimonium veritati præbeat, tum ut accusatorem, testes, & judicem ab invidia populari vindicet.

SECTIO V.

De his, quæ præstanda sunt ab eo qui juridice condemnatus est.

PRop. 1. Qui juste condemnatus est mortis, mutilationis, &c. tenetur huic supplicio sese subjicere, nullatenus licitum est ei contra judicem, & Ministros judicis resistere.

Prob. 1. Scriptura ad Rom. 13. v. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; sed condemnatus, se defendendo, potestati resistit, quantum ad hoc, in quo est divinitus instituta ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: ergo juste condemnatus peccat se defendendo.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp. *Dicendum, quod aliquis damnatur ad mortem dupliciter: uno modo juste, & sic non licet condemnato se defendere; licitum enim est judici eum resistentem impugnare. Unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum, unde indubitanter peccat.*

3. *Rat.* Sicut judex habet auctoritatem, ut civiliter litigantibus præcipiat quæcumque sunt necessaria ad terminandam litem; ita habet auctoritatem, ut præcipiat reis quæcumque sunt necessaria, ut terminetur lis criminalis, & ut rei debitam & parti læsæ, & Reipublicæ exhibeant satisfactionem: ergo rei tenentur judici obedire, & pœnam impositam subire.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Juste condemnatus nihil potest interius moli-

Digitized by Google

moliri, quod positivam defensionem, & resistentiam importet: v. g. non potest optare mortem judicis, vel Ministrorum judicis, quamvis ea morte supplicio sibi destinato liberandus esset, tum quia optare mortem alterius est peccatum, tum quia hæc desideria etsi inutilia arguunt animum paratum ad defendendum se positive, quod in casu præsenti non licet.

Confect. 2. Condemnatus juste nihil potest exterius moliri, quod defensionem positivam importet; quia defensio positiva est in tali casu prohibita, & bellum injustum, ut dicit D. Th. Sic reus juste incarceratus non potest vim inferre custodibus, non potest eos aut alligare, aut vulnerare, aut occidere, ut se a carcere expediat; quia hæc singula important defensionem & resistentiam positivam, quæ in isto casu est illicita.

Prop. 2. Accusatus damnatus injuste, potest se positive cum moderamine inculpatæ tutelæ contra judicem & Ministros ejus defendere.

Prob. 1. Ex D. Th. ibid. *Alio modo*, inquit, *condemnatur aliquis injuste, & tale judicium simile est violentiæ latronum, secundum illud Ezechielis 22. v. 27. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem; & ideo sicuti licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis Principibus, nisi forte ob scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.*

2. *Rat.* Cuilibet licitum est defendere se contra injustum aggressorem, modo servetur moderamen inculpatæ tutelæ: ergo in hoc casu licitum est innocenti injuste damnato defendere se, modo caveatur scandalum, & gravis turbatio, ut loquitur D. Th.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Quando innocens damnatur vel mortis, vel mutilationis, viis aperte injustis, potest quibuscumque mediis, modo non sint ab intrinseco mala, sese ab injusta illa pœna liberare; quia justa tunc est defensio: v. g. potest ad judicem superiorem appellare, potest amicos, aut alios, qui eum a tali pœna liberent, convocare.

Confect. 2. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundum allegata & probata, etsi in conscientia non obliget, non potest accusatus judici, ejusque Ministris positive resistere; quia licet sit coram Deo innocens, non est tamen innocens coram hominibus, judexque jus habet exequendi sententiam secundum formam juris prolatam.

Prop. 3. Homo, quantumvis reus, & juste condemnatus, non tenetur sibi ipsi pœnam, ad quam damnatus est, inferre; sed potest licite eam passive se habendo eludere.

Prob. 1. Ex D. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. *Dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur; quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem.*

2. *Rat.* Ex dictis ubi de lege pœnali, nemo tenetur pœnam corporalem inflictam a judice sibi ipsi inferre; hoc enim lex non jubet, cum ministros, carnifices scilicet, ad hunc finem destinatos habeat; ab hoc etiam ratio ipsa removet, quæ suggerit idem non debere esse agens & patiens: ergo nemo etiam damnatus a judice tenetur mortem, aut mutilationem sibi inferre. *Tenetur tamen*, inquit D. Th. *non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati.* Ibid.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Nullus homo, quantumvis reus & juste condemnatus, potest sibi mortem, aut mutilationem inferre; quia id nulla lex jubet, & natura ipsa refugit. Sic, ut ait D. Th. *si aliquis sit condemnatus, ut fame pereat, non peccat si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere esset seipsum occidere.* Ibidem. Sic pari ratione nemo, quantumvis reus, tenetur seipsum in carcerem conjicere.

Confect. 2. Quilibet, quantumvis reus, & juste condemnatus, potest sine resistentia contra justitiam se a morte, vel mutilatione liberare; quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ & membrorum conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam. Sic, ut ait D. Th. *potest fugere ab eo loco, unde duceretur ad mortem.* Sic pari ratione reus potest fugere, ne capiatur; captus potest e carcere, & vinculis, quibus detinetur, se liberare.

§. IV. *De probationibus, quæ habentur vel per testes, vel per instrumenta.*

Egimus hactenus de actore, judice, & reo; jam de probationibus agendum, quibus actor probat rem, quam intendit. Probare autem est rei dubiæ in judicio fidem facere. Probatio vero alia est animata, quæ fit per testes, alia inanimata, quæ fit per instrumenta seu scripturas: ideoque hic primo agemus de testibus, postea vero de personis publicis, seu Notariis, a quibus instrumenta publica aut conficiuntur, aut custodiuntur.

SECTIO I.

De Testibus.

Testis est ille, qui de aliquo facto controverso testimonium dicit, factum illud, quod controvertitur, quodque aliquo sensu percipi possit, vel negans, vel asserens.

De his, qui possunt, vel non possunt esse testes.

Prop. 1. Hi solum jure naturæ possunt esse testes, qui veritati dignoscendæ inservire possunt.

Prob. 1. Script. Num. 35. v. 30. *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.* Quibus verbis Deus præcipit, ut nullus accusatus unius tantum testimonium condemnetur; sed plures, & quidem graves testes audiantur, qui rei dubiæ & controversæ fidem faciant: ergo illi solum possunt esse testes, qui manifestandæ veritati possunt inservire.

2. Ex jure civ. L. 3. De test. ubi sic habetur: *Testium fides diligenter examinanda est..... Nam si careat suspicione testimonium vel propter personam, a qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri, neque gratia, neque inimicitia causa sit, admittendus est:* Ergo illi solum testes esse possunt jure naturæ, qui veritati inveniendæ inservire possunt.

3. *Rat.* Testes eo solum fine adhibentur, ut veritas

Digitized by Google

tas obscura clare pateat, & ut res controversa dilucidetur: ergo illi tantum jure naturæ audiendi sunt ut testes, qui rem dubiam certam possunt efficere, & factum incertum reddere manifestum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Jure naturæ testes esse non possunt qui carent usu rationis, quales sunt furiosi, & infantes longe a pubertate distantes: attestatio enim est actus, qui plenum usum rationis exigit.

Sic juxta jus civile, sicut furiosus testamentum facere nequit, ita nec testimonium proferre. L. 9. cod. *Qui testamenta facere possunt*.

Sic juxta jus canonicum, Can. Testes 4. q. 2. Pueri *ad testimonium infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittuntur*: juxta tamen edicti Ludovici XIV. testimonium eorum, qui accedunt ad pubertatem, accipitur, ut juxta judicis prudentiam ejusdem testimonii ratio habeatur.

Confect. 2. Jure naturali regulariter omnes in causis tam criminalibus, quam civilibus, testes esse possunt, modo plenum usum rationis habeant: ut habetur L. 1. ff. de testib.

Prop. 2. Jure positivo hi omnes a testimonio ferendo rejiciuntur, qui rationabiliter præsumi possunt agere alio motivo, quam amore veritatis.

Prob. Ex glossa super caput *Placuit* de testibus, ubi sic habetur: *Talis debet esse testis, cui nulla possit opponi exceptio*: ergo qui præsumitur agere alio motivo, quam amore veritatis, potest a testimonio ferendo rejici.

2. *Rat.* Testes eo solo fine adhibentur, ut veritas appareat: ergo hi omnes a testimonio ferendo rejici possunt, quibus aliqua potest opponi exceptio. Exceptiones autem omnes sequentibus versibus comprehenduntur.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Consectaria hujus doctrinæ.

Confect. 1. In quo explicatur hæc vox *Conditio*. A ferendo testimonio rejiciuntur qui vel ex conditione status, vel ex amicitia, vel ex parentela præsumuntur nimis favere ei, pro, vel contra quem exigitur testimonium, quia hi non censentur agere solo amore veritatis.

Sic prohibentur testimonium dicere domesticus, familiaris, cognatus, affinis, vel cui imperari potest, ut testis fiat pro eo, cui talis est: item amicus pro amico, socius pro socio sive ejusdem criminis, sive alicujus contractus: ita ff. toto titulo de testibus; attamen in consanguinitate probanda, & in matrimonio contrahendo, vel disjungendo, testes esse possunt parentes. Cap. *Videtur* Qui matrimonium accusare possunt.

Confect. 2. In quo explicatur hæc vox *Sexus*. Mulier in testamento testis esse non potest, ut diximus ubi de testamento ordinando.

Confect. 3. In quo explicatur hæc vox *Ætas*. Minor viginti annis nequit esse testis in crimine probando. L. 20. ff. *de testibus*; impuberes tamen juxta praxim Gallicanæ Jurisprudentiæ audiri possunt, & juxta prudentiam judicum pensatur eorum testimonium.

Confect. 4. In quo explicatur hæc vox *Discretio*. Ex discretione legum, qui hic subjiciuntur, prohibentur contra certas personas testimonium dicere: v. g. libertus contra Patronum. L. 12. cap. *De testibus*. Inimicus contra inimicum. L. 3. ff. *Ibid.* Hæreticus & Judæus contra Christianum. L. 21. cap. *De hæreticis*. Uxor contra maritum, & maritus contra uxorem. Ita Doctores communiter. Laicus contra Clericum. Cap. *De cætero* extra. de testibus. Tutor contra pupillum, & advocatus contra clientem, durante isto officio. Ita communiter Doctores.

Ex discretione legum, qui hic subjiciuntur, prohibentur *pro* certis personis testimonium dicere. Pro Patrefamilia domesticus, L. 24. ff. *De testibus*: pro pupillo Tutor, pro socio socius. Ita communiter Doctores. Judices, Assessores, Arbitri in causis, de quibus cognoscunt. L. 6. cap. *De postulando*. Qui de Universitate & corpore aliquo est, in causis Universitatis istius & corporis. Et nemo in propria causa. L. 20. ff. ibid.

Confect. 5. Explicatur illa vox *Fama*. A testimonio dicendo arcentur infames post latam sententiam: tales sunt 1. Publico judicio damnati, nec dum restituti. L. 3. de testibus ibid. 2. Publici criminis rei. L. 20. ibid. 3. Qui in vinculis & custodia detinentur. 4. Qui ad bestias, ut pugnarent, se locarunt, 5. Qui convicti sunt accepisse pecuniam ad testimonium dicendum, vel non dicendum. L. 3. ff. ibid 6. Damnati ob carmen famosum. L. 21. ff. ibid. 7. Mulier, quæ corpore quæstum palam facit, vel fecit. Demum omnes infamia notati. L. 6. ff. ibid.

Confect. 6. In quo explicatur illa vox *Fortuna*. Personæ viles & infimæ sortis juxta prudentiam judicis excluduntur a testimonio dicendo, quia præsumuntur facile posse corrumpi.

Confect. 7. In quo explicatur hæc vox *Fides*. Testimonium suscipi debet a judice, non leviter, sed prudenti examine. 1. Admittuntur testes, non qui se ultro offerant, sed qui vocentur, & veluti inviti deponant; qui enim ultro se offerunt, habentur, ut dicunt, subornati & suspecti. Can. 4. *Illi* 5. q. 5. 2. A testibus juramentum præexigitur, & præmonentur, ut veritatem dicant. Cap. *Tuis quæstionibus* De testibus. 3. Juramento præstito quemcumque testem judex, aut is, cui examen commissum est, examinat clam partes, separatim, adhibito Notario, qui dicta consignet, tum super articulis ab adversario exhibitis, cap. *Venerabilis* de testibus, tum super interrogatoriis, seu quæstionibus ad inveniendam veritatem necessariis, vet. g. circa locum, circa tempus, circa alias circumstantias, quæ factum, de quo inquiritur, comitatæ sunt, inquirendo, an factum illud viderit, vel audierit. 4. Depositione facta judex responsa testis eidem testi leget tum ut ejus constantia appareat, tum ut addat, vel minuat, prout testis secundum Deum opportunius judicaverit.

Confect. 8. In quo explicatur hæc vox *In testibus*. Regulariter loquendo unius testimonium nullum, sed ad minus duo testes requiruntur; quia juxta Scripturam, ad unius testimonium nullus condemnabitur. Num. 25. v. 1. & Deut. 19. *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ sit obligatio ferendi testimonium.

Prop. unica. Quoties quis legitime interrogatur, toties tenetur testimonium reddere veritati; si vero recuset, peccat, & tenetur damna reparare, quæ ex ejus silentio oriuntur.

Prob. 1. Script. Deut. 19. v. 15. ubi sic habetur: *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*: ergo cum judex nihil valeat determinare, nisi post juridicam duorum, vel trium testium confessionem, consequens est quod ipsi testes judici legitime interroganti teneantur respondere.

2. Ex August. apud D. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. *Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult: hic, quia nocere desiderat.*

3. Ex D. Th. ibid. *Si requiritur testimonium alicujus subditi auctoritate Superioris, cui in his, quæ ad justitiam pertinent, obedire tenetur; non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundum ordinem juris testimonium ab eo exigitur, puta; in manifestis, & in his, de quibus infamia præcessit.*

4. Quilibet tenetur obedire legitimo superiori legitima legitime imperante, ut patet ex dictis ubi de lege: atqui judex in nostro casu est legitimus superior; & testi legitima legitime imperat; quia, ut supponimus, non interrogat nisi secundum formam juris: ergo testis debet obedire: ergo testimonium proferre; tenetur vero damna reparare, si recusat; quia peccat contra justitiam, ut diximus ubi de restitutione.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Regulariter omnes tam Clerici quam Laici, tam sæculares, quam regulares cogi possunt ad testimonium ferendum, idque tam in civilibus, quam criminalibus causis, nisi vel excusentur, vel prohibeantur; si enim cogi non possent, vel innocentes injuste accusati defectu testium innocentiam ejus manifestantium damnarentur, vel rei juste accusati defectu testium crimen commissum non manifestantium injuste absolverentur: & sic qui testimonium ferre recusarent, rei essent vel injustæ condemnationis contra innocentem, vel iniquæ absolutionis erga reum: quia juxta glossam, *consentire est tacere, cum possis arguere.*

Consect. 2. Illi omnes ad ferendum testimonium cogi nequeunt, qui lege vel naturali, vel positiva tum divina, tum ecclesiastica, tum civili a ferendo testimonio excusantur; quia tunc non servaretur ordo juris.

Sic juxta D. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. *De his, quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet* Confessarius *testimonium ferre, quia hujusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei minister; & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto.* Solvere quippe sigillum confessionis vetat lex naturalis, lex positiva, tum divina, tum ecclesiastica, tum civilis.

Sic juxta eumdem D. Th. ibid. ea, quæ sub secreto naturali sunt commissa, manifestari non debent; *quia servare fidem est de jure naturali: nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali*, nisi secretum vergeret vel in periculum boni publici, vel in damnum innocentis, quo casu tenetur homo vel testimonium ferre, vel denunciare; quia jus naturale jubet, ut bonum publicum prius conservetur, quam particulare, & quod puniatur reus potius, quam innocens.

Sic juxta jus civile a ferendo testimonio excusantur cognati in linea recta, & collaterales, & sic ascendentes: v. g. parentes & liberi nec pro se, nec contra se invicem testimonium proferre possunt: ff. L. 9. de test.

Sic collaterales v. g. fratres & sorores, germani & germanæ nec pro se nec contra se invicem testimonium proferre possunt.

Sic affines, qui in vicem parentum & liberorum habent respectum, puta, vitricus & privignus, socer & gener, nec pro se, nec contra se testimonium proferre possunt.

Consect. 3. Non solum tenemur testimonium reddere veritati, quoties interrogamur juridice; sed etiam quoties ex silentio nostro *vel honor Dei, vel utilitas proximi* contrarie subtraheretur, ut docet D. Th. loquens de professione fidei, idest quoties ex defectu nostri testimonii aut Deus *positive* inhonoraretur, aut proximus noster innocens *injuste* opprimeretur; quia in his circumstantiis silentium nostrum causa esset culpabilis vel blasphemiarum, quibus Deus impeteretur, vel injustæ calumniæ, qua proximus noster innocens reus apud homines haberetur.

Sic Christum injuste accusatum, calumniis oppressum, & blasphemiis inhonoratum, ultro & sponte innocentem declararunt Judas ipse proditor, Matth. 27. v. 4. Uxor Pilati Matth. 27. v. 19. Pilatus ipse. Ibid. v. 24. Centurio & alii. Ibid. v. 5. Bonus latro. Luc. 23. v. 15.

Sic Davidem a Nabal latrocinii accusatum excusant servi Nabal. 1. Reg. 25. v. 15. *Homines isti*, inquit, *boni satis fuerunt nobis: & non molesti... pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die.* Sic David ultro & sponte Saulem & Jonatham publice excusat, & laudat, utriusque fortitudini testimonium reddens. *Quomodo ceciderunt*, inquit, *fortes in prælio?* 2. Reg. cap. 1. v. 25. Sed innocentem Susannam injuste damnatam divinitus suscitatus tuitus est Daniel; cum enim Susanna raperetur ad supplicium, Daniel *exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus;* & rem ulterius urgens, ait: *Revertimini ad judicium: quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam*: eos autem accusatores falsi testimonii convictos populus interfecit. Daniel. cap. 13.

Quæ culpa committatur per falsum testimonium.

Prop. 1. Quicumque falsum testimonium profert, peccat mortaliter.

Prob. 1. Script. *Si steterit testis mendax... non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exigas.* Ergo cum falsum testimonium tam rigide puniatur, signum est esse peccatum mortale.

2. Ex utroque jure. Falsi testes, juxta jus canonicum, excommunicantur, juxta vero jus civile puniuntur pœna capitis: ergo est peccatum mortale; quia tam gravis pœna non debetur nisi peccato mortali.

3. Ratio

5. *Rat.* Falsum testimonium est 1. Perjurium quia testes non respondent judici, nisi ab eis elicito juramento. 2. Est peccatum contra justitiam. Atqui perjurium est peccatum mortale ex sua natura, sicut & peccatum contra justitiam. Ergo falsum testimonium est peccatum mortale. Deinde falsus testis injuriam facit Deo, judici, & innocenti. Deo cujus præsentiam pejerando contemnit; judici, cujus bonam fidem mentiendo decipit; innocenti, quem falso testimonio lædit vel in vita, vel in honore, vel in bonis fortunæ: ergo falsum testimonium peccatum est semper mortale triplicem continens deformitatem, primam contra Deum, secundam contra judicem, tertiam vero contra innocentem.

Falsus autem testis censendus est, non solum ille, qui rem, quam scit certo falsam, pro vera asserit; sed etiam ille, qui rem dubiam pro certa asserit. *Non debet homo*, inquit D. Th. *pro certo asserere, quasi sciens id, de quo certus non est; sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est, pro certo asserere.* 2. 2. q. 70. a. 4. ad 1.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando falsum testimonium non fuit causa efficax damni contra proximum, vel quia judex non credit falso testi, vel quia judex jam lite pene completa ex illo falso testimonio nihil omnino motus fuerit, tunc falsus testis ad nullam restitutionem tenetur, sed maxime ad pœnitendum coram Deo obligatur; quia, ut diximus ubi de restitutione, qui non est causa efficax damni, ad restitutionem obligari non debet.

Consect. 2. Quando falsum testimonium causa fuit efficax damni contra proximum, qui falso testatus est, tenetur ad impeditionem, vel reparationem omnium damnorum, quæ ex tali falso testimonio subsequuntur.

Sic si jam damnum factum sit, tenetur famam reparare, si famam abstulerit; bona temporalia compensare, si ea læserit; damna realia ex injusta morte sequentia reparare: quia juxta August. non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Sic, si damnum jam factum non sit, sed futurum, falsum testatus tenetur cum pari sui ipsius periculo damnum proximo eventurum reparare; quia in damno æquali melior est conditio innocentis: v.g. diffamationem proximi per sui diffamationem, occisionem injustam proximi innocentis etiam per sui ipsius mortem tenetur impedire; bonorum vero temporalium jacturam per propriam bonorum temporalium perditionem tenetur impedire.

SECTIO II.

De Notario.

NOtarius est ille, qui contrahentium voluntatem? tamquam testis publicus scribit, quique instrumenta publica tamquam depositarius publicus custodit.

Prop. Duo præcipue requiruntur in Notario. 1. Scientia, qua observet solemnes contractuum formulas. 2. Fidelitas, qua nihil contra æquitatem, & veritatem sinat in suis scriptis irrepere.

Prob. Notarius est publicus voluntatum contrahentium depositarius: ergo ea peritia debet esse instructus, ut observet solemnea contractuum formulas, alias enim contractus essent invalidi: & insuper ejus debet esse fidelitatis, ut nihil contra veritatem, & æquitatem admittat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat Notarius defectu scientiæ, si solemnitates in contractibus necessarias omittat. *Manifestum est autem*, inquit D. Thom. *quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis.* Ideo edictis regiis cavetur, ut Notarii non admittantur, nisi & capaces, & idonei reperti.

Consect. 2. Peccat Notarius defectu fidelitatis & veracitatis, quoties in instrumento publico mentitur vel circa diem, vel circa res, quæ sunt materia contractus: v. g. si instrumentum, quod tali die, mense & anno fit, die, mense, anno prioribus, vel posterioribus factum scribat: si scribat contrahentes esse præsentes, cum præsentes non sint: si attestetur numeratam esse pecuniam, cum reveta numerata non fuerit, quod gravissimum peccatum est. 1. Quia est mendacium, quod juxta Scripturam in omni casu est illicitum juxta illud: *Nolite velle loqui omne mendacium.* 2. Quia est perjurium, cum jurent Notarii se nihil falsi in suis instrumentis publicis scripturos. 3. Quia mendacium illud est semper Notariis periculosum; cum exponant sese periculo & diffamationis, & pœnæ capitalis, si forte ea falsitas coram Judice probari possit.

Sic peccant pariter contra fidelitatem & veritatem, si in depositione testium aliquid addant, vel detrahant non levia momenti: si item in voluntate contrahentium aliquid addant, vel minuant: si amisso instrumento publico, v. gr. testamento, vel contractu, aliud simile confingant, quia in singulis illis casibus agunt contra veritatem, quam se fideliter observaturos jurarunt: nec excusantur per hoc, quod si perdito vero instrumento non confingant simile, magnum damnum patientur; quia, ut ait D. Thomas, non licet aliqua illicita ordinatione uti ad impediendum nocumentum..., sicut non licet furari ad dandam eleemosynam.

Sic peccat pariter Notarius contra veritatem, si scribat Testamentum hominis usu rationis destituti: si testes falsos admittat: si ad privandum vel Regem, vel Dynastas solutione censuum & landemio, naturam contractuum immutet, & scribat partes iniisse permutationem, cum veram venditionem inierunt: item si ex animo utatur verbis æquivocis, ut partes contrahentes decipiat.

Consect. 3. Peccat Notarius defectu justitiæ & æquitatis, quoties aut ipse justitiam violat, aut partibus contrahentibus justitiam violantibus connivet: ipse autem Notarius justitiam violat, si exigat aliquid ultra taxatum pretium, si nolit ostendere instrumenta publica iis, quibus sunt necessaria, v. gr. testamenta hæredibus, legatariis, aut si pro exhibendis hujusmodi instrumentis excedens pretium extorqueat: connivet vero partibus violantibus justitiam commutativam, cum contractus aperte usurarios, aut ex præsumptione usurarios, suscipit.

SE-

SECTIO III.

De Advocato, & procuratore.

ADvocatus & procurator sunt hi, qui causas litigantium defendendas suscipiunt, Quatuor requiruntur in Advocato & procuratore. Primo quidem legum notitia. 2. Fidelitas erga clientem. 3. Causæ susceptæ æquitas. 4. Moderatum pretium: quæ omnia sequentibus propositionibus expendemus.

Prop. 1. Advocatus & procurator debent habere scientiam convenientem: v. g. Advocatus debet habere peritiam legum: procurator vero notitiam formalitatum juris.

Prob. 1. Script. Judicibus dicitur: *Erudimini, qui judicatis terram:* Psal. 2. v. 10. Ergo & idem dici potest Advocatis: decet enim Advocatos sicut & judices sapientes esse, & in lege doctissimos, ne dicere valeant, tamquam legem ignorantes, bonum malum, & malum bonum.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 71. a. 2. in corp. *Est enim*, inquit; *necessaria Advocato & interior peritia, qua possit convenienter justitiam assumptæ causæ ostendere, & iterum loquela cum auditu, ut possit pronunciare, & audire, quod ei dicitur:* ergo procurator & Advocatus debent habere peritiam competentem.

3. *Rat.* D. Th. *Quicumque negligit habere, & facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis*, inquit D. Th. 1. 2. q. 76. art. 1. in corp. Ergo procurator & Advocatus, qui non habent scientiam competentem, peccant peccato omissionis, & ex vi talis omissionis tenentur ad restitutionem, si damnum aliquod clientibus causaverint.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui Officium Advocati exercet, si non fit graduatus in altero jurium; quia ita jubet edictum Francisci I. an. 1535. Cap. 4. a. 1. Item peccant procuratores, qui Officium procuratoris exercent antequam sufficienter ad hoc eruditi inventi fuerint. Ita jubet edict. Ludovici XII. an. 1507. a. 118.

Consect. 2. Peccant Advocatus & procurator, si licet aliunde sufficienter periti, tamen vel per negligentiam, vel propter negotiorum multitudinem, non sufficienter causas clientium suorum examinent, & tenentur ad restitutionem damni, quod causant: qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur.

Prop. 2. Procurator & Advocatus inviolabilem debent clientibus fidelitatem.

Prob. 1. Script. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est, celat amici commissum:* Proverb. 11. v. 13. Ergo cum Advocatus & procurator sint clientium suorum amici, eis inviolabilem debent fidelitatem.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 71. a. 2. ad 2. Dicendum, quod Advocatus, si in principio credit causam justam, & postea in processu appareat eam esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet, &c. Ergo numquam licet Advocato vel procuratori clientem suum fraude aliqua decipere, sed ei debet salvo jure conscientiæ inviolabilem fidelitatem exhibere.

3. *Rat.* Procurator & Advocatus sunt erga clientes, quod amici erga amicos, medici erga ægrotos, immo quod parentes erga filios; quia clientes committunt sese Advocatis, sicuti amicus amico, ægrotus medico, & filius parenti: atqui inviolabilem debet fidelitatem amicus amico, medicus ægroto, & parens filio: ergo eamdem debent fidelitatem Advocati & procuratores suis clientibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant graviter Advocati & procuratores, qui duobus inter se litigantibus simul consilium offerunt; ea enim agendi ratio est aperte contra eam fidelitatem, quam utrique litigantium debent: ideo illud expresse vetatur edicto Francisci I. art. 33.

Consect. 2. Peccant graviter Advocati & procuratores, qui clientum suorum secreta in præjudicium illorum alicui aperiunt; nullo enim pacto ea possunt prodere, quæ eis sub secreto commissa sunt, ut docet D. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. Quæ sub secreto alicui committuntur, nullo modo tenetur quis ea prodere etiam ex præcepto superioris; *quia servare fidem est de jure naturali; nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.*

Prop. 3. Advocatus & procurator non possunt nisi eas causas defendendas suscipere, quas justas bona fide arbitrantur.

Prob. 1. Script. ex 2. Paralip. 19. ubi sic habetur. *Impio præbebas auxilium, & idcirco iram Domini merebaris;* sed Advocatus defendens causam injustam, impio præbet auxilium: ergo peccando iram Domini meretur.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 71. a. 3. in corp. ubi sic habetur: „ Manifestum est autem, quod Advocatus & „ auxilium & consilium præstat ei, cujus causæ pa- „ trocinatur: unde si scienter injustam causam defen- „ dit, absque dubio graviter peccat, & ad restitu- „ tionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam „ per ejus auxilium altera pars incurrit.

3. *Rat.* Qui cooperatur injustitiæ, peccat; *quia digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* sed Advocatus & procurator scienter defendendo causam injustam, cooperantur injustitiæ: ergo peccant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando procurator vel Advocatus aperte vident injustam esse eam causam, quæ eis offertur defendenda, debent incunctanter eam rejicere, alioquin & peccant, & ad restitutionem tenentur, ut diximus ex D. Th. & expresse docet Aug. Epist. 155. ad Macedon. *Verumtamen*, inquit, *si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocate, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.*

Consect. 2. Quando procurator vel Advocatus initio litis putant causam sibi oblatam esse justam, possunt eam defendendam suscipere; sed ubi agnoscunt eam esse aperte injustam, debent ab ea desistere, & clienti suadere, ut a litigando desistat, & cum parte sua litem componat: ita expresse docet D. Th. ibid. ad 2. *Si advocatus*, inquit, *in principio credidit causam justam esse, & postea in processu* appa-

Digitized by Google

apparent eam esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet; potest tamen & debet causam deserere, vel eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.

Confect. 3. Quamvis Procurator & Advocatus vident aut in initio, aut in progressu litis probabiliora rationum momenta stare pro adversa parte, quam pro suo cliente, statim ubi advertunt minorem illam probabilitatem, debent illico defensionem abjicere ejus causæ, quam minus justam arbitrantur; si secus fecerint, peccabunt. 1. Contra prudentiam, quæ jubet, ut relicto minus probabili, quod tutius & simul probabilius est eligamus. 2. Contra bonam fidem; quia abutuntur clientis credulitate, spondentes faustum exitum causæ minus probabilis contra probabiliorem. 3. Contra justitiam, quia aut clientem exponunt expensis frustratoriis, si lite sua ceciderit, aut saltem adversario damnum paratur, si contra probabiliora rationum momenta ita jus adversariæ partis obscurent, ut judex contra eum pronuntiet, quia pro se habet firmiora rationum momenta.

Confect. 4. Peccant Advocati & Procuratores, qui ad ostendendam artis suæ peritiam causas quascumque etiam desperatas suscipiunt. 1. Quia ea generali dispositione justitiæ simul & injustitiæ indifferenter patrocinantur, cum tamen soli æquitati defendendæ debeant insistere. 2. Contra instituti sui finem intricant quæ debent extricare, obscurant quæ debent explicare, demum æquitatem opprimunt, quam ex officio tueri debent. Nec laudandus Advocatus, qui causas desperatas suscipit, sicut laudandus Medicus, qui desperatam infirmitatem sanat; nam, ut optime ait D. Thomas, Medicus accipiens in cura desperatam infirmitatem nulli facit injuriam; Advocatus autem suscipiens causam injustam, injuste lædit eum, contra quem injuste patrocinium præstat .... & peccat quantum ad injustitiam voluntatis, quia abutitur arte ad malum.

Prop. 4. Advocatus & Procurator licite possunt justum pretium accipere & exigere.

Prob. 1. Script. Dignus est operarius mercede sua, inquit Christus; & nemo militat stipendiis suis, inquit Paulus: ergo Advocatus & Procurator licite possunt justum pretium accipere & exigere.

2. Ex Aug. *Advocatus licite vendit justum patrocinium, & juris peritus justum consilium.* Epist. 155. ad Maced.

3. *Rat.* Quilibet potest licite justum pretium accipere ex illo labore, quem non debemus alteri; atqui nec Procurator, nec Advocatus tenentur ex justitia aut consilium aut patrocinium dare alteri: ergo & Procurator & Advocatus possunt justum pretium laboris sui accipere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur Procuratores, & Advocati, qui excedens pretium contra præscriptum Reipublicæ extorquent: ideo dicit Aug. ibid. *Quod extorta ab Advocatis per immoderatam improbitatem repeti solent; data vero per tolerabilem consuetudinem non solent.*

Confect. 2. Peccant contra caritatem Procuratores & Advocati, quando pauperibus in extrema aut urgenti necessitate constitutis non opitulantur: ut docet D. Th. 2. 2. q. 71. a. 4. ad 1. Vide dicta de Eleemosyna in primo Tomo.

Monit. Quando locutus sum de peccatis Judicum, Procuratorum, Advocatorum, Notariorum, Tabellionum, & demum eorum omnium, qui forensibus causis occupantur, ex industria nihil dixi de specialibus statutis a Rep. stabilitis, quæ se observaturos sub juramento promittunt Judices, Advoc. Procur. Not. & Tabelliones; sed prudens Confessarius caute quærat a suo pœnitente, quis sit tenor juramenti, quo adstrictus est, cum Officium suum suscepit, quodque singulis annis renovat; & ex formula & tenore juramenti discet quænam sunt statuta, quæ sub pœna perjurii observare tenetur, & proinde varia peccata, quæ a forensibus viris committuntur, quæque alia via nequeunt Confessariis innotescere.

CAPUT III.

De munere docentium & discentium, seu quæ sint Officia Magistrorum docentium publice, & Scholasticorum publicas Academias frequentantium.

PROOEMIUM.

Caput istud in tres sectiones dividemus. In prima explicabimus, quæ sit necessitas Magistri publici; quæ ejus dotes; quod exemplum possit sibi proponere, ut fideliter exequatur omnia & singula Officia, quæ debet tum sibi qui docet, tum discipulis qui docentur, tum veritati quæ exponenda est. In secunda explicabuntur præcipua discipulorum publicas scholas frequentantium munia. In tertia indicabimus, quibus mediis liberales disciplinæ, eum, quem merentur, splendorem consequi possint.

SECTIO PRIMA.

De munere docentium publice.

ARTICULUS I.

Quam necessarii sint Reipublicæ tum Christianæ, tum civili, Magistri publici.

PRop. unica. Magistri publici sunt Reipublicæ tum Ecclesiasticæ, tum civili maxime necessarii. Tales sunt primo Grammatici, qui pueros ad legendum, scribendum, & congrue loquendum efformant. Secundo Rhetores & Dialectici, qui adolescentes ad ratiocinandum, & ornate disserendum instituunt. Tertio artium quarumcumque liberalium Magistri, qui eas artes, quas liberales vocant, Philosophiam scilicet, & Mathematicam demonstrant. Quarto Jurisperiti, qui utrumque jus Canonicum & Civile explicant. Quinto Theologi, qui Christianæ Religionis dogmata exponunt.

Prob. 1. Ex usu perenniter observato in Synagoga, in Ecclesia, immo in Paganismo. In Synagoga quidem ea semper viguit consuetudo, ut pueris edocendis præficerentur Magistri publici, qui in schola publica super subsellia stantes ad pedes haberent sedentes pueros, quos instruebant: ideo Paulus ad illum usum alludens, fatetur se instructum fuisse ad pedes

pedes Gamalielis. Observata pariter est eadem lex apud Christianos, ut testatur Eusebius lib. 5. cap. 10. Hist. Eccles. ubi loquens de Panteno, publico Scholæ Alexandrinæ Magistro, hæc ad nostrum propositum dicit: *Jam inde*, inquit, *a priscis temporibus sacrarum litterarum Schola in ea civitate fuerat instituta, quæ quidem nostra adhuc ætate perseverat, & ab hominibus tum eloquentia, tum divinarum litterarum instructissimis obtineri dicitur*. In eodem publico munere docendi sese exercuerunt Clem. Alex. Origenes, aliique non pauci insignis eruditionis viri. Munus pariter docendi publice non despexit Paganismus, quamvis aliunde tenebris undequaque circumfusus; erant enim in celeberrimis urbibus Scholæ publicæ, in quibus non modo juvenes, sed etiam jam provecta ætate viri docebantur. Inde natæ sunt diversæ Philosophantium Sectæ: ergo Synagoga, Ecclesia, immo & Paganismus, publicos Magistros maxime necessarios judicarunt.

2. Ex erectione Universitatum & Societatum, in quibus munus docendi publice ex Officio exercetur. Is est, semperque fuit cujuscumque Reipublicæ usus, ut pueris instituendis Magistros publicos præficiat, qui teneram eam ætatem circa liberales disciplinas, circa mores & religionem edoceant. Postremum istud munus, docendi scilicet religionem, quasi sibi proprium Christus assumpsit, & illud idem Officium suis tum Apostolis, tum discipulis, eorumque successoribus, scilicet Episcopis & Parochis commisit: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes*. Ideo primo nascentis Ecclesiæ exordio non alii erant Magistri, quam Pastores, qui tam juvenes, quam senes Religionem edocebant; sed cum crescente in dies Christianorum numero, singulis instituendis non sufficerent Episcopi & Parochi, munus docendi pueros publicis Magistris commissum est; ea tamen cautione, ut dum liberalibus disciplinis explicandis incumberent, circa religionem exponendam in primis occuparentur. In eo munere excelluerunt omni tempore, omni ætate insignes viri, qui Religionis Doctrinam cum liberalium artium institutione fructuose conjunxerunt. Sed cum privati homines vix possent tot erectis scholis sufficere, auctoritate Papæ, Regumve munificentia erectæ sunt Universitates, qualis est v. g. Parisiensis, Lovaniensis, Salmanticensis, &c. quarum alumni non alio, quam discendi & docendi munere occupantur. Institutæ sunt Sacræ Societates, quarum subditi ex Officio, ex obedientiæ voto, in publicis Collegiis pueros instituendos suscipiunt: tales sunt patres Somaschi, Barnabitæ, Jesuitæ, Patres Doctrinæ Christianæ, & Oratorii, qui cum Officium illud nonnisi auctoritate Papæ, & Regio diplomate exerceant, munus docendi publice & Ecclesiæ & Reipublicæ maxime necessarium evincunt.

3. Ex jure Canonico, Can. *De quibusdam* dis. 77. ubi sic habetur: *Omnino cura & diligentia adhibeatur, ut Magistri constituantur, qui studia litterarum, liberaliumque artium dogmata assidue doceant; quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata*: & Cap. *Quia nonnullis* de Magistris illud præcipitur: *Eligendus est qui clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate, ac aliis instruat juxta posse*: Ergo habemus ex jure Canonico, quam necessarii sint Magistri publici. Idem ostendit jus civile, dum varia privilegia ab Imperatoribus Professori publico concessa enumerat.

4. *Rat.* Illi Magistri sunt in utraque Republica ecclesiastica & civili maxime necessarii, qui juventutem ad Christianismum efforment, & ad civilem societatem instituant, ut patet: atqui hoc præstant Magistri publici; quippe dum edocent, quo pacto pueri varias litterarum figuras discernant, quomodo characteres efforment, qua arte congrue loquantur, ornate perorent, vere apprehendant objecta, de his prudenter judicent, accurate discurrant; dum iidem Magistri artes liberales explicant, leges exponunt, Religionis Mysteria enucleant, quid quæso aliud efficiunt? hominem ex agresti civilem, ex impolito politum, ex feroci mansuetum reddunt, demum ad vivendum sancte & christiane alliciunt. Ideo Julianus apostata publicas Christianorum scholas interdicto clausit, nactus & expertus, nihil esse schol s publicis ad propagandam Religionem Christianam efficacius: ergo Magistri publici sunt maxime necessarii.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hi, quibus ex Officio incumbit publicos Magistros seligere, debent totis viribus eniti, ut homines tanto muneri idoneos eligant; si enim tam impense sumus solliciti in reperiundo agricolas non inertes, opiliones vigiles, famulos sagaces; quorsum negligimus inquirere Magistros publicos pueris instituendis maxime pares? An agrorum culturam, armentorum curam, rei domesticæ custodiam pluris facimus, quam rectam puerorum institutionem? Cum tamen ex sola puerorum educatione domestica pax, Ecclesiæ nitor, Reipublicæ ornamentum omnino pendeant; debent igitur hi, quibus hæc cura demandatur, aptos Ministros, qui publice docturi sunt, quavis sollicitudine inquirere, ubivis gentium sint reperire, & repertos quovis pretio evocare & retinere. De Magistris enim publicis eadem ferme dici possunt, quæ Hormisda Papa dicit de Presbyteris, scribens ad Episcopos per Hispanias ep. 3. *In Sacerdotibus*, inquit, *eligendis curam oportet esse perspicuam; irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis*.

Sic Ecclesiæ & Reipublicæ Primates quales sunt episcopi in sua Diœcesi, Parochi in sua Parochia, Proreges in Provinciis, Consules in urbibus, debent invigilare, ut idonei Magistri scholis præficiantur, a quibus pueri bonis litteris imbuantur, honestissimis disciplinis erudiantur, saluberrimis Philosophiæ præceptis efformentur, circa leges, circa dogmata fidei, ut par est, instruantur. Sic Superiores earum Societatum, quibus pueris educandis ex Officio incumbit cura, debent maxime cavere, ne scholas sibi commissas imparibus magistris regendas exponant: fallerent quippe publicam fidem contractuum, quibus se cum urbibus obstrinxerunt, polliciti se juventutem & circa pietatem, & circa liberales disciplinas accurate educturos. Sic cum Cathedra vel artium, vel Juris, vel Theologiæ, disputationi subjicitur, hi, qui jus habent ferendi suffragii, debent ex concertantibus digniorem seligere: *Absurdum enim*, inquit *Leo*, *ut imperiti Magistris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis*. Epist. 85. ad Episcopos Africanos. Si enim

leges

leges severissime animadvertant in eos, qui publicos fontes occludunt, aut sponte fluentes aquas divertunt, aut aquarum latices perturbant, aut quod pejus est, veneno occulto inficiunt; quanto majori crimine se commaculant injusti illi electores, qui cum obvium habeant eruditum professorem, inter concertantes digniorem, qui puris aquis Doctrinæ purissimæ sitientem juventutem explebit, aut importunis precibus flexi, aut inani metu concussi, aut turpi lucro corrupti, posthabito digniori, ignarum suo donant suffragio, qui nihil nisi obscurum promet, nihil nisi indigestum effutiet, qui, utpote insigniter ignarus, aut saltem longe minus doctus, non nisi ignaros discipulos efficiet, quos alter eruditos reddidisset? Quid est hoc, nisi puras aquas aut divertere, aut perturbare, aut quod indignius est, veneno inficere?

Consect. 2. Gravissime peccant prædicti omnes, qui scholis publicis eum præficiunt, quem sciunt certo indignum, aut qui minus dignum, posthabito digniori, eligunt. Peccant primo contra Deum, qui sicut vult ad Beneficia digniores eligi, ita vult aptiores ad munus publice docendi evehi; non enim minor videtur requiri fidelitas in eligendo professore publico, quam Beneficiario; Beneficiarius quippe solam plebem instruit; Professor publicus Clerum, a quo instruendus est populus; Plebs deficiente Parocho, doctores habet quam plurimos, quos consulat, Sacerdotes, Religiosos, Laicos eruditos; Scholastici vero, qui Academias frequentant, non alium habent doctorem, a quo doceri possint, quam illum, qui publico suffragio electus est; proinde istius inscitia est longe magis noxia, quam Beneficiarii inscitia. Secundo, qui minus dignum Magistrum eligunt, peccant contra Ecclesiam, contra Rempublicam, cui injuste subripiunt eas omnes utilitates, quæ ex rectiori puerorum institutione orituræ fuissent, si dignior fuisset electus. Tertio, peccant contra pueros ipsos, quibus optimam institutionem subtrahunt. Quarto, peccant contra edicta Regia, quibus cavetur, ut in hujusmodi disputationibus dignior eligatur: sic enim habet edictum Blesense art. 76. *Sera preferè celui qui . . . aura eté trouvè le plus digne par le jugement des Docteurs Regens de la dite faculté*. Quinto, peccant contra Religionem juramenti: siquidem omnes Ecclesiæ & Reipublicæ Primates expresse juramento se obligarunt, ea se fideliter & exacte adimpleturos, quæ ad majus & Ecclesiæ & Reipublicæ bonum spectare judicaverint, quo haud dubie pertinet dignioris Magistri electio. Doctores vero publici, qui suffragio suo Magistrum publicum electuri sunt, hoc se solemni juramento devinciunt antequam ad electionem procedant: *Juro tactis Sacro-Sanctis Evangeliis, me ad Cathedram vacantem digniorem electurum ex animi mei sententia, & nemini meum suffragium promisisse neque directe, neque indirecte.*

Videant ergo electores, quibus quantisque se se peccatis onerent, dum Magistrum publicum, aut certo indignum, aut etiam minus dignum assumunt. Ex iniqua electione prodeunt justa studiosæ juventutis murmura, quæ merito plangit, dum ei panis doctrinæ subripitur; & infeliciter evenit illud Prophetæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Thren. 4. v. 4. Hinc pariter oritur frequentissime juventutis corruptio, quæ ubi sentit se digniori Professore injuste orbari, fastidium erga litteras concipit: quod tædium studii ubi semel contraxit, in omne vitiorum genus præceps prolabitur; hinc ignari Sacerdotes, nuuli Parochi, imperiti judices, ad justam & injustam causam defendendam proclives Advocati, tam æquitatis, quam iniquitatis defensores; hinc scholæ publicæ, Universitates desertæ: hinc est quod sileant Academiarum pulpita, langueant studentium disputationes, & quod omnes liberales disciplinæ, remoto omni æmulationis stimulo penitus obscurentur. Demum cum juxta statuta facultatis Parisiensis 2. 1. *Omnium Regnorum & populorum felicitas, tum maxime Reipublicæ Christianæ salus a recta juventutis institutione pendeat, quæ quidem rudes adhuc animos ad humanitatem flectit, steriles alioquin & infructuosos Reipublicæ muniis idoneos & utiles reddit, Dei cultum, in parentes & patriam pietatem, erga Magistratus reverentiam, & obedientiam promovet*; consequens est, ut tot bonorum jactura in eos refundatur, qui Magistros, aut certe indignos, aut minus dignos, posthabitis dignioribus, eligunt.

Consect. 3. Prædicti omnes, qui vel indignum, vel minus digniuor, neglecto digniori, assumunt, non solum gravissime peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur ingentis illius damni, quod Respublica Ecclesiastica & civilis patitur, & illius detrimenti spiritualis, quod innoxia juventus incurrit, dum loco eruditi Professoris ignarus & minus eruditus in cathedra statuitur; quia injusti illi electores nonmodo justitiam distributivam violant, denegando Cathedram digniori; sed etiam justitiam commutativam offendunt, dum damnum injuste inferunt Ecclesiæ, & Reipublicæ, & juventuti: & hæc injustitia longe deterior est, quam sit ea, qua nobis bona fortunæ subripiuntur: ut docet Isidorus Hispalensis lib. 3. de summo bono, Cap. 38. *Deteriores sunt*, inquit, *qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Nam multum distant damna morum a damnis temporalium rerum, dum ista extra nos sunt, mores vero in nobis.* Illud autem damnum inferunt & Ecclesiæ, & Reipublicæ, & juventuti, qui eis eruditos Magistros subtrahunt, & minus eruditos præficiunt.

Monit. Ingens illud damnum ex injusta hac electione proveniens ab electoribus reparandum esse nemo diffitetur: quia, juxta Augustinum, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Sed quo pacto ea restitutio fieri valeat, non video. Qui fiet, ut resarciantur ea singula damna, quæ intulit Ecclesiæ ignarus Pastor, aut in Rempublicam invexit ineruditus Magistratus? Qui fiet, ut juventuti reddat illud tempus, quod infeliciter insumptum est in addiscendis scriptis vel obscuris, vel male digestis, immo aliquando opinionum aut in fide, aut in moribus periculosarum plenis? Nullum aliud huic malo remedium afferri potest, quam ut fusis apud Deum precibus Patremfamilias enixe postulemus, ut mittat operarios in vineam suam, qui eradicent vepres erroris, & plantent frutices veritatis; item ut mittat Magistros veraces, qui non accipiant personas hominum, sed viam Domini

in veritate doceant. Item rogemus suppliciter Deum, qui Doctores mittat, inter quos non sint schismata, quorum alii non dicant: Ego Pauli, Ego vero Cephæ; sed singuli istud unum ambiant: *ego autem Christi*.

ARTICULUS II.

Qualis debeat esse qui ad munus publice docendi eligitur.

PRop. unica. Qui ad munus publice docendi eligitur, debet esse immunis ab illis cordis, mentis, & corporis defectibus, qui Scholasticos a studio removere possent: oportet, ut sit corpore sanus, ingenio sagax, integer moribus, ut cuncta, quæ in eo sunt, discipulos attrahant, & ad studendum suaviter alliciant.

Prob. 1. Exemplis desumptis ex Scriptura, Christus missus a Deo ad docendum omne genus humanum, Apostoli missi a Christo ad docendas omnes gentes, Prophetæ illuminati ad docendos Judæos, nullos habebant, quod sciamus, defectus vel cordis, vel mentis, vel corporis, quibus audientes a docilitate retraherentur: Christus enim erat corpore speciosus, mente omniscius, probitate sanctissimus: idem cum aliqua proportione de Apostolis & Prophetis dici potest: ergo cum aliquem ad munus publice docendi eligimus, quantum fieri potest, debemus præcavere, ut qui assumantur, iis defectibus immunes sint, qui discipulos a studio possint removere.

2. Ex jure Canonico. Ecclesia excludit a Clero eos, qui sunt irregulares vel ex defectu corporis, vel ex defectu animæ, vel ex defectu natalium; quia defectus illi possent efficere, quod plebs minus esset docilis, minusque venerabunda erga Pastores, & erga Clerum: atqui iidem defectus, eamdem indocilitatem & contemptum potiori jure puerorum mentibus ingerunt: ergo si prædicti defectus reddunt ineptos ad statum Clericalem, reddunt a fortiori ineptos ad docendi officium: pueri quippe magis ducuntur sensibus, quam homines jam graves, & ad maturam ætatem perducti.

3. *Rat.* Qui sibi aliquem finem proponit consequendum, debet ea omnia arcere, quæ a consequendo fine removent: ergo qui Magistros scholis præficiendos eligit, debet ab hujusmodi exercitatione eos removere, qui his scatent vitiis vel corporis, vel mentis, vel cordis, quibus auditores a fructibus ex præceptis & doctrina Magistrorum percipiendis possent deterreri: ergo seligendi sunt Magistri, qui careant defectibus tum corporis, tum mentis, tum cordis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De defectibus corporis.* A munere docendi publice excludi debent hi, quorum distorta corporis configuratio aut risum, aut contemptum tantisper posset excitare: vix enim credi potest, quantum horrorem erga litteras puerorum mentibus ingerat corporis difformitas, nisi hic defectus præcelsa mentis sublimitate compensetur. Sint ergo, quantum fieri potest, Magistri publici corpore bene compositi, gestibus concinni, vestibus venerandi, soloque sui aspectu reverentiam inspirent, amorem intuentium sibi concilient: graves sint, sed non severi, modesti sint, sed non hypocritæ, verecundi sint, sed non meticulosi: habeant oculos placidos, frontem hilarem, vultum comem: demum nihil sit in corpore, in gestibus, in vestitu, quod discipulorum offendat oculos, quod risum moveat, quod contemptum ingerat; aut saltem absit omnino quidquid pueris aut horrorem, aut metum, aut fastidium litterarum inspirare posset.

Consect. 2. *De defectibus mentis.* A munere publice docendi excludi debent hi omnes, qui distortum, ut ita dicam, habent ingenium: si enim tales debent esse Magistri publici in exteriori corporis apparatu, ut nihil fastidii audientibus, aut intuentibus causare possint; a fortiori jure præstat melioribus lineamentis mentis esse effigiem, ut amorem erga litteras discipulis inspirare valeant. Quotquot ergo ad officium docendi publice evehuntur, mentem habeant in corripiendo sagacem, in judicando prudentem, in disputando rectam, & singula, quæ tradenda sunt, methodice distribuentem. Exulent ergo ab officio docendi qui nec natura, nec doctrina, nec usu digni sunt, ut ad illud exercitium evehantur.

Consect. 3. *De defectibus cordis.* Nulli admittantur ad officium docendi publice, nisi longo ante tempore constiterit optimis moribus esse imbutos, ut docet Concilium Burdigalense an. 1624. Curent, inquit, Rectores de moribus Præceptorum, vita, Religione, statu. Neminem enim, ut deflet Erasmus, hodie tam abjectum, tam inutilem, tam nullius rei videmus quem vulgus non existimet idoneum moderando ludo litterario. Atqui illi se regnum nactos rati, mirum quam ferociant, quod habeant imperium, non in belluas, ut inquit Comicus, sed in eam ætatem, quam oportebat omni lenitate foveri. Dicas non esse scholam, sed carnificinam: præter crepitum ferularum, præter virgarum strepitum, præter ejulatus ac singultus, præter atroces minas, nihil hic auditur. Quid aliud hinc discunt pueri, quam odisse litteras? Hoc odium ubi semel insedit teneris animis, etiam grandes facti abhorrent a studiis. Demum sic conveniet esse præceptorem, qualem depingit Quintilianus. *Minime*, inquit, *sit iracundus, nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator: simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quam immodicus in emendando quæ corrigenda erunt: non acerbus, minimeque contumeliosus; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. Non austeritas ejus tristis, nec dissoluta comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur.*

ARTICULUS III.

Quem Prototypum sibi proponere debeat qui ad officium publice docendi assumitur.

PRop. unica. Qui ad munus publice docendi assumptus est vel per electionem, vel per obedientiam legitimis superioribus debitam, Christum debet in eo exercitio sibi invocandum & imitandum proponere, ut ab eo & addiscat & accipiat quod debet sibi docenti, pueris instituendis, & veritati explicandæ.

Prob. 1. Scrip. Cunctis fidelibus, sed maxime his,

his, qui aliis instituendis incumbunt, dixit Christus: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Jo: 13. v. 15. Ergo Magistri publici debent sibi Christum imitandum proponere: & quia *non aliud est nomen sub cœlo datum, in quo nos oporteat salvos fieri*: Act. 4. v. 12. ideo Christum non solum imitandum, sed etiam invocandum nobis debemus proponere, dum officium docendi exercemus.

2. Ex Aug. Ep. ad Volusianum: *Venit Dominus magisterium & adjutorium*: Ergo in munere docendi oportet Christum & imitari & invocare.

3. *Rat.* Dicunt Philosophi, & quidem merito, quod primum in unoquoque genere est causa & exemplar ceterorum illius generis: atqui Christus est primus omnium Doctorum, juxta illud Joelis 2. v. 23. *Dedit vobis Doctorem justitiæ*, juxta illud Isai. 2. v. 3. *Docebit nos vias suas*, juxta illud Lucæ 2. v. 32. *Lumen ad revelationem gentium*: Ergo magistri publici in exercitio docendi debent & Christum imitari, ut officium suum addiscant: & invocare, ut cognitum officium exequantur.

Consectaria de his, quæ Magistri publici sibi ipsis debent.

Consect. 1. Magistri publici, qualescumque sint, sive in infimis scholis, sive in mediis, sive in supremis doceant, debent professionem, quam exercent, quantumvis ea abjecta videatur, gravisque sit & onerosa, debent, inquam, eam magni facere: nihil enim est quod Christus plus fecerit, quam officium docendi: Regiam enim dignitatem Dominus noster dedignatus est, fastum omnem sæculi pessumdedit, sed magisterii conditionem non abjecit: *Vos*, inquit, *vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Joan. 13. v. 13. Et Matth. 23. v. 10. dicit absolute: *Magister vester unus est Christus*. Nec rejecit subdolam illam Pharisæorum laudem, qua tentabant illum in sermone intercipere. *Magister*, ajunt, *scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* E contra divino penitus responso & magistrum se manifestat, & tentationem eludit; petito enim numismate census interrogat eos dicens: *Cujus est imago hæc & superscriptio? dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* En quomodo Christus ubique officium docendi non indignum filio hominis judicavit. Et D. Paulus Divinam Christi dignitatem & benignitatem non aliter manifestat, quam ei attribuens doctoris officium. *Apparuit*, inquit, *gratia Dei Salvatoris*, *ERUDIENS nos*, ad Titum 2. v. 11. Eaque docendi professio, quamvis onerosa & difficilis & sæculi amatoribus abjecta, adeo Christo in deliciis fuit, ut per totam vitam, quam egit publice, eam numquam interruperit: ut late docet Nicolaus de Clemangis. *Tota*, inquit, *Christi vita in docendo acta est: modo namque discipulos docuit, modo turbas, modo Pharisæos, interdum in Synagoga, aliquando in Templo, nunc in terra, nunc in mari, nunc in monte, nunc in planitie, sæpe plurimos, nonnumquam singulos, plerumque verbis, semper autem factis, laudabilium operum exemplis.* Ex quo piissimus & eruditissimus auctor istud concludit ad nostrum propositum maxime spectans. *Qui ergo illud*, inquit, *non fateatur esse optimum, quod Christus omnis boni forma, in mortali carne vivens, incessabiliter operari curavit?* Ergo pessime agimus quicumque officium docendi exercemus, si tædeat nos cum pueris vivere & conversari, quos Christus tam benigne complexus est: si exercitium illud, quasi vile officium, abjectamque occupationem dedignemur. At certe infimas etiam scholas non sprevere multi antiqui Patres, inter quos annumeratur Hieronymus: hic cum balbutientibus pueris vocales litteras cum consonantibus conjungere, & cum ipsis pronuntiare non indignum Doctori Ecclesiæ reputabat. Idem præstitere alii non pauci, & quidem nostris fere temporibus. Gersonius in fine vitæ scholam erexit, ubi pueris & primos litterarum characteres agnoscere, & efformare assiduo labore demonstrabat, multo gloriosior cum medius inter infantes hæc prima litterarum elementa edocet, quam dum sublimis in pulpito medius inter Episcopos & Doctores totam in Conc. Constantiensi contra Hæreticos tuetur Ecclesiam; nulli enim Christiano potest esse inglorium illud officium, quod Christus exemplo suo consecravit. Illud maxime pensent hi, qui ex vi sui status, suæque vocationis ad id munus voto Religionis se obligarunt, quales sunt Clerici earum Societatum, quæ in eo exercitio occupantur.

Consect. 2. Ubi quis ad munus publice docendi assumptus altam sui Magisterii concepit existimationem, studio debet maxime insistere, ut se tanto muneri exequendo parem & idoneum efficiat; voluit enim Christus, ut labore & studio assequeremur quod ipse infusione habuit. Ideo Paulus publicum instruens Doctorem, Titum scilicet, studium ei maxime commendat. *Attende*, inquit, *lectioni & doctrinæ, & insta in illis.* Et quidem merito: licet studium sit omnibus fere Christianis tantum utile, est tamen omnino publicis Magistris necessarium. Primo quidem, ut se ipsos doceant. Secundo, ut se a vitiis alienos efficiant. Tertio demum, ut alios instruere valeant: quæ singula videtur Scriptura his verbis innuere. *Cogitavi*, inquit Sapiens, *in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, declinaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum*: in quo ultimo præcipue situm est Doctoris officium. Et D. Thomas explicans quæ maxime requirantur in eo, qui ad munus docendi publice assumptus est, hæc statuit: Oportet, inquit, quod homo, qui docet, sit sortitus plenitudinem cognitionis eorum, quæ docturus est, ut ex hoc alios instruere possit. Secundo, ut possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit; alias non esset efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea, quæ concipit, possit convenienter auditoribus proferre; 1. 2. q. 111. art. 4. quæ quidem, ut patet, in promptu haberi nequeunt absque studio & labore. *Quæ enim*, inquit Hieronymus, *Deus dedit Apostolis gratuito per infusionem, ea voluit a nobis acquiri per studium & laborem.*

Consect. 3. Ubi Magister publicus eam doctrinam assecutus est, quæ tanto muneri exercendo est necessaria, tunc totus debet esse in excogitanda apta methodo, qua discipulis promere valeat quod jam ipse in mente sua ordinavit: quod quidem apte per-

perficiet, si sequatur illud Proverbiorum. 3. *Ne innitaris scientiæ tuæ; sed*, ut dicit Eccles. 6. v. 35. *in multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere*: idest, non te pudeat doceri ab his, qui in ea arte docendi excelluerunt. Itaque Magister publicus, antequam ad docendum se accingit, legat libros qui de apte instruendis pueris editi sunt, præcipue ab illis illustrissimis Viris, qui curam Principum in Gallia habuerunt: non pigeat, immo honori ducat, a tot illustrissimis Doctoribus erudiri: sed in primis infixum animo hæreat illud D. Thomæ documentum 2. 2. q. 49. a. 3. ad 2. scilicet, quod *docilitas secundum aptitudinem*, ut doceamur, *est a natura; sed ad ejus consummationem plurimum valet humanum studium, dum scilicet homo solicite, frequenter, & reverenter applicat animum suum documentis Majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens ea propter superbiam.*

Consectaria de his, quæ Magistri publici debent discipulis qui docentur.

Consect. 1. Magistri publici duo præcipue debent suis discipulis, scilicet bonum exemplum, & doctrinam sanam: exemplum quidem, quo eos ad probitatem alliciant; doctrinam vero sanam, qua eos circa liberales disciplinas, ut par est, instituant. Utriusque illius officii exemplum habemus in Christo, de quo dicitur Act. 1. v. 1. *Cœpit Jesus facere & docere*. Idem præcipit jus Canonicum Can. *Multi* dist. 40. ubi sic habetur: *Si bene vixeris, & bene docueris, omnium judex es: si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene vivendo, & bene docendo, populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare*. Ergo sicut Sacerdos duo debet plebi, scilicet bonum exemplum, & doctrinam; ita Magister eadem debet suis discipulis: quippe sicut Sacerdos plebi præficitur, ut eam doceat verbo, & ædificet exemplo; eodem prorsus fine suis discipulis Magister publicus præficitur.

Consect. 2. Magister publicus ita debet exemplum & doctrinam accommodare, ut exemplum vires discipulorum non superet, doctrina vero captum eorum non excedat. Utrumque præstitit Christus, qui vitam communem elegit, doctrinam omnibus congruam professus est: inde est, quod nihil exemplo suo præcipiat, quod suave non sit; ait enim: *jugum meum suave est, & onus meum leve*: nihil doceat, quod parabolis non reddat captu facillimum. Unde D. Th. lacti comparat doctrinam Christi propter ejusdem doctrinæ pulcritudinem, dulcedinem, & facilitatem. Debet ergo prudens Magister juxta capacitatem puerorum & exempla proponere, & documenta monstrare. Si pueros infantes instruendos habeat magister publicus, qui litteris dignoscendis & scribendis occupentur, non longos sermones instituat, nec longa præcepta perlegat: non enim oportet diu alloqui eos, qui vix fari sciunt. Quid ergo agendum? Gestu magis docendi sunt, quam verbo. Si quid indecori fecerit tenellus puer, suaviter admonendus; factique immodestia gestu contrario indicanda. Et exhibendus est modestus alius juvenis, ut sese componat ad commonstratum exemplar, ducatur in Templum, discat flectere genua, componere manusculas, aperire caput dum intratur in Templum, frontem aqua benedicta aspergat, signet modeste signo crucis, Imagines sacras, Crucem, Altaria salutet, sileat in Ecclesia, horrorem quemdam ob loci sanctitatem concipiat, dum peraguntur sacra, dum Christus in Altari præsens est, observantior sit & religiosior: hæc & similia pietatis exercitia prius addiscat puer, quam fari sciat, postea fructum det salutarem in suo tempore. Si Magister eos pueros doceat, qui legere incipiunt, aliis opus erit documentis: exulent a Schola omnes libri profani, impii, & impudici, & soli sacri permittantur, ut legendo pietatem simul & lectionem addiscant: legatur Evangelium Christi, Psalmi Davidis, &c. & quidem Latine & Gallice: Latine; quia facilior est lectio: postmodum Gallice, ut quæ legit, puer intelligat: exerceatur in ætate memoria in addiscendis memoriter præcipuis sacrorum eorum librorum sententiis, ut dum hæc præcepta memoriæ infiguntur, cordi simul inhæreant. Si Magister Grammaticam doceat, lectio matutina & vespertina in explicandis profanis auctoribus non ita occupetur, ut nullus sit locus vel Evangelio, vel alii libro sacro lectitando, ex quo desumatur aliquid, quod Gallice reddant juvenes Grammatici, quod memoriter recitare possint, & de ea lectione Magistro rationem reddere, ut eorum memoria non profanis solum auctoribus referciatur, sed in ea locum & quidem primum habeant Christi sententiæ, in quibus Evangelicam Doctrinam summus ille Doctor conclusit. Si vero Magister publicus Rethoricam, vel humaniores litteras demonstret, ostendat quam gravis, quam vehemens, quam fortis sacrorum Bibliorum eloquentia: cujus rei nos exempla quædam subjecimus in tomo primo ubi de pædagogorum domesticorum officiis. Si autem Magister publicus Philosophiam doceat, insistat præcipue in ostendendo, quam pauca sint quæ clare & distincte percipiamus, injustos nos esse, qui exigamus claritatem & evidentiam in dogmatibus Religionis, qui obscuritatem in rebus Philosophicis non repudiamus, & qui fatemur cum Aristotele, mentem nostram caligare ad manifestissima naturæ; quo jure exigimus nihil in Religione ut verum admittere, nisi quod clare distincteque percipiatur. Si vero Magistri publici vel leges exponant, vel casus conscientiæ resolvant, vel Theologiam explicent, discipulos suos ad amorem veritatis totis viribus adhortentur. Sed de hoc jam uberius loquemur.

Consect. 3. Quo pacto se gerere debeat Magister publicus, ut mores efformet. Magister publicus jactis primis Christianæ pietatis rudimentis, veniat ad documenta puerilis civilitatis, sed ejus, inquam, civilitatis, quæ sit Christianæ probitatis & origo, & custodia. Documenta urbanitatis Christianæ ex Erasmo & variis aliis auctoribus poterit colligere Professor publicus, quæ discipulis magis gestu indicanda erunt, quam verbis, ut ea juvenes facilius concipiant, & tenacius conservent.

Consect. 4. Quo pacto se gerere debeat Professor publicus, qui discipulos suos circa Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras instituere voluerit. Hoc Consectarium legendum propono his solum,

solum, qui commode alibi legere non possunt, quæ tot illustres Auctores de re copiosissime scripserunt. Jactis ergo primis Grammatices perceptionibus, ubi puer prima noverit de Nominibus, de Verbis, de Synaxi rudimenta, quibus non scrupulose immorandum erit, statim ad explicandos faciliores auctores adjocetur: Phædri fabulas perlegat: castigatas Terentii comœdias, expurgata Horatii carmina explicet: purgata Erasmi colloquia, & dialogos Vivis, semper præ manibus habeat: historiam profanam a Justino, sacram a Severo Sulpitio addiscat, accepta tamen prius generali quadam Cosmographiæ & Chronologiæ notione, ut sciat quo loco, quo tempore ea facta contigerint, quorum legit narrationem: nulla sit dictio, cujus vim, regimen, sensum vel proprium, vel metaphoricum ignoret, id vero a præceptore addiscat, vel in Dictionario quærat. Inter legendos & explicandos prædictos auctores, Professor perceptiones Grammaticas ante trad tas indicabit, quibus non nihil novi adjiciet, veluti jam tum ad majora properans. Ex illis auctoribus Præceptor themata, ut vocant, extrahat, quæ Gallice data, latine faciat discipulus: caveant maxime Professores, ne themata aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam habeant, aut venustam sententiam, ab ingenio tamen puerili non abhorrentem, ut interim aliud agentes, simul & aliquid addiscant pueri studio magis serio profuturum: proponat pueris historiam aliquam scitu dignam, cujus generis sunt mundi creatio, primorum parentum lapsus, mundi diluvium, Sodomorum conflagratio, &c. In eo scribendi genere excelluit Domin. de Fleury in suo Historico Catechismo. Fabellam aliquando proponat ex Phædro, ex Æsopo desumptam, & statim latentem sensum aperiat. Sententiam aliquam gravem aut ex Scriptura, aut profanis auctoribus extractam, Professor Gallice proponat, & scholastici latine reddant: hujusce generis copiam uberrimam suppeditabunt Erasmi adagia. Brevem aliquando Epistolam vel suasoriam, vel dissuasoriam, vel consolatoriam, vel laudatoriam componat, aut ex polito auctore sumat Professor, quam latine reddent discipuli: quod genus scribendi discet Professor ab Erasmo de conscribendis Epistolis. Ceterum sciat Magister publicus, nihil esse difficilius, quam thema scribere, ideoque numquam imparatus id tentet, nisi velit & discipulis nocere, & seipsum risui exponere, & munus pædagogicum spernendum reddere. Quod dedit Gallice, ipsemet latine faciat, sed tersa & pura latinitate, ut exemplar habeant discipuli, quod inoffenso pede æmulentur: vel si malit, ex aliquo auctore purioris styli totum extrahat: habemus enim & Ciceronis, & Plinii, &c. scripta, gallice reddita, a quibus id haurire poterit, quod ab eo exigimus. Ceterum sciant Magistri publici maximum fructum colligi, cum latinus auctor in nostram linguam transfertur: quare convenit pueros sæpissime in eo exercitio occupari: & quidem frequentius, quam in genere scribendi latine; pauci enim frequentant Collegia, ut loquantur latine, singuli vero, ut latinum idioma intelligant. Loquentur primum sua lingua pueri, quæ illis domi nata est, nam alias obtunditur & hebetatur ingenium puerorum, si eis materna lingua cogitata sua expromere omnino interdicatur. Ubi mentem idiomate jam noto adolescens aperuit, si quid etiam in eo idiomate peccaverit, emendabit præceptor; nam absurdum est Gallos, v. g. latinos solecismos fugere, & Gallorum linguam, qua quotidie utendum sit, ignorare. Quæ ergo materna lingua semel protulit, dehinc paullatim latine discet, ut inter primordia studiorum mixtus sit sermo in schola ex patrio & latino. Prima ætate exerceatur memoria, quæ excolendo augetur: multa ei commendentur cum cura & sæpe; nam illa ætas laborem non sentit, quia non expendit: & ita extra laborem omnem & negotium dilatatur memoria, & fit capacissima. Sed maximo delectu opus est in seligendo quæ a pueris addiscenda sint. Dominus de Nicole vult fusiori stylo scripta, qualea sunt orationes Ciceronis, esse quidem legenda, sed non memoriæ mandanda. Seligendæ sunt ad exercendam puerorum memoriam graves Sententiæ vel Scripturæ Sacræ, vel profanorum auctorum, quales sunt Sententiæ Poetarum, Sententiæ Philosophorum, quarum delectum aut in libris Magister reperiet, aut ipsemet colliget. Ubi per aliquot annos pueri in explicandis auctoribus & scribendis thematis fuerint occupati, tradantur illis nuda Rhetorices & Dialectices præcepta, & inter explicandos auctores ostendatur eorum præceptorum usus, & ipsimet modo fabulas enarrent, modo facta historice describant, modo oratiunculas proprio marte componant, sed ex directione præceptoris. Ampla hujus generis exempla suppeditabit Erasmus de copia rerum & verborum: exacta Rhetorices præcepta ex Aristotele, & Poetica Horatii desumet: demum ex multis aliis auctoribus & antiquis & recentioribus; sed antiquos recentioribus in hoc genere scribendi præferendos puto: est enim tempus probatæ doctrinæ judex, cunctorum, quæ vana, nec magni sunt momenti, vastator. Plurimi hoc ævo magna auctoritate scribunt, verum tempus judicium feret, num quid posteris dignum gerant: interim antiquos legamus multorum jam sæculorum plausu probatos. Verum enim d xit Basilius: *Quod vetustate excellit, majori honore dignum est.*

Consect. 5. Quo pacto se gerere debeat Professor publicus, qui Philosophiam, Theologiam, leges tum civiles, tum canonicas exponit. Hic enim, cum non verborum, sed rerum cognitioni incumbat, longe cautior sit, oportet, eique maxime necessarius est rerum explicandarum delectus: quippe cum nullus sit homo, quantumvis sagax, qui veritates omnes collective sumptas possit addiscere, 1. Ob vitæ brevitatem, quæ singulis examinandis non sufficit: 2. Ob lapsum memoriæ, quæ, dum uni veritati attente insistit, alterius obliviscitur, v. g. dum Mathematicis studet, alia scientia evanescit. 3. Ob varia occurrentia negotia, quæ nos vel invitos a studio retrahunt; nemo enim liber est ab omni cura. 4. Ob defectum librorum, aut aliorum instrumentorum, quæ ad singulas scientias acquirendas sunt necessaria. 5. Ob laborem, quo corpus per studium atteritur. 6. Demum ob difficultatem, quæ in multis scientiis reperitur, etenim, ut dicit Scriptura, *qui addit scientiam, addit laborem.* Cum ergo singulæ scientiæ sint ita comparatu difficiles, ita postquam comparatæ sunt, fugaces & labiles si

Digitized by Google

prudentia dictat, ut solis veritatibus necessariis insistamus: quorsum enim rem maxime pretiosam, tempus scilicet, in inquirendis veritatibus aut sterilibus, aut inutilibus insumeremus? Si enim ad utilia non satis sit temporis; cur & vacabit redundantia consectari? ut enim ait profanus auctor: *Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.*

Quotquot ergo docendis adolescentibus incumbimus, audiamus Apostolum, sic magistrum publicum, Titum scilicet, instruentem. *Loquere*, inquit, *quæ decent sanam doctrinam*; sanam, idest eam solum, quæ prodesse valeat, non obesse. 2. v. 1. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vanæ.* 3. v. 9. Et scribens ad Timotheum, ait; *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem fidelium.* 2. c. 2. v. 14. Demum imitemur Christum, qui discipulos ea omnia docuit, quæ tum ad eorum progressum, tum ad Ecclesiæ instructionem necessaria duxit; ea vero, quæ tum illis, tum nobis credidit inutilia, explicare, etiam sæpius interrogatus, recusavit. *Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. v. 7. Sublimium ergo illarum scholarum Professores, ut prudentem & utilem veritatum delectum faciant, & ut quilibet id, quod proprium suum munus respicit, doceat, veritates omnes ad quatuor classes reducimus. 1. Aliæ sunt veritates, quæ ad animarum sanctitatem pertinent, & nos circa religionem instituunt: hujusmodi sunt elementa fidei, documenta morum, & christianæ urbanitatis præcepta, quæ in quocumque auctore reperiantur, attente consideranda sunt. 2. Aliæ sunt veritates, per quas necessitatibus corporis subvenitur; cujusmodi sunt alimentorum inquisitio, sine quibus ne punctum quidem temporis possumus subsistere, cui succedit inventio vestium, per quas adversum vim frigoris & caloris muniti incedimus; quibus & proxime accedit ædificiorum inventio, quæ contra tempestatum injurias, & contra brutorum incursus securos nos reddunt. 3. Aliæ sunt veritates, quæ vitam humanam & civilem, & commodam efficiunt; hujusmodi sunt omnes illæ artes, quibus mentis nostræ cogitata promimus; omnes illæ leges, quæ nos in societatem adducunt, efficiunt ejusdem familiæ filios, ejusdem urbis cives, ejusdem regni subditos; tales sunt pariter omnes illæ artes mechanicæ isto carmine contentæ, *Urbs, domus, arma, rates, vulnera, lana, faber*; quæ artes, utpote necessariæ, non spernendæ sunt, sed maxime excolendæ. 4. Aliæ sunt veritates quæ voluptati magis quam utilitati inserviunt, quæque curiositatem magis fovent quam vitam humanam commodam efficiant, quas artes liberales vocant: & isto carmine concluduntur: *Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra*: quibus, diutius, quam par est, labore vulgo inutili occupamur. Cum ergo singulis illis veritatibus addiscendis vitæ nostræ brevitas par esse non possit, sciat Professor publicus, in eo sitam esse maximam sapientiæ partem, ut inutilia resecet, utilibus vero maxime immoretur, nullique quæstioni insistendum, quæ nec ad religionem, nec ad corporis sanitatem, nec ad vitæ humanæ vel societatem, vel utilitatem conducit. Si hujus regulæ tenaces essent Magistri publici, exularent a scholis longæ illæ tum Grammatices, tum Rethorices, tum Logices perceptiones, quæ tantopere distorquent juniorum ingenia, quæque tamen numquam in usum veniunt: spernerentur in Philosophia vanæ illæ quæstiones, quæ nec ad animæ sanctitatem, nec ad corporis sanitatem, nec ad vitæ commodum tantisper inserviunt, tempusque utilioribus impendendum inutiliter occupant: numquam legerentur in scholis illa legum glossemata, quæ textum magis obscurant, quam elucident; nec audirentur in Theologia tot curiosæ quæstiones circa possibilia, vel non possibilia, circa futura vel non futura ex vi alterius decreti, & alia id genus, quæ magis a fide nos avocant, quam adducunt; quæque nobis otium omne subripiunt, quo legendis Scripturis vacaremus. Præcindendæ ergo sunt, ut optime monet Vincentius Lyrinensis, vanæ illæ occupationes: *Cum enim omnia humana a tempore rapiantur, & nos ex eo aliquid invicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æternam.* Common. 1.

Consect. 6. Professor publicus non solum prudentem & utilem debet facere veritatum delectum, quas discipulis explicet; sed ita inter explicandum debet eas discipulorum captui adaptare, ut eos semper attentos habeat; vix enim credi potest quantum divagetur adolescentium mens, nisi aliquo commonitorio ad attentionem revocetur; ideo ad faciliorem & certiorem discipulorum progressum identidem interrogandi sunt, ut frequenti interrogationum & responsionum communicatione mens adolescentium vires suas exerat, & promptius ac tenacius quæ dicuntur concipiat. Methodum illam Christus omnium Doctorum exemplar sæpius adhibuit, sic enim interrogat Apostolos: *Quem dicunt homines esse filium hominis?*

Consect. 7. Non ita intra scholæ pomeria coarctetur Professoris publici sollicitudo, ut quid foris agant discipuli nullatenus curet: sedulus e contra inquirat, quo pacto vivant discipuli, ut si quid peccaverint, quantum in ipso fuerit, redarguat: vel parentes aut verbo, aut litteris admoneat, si aut inertes, aut neglecto studio lusibus deditos deprehenderit: a quo enim parentes, præcipue longe remoti, potius addiscere possunt filiorum suorum aut in studendo negligentiam, aut inhonestam vivendi rationem, quam a Magistris publicis, quibus tamquam tutoribus juventus edocenda committitur? Hujus sollicitudinis exemplum a Christo accepimus, qui discipulos suos non solum in Templo, non tantum in Synagogis, sed etiam domi in privatis colloquiis edocebat, & licet desertus ab omnibus, eis tamen post resurrectionem sæpius apparuit, Petrum blasphemum intuitu suo revocavit, Thomam incredulum contactu sui corporis sanavit, discipulis euntibus Emmaus se comitem adjunxit, demum nihil non molitus est, ut nullum perderet ex discipulis, quos a Patre acceperat.

Consect. 8. Professor publicus non solum impræsentiarum discipulorum suorum studio debet providere, sed etiam in futurum prospicere; etenim non tam docemus discipulos in scholis, sed potius aptos, qui addiscant, efficimus, & quasi ad futura studia præparamus: atque ideo discipulis suis indicare debet, qui libri legendi, & qui arte, quave methodo studendum

sit.

sit, Purioris latinitatis auctores ostendat Grammaticus; Poetas, Oratores, Historicos ostendant humaniorum litterarum Professores; qua methodo philosophandum aperiant Philosophi; quinam sint loci Theologici ostendant Theologiæ Professores; quæ leges vigeant, ubi reperiantur, ostendant Jurisperiti. Hujus Doctrinæ exemplum a Christo accepimus, qui, quos docebat, ad Scripturas revocabat: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas*; ad legis peritos mittebat: *super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque dixerint vobis, servate & facite*: quique demum non verbo scripto, sed tradito, privatisque colloquiis, quid spectaret ad Ecclesiam, demonstrabat: *loquens eis de Regno Dei*.

Monit. in quo statuitur, quomodo dirigenda sint adolescentium studia, tum circa rerum cognitionem, tum circa verborum delectum: in quo indicatur, quibus auctoribus utendum sit, ut utrumque assequatur adolescens.

§. I. *In quo dirigitur studium humaniorum litterarum.*

1. Cum in juvenibus memoria prævaleat; addiscendæ historiæ tam sacræ, quam profanæ occupandi sunt, præmissa generali notitia Cosmographiæ, & Chronologiæ. In Geographicis, post rudimenta Cluverii, Bertii, Vadiani, Ptolomæi consulat & Ortelium, a quibus antiquam discet Geographiam; ut vero novam acquirat, consulat recentiores, inter quos Samsonem, Robbum & Duvallium &c. Chronologiam discere poterit ab Usserio, a Bibliopola Virreo, & ab Illustrissimo Domino de Bossuet in sua de historia generali methodo; huic tamen studio non diutius immoretur adolescens, utpote utilioribus aliis occupandus. Historiam Sacram & profanam a Domino de Bossuet addiscat, & auctores ad marginem citatos consulat: & si latine hæc velit addiscere, Usserium legere oportet, vel Chronologiam Tornellii.

Ut vero purior latinitas possit doceri, præstat auctores latinitatis in varias classes distribui, cum non omnes pari studio sint imitandi, utpote nec ejusdem temporis, nec ejusdem in scribendo puritatis. In prima classe reponimus eos, qui circa Augusti tempora scripserunt: tales sunt Cicero, Terentius, Plautus, Horatius, Virgilius, Catullus &c. In secunda classe reponimus eos, qui ab Augusto ad Vespasiani usque ætatem scripsere, quibus temporibus, teste Seneca, Suetonio, & Quintiliano, cœpit purior latinitas corrumpi: hujusmodi auctores sunt, Quintus Curtius, Vellejus Paterculus, Valerius Maximus, Florus Romanus, quibus adjungitur Plinii majoris historia, Plinii minoris epistolæ, Martialis, Lucanus, Statius. In tertia classe collocari possunt qui a Vespasiano usque ad Theodosium floruere, ad quam plerique Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores pertinent, quorum sermones ceteris præstant. Ambrosius, Tertullianus, Arnobius, Minutius &c. propter eruditionis varietatem omnino legendi sunt; sed nequaquam imitandus est eorum stylus: sunt & alii auctores, qui prædicta temporibus scripsere, quorum imitatio nobis non obesset, si selectiora loca præ aliis eligerentur: tales sunt Hieronymus, Lactantius, Cyprianus, &c. qui satis feliciter Ciceronem imitantur. Demum alii sunt auctores corruptæ Latinitatis, quales sunt omnes fere scholastici, variique Oratores & Historici, qui a quarto sæculo usque ad Erasmi & Vivis tempora scripserunt, quos ob rerum, quas docent, utilitatem legere possumus, ob styli barbariem æmulari nequaquam licet.

§. II. *In quo dirigitur studium Theologicum.*

Studium Theologicum sic ordinavit Dominus de Bossuet. Emenso Scholasticæ Theologiæ curriculo, juxta ordinem temporum legendos præcipit Sanctos Patres. In prima classe reponit eos, qui a tempore Apostolorum usque ad Concil. Nicænum, hoc est ad an. Christi 325. scripserunt: tales sunt Ignatius, Justinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Eusebius Cæsareensis: aliqui in eadem classe ponunt Clementem Romanum, & Dionysium Areopagitam: sed eorum opera creduntur supposititia. In secunda classe collocat auctores, qui scripserunt a Conc. Nicæno usque ad Constantinopolitanum III. idest ad an. Christi 681: tales sunt Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Ruffinus, Prudentius, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Leo Papa, Prosper Aquitanicus, Vigilius, Gelasius Papa, Fulgentius, Boetius, Gregorius Magnus. In tertia classe reponit eos auctores, qui post sextum Concilium universale claruerunt, ab anno Christi 681. usque ad annum 1000. ut sunt Venerabilis Beda, Joannes Damascenus, Bonifacius Moguntinus, Paulus Diaconus, Albinus, Alcuinus, Rabanus Maurus &c. In ultima classe reponit Scholasticos, idest qui Theologiam methodice tradiderunt: tales sunt Anselmus, Hugo de Sancto Victore, Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Albertus Magnus, D. Th., D. Bonaventura, Scotus, Durandus, aliique non pauci.

His prælibatis, sic studium Theologicum instituendum tradit Dominus de Bossuet.

Veritatem Religionis Christianæ reperies apud Augustinum in libris de Catechizandis rudibus, de Doctrina Christiana, de vera Religione, de moribus Ecclesiæ, & in Enchiridio. Idem argumentum tractatur a Chrysostomo, & a Theodoreto, & Lactantio, & Arnobio.

Mysterium Trinitatis explicat. 1. Symbolum Nicænum, 2. Athanasius de communi essentia Patris & Filii & Spiritus Sancti, primo Tomo Conc. p. 279. 3. Decreta Synodi Nicænæ, ib. pag. 248. 4. Ep. ad Serapionem. ibid. pag. 173. 5. Orationes Gregorii Nazianzeni a trigesima tertia usque ad trigesimam septimam. 6. Octo libri Augustini de Trinitate.

Mysterium Incarnationis explicat, 1. Athanasii Ep. ad Epictetum. 2. Ep. Augustini ad Volusianum, & quoties loquitur de prædestinatione Christi. 3. Epist. Cyrilli ad Conc. Ephesinum. 4. Epist. Leonis ad Flavianum. 5. Decreta Concilii Chalcedonensis. 6. Anathematismi Cyrilli. 7. Satisfactionem Christi explicat Ep. Bernardi ad Abaillardum.

Mysterium gratiæ explicat Conc. Milevitanum, Arausicanum, Trid. & opera Augustini & Prosperi, Tra-

Digitized by Google

Tractatus de Sacramentis ita potest ex Patribus erui: De Sacramentis in communi Aug. contra Donatistas, & contra Parmenianum; & Ambrosius de Sacramentis, ut vulgo creditur; & Catecheses Gaudentii & Eucherii; & Chrysostomus hom. 83. in Matth. & 24. in 1. ad Cor. c. 1. De Baptismo agit Augustinus in sermonibus ad catechumenos.

De confirmatione & Eucharistia loquuntur catecheses Mystagogicæ Cyrilli Hierosolymitani. De pœnitentia agit Tertullianus de pœnitentia & pudicitia, & Cyprianus libro de lapsis, item Pacianus contra Novatianos, Ambrosius de pœnitentia, & Aug. homilia ultima inter quinquaginta.

Doctrina de orationibus pro defunctis explicatur ab Aug. serm. 32. de verbis Apostoli, & libro de cura pro mortuis.

Quæ sit auctoritas Ecclesiæ, quæ auctoritas Episcoporum, explicat Cyprianus ad Cornelium Papam, & ad Florentium. Qualia debeant esse judicia Ecclesiastica ostendunt primæ actiones Concilii Chalcedonensis. Quæ sit auctoritas traditionis divinæ docet Tertullianus libro de præscriptionibus, & Vincentius Lirinensis, & Irenæus. Lib. 1.

§. III. *In quo dirigitur studium utriusque Juris Civilis & Canonici.*

Cum ego vellem studio utriusque Juris vacare, multos consului & quidem eruditissimos utriusque Juris Doctores, qui me in immenso illo cursu dirigerent, a quibus has ego præceptiones accepi, quibus uti conatus sum, quibusve, si libuerit, uti poteris. Ad studium utriusque Juris, primo humaniorum litterarum & antiquitatis tum profanæ, tum Ecclesiasticæ cognitio tibi afferenda est; vix enim sensus legum & Canonum percipi potest, nisi perfecte sciatur vis idiomatis, in quo leges & Canones scripta fuere, nisi etiam perfecte noris historiam illorum temporum, quibus & leges & Canones scribebantur; de quo studio supra in §. 1. Post politioris litteraturæ, & utriusque historiæ cognitionem, Logices præcepta addiscenda sunt, præcipue ea, quæ ad usum quotidianum inserviunt: ea præcepta nullibi reperies brevius & solidius tradita, quam in libro, cui titulus est *l'art de penser*. Ad Juris utriusque studium non est quod Rhetoricam tibi maxime commendem, cum in eo sita sit utriusque Juris utilitas, ut non solum recte possis sentire, sed & ea, quæ sentias, apte & ornate proferre possis & populo, & judicibus, ad quos agis: quæ singula sine Rhetorica fieri nequaquam possunt. Rhetoricam addiscere poteris in libro, cui titulus, *l'eloquence de la chaire; & du barreau*. Post Logicam & Rhetoricam accinge te ad studium Moralis Christianæ, quæ compendium est utriusque Juris; leges enim omnes, & Canones singuli vel imperant, vel prohibent: imperant honestum, idque cum præmiorum pollicitatione: prohibent turpe, idque cum pœnarum commuinatione; quæ duo Moralis Christiana efficit. His ergo præmunitus scientiarum adminiculis, libros Juris Civilis, & deinde Juris Canonici poteris evolvere, quorum catalogum hic texere inutile esset, cum hi libri sint omnibus obvii, & nos brevem utriusque Juris synopsim daturi simus.

Qui in studio vel Medicinæ, vel Mathematices dirigi voluerit, consulat viros in his artibus peritos; unicuique enim, ut optime monet D. Th. in sua arte credendum est.

Monit. Ne graveris, amice lector, si his diutius, quam forte par erat, immoratus sim; memineris, me esse virum ejus professionis, quæ in aliis instituendis occupatur; ideoque pluribus hæc executus sum, ne illud Pauli mihi merito reponeretur: *Qui alium doces, teipsum non doces*. Ad Rom. cap. 2. v. 21.

Consectaria de his, quæ Magistri publici debent veritati.

Consect. 1. Omnes Professores publici, sed hi præcipue, qui vel Philosophiam docent, vel Theologiam explicant, vel Leges exponunt, vel resolvendis casibus conscientiæ incumbunt, nihil aut pluris æstimare, aut impensius diligere debent, quam veritatem; ceteri vero Professores, quales sunt Grammatici, Rhetores, Humanistæ, pro modo artis quam docent, eodem zelo erga veritatem animentur. Professores quippe publici debent ad imitationem Christi existimare istud officium sibi commissum, scilicet ut veritati testimonium præbeant. *Ego veni*, inquit Christus, *ut testimonium perhibeam veritati*: Jo. 18. v. 37. & Sapiens describens officium Magistri publici hæc habet: *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium*. Prov. 8. v. 7. Quibus verbis officium Magistri publici indicatur, ut scilicet meditatam veritatem eloquatur, inquit D. Thomas, & mendacium detestetur; & merito quidem: Professores enim publici non sunt in Ecclesia ob alium finem quam ut eas veritates doceant, quæ ad salutem, vel mediate, vel immediate possunt inservire; juxta illud Pauli ad Ephes. 14. v. 12. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris*. Ergo Professores publici nihil debent pluris æstimare, aut impensius diligere, quam veritatem. Ideo in Rationali Aaronis scriptum legebatur: *DOCTRINA & VERITAS*. Lev. 8. v. 8. quo indicaretur quam impense veritatem diligere debeant hi, qui aliis instruendis præficiuntur.

Consect. 2. Professores publici debent singuli, quilibet juxta officium sibi commissum, veritatem sollicite inquirere, dum latet; amanter complecti, dum patet; fortiter tueri, dum impugnatur. Si enim ii, quibus veritatis inquisitio & propugnatio committitur, eam neglexerint; continget illud maledictum, quod dolet Propheta Isaias 59. vers. 14. *Conversum est*, inquit, *retrorsum judicium, & justitia longe stetit; quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivionem*. Quomodo autem inquirenda sit veritas, paucis explicat D. Th. 2. 2. qu. 180. art. 1. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod homo ad cogitationem veritatis pertingit dupliciter: uno modo per ea, quæ ab alio accipit; & sic quantum ad ea, quæ homo a Deo accipit, necessaria est oratio, secundum illud Sapientiæ 7. Invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ*.

Quan-

Digitized by Google

Quantum vero ad ea, quæ accipit ab homine, necessarius est auditus secundum quod accipit ex voce loquentis, & lectio secundum quod accipit ex eo, quod per scripturam est traditum. Alio modo est necessarium, quod adhibeat proprium studium, & sic requiritur meditatio. Quomodo amplectenda sit veritas, dum patet, explicat Aug. lib. 10. Conf. c. 23. arguens eos, apud quos veritas odium parit. *Itaque*, inquit, *propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant: amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem: quia enim falli nolunt, & fallere volunt; amant eam, cum seipsum indicat: inde retribuitur eis, ut qui se ab eâ manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta.*

Consect. 3. Ubi professor publicus eam sibi materiam suo officio convenientem elegit, Grammaticus Grammaticam, Rhetor Rhetoricam, Philosophus Philosophiam, Medicus Medicinam, Jurisperitus Leges, si quid ad Religionem, etiam remote, ut ajunt, pertinens tractaverit, totum id Theologiæ subjiciat necesse est. Hæc enim scientia, inquit D. Th. 1. p. q. 1. a. 5. in corp. superior est disciplina, cui aliæ scientiæ, tamquam ancillæ debent deservire. Et ibid. ad 2. *Theologia*, inquit, *non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus & ancillis.* Oportet igitur omnes scientias per Theologiam emendari & dirigi, ut expresse docet Concilium Later. sub Leone X. in Bulla, quæ inseritur sess. 8. his verbis: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem illuminatæ fidei contrariam, ut falsam definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, stricius inhibemus.* Etenim, ut optime docet Vincentius Lirinensis Commonitorio I. *Ille est vere germanus & Catholicus Professor, qui veritatem, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit; qui divinæ Religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit; non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam, sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id sibi credendum tenendumque decernit: quod vero ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum & inauditum subinduci senserit, id omne non ad Religionem, sed ad tentationem credentium intelliget pertinere.*

Consect. 4. Professor publicus, sive Religionem ex professo doceat, ut Theologus, sive in ea arte, quam docet, aliquid ad Religionem spectans attentet prælibare, hæc quatuor exactissime debet observare. 1. Nihil ex se ipso dicat. 2. Singula ex revelatione mutuetur. 3. Antiquitatem amet, & novitatem fugiat. 4. Nihil secreto dicere affectet, sed quæcumque docet, publice & super tecta prædicare gestiat. I. Nihil ex se ipso dicat. Talis fuit primus omnium Doctor Christus. *Doctrina mea non est mea*, inquit, *sed ejus, qui misit me.* Jo. 7. v. 16. Talis fuit Paulus. *Illud accepi a Domino*, inquit, *quod & tradidi vobis.* 1. ad Cor. 2. v. 23. Hæc enim debet esse omnium, quotquot docemus, & mens, & vox, scilicet, *nos Religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere... Nec sua posteritati tradere, sed accepta a majoribus servare.* Vinc. Lirinensis ibid. 2. Singula ex revelatione mutuentur. Quippe juxta Dan. 2. v. 28. *Est Deus in cælo revelans Mysteria.* Et juxta Christum: *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem.* Jo. 16. v. 13. *Si quis ergo*, inquit idem Vinc. Lirinensis, *vellet in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet*, primo scilicet divinæ legis auctoritate, deinde Catholicæ Ecclesiæ traditione. Sed, inquis, *quid opus est ei*, scilicet Scripturæ, *Ecclesiastica intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiant, aliter Montanus, aliter Arius &c. Annunciare ergo aliquid catholicis Christianis præter id, quod acceperant, numquam licuit, numquam licebit, & anathematizare eos, qui annunciant aliquid, præterquam quod semel acceptum est, numquam non oportuit, numquam non oportet, numquam non oportebit.* 3. Professores Publici antiquitatem & universitatem ament, novitatem omnem fugiant, circa quæ eos ita erudit Sapiens, Eccl. c. 8. v. 11. *Non te prætereat*, inquit, *narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis; dare responsum. Verba sapientium*, inquit Salomon, *sunt sicuti stimuli, & quasi clavi in altum defixi... His amplius, fili mi, ne requiras. In ipsa catholica Ecclesia*, ut ait idem Vinc. *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper & quod ab omnibus creditum. Sequamur universitatem, antiquitatem, & consensionem. Sequamur universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum fatetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores nostros, ac Patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel pene omnium Sacerdotum, pariterque Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* 4. Nihil secreto dicere affectet, palamque omnia dicere gestiat magister publicus. Talis fuit primus omnium Doctor Christus: *Ego*, inquit, *in occulto locutus sum nihil.* Joan. 17. v. 20. Tales voluit esse suos Discipulos Christus. *Quod*, inquit, *in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. 10. v. 17. *Hæc sunt*, inquit Vinc. Lyrin. *signa Magistrorum, pellicentium ad errorem, discite, inquiunt, furtim, atque secretim: delectabit enim vos; item, cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Ecclesia sciat: paucis namque concessum est, tanti Mysterii capere secretum. Nonne hæc sunt*, inquit Lyrinensis, *verba Meretricis, quæ apud Salomonis Proverbia vocat prætereuntes: Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite.* Prov. 6. v. 17. Doctor ergo publicus nihil de seipso dicat, omnia a revelatione accipiat, antiquitatem amet, novitatem fugiat, nihil in obscuro docere affectet: de hoc ultimo ita habet Bernardus: *Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat, communi vitâ, communibus disciplinis delectatur.*

SECTIO II.

De munere discendi, seu de officiis Scholasticorum Academias frequentantium.

Hic inquirimus, quid Deo, quid sibi, quid Magistris, quid veritati debeant scholastici; Deo

Digitized by Google

Deo debent pietatem, fibi ftudium, Magiftris docilitatem, veritati fubjectionem & amorem: quod ut pateat, fit

ARTICULUS I.

Quid Deo debeant adolefcentes.

PRop. un. Juvenes, hi præcipue, qui Academias frequentant, maxime debent virtuti & pietati fectandæ infiftere.

Prob. 1. Script. Libri fapientiales toti funt in hortandis juvenibus ad pietatem; fic enim habetur Prov. 8. v. 1. *Fili mi, ne oblivifcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuftodiat.* Et c. 1. v. 10. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiefcas eis.* Et Eccl. 2. v. 1. *Fili, accedens ad fervitutem Dei, fta in juftitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et v. 3. *Suftine fuftentationes Dei, conjungere Deo & fuftine*, Quod nonnifi per pietatem erga Deum poteft fieri: ergo adolefcentes debent virtuti fectandæ maxime infiftere.

2. Ex Ambrofio lib. de officiis. *Honor adolefcentium eft, timorem Dei habere, parentibus deferre, honorem habere fenioribus, caftitatem tueri, humilitatem non afpernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta funt juvenilis ætatis.* Ergo adolefcentes, maxime hi, qui ftudiis incumbunt, debent virtuti fectandæ infiftere.

3. *Rat.* multiplici. Deus exigit virtutem in ætate Juvenili propter plures rationes. Prima ratio eft, ut Chriftum exemplar juventutis imitemur: de quo fcriptum eft, quod ab initio conceptionis fe Patri obtulerit: *Ingrediens*, inquit, *in mundum dixi .. Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ad Heb. 10. v. 7. Pueri ergo imitentur puerum. Quid autem docuit puer ille puriffimus de puriffima Virgine natus, nifi ut omnem libidinem fugiamus? Quid autem docuit natus in tuguriolo, nifi ut pauperem vitam agamus? Quid monftrat fugiens in Ægyptum, nifi ut inquinatorum commercium modis omnibus fugiamus, eorum præcipue, qui nobis Chriftum auferre moliuntur? Quid docuit circumcifus, nifi ut omnes carnis affectus præfcindamus? Quid docuit oblatus in templo, nifi ut totos nos ab ipfa infantia Deo rebufque divinis devoveamus? Quid inventus in templo in medio Doctorum fedens, audiens illos & viciffim interrogans, quid, inquam, docuit nos, nifi ut totos nos ad ftudium fapientiæ transferamus? Quid vero docuit, dum parentibus fubditus fuit, nifi ut fimus parentibus morigeri, præceptorum dictis obedientes? Quid demum moriens pro veritate, nifi ut eam, quam nos docuit Chriftus, veritatem impenfe diligamus, ut jamjam dicemus? Secunda ratio. Deus a pueris exigit pietatem ut juftum & debitum fibi tributum. *Memento*, inquit Scriptura, *Creatoris in diebus juventutis tuæ antequam venias tempus afflictionis.* Eccl. 12. v. 1. Tertia ratio. Exigit Deus virtutem a juvenilibus annis tamquam arrhabonem futuræ fanctitatis in fenectute. *Bonum eft*, inquit Jeremias, *homini cum portaverit jugum ab adolefcentia fua.* Thren. 3. v. 27. *Adolefcens* enim *juxta viam fuam, etiam cum fenuerit, non recedet ab ea.* v. 6. Prov. 22. Ut enim ait Hieron. ep. ad Lætam, *difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priftinum colorem revocet? Rudis tefta diu & faporem retinet & odorem, quo primum imbuta eft.* Quarta ratio. Deus demum exigit pietatem ab adolefcentibus: quia hæc eft una & præcipua ad fcientias comparandas via, quoniam, ut ait Sapiens, *in malevolam animam non introibit fapientia, nec habitabit in corpore fubdito peccatis.* Sap. 1. v. 4.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Maxime grata Deo conjuncta cum pietate adolefcentia, præcipue cum pietas exercetur a juvenibus extra patriam fuam degentibus. Hujus rei duplex exemplum habemus in Scriptura: alterum in Jofeph in domo Pharaonis: alterum in Tobia. Ille impudicæ feminæ fortiter reftitit & follicitanti ad peccatum refpondit; *Quomodo poffum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. 39. v. 9. Ille vero in captivitate pofitus inter idololatras vivens, *Cumque effet junior omnibus, nihil tamen puerile geffit in opere.* Tob. 1. v. 4. Atque ideo utrumque remuneratum poft varias afflictiones voluit Deus. De Jofeph dicitur: *Defcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi fceptrum Regni.* Sap. 10. v. 14. De Tobia vero dicitur: *Sexagenarius* lumen *recepit, reliquum vero vitæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Tob. 14. v. 4.

Confect. 2. Maxime odiofa eft Deo impietas conjuncta cum juventute: cujus rei infignia exempla habemus in Scriptura. Ifmael & Efau, uterque in juvenili ætate impii rejiciuntur a Deo. Her primogenitus Judæ, *& hic fuit nequam in confpectu Domini, & ab eo occifus eft.* Gen. 38. v. 7. Ophni & Phinees filii Heli, Abfalon & Ammon filii Davidis in juventute impii ultricem Dei manum experti funt: ergo omni ætate, fed maxime in adolefcentia fugienda eft impietas.

ARTICULUS II.

Quid fibi debeant Scholaftici qui Academias frequentant.

PRop. un. Qui ftudent in publicis Academiis, tenentur fub gravi peccato pro viribus ftudio incumbere.

Prob. 1. Script. Sap. Prov. 8. v. 5. fic hortatur juvenes ad ftudium. *Intelligite, parvuli, aftutiam*, ideft prudentiam, *& in fapientes animadvertite.* Et v. 10. *Accipite difciplinam meam, & non pecuniam: Doctrinam magis quam aurum diligite.* Et v. 32. *Nunc ergo, filii, audite me: beati, qui cuftodiunt vias meas.* Atqui hæc omnia ftudium maxime requirunt: ergo adolefcentes, maxime ii, qui Academias frequentant, debent ftudio incumbere.

2. Ex Hieron. Ep. ad Nepotianum. *Sicut ignis, inquit, in lignis viridibus fuffocatur; ita fapientia in adolefcentia tentationibus & libidine impedita, non explicat fuum fulgorem, nifi labore, & ftudio, & oratione, incentiva juventutis intra repellantur:* ergo juvenes, ii maxime qui frequentant Academias, debent ftudio infiftere.

3. Multiplici ratione. Prima ratio. Ille haud dubie peccat, qui non exequitur ea, quæ funt fui officii, ut patet. Atqui officium fcholaftici eft, ut ftu-

ut studeat; non enim alio fine frequentat Academias: ergo graviter peccat, si non studeat. Et sicut peccaret graviter Professor publicus, qui horis solitis scholas non ingrederetur; ita & graviter peccant scholastici, qui horis solitis scholas non frequentant, & pro viribus non studeut. Secunda ratio. Ille peccat, qui non obsequitur parentibus; quia agit contra illud præceptum Decalogi: *Honora patrem tuum & matrem tuam*: Exodi 20. Atqui ille, qui negligit studium, non obsequitur parentibus; quia isti nihil tam rigide præcipiunt, quam studium: ergo graviter peccat scholasticus, qui non studet. Et sicut longævus ex divino promisso futurus est ille, qui studendo parentibus morem gerit; ita certo puniendus est vel in hoc sæculo, vel in futuro, qui contra vetitum parentum negligit studium. Tertia ratio. Ille haud dubie peccat, qui alterius bona temporalia contra rationalem voluntatem domini injuste dilapidat; agit enim contra illud Decalogi: *Non furaberis*: Atqui scholastici, negligentes studium, male insumunt bona familias contra rationalem voluntatem tum patris, tum matris, tum fratrum, tum sororum: ergo gravissime peccant scholastici, qui non student, sed præcipue hi, qui in longinquis Academiis magnis impensis nutriuntur: & sicut non excusantur a restitutione, nisi facta fuerit condonatio, hi, qui parentum bona diripiunt, ut diximus ubi de restitutione; ita nec omnino a restitutione excusandi sunt hi, qui tempore studiorum bona paterna consumpserunt, popinas, aut lusus, magis quam Academias frequentantes. Quarta ratio. Ille haud dubie peccat, qui propria voluntate sese exponit periculo damnationis; juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Atqui juvenes, qui negligunt omnino studium eo tempore, quo tenentur illi vacare, exponunt se periculo damnationis: ergo peccant. Quod autem exponant se huic periculo, experientia quotidiana innotescit: quippe cernimus eos, licet indoctos, gradus tamen in Academiis consequi: hinc fit, quod gradibus illis insigniti, munera publica obeunt, Beneficia Ecclesiastica suscipiunt, & postea regimine animarum, licet ignari Sacerdotes, operantur: curam corporum attentant, licet imperiti medici; de bonis temporalibus judicant, licet inerudici Magistratus: atque ideo in statu peccandi semper vivunt, & in eo infeliciter moriuntur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant graviter adolescentes, qui vel ex pigritia, vel ex fastidio erga litteras præconcepto, dies integros, hebdomadas, menses, immo aliquando annos transigunt sine studio, remittentes in aliam ætatem occupationem studiorum; ut enim ait optime Cypr. lib. de 12. abus. *Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit; sic & in senectute honorem legitimum consequi non poterit qui in adolescentia disciplina alicujus exercitatione non laboraverit*. Et Ugo lib. 3. Didascalion hæc subjungit: *Tria sunt quæ præcipue studiis legentium obesse solent: negligentia, imprudentia, fortuna. Negligentia est, quando ea, quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiose discimus. Imprudentia est, quando congruum ordinem in his, quæ discimus, non servamus. Fortuna in eventu casuum... quando vel paupertate, vel infirmitate, vel Doctorum raritate a proposito nostro retrahimur... De negligentia lector est admonendus, de imprudentia instruendus, de fortuna adjuvandus*. Ergo supponit ille Doctor eum peccare, qui sua culpa a studio, ad quod tenetur, se retrahit.

Consect. 2. Gravius peccant illi Scholastici, qui non soli studium negligunt, sed etiam alios a studendo retrahunt; similes in hoc Pharisæis, quos ita Christus arguit Matt. 23. v. 13. *Væ autem vobis, Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ; quia clauditis Regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*.

Consect. 3. Gravius adhuc peccant scholastici, qui tempus studio destinatum in lusibus & comessationibus consumunt, & pecunias ad studiorum progressum, a parentibus magno sudore comparatas, fovendis vitiis impendunt: ea enim inhonesta vivendi ratione affligunt parentes, cohæredibus fratribus damnum temporale inferunt, & condiscipulis scandalum pariunt. Affligunt parentes; quippe *filius sapiens lætificat patrem; filius vero stultus mœstitia est matris suæ*. Prov. 10. v. 1. Damnum infertur cohæredibus: quia postquam depravatus ille adolescens *dissipavit substantiam suam* non studendo, sed *vivendo luxuriose*, iterum venit ad patrem non pœnitendo, sed insultando dicens: *da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*: Luc. 15. v. 12. & sic geminam in hæreditate portionem extorquet. Demum scandalum aliis generat: nam adolescenti scholastico in persona Titi dicitur: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*. 1. ad Titum c. 4. v. 12. Tanti mali vitandi causa hanc edidit legem Academia Paris. *Doctores*, idem similiter dicendum de discipulis, *Doctores ergo & scholastici, morum integritate, vita probitate, & exemplo ceteris præluceant, ut suæ professionis expectationem sustineant*. 2. 38.

ARTICULUS III.

Quid Magistris publicis debeant adolescentes.

PRop. *unica*. Adolescentes qui Academias frequentant, debent Magistros publicos assidue audire, & sanæ eorum Doctrinæ humiliter acquiescere.

Prob. 1. Scriptura. Nihil est, ad quod Scriptura frequentius hortetur adolescentes, quam ut Magistros audiant; eisque acquiescant. *Audi*, inquit Salomon, *consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis*. Prov. 19. v. 20. *Audiens* quippe *audiens sapiens, sapientior erit*. Prover. 1. v. 5. a fortiori, ignarus. Deinde addit: *Suscipe, sapiens enim corde præcepta suscipit, & stultus cæditur labiis*. Prov. 10. v. 8. *Sapientiam enim & disciplinam qui abjicit, infelix est*. Sap. 3. v. 11.

2. Ex Ep. ad Demetriadem. Sic enim habet auctor illius epistolæ: *Bonum est*, inquit, *obedire Majoribus, parere Præfectis, & post regulas Scripturarum, vita sua tramitem ab aliis addiscere; nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione tua*. Ergo si adolescens velit in scientiis proficere, debet Magistrum attente audire, ejusque sanæ Doctrinæ acquiescere.

3. *Rat.* Scientia de via ordinaria comparatur per instructionem, sicuti Doctrina eorum, quæ pertinent

ad

ad fidem; Atqui fides est ex auditu; ergo & scientia acquiritur per auditum. Ergo sicut dum instruimur circa fidem, debemus Doctores fidei audire, eisque acquiescere; ita & dum instruimur circa scientias. Ideo dicit D. Th. quod discipuli debent applicare animum documentis majorum, *sollicite, frequenter, & reverenter*; sollicite quidem sine segnitie, frequenter sine interruptione, reverenter sine superbia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant graviter adolescentes, qui ex pigritia non intersunt publicis Magistrorum lectionibus; non enim aliter instrui possunt adolescentes, quam publicas scholas frequentando. Sic in Synagoga a publicis Scribis docebantur pueri, a Christo docti sunt Apostoli, & ab Apostolis primi Episcopi, & ab Episcopis antiqui Patres, & ab istis alii; demum de omnibus eruditis antiquitatis Ecclesiasticæ auctoribus dici potest quod de Dionysio scribit Hieron. *Dionysius*, inquit, *magistrum sibi in Grammatica elegit Donatum, in Rhetorica Victorinum, in Theologia Gregorium Nazianzenum. similiter Theophrastus sibi elegit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, Regina Austri sapientissimum Salomonem*: in illud Mat. *Magister, scimus, quia verax es*. Hinc patet quod non privata, sed publica lectio soleat juvenes eruditos efficere. Unde non immerito dixit Erasmus, cujus auctoritas hac in re non est exigua, quippe qui toto tempore vitæ in instruendis pueris occupatus est. *Oportet*, inquit, *scholam esse aut nullam, aut publicam*. De pueris statim ac liberaliter instituendis.

Consect. 2. Peccant graviter adolescentes, qui ex superbia spernunt Magistrorum lectiones publicas, eisque acquiescere renuunt; ea enim superbia viam sibi ad scientiam occludunt. Ideo Salomon a Deo docilitatem petiit. *Dabis*, inquit, *servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum*, l. 3. Reg. c. 3. v. 9. Ea superbia inflati infeliciter perierunt illustrissimi simulque doctissimi viri, scilicet Tert. & Photius; demum omnes quotquot fuerunt hæretici.

ARTICULUS IV.

Quid Scholastici veritati debeant.

PRop. un. Scholastici ita debent ardenter veritatem amare, ut obices omnes a veritate removentes longe abjiciant, & media omnia ad veritatem deducentia sedulo amplectantur.

Prob. 1. Script. Nihil est, quod Deus magis diligat, quam veritatem; David enim Deum alloquens, sic habet; *Ecce enim veritatem dilexisti*. Ps. 50. v. 8. Et rursus ait; *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus*. Ps. 83. v. 13. Nihil est pariter, quod magis a nobis velit Deus diligi quam veritatem; *Veritatem tantum*, inquit, *& pacem diligite*. Zach. 8. v. 1. Ideoque quos diligit, eos veritatis amatores efficit: quare de Jerusalem dilecta a Deo, dicitur, *Vocabitur civitas veritatis*. Zach. 8. v. 3. Et de Diabolo impiorum Principe non aliud opprobrium dicitur, quam istud; *In veritate non stetit*. J. 8. v. 44. Ergo nihil est, quod impensius homines debeant diligere, quam veritatem, & præcipue illi adolescentes, qui ex officio studio veritatis incumbunt.

2. Ex Aug. contra Academicos lib. 3. c. 1. ubi explicans munus studentium, hæc habet; *Negotium nostrum non leve, aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror, magnopere quærere veritatem*. Et idem Aug. lib. de mendacio c. 7. ita nos ad veritatem sectandam adhortatur. *Ut autem*, inquit, *animus corpori, ita etiam veritas ipsi animæ præponenda est, ut eam non solum magis quam seipsum appetat animus. Ita quippe erit interior & castior, cum ejus potius immutabilitate, quam sua mutabilitate perfruetur.*

3. *Rat.* Quemadmodum viator, iter ingressurus, principio de certa itineris meta cogitat, deinde declinatis deviis & remotis impedimentis ad propositum terminum media itineris ordinat & dirigit; ita junior discipulus, ubi sibi metam studiorum præfixit, *veritatem* scilicet, eam semper inspiciat oportet, omnia impedimenta removeat, & media ad eam recta & sine errore atque periculo ducentia eligat & usurpet.

Consect. de obicibus a veritate removentibus.

Consect. 1. Primus obex veritatis, qui ab adolescentibus vinci debet, est ignorantia; nobiscum nata, & quasi perpetuo repullulans, omnis quippe ignorantia defectus est, morbusque mentis, cui mederi bonum est, & perutile; juxta illud Scripturæ; *Ubi non est scientia animæ, non est bonum*. Pr. 19. v. 2. Sed ignorantia eorum, quæ tenemur scire, nedum defectus est, sed etiam peccatum, quod excusationem non admittit; de quo ita Salomon Pr. 17. v. 16. *Qui evitat discere, incidet in mala*. Et Paulus: *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. 1. ad Cor. 15. v. 27. Et Bernardus: *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia; & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.*

Quandonam ignorantia sit culpabilis, vel inculpabilis, diximus in primo tomo.

Consect. 2. Secundus obex veritatis percipiendæ sunt varia sensus, mentis, & cordis præjudicia, quibus singulis credere, quibus etiam singulis discredere periculosum est; quæ tamen singula prudenti examine discutere, & methodica dubitatione perpendere tutissimum est; quippe, ut ait Aristoteles, scientia nihil aliud est, quam solutio eorum, quæ ante dubitata sunt. *Præjudicia sensuum* sunt præcipitata judicia ex sensuum impressionibus orta, quæ inconsulto proferimus, puta, solem non esse disco majorem, stellas facibus esse æquales, Antipodas verso capite incedere; hæc infantes credidimus; hæc sine examine repudiare non possumus. *Præjudicia mentis* sunt præcipitata quædam judicia quæ mens inconsulto profert de re non satis nota aut explorata: quibus, inquit Melchior Canus de locis Theologicis l. 9. c. 7. *incognita pro cognitis, incerta pro certis habemus, ut illi, qui D. Thomæ, Scotique opiniones vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pugnant ac pro aris ac focis. Præjudicia cordis* sunt judicia, quæ inconsulto proferimus, attracti non viribus veritatis, sed illecebris cupiditatis

Digitized by Google

tatis, quibusque assentimur vel affectu partium, vel utilitatis spe, vel amicorum gratia, vel necessitudinis aut societatis vinculo; prout enim quisque est affectus, ita judicat. *Præjudicia fidei* sunt judicia, quæ proferimus consequenter ad revelationem a Deo traditam, & nobis ab Ecclesia propositam. Præjudiciis sensus, mentis, & cordis medemur, si singula prudenter, & cum subjectione ad fidem examinemus: ita ut in illo examine sensus emendetur per intellectum, & intellectus per fidem. *Præjudicia fidei* nefas est examinare, quæ sunt a Deo revelante, qui non potest falli, nec fallere: non potest falli, quia est infinite sciens: non potest fallere, quia est infinite bonus, & quis nobis communicantur ab Ecclesia proponente, quæ est infallibilis, utpote columna fidei & firmamentum veritatis: & contra præjudicia fidei non ratiocinari opus est per fectissimæ rationis. Præjudicia sensus, mentis, & cordis examinare prudentis est, quippe qui sæpe illis præjudiciis fallimur; sed ista methodo in illo examine procedendum. Sensus humanus, utpote fallax, debet emendari per intellectum directum per fidem: & intellectus humanus debet emendari per fidem propositam ab Ecclesia, quæ est infallibilis.

Sic haberi debent ut certa, quæ sensus proferunt, si talia judicentur per intellectum fide instructum; quæ vero iidem sensus proferunt, debent haberi ut falsa, si talia rejiciat intellectus instructus per fidem: v. g. ut vera debemus admittere res fidei, quas auditu percipimus, quas in Scripturis legimus, puta, quod Deus sit unus in essentia, trinus in personis; quippe eam sensuum perceptionem fides approbat. E contra, substantiam panis esse in Eucharistia, licet sensus singuli videantur proclamare ut falsum, debemus repudiare; quis eam sensuum relationem Ecclesia rejicit.

Sic haberi debent ut vera ea mentis & cordis præjudicia, quæ a fide approbantur; falsa vero singula, quæ a fide rejiciuntur. Sic vera sunt ista præjudicia: quidquid movetur, ab alio movetur, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, &c. ea enim ut vera fides approbat, eum eis uti possimus ad confirmandæ Christianæ religionis veritates. Sed restringenda sunt omnia Philosophorum præjudicia juxta regulas fidei; v. g. *Ex nihilo nihil fit*; verum axioma virtute creata; quis agens creatum semper supponit materiam; falsum axioma virtute divina: quia Deus ex nihilo produxit mundum. *A privatione ad habitum non datur regressus*; verum axioma virtute creata; quia naturaliter homo mortuus non resurgit, nec homo totaliter privatus potentia vitali, v. g. visu, auditu, eam recuperat: falsum axioma virtute divina; quia omnes debemus resurgere, & Christus cæcis visum reddidit. *Accidentis est inhærere subjecto*; verum axioma naturaliter; falsum super naturaliter, ut patet ex speciebus Eucharisticis. *Omnis substantia naturalis est per se subsistens*; verum axioma de via ordinaria; falsum axioma de via extraordinaria, ut patet ex Christo, qui non subsistit per subsistentiam humanam, sed divinam. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; verum axioma in rebus finitis, in quibus nihil impedit identitatem; falsum in rebus infinitis, ut patet ex tribus personis Trinitatis quæ sunt idem cum essentia, nec tamen sunt idem inter se; quia oppositio relativa impedit identitatem.

Sic cum subordinatione ad fidem examinanda sunt omnia, quæ ad Religionem possunt vel proxime vel remote pertinere; & ut falsa pronuncianda sunt *quæ illuminatæ fidei videntur contraria*, ut jubet Conc. Lat. sub Leone X. Immo optandum esset, ut res pure Philosophicas cum subjectione ad fidem examinarent omnes Catholici. Numquid melius esset dicere cum Scriptura, quod *sol oritur & occidit, girat per Meridiem, & terra in æternum stat*: quam proferre cum Carthesio quod terra movetur, sol stat immobilis? Numquid melius esset dicere, quod *accidentia panis manent in Eucharistia sine subjecto*, ut dicit Conc. Constant. & canit Ecclesia in Officio Corporis Christi; quam dicere cum quibusdam Philosophis, quod species Eucharisticæ sunt sensationes nostræ a Deo productæ, aut meræ apparentiæ? Cur saltem donec affulgeat aliqua demonstratio, quæ antiquum modum illum loquendi falsum demonstret, modum loquendi a Theologis usurpatum non sectabimur? aut saltem cur fidei humiliter inhærentes non pronunciabimus, res fidei esse certissimas, dogmata vero Philosophica incerta esse & dubia? & si quid in nostris cognitionibus sit emendandum, ut revera est, emendandam esse Philosophiam per fidem, & non fidem per Philosophiam: satiusque esse nos loqui cum parvulis Christo dilectis, quam cum superbis Philosophis; meminisse enim oportet, nos esse Christianos potius quam superbe ratiocinantes.

Confect. 3. Tertius obex veritatis percipiendæ est male sana disputandi prurigo, qua fit, ut res etiam evidentissimas, vel certissimas, in controversiam deducamus. Noverat olim antiquus Philosophus motum localem, disputare voluit circa naturam motus, disputando eo devenit, ut motum negaverit. Alter Philosophus contentionis amans, in aperta luce ambulans, de ea controversiam instituit, & in fine controversiæ lucem non esse lucidam conclusit. Probe conscius Protagoras Deum existere, disputationem circa Dei existentiam instituit, & Dei existentiam negavit. Nimium circa Dei providentiam disserere voluit Epicurus, eo nimiis controversiis delapsus, ut mentem ejus dubiam effecerit, an aliquis esset hujusce mundi arbiter, num sidera incerto cursu volverentur. In quot & quam periculosos errores Christianos adegit insanabile illud disputandi cacoethes! Alii negarunt distinctionem personarum, ut Sabellius. Alii consubstantialitatem Verbi cum Patre, ut Arius. Alii consubstantialitatem Sp. S. cum Patre & Filio, ut Macedonius. Alii duas in Christo personas admiserunt, ut Nestorius. Alii duas in Christo naturas negarunt, ut Eutyches. Alii negarunt necessitatem gratiæ, ut Pelagiani. Alii libertatem arbitrii, ut Calvinistæ. Demum quotquot in Ecclesiam irrepserunt hæreses, hæ singulæ ab stulta disputandi gloria processerunt. Quocirca disputationes in scholis permittendæ sunt, immo præscribendæ, sed cum certis regulis.

Circa res claras & evidentes raro disputetur, nisi animi gratia, ut dicunt, scilicet ut excitetur vigor animi sæpe torpens, & alacriores fiant ad studendum adolescentes, & ut eorum mentibus altius infigantur quæ a Magistris accepta sunt. Nomquam vero disputetur circa res evidentes, vel ut foveatur superbia, vel ut nutriatur pertinacia.

Circa

Circa res fidei numquam disputetur, nisi cum subjectionem ad fidem, & ut solutione difficultatum firmius stabiliatur veritas per fidem proposita.

Circa res incertas, & nondum plane cognitas, disputetur, ut clarius pateant, modo sint utiles vel ad animæ sanctitatem, vel ad corporis sanitatem, vel ad humanæ vitæ commoditatem: cetera omnia scire, stultus labor & inutilis. Contemplemur per anatomiam humani corporis structuram, discamus remedia tuendo corpori necessaria, penetremus rationes, quibus animæ nostræ immortalitas, Dei existentia, Religio naturalis & revelata demonstratur. Sciamus prima artium mechanicarum elementa, sine quibus stare nequit commode hominum vita; reliqua despiciamus. Ignoremus, an alter mundus sit possibilis, an sol vel terra moveatur, an Deus possit inducere vacuum; & alia id genus, quæ ad nihil inserviunt.

Consectaria de mediis eligendis ad veritatem assequendam.

Consect. 1. Primum medium ad veritatem assequendam est electio optimi Magistri; discipulo enim studenti dici potest, quod dixit Tobias filio suo in civitatem Medorum profecturo. *Sed perge nunc*, inquit, *& inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum*. Tob. 5. v. 4. Ut enim optime ait Melchior Canus de locis Theologicis l. 9. c. 7. *Praeclare*, inquit, *autem cum eo agetur, cui preceptor contigerit & eruditus & pius: qui cum certa ab incertis separet, tum vanis quæstionibus declinatis utiles & necessarias soligat, doceatque discipulos, esse quamdam doctam, ut ita dicam, ignorantiam, sapientiusque esse quædam nescire, quam scire*. Hujus autem generis puto ego esse omnes quæstiones, quæ nec ad Religionem, nec ad corporis sanitatem, nec ad vitæ commoditatem referri possunt.

Consect. 2. Alterum medium ad veritatem assequendam est librorum selectio, quam non debet adolescens ex seipso attentare, sed ab erudito simul & pio magistro accipere. De qua selectione librorum nos aliquid supra prælibavimus; nollem enim adolescentem amplam congregare Bibliothecam, sed selectam.

Consect. 3. Tertium medium veritatis assequendæ est librorum, quos selegimus, prudens quædam discretio, qua sciamus quid in illis libris selectis debeamus inquirere. Sic v. g. a prophanis auctoribus expectare debemus non veritatem, sed eloquentiam, a sacris vero veritatem, non eloquutionem: illi quo modo loquendum sit edocent; isti quid sentiendum sit demonstrant: illi mendacium fapius magnificis & splendidis induunt vestibus; isti vero veritatem nudam proponunt. Artem ergo loquendi a profanis addiscas, artem vero vivendi a sacris auctoribus.

Consect. 4. Quartum medium ad veritatem assequendam est in libris omnibus a puro homine compositis inutilia ab utilibus resecare, & quasi prudenti circumcisione præscindere quod vanum est præscindere, quod utile seponere. Sic de Philosophis profanis loquitur Greg. Nic. in mystica enarratione vitæ Moysis: *Habet Philosophia sæculares partus, humanaque disciplina carnale quoddam præputium, quo circumciso quod relinquitur Israelitice videtur esse nobilitatis: ut exempli causa, immortalem esse animam Philosophi perhibent: id autem pium est. De corporibus in corpora transire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem transilire nonnulli asserunt; hoc quasi præputium circumcidenda sunt, & procul omnino abjicienda. Deum esse non negant, creatoremque omnium, a quo cuncta dependent, vero asseverant, ac rationibus, quantum fieri potest, demonstrant; sed Creatori, velut egenti artifici materiam supponunt. Multaque alia ejusmodi sunt verit excogitata rationibus, sed absurdis ac falsis appositionibus maculata, quæ si tollemus, propitius nobis Dei Angelus fiet*. Hoc mira eruditione præstitit D. Th. in summa contra gentes. De libris paganorum ita habet Aug. l. 2. Doct. Christ. c. 40. Sicut *Israelitæ idola & vasa aurea & argentea Ægyptiorum auferunt; & ad justos & Deo placentes usus conferunt; sic Christiani Philosophiam & disciplinas liberales, quæ in Ethnicorum libris extant, non eo prorsus relinquere debent, quod Ethnici eis impie abutantur, sed ad justum prædicandi Evangelii usum transferre debent*. Circa quod prudenter admonet Hier. amatorem profanæ Philosophiæ aut eloquentiæ, *ut si adamaverit captivam mulierem, idest sapientiam sæcularem, decalvet eam, & illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis unguibus amputet. Multos tunc fœtus captiva dat, & de Moabitide fiet Israelitis*.

Qualis debeat esse verus Sanctorum Patrum usus, non poteris tutius addiscere, quam a R. P. Annato in suo ad Theologiam apparatu, ubi singulorum Patrum opera percurrit, & qua methodo & cautione legenda sint, edocet, opus immensæ eruditionis & maximæ utilitatis. Interim has ab ipso regulas accipe. 1. Observa, quo sæculo scripserit auctor quem legis, quo sine hæreseos crimine docere potuit quod nondum damnatum erat ab Ecclesia. Sic Papias fabulam Millenariorum, Cyprianus errorem rebaptizantium, Augustinus animam fieri ex traduce, & Angelos esse corporeos sine hæreseos crimine docuerunt. 2. Observa ætatem scribentis, an scilicet juvenis vel senex scripserit; aliter enim sapit Augustinus juvenis, aliter senex, aliter ante conversionem, aliter post conversionem. Item aliter D. Th. in summa, in quæstionibus disputatis, & in libris contra gentes; aliter dum juvenis scriberet in Magistrum sententiarum. 3. Servanda scribentis occasio, quæ scriptorem non patitur in medio consistere, sed inopinum in alteram partem inclinat. Sic Aug. dum scribit contra Manichæos negantes libertatem, ita liberum esse arbitrium, ut videatur gratiæ detrahere: & dum scribit contra Pelagianos negantes gratiæ necessitatem, ita effert gratiam, ut non videatur satis ad liberum arbitrium attendere, quamvis tamen utrumque & agnoscat & tueatur. 4. Observa quomodo loquatur Sanctus, cujus scripta legis, an concionando abreptus eloquentiæ æstu, an scribendo & ex professo rem agitando; in priori siquidem casu hyperbolem patitur eloquentia, minime in secundo. Sic non satis exacte de gratia loquitur Chrys. inter concionandum, ut notat Augustinus, nimiumque tribuit libero arbitrio; at non sic Augustinus scribens ex professo contra Pelagianos. 5. Demum, si quæ dura, si quæ obscura, immo si quæ verbo tenus erronea dixerunt sancti Patres, non statim culpandi, sed statim ea singula benigne interpretanda

Digitized by Google

tenda sunt, & salva quæ eis debetur reverentia, veritati est inhærendum.

Quis & qualis esse debeat Theologorum Scholasticorum usus, paucia accipe ab Alphonso Salmerone Toletano, commentario in Evang. historiam, prolog. 9. ubi sic habet: *Cum*, inquit, *hoc genus Theologiæ Scholasticæ commendo, nolim ut quispiam in illis studiis consenescat, sed moderatum certum tempus illis disputationibus impendat, ut ad meliora & suaviora sacrarum litter. studia tempestive pervuiat. Quidam enim ita immodice illis studiis hærent, ut ad meditandas Scripturas & tardi accedant, & aridi prorsus & jejuni inveniantur.* Scholasticam ego in magno semper pretio habui; sed qualem? non eam quæ inutilibus quæstionibus occupatur; sed eam, quæ *est recta tractandarum rerum methodus*: quæ recte norit circa quamcumque rem definire, dividere, argumentari, & ordinare: quæ in philosophia, in jure &c. tradat generalia principia ex quibus educat conclusiones, quæ in Theologia proponat, locos Theologicos, Scripturam scilicet, Traditionem, Concilia, Patres, &c. quæ dogmata fidei item proponat, & ex his methodice suas educat conclusiones: quæ rem propositam captui audientium reddat facilioren: hanc ego Scholasticam comparo cum notitia characterum vocalium & consonantium, cui si infantem non occupaveris, numquam noverit legere; ita si Scholasticam discipulus non didicerit, nihil methodice sciet. Sed uti non semper infantem detines in cognoscendis litterarum characteribus, in uniendis vocalibus & consonantibus; sed ubi id semel assecutus est, transferes illum ad legendos quoscumque libros; ita ubi semel Scholasticam probe norunt discipuli, transferendi sunt ad primas omnium scientiarum, Scripturam scilicet, Traditionem, Concilia, Patres.

Consect. 5. In studio Theologiæ discernenda sunt ea, quæ ad fidem, ad mores, ad disciplinam, & ad quæstiones mere Scholasticas pertinere possunt: quæ ad fidem quæ ad mores pertinent, improbo labore addiscenda sunt, ne inermes & imparati ab hæreticis inveniamur & opprimamur, sed accincti semper ad præliandum prælia Domini, & ad reddendam rationem de ea quæ in nobis est spe. Quæ vero ad disciplinam tam antiquam, quam præsentem spectant, non segniter examinanda sunt, sed studiose addiscenda, ut antiquam æmulantes disciplinam, præsentem tamen non contemnamus: quæ vero ad mera Scholasticorum Theologorum placita pertinent, ita addiscamus, ut parum iis addiscendis immoremur. Istud præcipue observemus, ut illa opinionum diversitas nullum inter nos schisma introducat; semper enim apud Christianos vigere debet ista lex; in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas. Porro si velis discernere quæstiones de fide a quæstionibus Scholasticis, ut in prioribus multum tempus insumas, in posterioribus exiguum perdas, lege Holdenum de analysi fidei.

S E C T I O III.

Quo pacto artes liberales eum, quem merentur, splendorem consequi possint.

SUnt multi eruditi Professores, qui totis viribus instituendis alumnis incumbunt, sunt & discipuli qui totis conatibus student; attamen, ut ipsimet dolent Professores, e Collegiis exeunt juvenes & tenui litteratura instructi, & ad res tum domesticas, tum publicas omnino fere inhabiles. Qui fit, ut de re tam frugifera, Collegiis scilicet & Academiis, tam exiguus percipiatur fructus? Hujus mali causam præcipuam arbitratur Ludovicus Vives in suo de disciplinis tradendis libro, quod non satis a Magnatibus Reipublicæ tum ecclesiasticæ tum civilis æstimentur artes liberales. Ædificia Academiarum, vulgo obscura, nullisque ornamentis decorata, carceris potius quam habitaculi speciem præferunt. Hæc oculos juvenum male feriunt, & litterarum fastidium quoddam ingenerant. Professores publici quasi minus politi sæpius non ut par est honorantur, & quod pejus est, etiam coram studentibus ridentur, sibillantur. Hinc sensim in animos studentium irrepit quidam erga Magistros contemptus, qui in dies crescit, ubi vident juvenes se tanto pluris æstimari, quanto magis a moribus Collegii recesserint. Exercitationes Academiarum deseruntur quasi puerilia exercitia, quæ graves magistratus, nobiles cives, viros consulares dedeceant. Id ubi advertunt pueri, spernunt studiorum honorem, aliis inhiant, quæ ambitionem & popularem plausum nutrire possint, tædetque eos Academias consectari, languentque donec pulverem scholarum excusserint. Hæc vera causa, cur tam exiguus ex Academiis percipiatur fructus; quamdiu sine decore & ornamento erunt Academiæ, sine honore Professores, sine publica approbatione scholarum exercitia; tamdiu languebit litterarum studium, frigescet docentium ardor, & liberales artes incultæ & impolitæ permanebunt. Qui tantis malis mederi voluerit, legat quæ ea de re scripsit Ludovicus Vives, & Dominus de Fleury, ille in suo libello de disciplinis reparandis, iste in suo tractatu *du choix des etudes*.

C A P U T IV.

De his, qui artibus mechanicis occupantur.

ARtes liberales sunt illæ, quæ magis mente, quam corpore exercentur: tales sunt scientiæ isto carmine contentæ: *Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra*. Artes mechanicæ sunt illæ, quæ manum magis quam mentem occupatam detinent; & isto carmine concluduntur: *Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber*. Circa artes mechanicas duo præstanda incumbunt morali Theologo. Primum quidem est edendum, eas artes Christianæ sanctitati nihil habere oppositum, immo ad salutem consequendam esse aptissimas. Alterum vero, ab exercitio illarum artium removendam esse omnem fraudem; ideo sit.

ARTICULUS I.

Quantum ad salutem æternam conducat artium mechanicarum exercitium.

PRop. unica. Quamvis artes liberales pluris æstimentur apud homines; quam mechanicæ; tamen mechanicæ sunt maxime utiles, & earum exercitium ad salutem consequendam aptissimum est.

Prob. 1. Script. Ecclesiasticus, c. 38. v. 25. & sequentibus, artes liberales cum mechanicis comparat; illis quidem honorem apud homines concedit; istis vero utilitatem & majorem ad salutem æternam comparandam facilitatem adscribit: sic enim habet; *Sapientia scribæ*, quæ apud nos ars liberalis vocatur, *in tempore vacuitatis*, idest non nisi in otio exercetur: *& qui minoratur actu*, idest, qui actu exteriori & corporali abstinet in illo otio, *sapientiam percipiet, qua sapientia replebitur*. Postea subjungit: *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum: cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum. Sic omnis Faber & Architectus . . . Sic Faber Ferrarius . . . Sic Figulus sedens ad opus suum . . . Omnes hi in manibus suis speraverunt, & unusquisque in arte sua sapiens est, & sine his omnibus non ædificatur civitas.* Tamen hi omnes artifices mechanici *super sellam judicis non sedebunt . . . Sed creaturam ævi confirmabunt: ET DEPRECATIO illorum in operatione artis*, idest inter operandum preces effundent, quod minus commode fit ab eo, qui artibus liberalibus vacat, ob majorem mentis contentionem: *accommodantes animam suam*, eam scilicet ad Deum elevantes; *& conquirentes in lege altissimi*, meditantes scilicet legem Dei.

2. Ex Patribus. Sancti Patres laborem corporis, & proinde artes mechanicas multo magis ad pietatem inservire profitentur, quam laborem mentis, aut artes liberales; sic enim habet, Aug. lib. de opere Monach. c. 17. *Cantica divina cantare etiam manibus operantes facile possunt, & laborem tamquam divino celeusmate consolari. An ignoratis opifices, quibus vanitatibus, & plerumque turpitudinibus Theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini Altissimi? Ita sane ut ad ea discenda, quæ memoriter recolat, habeat seposita tempora.* Et auctor Epist. ad Demetriadem: *Nec idcirco*, inquit, *ab opere cessandum est, quia Deo propitio nullæ te indiges; sed ideo cum omnibus laborandum*. Et ut ostendat per laborem corporalem mentem ad Deum elevari, hæc addit; *ut per occasionem operis*, inquit, *nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitutem*. Et Hieron. in cap. 6. Matth. super illud: *ne solliciti sitis*, ait: *Labor exercendus est, sollicitudo tollenda.* Theophylactus in 1. Epist. ad Thessal. c. 4. *Cum Paulus ait, Operamini manibus vestris, non de spirituali exercitatione hoc dixit, sed corporali.* Et Chrysost. super eumdem locum sit: *Non sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis*: ergo censent Sancti Patres artes mechanicas multo magis ad pietatem inservire, quam laborem mentis, sive artes liberales.

3. *Rat.* Ea est mentis humanæ natura, ut dum occupatur artibus liberalibus, v. gr. studio vel philosophiæ, vel Rhetorices &c. fiat minus apta ad actus fidei, spei, caritatis & Religionis, eo quod, dum uni studio acrius intendit, ab aliis se longius segregat; e contra, dum corpus occupatur artibus mechanicis, mens ad divina fit aptior. Hoc quilibet in seipso experitur, magisque eget attentione quam explicatione: ergo exercitium artium mechanicarum nihil habet vitii, si sancte exerceatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De cultura terræ & pecorum cura.* Cultura terræ & pecorum cura nihil habet nisi sanctum, si cum pietate exerceatur. Adam innocens positus est in Paradiso, *ut operaretur & custodiret illum*. Genes. 2. v. 15. Post peccatum, *emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est*. Genes. 3. v. 23. Abel est pastor, Cain agricola, sed iste ab hoc sancto exercitio *recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit*. Sap. 10. v. 3. Noe agris colendis post diluvium occupatus est. *Cœpit*, inquit textus sacer, *Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam*. Genes. 8. v. 20. Abraham & Loth rebus pastoritiis occupati sunt, gregibus uterque abundabat, *nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul*. Genes. 13. v. 6. Esau victum venatione quærens rejicitur: Jacob pascens oves soceri sui, Deo gratus efficitur. Gen. 30. Filii Jacob coram Pharaone artem pastoritiam non occultant, sed de ea potius gloriantur: *Pastores*, inquiunt, *ovium sumus, servi tui, & nos & Patres nostri*. Gen. 47. v. 3. *Cum Gedeon excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime*: eumque elegit ad bellandum contra Madian. Judic. 6. v. 11. Saul jam Rex electus, *veniebat sequens boves de agro*, cum irruente in ipsum spiritu Domini, bellum indixit Ammonitis. 1. Reg. 11. v. 5. Pastor erat ovium David, cum unctus est in Regem a Samuele; sic enim respondit ei Isai: *Adhuc parvulus est, & pascit oves*. 1. Reg. 16. v. 11. Terram manibus suis exercebant primi Christiani, præcipue tot millia Eremitarum, qui, teste Augustino, terram incolebant, quodque pium exercitium nostris temporibus viget apud Monachos Sanctæ Virginis de Trappa. Ergo illud exercitium nihil habet, quod a sanctitate revocet.

Consect. 2. *De bellorum exercitio.* Bellorum exercitium nihil habet nisi sanctum, si cum pietate exerceatur. Bellum enim exercuerunt sanctissimi viri Abraham ad liberandum Loth, Josue ad introducendos Judæos in Palæstinam, Saul nondum ejectus ad puniendos Amalecitas, David ad expellendos Jebusæos, Machabæi ad tuendas paternas leges; immo Christiani sub Imperatoribus paganis armorum exercitium non refugiebant: nostris etiam temporibus Religiosi Ordinis Melitensis sancte & utiliter contra Turcarum impetus Christianam Rempublicam defendunt. Ergo bellorum exercitium nihil habet nisi sanctum, si cum pietate exerceatur.

Consect. 3. *De negotiatione.* Negotiatio, sive fiat per navigationem, sive per quamcumque mercium transvectionem, sive per societatem, nihil habet vitii,

Digitized by Google

vitii, si cum æquitate conjungatur: videmus enim Ismaelitas, qui emerant Joseph, non fuisse in Scriptura vituperatos: videmus Salomonem habuisse negotiatores, qui ibant & emebant pretio. 2. Paral. 1. v. 7. Et apud Is. 23. v. 8. Tyrii negotiatores, Principes vocantur & institores incluti; & si puniantur, puniuntur non ob negotiationem, sed ob scelera, & in pœnam subtrahuntur a Tyro negotiatores: quod indicat, negotiationem utilem esse, & non perniciosam.

Consect. 4. *De Medicina, Chirurgia, & Pharmacia.* Exercitium circa morbos curandos nihil habet nisi sanctum, si cum pietate exerceatur; eas enim artes in summo habendas honore præcipit Scriptura. *Honora*, inquit, *Medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus; a Deo enim omnis medela, & a Rege accipiet donationem.... Altissimus de terra creavit medicamentum, & vir prudens non abhorrebit illa.* Eccl. 38. v. 1. & sequentibus. Quomodo huic arti vacare possint etiam Sacerdotes, diximus ubi de censuris.

Consect. 5. De arte Fabrili, Textoria, &c. Prædictæ artes nihil habent, nisi sanctum, si ea, qua oportet pietate exerceantur; eas enim artes dedit Dominus posteris Adæ; immo testatur Josephus eas scriptas post diluvium in duabus columnis, quarum una erat lapidea, altera latericia, ut sic perennius in hominum memoria conservarentur; sed quidquid sit de facto illo historico, testatur Scriptura, quod sine illis artibus nec ædificarentur civitates, nec urbes habitatoribus replerentur. Visa ergo artium mechanicarum utilitate, qua sanctitate exercendæ sint videamus.

ARTICULUS II.

Quo pacto exercendæ sint artes mechanicæ, ut sanctitati animæ prodesse possint.

Quo pacto labor corporalis sancte exercendus sit, diximus initio hujusce tomi; ideo hic solum explicabimus quæ fraudes cavere debeant ab exercitio artis mechanicæ.

Propositio. Quicumque artibus mechanicis vacat, nihil in eo exercitio debet admittere, quod damnum proximo causare possit.

Prob. 1. Scriptura. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.* 1. ad Thessal. 4. v. 6.

2. Ex D. Thom. *Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat.* 2. 2. q. 79. ar. 1. in corp. Et juxta eumdem Doctorem, peccans contra justitiam tenetur ad restitutionem.

3. *Rat.* Quicumque agit contra justitiam commutativam, peccat, & tenetur ad restitutionem: atqui illi qui exercent artes mechanicas cum damno proximi, peccant contra justitiam commutativam; quia ex contractu vel explicito, vel implicito quilibet artifex mechanicus tenetur artem suam exercere juxta regulas justitiæ: ergo peccat, & tenetur ad restitutionem, si damnum inferat proximo.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui vacant agrorum culturæ, rebusque pastoritiis incumbunt, debent maxime intendere, ne damnum aliquod aliis inferant vel ex malitia, vel ex negligentia, sciantque se ad restitutionem teneri totius damni illati, ut diximus ubi de restitutione. *Si læserit quispiam*, inquit Scriptura, *agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena; quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet: si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.* Exodi 22. v. 5. & 6. Ubi reus peccati, & ad restitutionem obligatus declaratur agricola, & pastor, qui negligentia, aut malitia damnum proximo intulit: item & peccati reus est, & restitutioni obnoxius agricola & pastor, qui agit contra regulas artis, ut diximus ubi de restitutione.

Consect. 2. Quicumque vacant armorum exercitio, graviter peccant, si damnum proximo intulerint, tenenturque ad restitutionem damni illati; sic enim milites alloquitur Joannes Baptista Luc. 3. v. 14. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Itaque juxta D. Th. graviter peccant & ad restitutionem tenentur milites, vel Duces subalterni in sequentibus casibus. Primus est, cum non observant regulas militiæ: de quibus sta D. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. in corp. *In exercitu*, inquit, *qui ordinatur ad Ducem, sicut ad finem: primum est, quod miles subdatur Duci, & hujus contrarium est gravissimum: secundum vero, ut alii coordinetur. Inter ipsa autem*, per quæ miles ordinatur ad Ducem, *primum occurrit, quod homo fideliter ei*, idest Duci, *subdatur, nullum participationem cum inimicis habens; secundum autem, quod ei reverentiam exhibeat: tertium autem est, quod etiam famulatum impendat; majusque peccatum est in exercitu, si miles infideliter agens, cum hoste pactum habeat, quam si aliquam irreverentiam faciat Duci, & hoc etiam gravius quam si in aliquo obsequio Duci deficiens inveniatur.* Secundus est, cum nocent etiam hostibus contra Regis & Ducis voluntatem; quia ut docet August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. *Recte potest*, inquit, *miles illo*, idest Principe, *jubente, bellare; innocentem autem militem ostendit ordo serviendi.* Ergo extra illum ordinem agit miles injuste, & proinde peccat, & tenetur ad restitutionem. Tertius casus, quando nocet civibus ejusdem Regni, ab eis aliquid aut suffurando, aut rapiendo, vel damnum inferendo; id enim vetat jus naturale & divinum his verbis: *Non furaberis*; & jus positivum Regum Galliæ: sic enim habent edicta Henrici III. 1570. a. 4. *Si coporront les Soldats des Logis, qui leur seront bailliez, sans aller vivre au logis de leurs compagnons, ne souffrir que d'autres viennent loger en leur logis, à peine de repondre de toute la depense, qui s'y fera de la quelle l'Hote sera cru à son serment.* Et edictum Blesense a. 259. *Nos gens de guerre payeront raisonnablement de gré à gré ce qu'ils prendront avec leurs valets & chevaux, de tout ce qui leur sera necessaire, tant en marchant par le pays, que sejournans, & residans en leur garnison, sans aucune exaction, foule, ou oppression de notre peuple*... Et specialiter alloquitur Duces, sic habet edictum Blesense a. 308. *Les Cassevolani soient punis de mort, & ceux, qui ont presté ou deguisé leurs armes.* Quod fit, cum Duces, dum deficiunt milites, loco militum suorum servos

alios milites constituunt. Et edictum Aureliantense a.117. *Defendons à tous Capitaines & autres de prendre les chevaux des Fermiers & Laboureurs, si ce n'est de leur vouloir, de gré à gré, en payant leurs journées, à peine de la hart.*

Consect. 3. Quicumque vacans negotiationi damnum causat proximo, graviter peccat, & tenetur ad restitutionem: & sicuti nullibi debet magis abundare bona fides, quam in negotiatione, ita nullibi gravius peccatur, si fraus aut dolus interveniant: ideo ait Ezech. 28. v. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti*, scilicet fraudes & dolos adhibens. Et v. 18. *In iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.*

Consect. 4. *De Medicis, de Chirurgis, & Pharmacopolis.* Peccant graviter, & ad restitutionem tenentur, qui sanandis hominum morbis incumbunt, si damnum aliquod ægrotis inferant vel ex inscitia, vel ex temeraria præcipitatione, vel ex livore, vel ex avaritia, vel ex negligentia, &c. ex his enim fontibus oriri solent tot damna, quæ ægrotis inferuntur.

Contra inscitiam Medicorum ita scribit Ludovicus Vives. Loquamur, inquit, jam de medicina, cui arti in omnium corpora, vitæ ac necis potestas, & jus summum est permissum, nec ulli umquam vel Imperatori, vel Regi tantum in homines licuit: quocirca & medicum ipsum navare diligentem operam omnes divi atque homines postulant, clamant, requirunt, ut prudentissime atque amantissime, quæ sua sint & fidei, & potestati commissa tractet. Quanta & quam præsentanea pestis est, si huic potentiæ adjungatur inscitia? Quid, si inscitiæ, quod fere fit, arrogantia; & ex hac rabies oriatur & pertinacia non cedendi? Itaque propter tam paratum discrimen maximis artis hujus auctoribus placuit non videri dignum cum Medici professione, ac nomine; cui hæc non adessent omnia; natura, ingenium, institutio longa & diuturna, probitas morum, sedulitas, usus. Ingenio est opus diligenti, attento, conjectore optimo, prudenti, moderato: non ambitioso, non ostentatore, non pertinaci, quodque in sententiam nolit transire melius dicentis. Erit hujusmodi Medicus, si habuerit persuasum, nihil sibi debere esse prius, aut carius vita & salute hominis, ut nec existimationem sui, aut quæstum anteponat ei, qui ad illius manum atque operam, tamquam ad asylum quoddam ex gravissimo periculo confugit: id vero est boni viri & Christiani. Nam si quem per ignorantiam, aut pervicaciam inflexibilem occiderit, quomodo deinceps id damni sarciet? Quantam & quam exactam est Deo redditurus rationem? Si quid ab uno Theologo erratum sit, ab alio corrigitur: si a Jurisconsulto erratur, succurritur æquitate judicis restitutione in integrum, denique fit pecuniæ jactura. Quod vero a Medico erratur, quis corriget? Homini extincto quis afferet remedium? Unde maxime miramur inveniri tam multos, qui adeo periculosum munus suscipere, ac profiteri non dubitent; sed nimirum plerique eorum prius in professionem inciderunt, quam intelligerent, quantum id esset, quod susciperent: nec propterea excusantur, quia, ut docet D. Th. 1. 2. q. 76. *Omnes tenentur scire communiter ea, quæ spectant ad eorum statum vel officium.*

Contra præcipitatam juniorum Medicorum praxim ita insurgit idem auctor. Iuvenes, inquit, atque adolescentes Medici solis scholæ spinis & captiunculis instructi, nulla peritia herbarum, animantium, elementorum: denique naturæ hujus nullis experimentis & cognitione rerum adjuti, nulla fulti prudentia, judicio & consilio perquam imbecillo, admittuntur ad Doctoratus honorem, & continuo emittuntur ex Academia in proxima oppida, & vicos ad ponenda rudimenta artis, tamquam manus immitium carnificum: nec universales noverunt Canones, nec deductionem artis viderunt ad usum, nec ipsi ad opus moverunt manum: juvenes calidi & confidentes omnia temeritati casuum commendant. Admoneri se non ferunt tyrones a veteranis, quibus se adæquatos vident honore Doctoratus. Quod si seniores Medici admonitionibus molesti esse pergant, adolescentuli Medici eos aggrediuntur rixis, & tendiculis scholasticis: hinc clamore, & pervicacia alleverationis, conviciis, maledicentia, cogunt sibi cedere senes moderatos, & pugnis hujusmodi desuetos, quos victos effronti confidentia, importunitate, & odio insectantur tyrones: hinc nata est superba juniorum Medicorum ostentatio, quæ veterem & vulgatam medendi viam fastidivit, novam insolitamque quæsivit, quæ admirationem excitaret, non sanitatem procuraret: nec propterea excusantur; quia juxta D. Th. ibid. *Quicumque negligit facere id, quod tenetur facere, peccat peccato omissionis.*

De Medicorum livore sic loquitur idem auctor. Cum aliqui, inquit, de quopiam morbo in commune consulunt, qua malignitate, quo livore id faciunt; quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam: qua auctoritate, atque alleveratione proferunt suam; qua pertinacia tuetur quisque quod semel confirmavit, aut etiam est elapsum, ne cessisse videatur? Idque eo faciunt obstinatius, quo sunt imperitiores, videlicet, non tam spectantium de se judicium veriti, si quid concedant, quam suæ ipsorum conscientiæ, cui satisfacere se non putant, nisi omnino victoriam aliis fecerint dubiam, aut victores se, aut certe non aperte victos: nam cedere appellant vinci. Hinc sequuntur detractiones, calumniæ &c. Quæ singula sunt peccata mortalia; quia, juxta D. Th. *Detractio per se est peccatum mortale.*

De quæstuosa Medicorum avaritia ita loquitur idem auctor. Quæstuosissima facta est ars Medicinæ. Quid enim non largiatur homo liberatori suo? An vero fit ullus tam insanus, qui in vitæ periculo pecuniæ parcat? Quid ergo de illis dicam, qui aviditate lucri morbos differunt, quo nihil cogitari potest inhumanius? Non privatim videntur isti admonendi, sed publica severitate puniendi, haud aliter quam convicti facinorum capitalium. Cur in eum animadvertitur, qui hominem liberum excidit; istis vero impune est morbos cum certo valetudinis exitio proferre? De quo ita jus Can. can. *Absit* dist. 50. *Si Medicus*, inquit, *indulget periculis, hoc non est curare, sed si verum dicere volunt, occidere*; & quando solum quæstum sectantur, peccant ex prava illa intentione. *Si autem per improbitatem*, inquit D. Th. *aliquid immoderate extorqueant, peccant contra*

contra justitiam, & proinde tenentur ad restitutionem illius, quod injuste extorserunt. 2. 2. q. 71. art. 4. in corp.

De negligentia Medicorum sic loquitur idem auctor. Qui se in artem Medicinæ in usum generis humani convertunt, ubi primum se publicis utilitatibus dedicarunt, non debent amplius ad alias artes, vel disciplinas divertere: est enim in hac una satis superque quod agant, vel vita universa, quantumlibet diuturna, ac longa. Sciatque Medicus quidquid temporis hujus studio subtraxerit, tantum subripere ac furari sanitati suorum ægrotantium. Nihil ergo carius, aut potius habebit, quam humanum corpus. Quocirca experimenta prima, quæ sunt plenissima periculi, non sumet in humano corpore, sed in te vili, nempe in mutis animantibus. Nullam omittet studendi occasionem, qua fiat in arte peritior, ut monet Hypocrates: *Ars longa, vita brevis*: sed juvat hic scribere jusjurandum Hypocratis, ut sciant Medici Christiani, qua religione Medicinam Paganus exercuerit; sic enim habet par. 4. Ceterum quod ad ægros attinet sanandos, diætam ipsi constituam pro facultate & judicio meo commodam, omneque detrimentum & injuriam ab eis prohibebo. Neque vero ullius preces apud me adeo validæ fuerint, ut cuipiam venenum sim propinaturus, neque etiam ad hanc rem consilium dabo. Similiter autem neque mulieri potum pro faciendo abortu dabo. Porro caste & sancte vitam & artem meam conservabo ... in quascumque autem domos ingrediar, ob utilitatem ægrotantium intrabo: ab omnique injuria voluntaria inferenda & corruptione, cum alia, tum præsertim operum venereorum abstinebo, sive muliebria, sive virilia, liberorum hominum aut servorum corpora mihi contigerit curanda; quæcumque vero inter curandum videro aut audiero, immo etiam ad medicandum non adhibitus in communi hominum vita cognovero, ea siquidem efferre non oportuerit, tacebo, & tamquam arcana apud me continebo. Hoc igitur jusjurandum mihi integre servanti & non confundenti, contingat & vita & arte feliciter frui, & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari; transgredienti autem & pejeranti, his contraria eveniant.

Confess. 5. De arte fabrili, textrina & lanifica, &c. Quicumque artifices, qui operantur vel circa saxa, vel circa ligna, vel circa metalla, vel circa lanam, aut linum, &c. peccant graviter, si vel materiam vitiosam ministrent, vel optimam materiam ministrantes non eam elaborent secundum regulas artis; quia in utroque casu damnum inferunt proximo. Quæ duo latissime extenduntur; nec sciti possunt, nisi omnes illæ artes percurrantur, & omnes fraudes quibus utuntur injusti artifices, aperiantur. Sic peccant & ad restitutionem tenentur qui hic subjiciuntur. 1. Architecti qui polliciti sub certo pretio domum ædificare, & omnia necessaria ad ædificium ministrare, saxa, calces, ligna vitiosa adhibeant, vel ædificium contra regulas artis extruunt. 2. Faber ferrarius, qui instrumenta vel bellica, vel aratoria, vel artis navigatoriæ, aut ex vitiosa cudit materia, aut non secundum regulas artis. 3. Sculptor, Pictor, quorum alter in sculpenda statua, alter in pingenda imagine parum duraturam adhibeat materiam, aut si duraturam, eam non juxta regulas artis adornant. 4. Omnes artifices circa linum, vel lanam, qui vel in panno, vel in tela materiam vitiosam adhibent, aut vel malitia, vel incuria alterari fiunt, &c.

Quomodo labore aliquo occupari debeant hi, qui suis redditibus vivunt, diximus initio hujusce tomi.

Varia hominum officia, quæ in hoc tomo descripsimus, exacte observarentur, si sancte præessent pastores, & si pastorum monita oves reverenter audirent, eisque humiliter acquiescerent: ideo ad majorem eorum omnium, quæ diximus, confirmationem, præter ea, quæ obiter retulimus in quarto Decalogi præcepto de mutuis pastorum oviumque obligationibus, uberius explicanda sunt pastorum oviumque munia, ut, his melius intellectis, sanctius se gerant tam hi, qui præsunt, quam hi qui subsunt spiritualiter, ideo sit.

C A P U T V.

De his, qui præsunt, & de his, qui subsunt spiritualiter.

Superiores spirituales alii sunt Ecclesiastici, alii Religiosi. Superiores Ecclesiastici sunt ii, qui præsunt in Ecclesia: tales sunt Episcopi & parochi, & demum omnes, qui pertinent ad Hierarchiam Ecclesiasticam. Superiores Religiosi sunt hi, qui præsunt in statu religioso: tales sunt, Generalis, Provincialis, & Superior localis: de quibus omnibus hic agemus, ostendentes, quæ debeant esse eorum dotes, & eorum munia.

ARTICULUS I.

Quem prototypum sibi proponere debeant Superiores tum Ecclesiastici, tum Religiosi.

P*Resp. unica.* Prælati tam Ecclesiastici, quam Religiosi debent sibi Christum tamquam prototypum proponere, & ad illius Doctrinam, & exemplum mores, vitamque suam componere, ut virtutes, quæ ipsis sunt necessariæ, obtineant, & vitia eorum dignitati contraria fugiant.

Prob. 1. Scriptura. Deus alloquens Moysen, cumque instruens circa ea, quæ divinum cultum spectabant, quæque Judaico populo proponenda erant, ait: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exodi c. 25. v. 40. A pari cuilibet prælato tum Ecclesiastico, tum Religioso dici potest: inspice Christum, & fac secundum exemplar, quod tibi in Christo monstratum est. Unde ipse Christus omnes fideles, sed præcipue Superiores spirituales alloquens, ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joannis 13. v. 15. Unde etiam Paulus ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. ad Cor. 11. v. 1. Ideo, dum Apostolus scribit ad Hebræos, c. 13. v. 20. vocat Christum *pastorem magnum ovium, qui aptat nos in omni bono.* Et Petrus epist. 1. c. 25. vocat Christum *pastorem & Episcopum animarum nostrarum*; ergo oportet, ut Superiores omnes, tum Ecclesiastici, tum Religiosi Christum sibi proponant tamquam exemplar, quod referant, quantum patitur hominum infirmitas.

Digitized by Google

2. Ex Aug. Tract. in Joan. 123. ubi sic habetur. *Quis non videat*, inquit, *magis debere imitando Pastori harere Pastores, si enim multa etiam imitata sunt oves, sub quo Pastore uno in grege uno & Pastores ipsi sunt oves? Omnes quippe fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus; quia & ipse ut pro omnibus pateretur, ovis est factus.*

3. Prælatio spiritualis tam Ecclesiastica quam Religiosa, participatio est supremæ illius auctoritatis, quam Christus habet in omnes fideles; non enim alia de causa morem gerimus Superioribus Spiritualibus, nisi quia Christi auctoritate funguntur: ergo sicut exhibent Christum auctoritate, ita & debent Christum exhibere imitatione.

Consectarium generale.

Omnes prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi debent Christum inspicere, ut & ab eo addiscant, & ab eo accipiant. 1. Quid debeant sibi. 2. Quid debeant Deo. 3. Quid debeant subditis. 4. Quid debeant Ecclesiæ in qua sunt prælati, vel communitati in qua sunt Superiores.

Tria sibi debent Superiores tum Ecclesiastici, tum Religiosi. Primo cautionem providam, ne divinam vocationem vel præcipites præveniant, vel pertinaces rejiciant. Secundo continuam circa semetipsos vigilantiam, ne a suscepta divina vocatione excidant. Tertio alternam orationis & actionis vicissitudinem, ut sibi invigilent, ovibusque non indormiant.

Deo debent quatuor: orationem, fidem, spem, & caritatem. 1. Orationem, ut Dei voluntatem cognoscant, cognitam ament, & ad eam amandam alios excitent. 2. Fidem, ut omnia secundum rationem, seu regulam fidei administrent. 3. Spem, ut sibi maxime diffidentes omnem in Deo fiduciam collocent. 4. Caritatem, qua in officio prælationis nihil nisi ex amore erga Deum incipiant, persequantur & consument.

Prælati quatuor debent inferioribus. 1. Caritatem, quam Christus exhibuit. 2. Bonum exemplum, quo Christus illuxit. 3. Doctrinam, quam Christus docuit. 4. Sacramenta, quæ Christus instituit. 5. Demum prælati debent Ecclesiæ aut communitati, cui præficiuntur, providam circa spiritualia & temporalia sollicitudinem.

Consectaria de iis, quæ Superiores spirituales sibi debeant.

Consect. 1. Prima dos Superioris tum Ecclesiastici, tum Religiosi est, ut sit conscius *divinæ vocationis*. Diximus in hoc tomo, vocationem divinam ad quemcumque statum necessariam; sed divina vocatio est specialius necessaria ad prælationem spiritualem suscipiendam, utpote periculis plenam. Circa istud duo extrema fugienda sunt, scilicet nimia præcipitatio, & nimia dilatio; non est præveniendа Dei vocatio, ne nos in prælationem intrudamus; non est rejicienda divina vocatio, ne simus inobedientes. Qui sine vocatione se ingerit, superbus est, sibique, ovibusque commissis magis nocet, quam prodest: ut docet Jeremias c. 23. v. 32. *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis; cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic; dicit Dominus.* Qui autem Deo vocanti renuit obedire, contra seipsum divinam iram excitat, ut patet ex Moyse: cum enim vocatus esset ad liberandum populum e manu Pharaonis munusque illud detrectans, sic Deum oratet: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es: iratus est Dominus in Moysen.* Exod. 4. v. 13. Qui divinam præveniens vocationem se ingerit, superbus: qui divinæ vocationi resistit, non vere humilis, sed inobediens: ille vere pius, qui cognita Dei vocatione, cum timore & tremore obsequitur. Hujus obedientiæ exemplum dedit Christus, qui teste Paulo, Patris vocationem nec prævenit, nec rejecit, non prævenit tempore, nec rejecit dilatione; nam, ut ait Paulus, *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ad Hæbreos c. 5. v. 5. *Et ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Ad Galat. 4. v. 4. In cujus persona loquens Isaias ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii; corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus. faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me:* Isa. 5. v. 5. quo ostenditur Deo etiam ad opprobria vocanti non esse resistendum. Contra eos, qui divinam præveniunt vocationem, insurgit Bernardus Tract. de moribus & officio prælatorum, c. 1. *Ceterum*, inquit, *curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum de his, qui nec dum in semetipsis experti sunt, videntes quippe illos, qui jam proprios humeros cupita sarcina submiserunt, non solum non gemere tamquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non discernentur periculis qui cupiditate cæcati non vident, sed favoribus amplius, quos illis invident, provocantur. O infinita semper ambitio, & insatiabilis avaritia! Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem vel vitæ merito, vel pecunia, sive etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogativa; non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio; quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur* ... Et postea insurgens in eos, qui Beneficia Beneficiis cumulant, aut Beneficium, quod habent, amplius quam par est extendunt, sic habet. *Quid igitur, nunc verecunda depulsa formidine, spence ambis ad ampliora, immo irreverenti audacia, propriis non consensus, invadis aliena? Cur hoc? Forte ut plures populos salves? sed in aliena mittere falcem injuriosum est ... crudelis ambitio & incredibilis, si fidem oculi non astruerent.* Ita vero increpat eos, qui ex pertinaci humilitate munus prælaturæ suscipere renuunt, epist. 201. *Neque sterilis verecundia*, inquit, *grata est, neque humilitas præter veritatem laudabilis; officium tuum attende: pelle pudorem consideratione officii. Sed non sum, inquis, ad ista sufficiens: quasi vero devotio accepta non sit, ex eo quod habes, non ex eo quod non habes; de solo credito tibi talento respondere para, securus de reliquo: si multum accepisti, da multum, quod si modicum, & id tribue.* Et lib. 4. ad Aug. c. 4. sic probat compellendos esse ad prælationem eos, qui

digna

Digitized by Google

digni sunt. *Hec tibi*, inquit, *persuade, qui admittendi sunt, difficile incurrit posse probari: & ideo si fieri possit, viros probatos oportere deligi, non probandos ... idque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare. Inter hæc itaque*, inquit Greg. lib. past. part. 1. cap. 9. *quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus nec coactus accedat. Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur; pecuniam siquidem in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere*. Iste, si faciliter acceptat, videat ne per mali operis exemplum fiat obstaculum ingredientibus Regnum Cælorum, more Pharisæorum, quibus Dominus dixit, quod neque ipsi intrabant, neque alios intrare permittebant. Denique eam adhibeat cautionem, quam nos adhibendam præscripsimus ubi de vocatione egimus: nam periculum utrimque nobis imminet, sive prælationem præcipites quæramus, sive pertinaces fugiamus: *non posse juvare*, scilicet onus prælaturæ suscipiendo, *Inepia est: nolle, extrema malitia*, inquit Scholiastes Climaci epist. ad Pastores cap. 12. *Quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem summum non amare convincitur*. Gregor. p. 1. Curæ Pastor. c. 5. Qui vero præceps illud onus suscipit, imprudentissime agit; quippe, ut ait Aug. lib. 19. de civit. cap. 19. *Locus superior ... etsi ita teneatur, & administretur ut decet, indecenter tamen appetitur*. Illud ergo medium eligendum; non quærenda prælatio ex ambitione, suscipienda ex subjectione. *Præcepta*, idest imperandi officia, inquit Greg. *nec pro formidine debent deseri, nec ex libidine amplecti*: lib. 24. Mor. c. 16. *Tunc enim*, inquit idem Doctor, *potestas bene regitur, cum non amando sed timendo retinetur, quæ ut ministrari recte valeat, oportet primum, ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat*. ibid. *Humilitas enim*, inquit idem Greg. *tunc ante oculos Dei vera, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est*. part. 1. Cur. past. c. 6.

Consect. 2. Alterum officium, quod sibi debent Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi, est continua circa semetipsos vigilantia, ne a gratia vocationis excidant; tria enim mala timere debet Superior etiam legitime vocatus: scilicet securitatem ob vocationem a Deo acceptam: superbiam ob dignitatem susceptam: & otium propter independentiam, quibus tribus malis non aliter mederi potest Prælatus, quam per summam circa semetipsum vigilantiam. Primo quidem, quantumcumque moraliter certus sit, se Prælaturam non nisi divino jussu suscepisse, non ideo tamen omnino securus sit oportet, quin immo in timore & tremore operetur salutem suam necessarium est; quippe Saul nonnisi jussu Dei suscepit gubernacula Regni Israelitici, & tamen reprobus factus est: Judas a Christo vocatus fuerat, & tamen impius proditor Christi factus est. Nec excusari potest Prælatus male utens divina vocatione, eo quod ad prælaturam coactus ascenderit: ut late probat Chrysost. lib. 4. de Sacerd. c. 1. inducens sic Saulem se apud Samuelem excusantem. *Num ad regnum ipsum administrandum cucurri? Num ad hujus potestatis regimen prosilii, atque advolavi? Equidem in animo habui privatam vitam vivere, quietam illam quidem, ut molestiis vacuam: tu vero ad hoc me dignitatis auctoritasisque pertraxisti. In illa ergo vita humilitate, atque obscuritate versatus, facile offensiones hujusmodi devitassem. Nam si ex vulgarium atque ignobilium hominum numero unus fuissem, mihi adversus Amalecitas bellum Deus non credidisset, quo mihi non credito, peccatum hujusmodi numquam perpetrassem. Verum hæc, quæ dixi, omnia ad defensionem sunt infirma, neque infirma tantum, sed etiam usque adeo periculosa, ut Dei iram magis irritent. Eum enim qui Magistratum meritis suis majorem assecutus est, ut errata ipse sua tueatur, defendatque, Magistratus magnitudinem prætendere non oportet: quin immo in majorem virtutis profectum magna illa Dei erga se benevolentia uti. Qui vero ob id peccandi licentiam sibi permittit, quod præstantiori dignitate ornatus sit, certe nihil aliud, quam Dei benignitatem, peccatorum suorum auctorem facere conatur, id quod solemne quidem est impiis hominibus, iisque quorum vita in ignavia & socordia versatur. Superbiam timere debet Prælatus*, ut docet Greg. p. 2. Past. c. 6. *Sed plerumque rector eo ipso, quo cæteris præeminet, elatione cogitationis intumescit; & dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam, quod reprobare debuerunt; seducti ab his, quæ infra suppetunt, super se animus extollitur; dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit, subjectos despicit, eosque æquales sibi naturæ origine non agnoscit; & quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit; cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam se constituit culmine apud semetipsum, & qui æqualis cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur. Sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt, & ipse est Rex super universos filios superbiæ ... ait: ero similis Altissimo. Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit; Apostata quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit: per humilitatem prælatus quippe est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? ... Mire autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus, cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit*. Tandem Prælatus debet maxime cavere otium propter independentiam: ea est enim hominis natura, præcipue post peccatum originale, ut sui juris esse gestiat, nullisque legibus subesse glorietur; ideo Prælati, si continuo non sibi præcaveant, ab omnibus legibus immunes se esse arbitrantur: quocirca summa vigilantia opus habent, ut sibi suadeant legibus longe strictioribus teneri in Prælaturis, quam si Superiori subessent. *Episcopatus* enim, inquit August. lib. 19. de civ. c. 19. *nomen est operis*. Et Laurentius Justinianus: *Pastoralis officium est non honoris, sed*

oneris ; non securitatis, sed periculi ; non quietis, sed laboris. Div. vero Gregor. sic statum Prælaturæ describit 1. part. past. cap. 5. *Quid namque est*, inquit, *potestas culminis, nisi tempestas mentis? in qua dum cogitationum semper procellis navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris & operis quasi per obvia saxa frangatur*. Quibus verbis satis aperte indicatur, multo pluribus periculis agitari eos, qui præsunt, quam qui subsunt.

Consect. 3. Tertium officium Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi erga se ipsum est alterna orationis, & actionis vicissitudo, qua sic sibi vigilet, ut ovibus, quibus præest, non indormiat; sibi quidem primo vigilet: secundo vero ovibus suis; ut monet Paulus his verbis: *Attendite vobis & universo gregi*. Miram utriusque illius vitæ activæ, & contemplativæ unionem docuit Christus dum per triginta annos delituit contemplationi deditus, & per tres annos prædicationi ita orationem & actionem miscuit, ut dum populis instruendis insisteret, sæpius sese ab eisdem populis segregaret, ut solus & in silentio orationi vacaret. Quo pacto alternam illam orationis & actionis vicissitudinem dirigi oporteat, multis docet Greg. 1. par. past. Quæ singula juvat sic contrahere. *Sic*, inquit pius Doctor, *Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus*: pastor cum Paulo ad tertium cælum rapiatur contemplatione, & cum eodem per viscera pietatis descendat ad terras dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* cum Moyse crebro ingrediatur & egrediatur tabernaculum, videlicet intus in contemplationem rapiatur, foris infirmorum negotiis urgeatur: intus Dei arcana consideret, foris onera carnalium portet: & cum eodem in dubiis ad arcam testamenti, ad consulendum Dominum, recurrat, exemplo Salvatoris nostri, qui postquam in monte orationi vacaverat, ad urbes, ad miracula pro relevandis hominum miseriis descendebat.

Consectaria de his, quæ Prælatus tum Ecclesiasticus, tum Religiosus debet Deo.

Consect. 1. Primum officium Prælati erga Deum, est frequens oratio, qua divinam legem cognoscat, cognitam amet; ad quam amandam alios excitet. Quantum orationi debeant prælati insistere, docuit Christus princeps pastorum, qui etsi hypostatice unitus eum divinitate, tamen, ut esset prælatis exemplum orandi, integras noctes solebat orando transigere: *& erat*, inquit Scriptura, *pernoctans in oratione*. Exemplum orandi dederunt etiam Apostoli; qui hoc exercitium quasi pastoribus indispensabile agnoverunt. *Nos vero*, inquiunt, *orationi & ministerio verbi instantes erimus*. Act 6. vers. 4. & quamvis oratio, & pietas ad omnia sit utilis, est tamen absolute necessaria ad cognoscendam legem Dei, quam prælati debent suis ovibus indicare, juxta illud Davidis: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*.

Sic Abraham in contemplationem raptus cognovit pactum, quod Deus cum eo iniit: *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: noli timere Abraham: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Genes. c. 15. v. 1. Sic Jacob in somno orationis *vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam*, & certissimam hanc promissionem accepit: *ero custos tuus, quocumque perrexeris*, Gen. 28. v. 12. quia divina visione legem sibi a Deo impositam haud dubie cognovit. Sic Moyses post quadraginta dierum jejunium cum oratione conjunctum legem Dei meruit accipere in monte Sinai. Exod. 20. & Deut. 5. Sic in oratione accepit Samuel, quo pacto se gerere deberet circa populum Judaicum, cujus regimen ei Deus imposuerat. Item, cum Daniel instantius oraret, didicit tempus, quo Messias desideratus cunctis gentibus venturus esset. Demum Apostoli perseverantes erant unanimiter in oratione, cum voluerunt Apostolum in locum Judæ proditoris eligere, cum repleti sunt Spiritu Sancto de cælo in formam ignis descendente, cum statuerunt Diaconos eligere, cum controversiam circa legis Mosaicæ observationem definierunt: quibus singulis factis historicis convincimur, orationem prælatis esse maxime necessariam, ut legem Dei agnoscant, præcipue cum ea, quæ a prælatis sciri oportet, sola oratione addisci possunt: ut docet Gregor. 1. mor. c. 17. *Sic enim*, inquit, *mens plerumque decipitur, ut aut qualitate mali, aut quantitate boni fallatur. Sed hos virtutum sensus melius PRECES quam discussiones inveniunt; nam ea quæ perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, sæpe verius ORANDO quam investigando penetramus*. Etenim, ut docet idem Greg. lib. 4. expos. 1. Reg. c. 1. *Sancti viri*, inquit, *qui omnipotenti Deo displicere metuunt, in suis judiciis faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter ordinant, ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant. Nam electionem nullam accipiunt judicii, si non probatur contemplatione rationis... Oculi quippe Sanctorum sunt intellectus rationis reserati per gratiam Spiritus Sancti*. Ideo Script. ait, quod *oravit Dominum Samuel* antequam responderet populo. *Quid enim*, inquit Greg. *Dominum oravit, nisi ut sibi dignaretur ostendere si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset?* Si in indaganda lege Dei Samuelem imitari negligant prælati, idem eis continget, quod Josue & Israelitis, qui cum Gabaonitis imprudenter fœdus inierunt; quia, ut testatur Script. *Os Domini non interrogaverunt*. Josue 9. 1. 14. Si oratio sit necessaria prælatis, ut divinam legem cognoscant, multo magis est necessaria, ut divinam legem jam cognitam diligant, & ad ejus dilectionem alios inflamment: ut docet Aug. in omnibus suis libris, sed præcipue contra Pelagianos, sic enim habet ep. 107. ad Vitalem: *Non ergo gratiam dicamus esse Doctrinam, sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse Doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse Doctrinam*. Et in solutionibus quæstionum Hilarii: *Jubet ergo*, inquit, *Deus continentiam, & dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, dat per Spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum: & littera sine Spiritu occidit*. Demum lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 19. definit, non solum per gratiam cognoscere nos mandata Dei, sed etiam per *illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus*. Ergo oratio maxime necessaria est prælato, ut divi-

nam

nam legem cognoscat, ut cognitam amet, & ut ad ejus amorem alios inflammet.

Consect. 2. Prælatus debet Deo fidem, qua inferiores suos dirigat, non secundum privatum suum spiritum, sed secundum *rationem* fidei, ut loquitur Paulus, idest secundum regulas per fidem statutas, quibus zelum habeat, qui sit secundum scientiam, quibus zelum suum vel ardentiorem moderetur, vel lentiorem excitet, & omnia Deo dirigente operetur. hujusce rei exemplum dedit nobis Christus princeps pastorum, qui in negotio salutis generis humani non affectum matris Mariæ Virginis, vel Joseph, non propositum discipulorum, sed solam Patris voluntatem, tamquam sui regulam sectabatur. *Ego*, inquit, *quæ placita sunt Patri, facio semper*. Sic cum Maria, & Joseph sollicite triduo conquisitum Jesum in Templo reperissent, & his verbis amanter conquererentur: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*: Jesus incunctanter, ut parentum affectum non audiens, solam Patris voluntatem intuens; respondit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. 2. vers. 49. Sic cum Discipuli Christum cum Samaritana colloquentem sollicitarent ut sumeret cibum, sibique provideret, respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. Joan. 4. v. 32. Sic paterfamilias, cum famuli ardentiores, quam par erat vellent zizania permixta tritico eradicare, indiscretum illum zelum his verbis retinet, *Sinite*, inquit, *utraque crescere usque ad messem, ne eradicantes zizania, eradicetis simul & triticum*. Et cum Jacobus & Joannes vellent Christum suggerere, ut de cælo ignem emitteret, qui Samaritanorum urbem una cum civibus inflammaret, sic ardentiorem illorum zelum retundit: *Nescitis cujus Spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Luc. 9. v. 55. Sit ergo prælatus tum Ecclesiasticus, tum Religiosus, talis, qualem prophetavit Jeremias, loquens de Christo. *Regnabit*, inquit, *Rex, & sapiens erit, faciet judicium, & justitiam in terra*: 25. v. 5. *Sit sapiens*, idest & se, & suos dirigat secundum rationem fidei: zelum divinum habeat, sed *qui sit secundum scientiam*: peccatoribus obstinatis irascatur, pœnitentibus condoleat, alleviet imbecilles, sanet contritos; demum sit adinstar Pauli, qui de se ait: *Omnibus omnia factus sum*. 2. ad Cor. 6. 22. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. ad Cor. 11. v. 28. sit zelus illius prudens, & discretus, ad rationem fidei semper compositus; nam, ut ait Bernardus: *Virtus discretionis absque fervore caritatis jacet, & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat; ideoque laudabilis cui neutrum deest; quatenus & fervor discretionem erigat, & discretio fervorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum eum qui præest*. Serm. 23. in Cant. Prælatus enim sive Episcopus, sive parochus, sive Abbas, ut monet Laurentius Justinianus, regulis fidei semper adhærens, talis debet esse, ut imbecillioribus laborem alleviet, augeat autem robustioribus, adeo ut neque imbecillitas opprimatur immoderatione, neque vires insolescant alleviatione. *Illud*, inquit Basilius, *observare Antistes debet, ne imponendis gravioribus, quam quibus sustinendis pares fratrum corporis vires sunt imperatis, eos, qui ea facere non possunt, ad abjiciendam obedientiam instiget*. Cap. 35. de instit. Monach. Igitur, inquit Bernardus, *esto patiens, qui non vincaris a malo: & esto pacificus, ut vincas in bono malum: esto patiens, quia es cum malis: esto pacificus, quia præes malis. Habeat caritas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Censura quidem numquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit: vigor justitiæ semper fervidus, sed numquam præceps: sicut non omne quod libet licet, sic non omne quod licet, statim expedit*. Epist. 15. ad Hugonem Epis. Rhotom.

Consect. 3. Prælatus tum Ecclesiasticus, tum Religiosus, debet Deo spem, quam in variis regiminis ambagibus de se maxime diffidat, in Deo vero omnino roboretur, ad exemplum supremi pastoris, qui in humano genere redimendo, in patre sibi consubstantiali fiduciam suam collocavit. *Ego autem*, inquit, *fidens eram in eo*. ad Hebr. 2. v. 13. Et cum loqueretur de infallibili ovium suarum salute, certitudinem illam in patris omnipotentiam refundebat. *Oves*, inquit, *meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quispiam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei: ego & Pater unum sumus*. Joan. 10. v. 28.

Consect. 4. Prælatus tum Ecclesiasticus, tum Religiosus, Deo debet summam caritatem, qua omnia suæ administrationis exercitia in diligendam Dei gloriam referat, & nihil in proprium commodum convertat. Purioris illius caritatis exemplum in cunctis suis operibus ostendit Christus. *Non quæro*, inquit *gloriam meam, sed ejus, qui misit me, Patris*. Joan. 8 v. 50. Ejusdem caritatis exemplar dedere Apostoli in prædicando divino Evangelio, qui non aliud venabantur, quam clariorem divini nominis manifestationem, quorum erat ista omnium vox. *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*. P. 113. *Porro puritas cordis*, seu caritas pura, *in duobus consistit*, inquit Bernardus, *in quærenda gloria Dei, & utilitate proximi, ut in omnibus videlicet actis suis vel dictis nihil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum Pontificis officium, sed & etymologiam nominis, pontem utique seipsum faciens inter Deum & proximum*. Tract. de moribus & officio prælatorum. Eundem autem caritatem in prælatis, præcipue in Episcopis, exigit D. Th. 2. 2. q. 18. a. 4. sic enim discurrit. Qui ad prælationem erigitur, non solum ad perfectionem tendat, sed in ipso jam perfectionis culmine esse debet: perfectio autem omnis in perfectione caritatis sita sit necesse est, ut qui secundum exigentiam professionis suæ perfectus est, perfectam quoque habeat caritatem, sine qua perfectus non est.

Ea autem caritas pastorum erga Deum talis debet esse, ut non in Deo sistat, sed ad oves sibi a Deo commissas diffundatur. *Caritas enim*, inquit Augustinus in primam Canonicam Joannis, *ut perficiatur nascitur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectum venerit dicit; mihi vivere Christus est, & mori lucrum*; ex caritate prælatus se ovibus suis devovet, ideo sint.

Ca-

Digitized by Google

Consectaria de his, quæ Prælatus debet ovibus suis.

Diximus concise in explicatione quarti præcepti Decalogi, pastores debere ovibus suis amorem, bonum exemplum, instructionem, & Sacramentorum administrationem; sed de his hic fusius agendum.

Consect. 1. Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi, debent ovibus suis, quantum patitur humana infirmitas, paternam eam charitatem, quam Christus ovibus suis exhibuit. Quemadmodum enim providentia parentum carnalium animis vehementissimum erga filios suos amorem indidit, quo uno naturæ beneficio omnia quæ ad ipsorum educationem institutionemque pertinent, collata ipsis esse videantur; ita eadem providentia, quæ eumdem fere tenorem in operibus gratiæ retinet ac naturæ, cum prælatos omnes, scilicet Episcopos, parochos, priores, patres suorum inferiorum esse voluerit, merito ab illis exigit caritatem, qua fiat, ut non minus prælati erga filios suos sint solliciti, quam parentes carnales possint erga filios a se genitos esse propensi; præcipue cum amor supernaturalis longe sit efficacior, quam amor naturalis, & generatio spiritualis generationi carnali debeat prævalere. In hujus caritatis pastoralis exemplum proponit se Christus, dum ait: *Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis.* Et Paul. ad Rom. c. 5. v. 6. sic caritatem Christi explicat: *Vix enim pro justo quis moritur; nam* demus quod *pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Ejusdem caritatis pastoralis exemplum dedit Petrus: cum enim constituendus esset petra fundamentalis Ecclesiæ, ter interrogatur a Christo his verbis: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Cui trinæ interrogationi respondet humiliter: *Tu scis quia amo te.* Jo: 21. v. 17. Non jactitans amorem, uti fecerat ante passionem, cum diceret: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; sed judicium, & examen amoris sui Christo relinquens, ait: *Tu scis, quia amo te.* Exemplum ejusdem amoris pastoralis dedit Paulus, cum toto Apostolatus tempore ita fuerit affectus, ut mortem lubens pro fidelibus sæpius vellet oppetere. *Ego autem*, inquit, *libentissime impendam; & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus diligens, minus diligar.* Eodem amore succensi Paulus & Moyses se pro ovibus suis devoverunt. Moyses sic pro Judæis in idololatriam lapsis deprecatur: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exodi 32. v. 31. Paulus vero sic salutem Hebræorum exoptat, ut optet anathema esse a Christo pro fratribus suis, qui erant cognati ejus secundum carnem ad Rom. 9. v. 3.

Eodem caritatis zelo arserunt quotquot fuerunt in Ecclesia veri Episcopi. Ambr. siquidem l. 1. de off. c. 7. ita habet: *Non minus diligo vos, quos per Evangelium genui, quam si conjugio suscepissem: non enim ad diligendum vehementior est natura, quam gratia.* D. Martinus, qui merito Præsulum gemma dictus est, dum ad cælum possidendum evocaretur, tamen in gratiam ovium suarum dicebat Deo: *Domine si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Illud idem sentiunt quotquot sunt veri prælati; & merito quidem: nam quod Christus præcipue a pastoribus exigit, est caritas: ideo Christus Petrum toti Ecclesiæ prælaturus, sic eum interrogat. *Simon Joannes amas me? An amet Petrus Redemptorem ter interrogatur*, inquit Greg. *primo namque ei dicitur: Petre amas me? ut per amorem fortia agere studeat; secundo, ut in contemplatione alta cognoscat; tertio, ut perfecta caritatis affectu erga proximum ferveat.* In c. 16. l. 1. Reg. *Non enim otiose*, inquit Bern. *repetitum est; Petre amas me? in commissione ovium; & ego quidem id significatum perinde puto, ac si illi dixisset Jesus, nisi testimonium perhibente tibi conscientia, quod me ames, & valide perfecteque ames, hoc est, plusquam tua, plusquam tuos, plusquam & te, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur, neque suscipias curam hanc, neque te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est.* Serm. 76. in Cant. Ideo docet D. Th. 2. 2. q. 185. a. 3. ad 1. loquens de ea interrogatione Christi ad Petrum: *De ampliore dilectione Christus Petrum examinavit ad ostendendum, quod ubi alias invenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipue attendi debet in ipso eminentia divinæ dilectionis.* Et Cajetanus addit: *Sine amore pastorem non esse pastorem, nisi æquivoce:* in c. 22. Jo: Unde Bern. prælatos omnes his verbis Davidis admonet: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Quid enim*, inquit, *prodesset disciplinam habere in conversatione, scientiam in prædicatione, nisi adsit bonitas amoris in intentione?* Serm. ad pastores in Synodo congregatos.

Caritas autem illa pastoralis debet esse non sterilis, sed fœcunda, non quærens quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Debet esse fœcunda bonitatem effundens in subditos, adinstar caritatis Christi, qui ait: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Et rursus: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Et Paulus 1. ad Cor. 9. v. 19. *Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci.* Et Papa non alio titulo gloriatur, quam isto: *Servus servorum Dei.* Ut enim optime monet Aug. tr. de past. c. 1. *Illud quod Christiani sumus, propter nos est; quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus; attenditur utilitas nostra: in eo quod Præpositi, nonnisi vestra.* Caritas ergo pastoralis debet quærere quæ ovium sunt: quod ita explicat Bern. *Puritatem cordis in eo prælatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse; ut scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quidpiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.* Ser. 25. de div. Et scribens ad Eugenium l. 3. de consider. c. 1. sic Papam illum singulosque prælatos instruit: *Ita & tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut servas: præsis, ut prosis ... Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tibi omnis iniquitas.* Et Hugo a S. Vict. c. 21. instit. Ansel. *Væ tibi, si præes, & non prodes; sed væ gravius, si quia non præesse metuis, prodesse refugis.* Examinent ergo Episcopi, parochi, Abbates, &c. an habeant caritatem pastoralem: videant qualiter caritatem describat Paulus. *Caritas*, inquit, *patiens est, benigna est &c.* videant, an sint patientes, benigni &c. videant qualiter caritatem pastoralem

descri-

Digitized by Google

describat Aug. de laudibus caritatis. *Caritas*, inquit, *in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres latissima, inter falsos patientissima est. Caritas inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans, in virtute congratulans &c.* Ejusdem caritatis pastoralis affectus late describit Greg. l. 20. mor. quem consulas, si lubet; sed numquam melius caritas pastoralis innotescit, quam cum vitam nostram cum vita sanctissimorum Episcoporum, parochorum, & Abbatum comparamus, & eorum virtutes enitimur imitari.

Consect. 2. Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi, debent suis inferioribus exemplum. Christus omnibus præluxit exemplo; ideo omnibus ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et Scribis & Pharisæis fidenter dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Unde, teste Aug. una ex causis, cur Verbum carnem assumpserit, ea est, ut scilicet in Christo haberemus pastorem, qui præluceret exemplo. *Homo*, inquit, Aug. *sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Ita apud D. Th. 4. p. qu. 1. a. 2. in corp. 2.. Apostoli primi pastores electi a Christo non modo docebant verbo, sed etiam doctrinam suam roborabant exemplo. *Providemus enim bona*, inquit Paulus, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* 2. ad Cor. 8. v. 11. & scribens ad Tim. 3. explicans qualis debeat esse Episcopus, vult quod testimonium habeat bonum *ab his qui foris sunt.* Et ad eumdem Tim. scribens, *Nemo*, inquit, *adolescentiam tuam contemnat ... sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate.* 1. ad Tim. 4. v. 12. & quidem merito. 3. Si auctori profano dicere licuit, quod *vita Principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, ad hanc conformamur;* Plin. in Paneg. Trajani; a fortiori id de prælatis spiritualibus intelligendum. *Talis sit*, inquit Hier. ep. 93. ad Oceanum, *prælatus Christi, ut qui Religioni detrahunt, ejus vita detrahere non possint.* Tales sint prælati, juxta Greg. l. 5. Reg. ind. 14. ep. 56. *Ut præpositorum bonitas subjectorum sit salubris regula.* 4. Prælati sunt lux mundi, qua oportet nos illuminari, sal terræ, quo oportet nos a corruptione impediri; ergo sicut lucem decet esse maxime lucidam, ut illuminet, sicut sal oportet esse salsissimum, ut sua salsedine a carnibus corruptionem amoveat; ita oportet prælatos & probitate sua ovibus suis illucere, & sanctitate eas a vitiorum putredine præservare; etenim si *lumen nostrum tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quanta erunt?* & *si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Ideo certe nihil est *vel ad perniciem Ecclesiæ nocentius, vel ad decorem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quam si ii*, qui ob prælationes sunt sublimiores, infeliciter sint ob vitia depressiores, ut dicit Ludovicus Granatensis in concione de officio pastoris: *Sicut enim*, inquit Hier. *nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est commiserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur.* De dignitate Sac. c. 3. Quam deturpatam Ecclesiæ faciem sic describit Bernardus lib. 1. de consid. *Monstrosa res est, gradus summus & animus infimus: sedes prima & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus gravis, & actus levis: caput canum, & cor vanum: facies rugosa, lingua nugosa: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.* Quod quidem monstrum idem Bern. fusius alibi insectatur, tractans illud Prov. *Cælum & terra deorsum*, ubi ait: *Negligentia prælatorum tantam deordinationem & confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, & cælum deorsum, pedes supra caput, & facies retro, & interiora extra effusa sunt: Deus ibi conculcatur, & terra deificatur: diabolus honorifice recipitur, Deus vere contumeliose repellitur.* In exposit. reg. S. Bened. p. 5. c. 7.

Videant ergo Episcopi, parochi, & Superiores Religiosi, quod onus eis incumbat; eis istud præcipitur, inquit Basilius: *Exemplum esto fidelium.* Oportet, inquit D. Bonav. ut quilibet possit dicere, quod Paulus dicebat; *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Oportet inquit D. Bened. c. 2. Reg. *Ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret.* Oportet, ut singulis pietatis exercitiis intersit: *Principem te constituerunt, esto inter illos quasi unus ex ipsis.* Ecc. 32. *Esto*, inquit Bern. *in illis, non supra illos, quasi in potestatis throno, nec extra illos in privatis cameris, dimittendo communitatem extra necessitatem, sed in illis, idest inter illos tamquam communis homo, communitatem tenendo in choro, refectorio &c.* l. 4. de rect. Nec sufficit quod prælatus intersit pietatis exercitiis, nisi ea ipsemet impigre exequatur. *Sint Abbates subditis bene vivendo duces*, inquit Conc. Tur. an. 813. c. 24. Episcopi, parochi, & Abbates qui contra faciunt, Ecclesiam vel communitatem, cui præsunt, deturpant. Facies enim Sanctæ Ecclesiæ hi sunt, qui in locis regiminum positi apparent primi, inquit Greg. lib. 15. Mor. c. 7. Causa sunt damnationis eorum, qui ob datum scandalum pereunt: inquit Damianus lib. 1. ep. 9. *Episcopus tot animarum reus est*, inquit, *quot per ejus negligentiam suo pravo exemplo depereunt.*

Consect. 3. Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi debent tradere suis inferioribus eam doctrinam, quam Christus docuit. Consectarium istud, unum jubet, scilicet quod pastores suas oves instruant: alterum vetat, scilicet ne Doctrinam aliam ab ea, quam a Christo acceperunt, communicent. Quod prælati instructionem debeant suis ovibus, patet exemplo Christi, & Apostolorum; Christus siquidem princeps pastorum munus instruendi fatetur accepisse a Patre. *Ego autem*, inquit, *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Ps. 2. Et cum ingressus esset Synagogam Nazareth, eique traditus esset liber Isaiæ Prophetæ, ubi *revolvit illum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me ... Cœpitque dicere ad illos, quia*

hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris: Lucæ 4. v. 17. Apostoli vero se ad prædicandum missos publice contestantur: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei; & ministrare mensis ... nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Act. 6. Ideo Paulus Act. 2. ait. *Per triennium non cessavi die ac nocte cum lacrymis monens unumquemque vestrum;* & alibi: *Væ mihi, si non evangelizavero.* Et instruens Timotheum sic eum ad prædicandum hortatur: *Attende,* inquit, *lectioni, & exhortationi, & doctrinæ.* Et iterum: *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: sic enim te salvum facies, & eos qui te audiunt.* Et 2. ad Tim. 4. minacibus verbis sic eum obtestatur: *Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos, & mortuos, per adventum ipsius & regnum ejus; prædica verbum, insta opportune, importune, &c.* quibus verbis satis indicatur præcipuum munus Prælatorum esse instructionem. Ideo huic insistebant toti antiqui Episcopi, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus &c. Ideo Concilia præscribunt prælatis, ut prædicationis ministerio incumbant, sic enim habet Conc. Carth. IV. *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.* Et *Hispalense II.* sic loquitur: *Episcopo præsente, non licet Presbytero populum docere, aut exhortari.* Demum Trid. expresse determinat, *omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium.* Sess. 4. c. 5. Ideo Gregorius ep. 39. l. 2. dicit, quod Episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare. Et l. 4. ep. 37. Ecclesiam sine Episcopo prædicante comparat arenti alveo. Nec prælati possunt se accusare, quod variis exterioribus negotiis occupentur, nam sibi debent applicare consilium, quod Jethro Moysi suggessit: „ Esto tu populus in his, quæ ad Deum „ pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque illis cæremonias, ritumque colendi, & „ viam, per quam ingredi debent. Exod. 18.

Alterum, quod prælati debent suis inferioribus, est, quod non aliam quam Christi Doctrinam eis communicent. Hujusce muneris exemplum, & præceptum dedit Christus, dederunt & Apostoli, dederunt & SS. Patres. Nam Christus etsi infallibilis non aliam voluit populis Doctrinam tradere, quam eam, quæ ei per æternam generationem a Patre communicata fuerat. *Doctrina,* inquit, *mea non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris.*

Apostoli vero loquebantur, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis; adeo ut si quæramus primam hujus doctrinæ, quam tradituri sumus, originem, hæc origo alia non sit, quam Deus revelans in cælo mysteria. Pater æternus docet Filium communicando ei divinam naturam, & mittit illum in mundum tamquam Doctorem nostrum. Pater & Filius communicando naturam Spiritui Sancto, Doctorem Ecclesiæ illum efficiunt juxta illud: *Ille docebit vos omnem veritatem.* Ecclesia ergo a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto prælatis communicat Doctrinam, quæ ovibus communicanda est. Caveant ergo prælati, ne sacrum illud depositum Doctrinæ tantisper adulterent; audiant Vincent. Lirinensem ista verba Pauli exponentem, *depositum custodi.* Depositum, inquit, idest quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non privatæ usurpationis, sed traditionis publicæ: rem ad te perductam, non a te perlatam; in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens: aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias. Custodi propter inimicos, propter fures. Custodi etiam diligenter, sedulo, fideliter, ut suo tempore, cum oportuerit, quibus oportuerit, reddas, devitans profanas vocum novitates, idest sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contrariæ. Hactenus Lirin. Videant ergo Episcopi, parochi, Abbates, an sint in prædicando solliciti, & in tradenda Christi Doctrina fideles.

Consect. 4. Quartum Officium prælatorum erga subditos, est legitima Sacramentorum administratio, quæ quo pacto fieri debeat, dicemus ubi de Sacramentorum administratione.

Consectaria de his, quæ prælati debent Ecclesiæ, vel communitati, cui præsunt.

Consect. 1. Prælati Ecclesiastici debent Ecclesiæ, cui præsunt, continuam circa spiritualia ejus bona tuenda & promovenda vigilantiam, v. g. debent semper invigilare, ne veritas fidei alteretur, sanctitas morum corrumpatur, severitas Ecclesiasticæ disciplinæ enervetur. Debent ergo pugnare primo contra infideles veritatem fidei alterantes, secundo contra laxiores vel rigidiores Doctores Moralem Christianam corrumpentes, tertio contra tepidos fideles a vera Ecclesiastica disciplina degenerantes. Ad hanc triplicem pugnam necessaria est sanctitas vitæ, qua puritas Moralis Christianæ factis potius quam verbis selectioribus suadeatur; sublimitas scientiæ, qua fidei veritas pertinacioribus demonstretur; intrepida fortitudo, qua in difficilioribus circumstantiis Ecclesiastica disciplina conservetur; & demum continua oratio, qua singuli Ecclesiæ hostes a Deo exorato potius quam a nobis certantibus convertantur. Ut ergo prælatus debitam circa bona spiritualia Ecclesiæ adhibeat diligentiam, oportet ut in eo sit sanctitas sublimis, scientia non vulgaris, fortitudo intrepida, & oratio continua. Quæ singula hic breviter perstringemus.

Sanctitas sublimis requiritur in Episcopo, in parocho, ex statu, ex nomine, ex officio. Ex statu quidem, quippe Episcopus successor est Apostolorum, parochus successor discipulorum Christi: ergo quantum excellit alios dignitate, tantum debet præcellere sanctitate. Ex nomine; uterque enim Episcopus & parochus pastor est ovium. Quid ergo sequitur ex eorum nomine, nisi quod ait Greg. in pastorali? *Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris.* Ex officio; officium quippe pastorale facit Episcopum & parochum Dei cooperatorem in procuranda salute hominum. Qua ergo sanctitate pollere necesse est eum, qui sanctitate sua alios sanctos efficere debeat? Ut ergo in naturalibus ignis producit ignem, in artificialibus pictor efficit alium pictorem; ita in supernaturalibus ordinarie loquendo,

do, sanctus sit, oportet, qui alios sanctificat. Unde in veteri lege, n. 19. mundus erat, qui aqua expiationis lustrabat immundum. Quo tendit illud Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* Cui simile est illud Gregorii Mor. lib. 7. *Manus sordida aliam non lavat, & oculus plenus pulvere maculam non considerat.* Ita mundus debet esse qui alios vult corrigere: & quamvis sanctitas ministri non requiratur ad valorem Sacramenti; requiritur tamen ad ejus decentiam, & ad efficaciam correctionis.

Scientia non vulgaris requiritur in Episcopo & parocho ex statu, ex nomine, ex officio. Ex statu quidem; uti enim natura oculos adjunxit capiti, quo cetera membra dirigi debent; ita in Ecclesia, qui caput statuitur, instar est oculi, & proinde lumen habeat acutum necessarium est. Ex nomine; Episcopus enim vox Græca est a contemplando & speculando deducta: ergo decet, ut vim cognoscendi non mediocrem habeat. Ideo prælatum apud Ezechielem 3. vocat Dominus speculatorem: *Fili hominis*, inquit, *speculatorem dedi te Domui Israel.* Ex officio quidem; quia Episcopi & parochi est oves dirigere: in dirigendo autem primas partes tenet scientia. Ideo sapientiam præ omnibus petivit Salomon, cum Rex esset constitutus super Israel: quia scientia si destituatur prælatus, nihil eveniet, nisi quod dixit Christus; *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matt. 15. Hinc colligitur numquam Deum severius punire, quam cum permittit ignaros prælatos præesse. *Ecce ego*, inquit, *addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo; peribit enim sapientia a sapientibus; & intellectus prudentium abscondetur.* Isai. 29. & inter maximas populi Judaici calamitates hanc enumerat, quod Dominus auferet a Juda & Jerusalem, senem, consiliarium, & prudentem eloquii mystici. Isaiæ 3.

Fortitudo intrepida requiritur in Episcopo & parocho ex statu, ex nomine, ex officio. Ex statu quidem: cum enim uterque sit præfectus illius arcis, quam impugnant dæmones & homines, in eo loco uterque constitutus est, ut vere in illum cadat, quod olim de Ismaele dictum est: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, atque e regione fratrum suorum figet tentoria.* Quanta ergo opus est fortitudine ad tot hostes propulsandos? Ex nomine; Episcopus enim & parochus est fortis ille, de quo loquitur Michæas 3. Civitas munita, de qua Jer. 1. Et ille adamas, de quo Ezechiel 3. *Ego repletus sum*, inquit Mich. 3. v. 8. *fortitudine spiritus Domini, judicio, & virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum.* Jeremiæ vero Dominus ipse dicit 1. v. 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, Regibus Juda, & Principibus ejus.* Ezechieli vero dicit *Ecce dedi frontem tuam valentiorem frontibus eorum, ut adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Ezech. 3. v. 8. Qua ergo fortitudine roborentur oportet qui sunt in Ecclesia, tamquam milites Dei, tamquam civitates munitæ, & tamquam adamantes? Ex officio autem requiritur intrepida fortitudo in Episcopo & parocho; sæpe enim fidei veritas a paganis & ab hæreticis impetitur; sæpe sanctitas morum a Doctoribus vel rigidioribus, vel laxioribus, aliter, quam oportet, explicatur, & sæpe ab improbis Christianis deturpatur; sæpe Ecclesiastica disciplina vel tamquam laxior, vel tamquam severior accusatur; sæpe jura Ecclesiæ ab Imperatoribus, aut a Magnatibus invaduntur, sæpe obreptitia, vel subreptitia privilegia ventilantur: his omnibus est resistendum, cum illis hostibus decertandum. Qua ergo fortitudine oportet munitus sit prælatus? Si enim, inquit Cypr. scribens ad Cornelium, si, inquam, ita *res est, frater, ut nequissimorum timeatur audacia, ut, quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernanda sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus... Manere debet apud nos, frater, fidei robur immobile, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus.* Eo robore munitus erat sanctus Cantuariensis Episcopus, qui neque sui, neque suorum clade flecti potuit, ut Ecclesiæ jura iniquo Regi invadere cupienti cederet. Eo erat armatus zelo Ambrosius, quando Theodosium Imperatorem propter admissum scelus ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, quando Ariano Imperatori Basilicas petenti, mortem etiam minitanti, infracto animo restitit, dicens: *Tradere Basilicas non possum; sed pugnare non debeo: quia non tradendas, sed servandas accepi.* Hoc robore plenus erat Athanasius, cum contra Arium & Arianos fortiter dimicavit. Ea fortitudine plenus erat Stephanus, pleni Apostoli, dum fidem contra Judæos, contra Paganos, contra Hæreticos propugnarunt: Similem fortitudinem a Deo postulent Prælati necessarium est.

Oratio continua necessaria est Episcopo & parocho: bellum enim, quod utrique gerendum est, numquam melius quam oratione geritur. Moyses enim, qui perfectissimi pastoris nobis exemplum præbuit, orando, non bellando hostes suos repressit; orando siquidem maria divisit, Ægyptiorum currus exercitusque prostravit; Amalecitarum agmina fudit; & de exteris gentibus trophæa sæpe inclyta reportavit. Quod orationis exercitium in christiano isto, de quo agimus, bello magis est necessarium: quippe prælati non mortem quærunt hostium Ecclesiæ, sed conversionem, quam sola oratio a Deo potest impetrare.

Consect. 1. Prælati Ecclesiastici debent Ecclesiæ vigilantiam circa temporalia, non immediatam, quam ipsi gerant, sed mediatam, quam aliis imperent; quam tamen ipsi juxta regulas prudentiæ debent dirigere: ita docet Greg. Past. c. 7. *Secularia judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* 1. ad Corint. 6. *Ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. Ac si apertius dicat, quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur.* Unde late prosequitur idem Papa, quæ nos hic contrahimus: Jethro arguebat Moysen, quod terrenis populi negotiis stulto labore serviebat. Osee 4. Dominus minatur Judæis, quod erit *sicut populus, sic Sacerdos*: quando scilicet Sacerdos, qui deputatur spiritualibus officiis, temporalibus mancipatur exercitiis. Quod malum sic deflet Jeremias Threm. 4.

Quomodo, inquit, *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum?* Quod utique fit, cum Sacerdotes negotiis sæcularibus occupantur; nam Christus vetat singulis Christianis, curis hujus vitæ inhærere: ergo a fortiori id vetat Episcopis, parochis, & Sacerdotibus. Et Paulus 2. ad Tim. 2. sic clericum a sæcularibus negotiis removet ... *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis*. Illud idem Greg. ita explicat scribens ad Macinianum, ep. 28. *Instanter*, inquit, *admoneo, quod si recte consideres, ut non plus pecuniæ, quam animabus studeas, illud a latere respiciendum, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum ac vehementius incumbendum*. Illudque Gregorii l. 7. Reg. ind. 2. maxime animo suo infigat prælatus, *non terrenarum rerum curam, sed animarum ducatum se suscepisse*. Quia tamen, ut diximus, nulla Respublica, sive Ecclesiastica, sive civilis, potest subsistere sine bonorum temporalium adminiculo, prælati Ecclesiastici non debent possessionum Ecclesiasticarum curam abjicere, sed conservare ... in subsidium pauperum tenentur. Ideo in jure Canonico id jubetur. Cum Episcopus, inquit, & quilibet prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere vero deteriorem non debet. Cap. Fraternitatem de donatione.

Consect. 3. Prælatus Religiosus debet communitati quoad spiritualia eamdem vigilantiam, quam a prælato Ecclesiastico exegimus, cum illo insuper adjuncto, quod Superiores Religiosi debent maxime invigilare, ut vota non violentur, ut regulæ observentur, & ut piæ consuetudines non intermittantur; in his enim tribus tota perfectio religiosa consistit: de quo ita Bern. opere, Ad quid venisti: *Debes studere, ut sicut ordo a tuis senioribus traditus est, ita & tu tradas eum posteris suis, quantum in te est, verbo & exemplo, nec aliquam consuetudinem non bonam inducas, nec aliquam bonam per negligentiam, vel per incuriam diaboli prætermittas: nec in te ipso, nec in aliis, quibus cum modestia suadere potes.*

Consect. 4. Prælatus Religiosus debet communitati quoad bona temporalia eam vigilantiam, non immediatam, sed mediatam, quam a Superiore Ecclesiastico exegimus, cum eo tamen addito, quod cum prælatus Religiosus non sit minus ligatus voto, quam ejus subditi, nihil potest sibi tam quam proprium adscribere; sed e contra sequi debet exemplum Malachiæ Abbatis, de quo ita Bern. scribit: *Sanctæ paupertatis*, inquit, *non modo participem, sed & Principem se exhibeat, ipsius præcipue super omnes abundantius æmulator existens*. Aliunde reus est & injustitiæ, & sacrilegii, si vel sibi adscribat, vel perdat, vel inferioribus necessaria subtrahat, ut docet D. Basilius q. 143. & 144. *Qui rebus Monasterii abutitur, velut sacrilegus ... judicetur*. Quippe juxta Cassianum omnes antiqui Patres, *si quid fuerit Monasterio semel illatum, ut Sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari*, lib. 4. c. 10. & 4. & 19. & proinde sacrilegium committitur, si in pravos usus insumatur; injustitia vero, si subtrahatur necessarium membris communitatis, cum in eorum sustentationem ea bona Conventui data sint: ideo optime monet præmium Religiosum Pachomius in sua regula; ut *quidquid necessarium est, Præpositus, etiam non postulatus, impleat*.

ARTICULUS II.

Quem prototypum debeant sibi proponere hi omnes, qui subsunt spiritualiter.

PRop. un. Omnes, qui subsunt spiritualiter, sive sint Laici, sive Clerici, sive Religiosi, debent sibi Christum imitandum proponere, ut fideliter & hilariter prælatis suis obediant.

Prob. 1. Script. Nemo finem prædestinationis assequitur, nisi sit conformis Christo; juxta illud Pauli: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*. Ergo omnes, qui subsunt, debent Christum sibi imitandum proponere, ut finem suæ prædestinationis assequantur.

2. Ex libro de vita Christiana c. 6. inter opera Aug. *Christianus ille est, qui non nomine tantum, sed & opere est, qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, incontaminatus* &c. Ergo ut finem prædestinationis assequamur, debemus Christum imitari.

3. Ratione desumpta ex eodem libro: Quis, inquit idem auctor, tam vanus & miser est, qui advocatum se, cum litteras nesciat, audeat profiteri? Quis tam insanus & excors, ut se profiteatur militem, qui nesciat arma gestare? nemo enim quodcumque nomen sine causa sortitur. Sartor ut dicatur, necesse est ut calceamenta conficiat: ut dicatur quis Faber aut artifex, artis peritiam faciat ... hujusmodi exemplis cognoscimus nullum sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris in quo Christiani actus non apparent? Ergo oportet, ut omnes, sive Laici, sive Clerici, sive Religiosi, Christum sibi imitandum proponant. Laici imitentur eas virtutes, quas Christus ut homo, & cum hominibus conversans, exercuit. Imitentur Clerici eas virtutes, quas ut pastor animarum exercuit: Religiosi vero proponant sibi semper paupertatem, obedientiam, & castitatem Christi, & ad ejus exemplum votorum suorum observantiam dirigant.

Consect. un. Quantacumque sit perfectio, quam in hac nostra Morali a Laicis, a clericis, a religiosis exigimus, minus est quod requiritur, quam quod imperatur; multoque plura & excellentiora præcipit conformitas Christi omnibus imperata, quam quæ nos in Morali nostra descripserimus. Cujus veritatis conscius facile fuerit quisquis Christi vitam meditabitur. Quod ne gratis dictum videatur, en quomodo simplicem Christianum describat auctor jam citatus: *Christianus*, inquit, *ille est, qui viam Christi sequitur, qui Christum in omnibus imitatur: sicut scriptum est; qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mærentibus mæret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus omnibus communis est domus, cujus janua*

nna

Digitized by Google

nua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat; cujus demum panis cunctis offertur, cujus bonum omnes norunt, a quo nemo sentit injuriam, qui Deo die, noctuque deservit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur & cogitat: pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo, & Angelis ejus gloriosus appareat, qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum, cujus simplex, & immaculata est anima, cujus conscientia fidelis, & pura est, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est, qui cælestia potius, quam terrena desiderat, qui humana spernit, ut possit habere divina. Nam hi, qui hoc sæculum diligunt, & qui in præsenti tempore gloriantur, & complacent, audi quid dicitur: Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Et quicumque voluerit fieri amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur.

TRACTATUS OCTAVUS DE SACRAMENTIS.

PROOEMIUM TOTIUS TRACTATUS.

ISte tractatus in duas partes dividetur: in priori ea explicabimus, quæ spectant ad casus conscientiæ, qui circa Sacramenta proponi solent: in posteriori vero quæstiones, quæ circa Sacramenta in scholis pertractantur, strictim agitabimus; & utramque ista methodo absolvemus. In prima parte statuentur generalia quædam principia practica, e quibus per quædam consectaria resolvemus casus omnes Morales, qui Sacramenta respiciunt. In secunda vero parte statuentur pariter generalia quædam principia speculativa, e quibus educentur omnes illæ conclusiones, quibus & vis, & natura, & dignitas Sacramentorum explicatur; adeo ut in hoc tractatu quasi in brevi quadam Synopsi quisque habere possit quæstiones & morales, & speculativas, quæ in scholis non nisi longis voluminibus agitantur. Ceterum, qui solis conscientiæ casibus vacare voluerit, primam istius tractatus partem solum evolvat; qui vero solas quæstiones speculativas quærit, secundæ dumtaxat parti adhæreat; cui vero animus fuerit & practica, & speculativa de Sacramentis Theoremata in memoriam revocare, utramque, si ita libuerit, istius tractatus partem percurrat.

Prima hujus tractatus pars, quæ solos conscientiæ casus respicit.

Proœmium primæ partis.

UT resolvantur omnes casus conscientiæ, qui circa Sacramenta proponi solent, tria examinanda occurrunt. Primum quidem, quænam sint quæ reddunt Sacramentum validum vel invalidum, licitum vel illicitum. Secundum vero, quandonam urgeat obligatio recipiendi Sacramenta. Tertium demum, quænam sit obligatio cuilibet Christiano vivendi conformiter ad finem Sacramenti recepti. Quibus tribus semel discussis, & explicatis, statim sese offeret resolutio omnium fere casuum, qui in hac materia proponi solent. Ceterum, ut rectiori methodo procedamus, tria hæc tribus capitibus concludemus: ubi vero unius ejusdemve capitis materia uberior fuerit, illud idem caput in varias sectiones partiemur. Demum ne res adeo disjunctæ, & separatæ e memoria elabantur, in quolibet capite quædam statuemus principia, quæ ad singula Sacramenta sigillatim applicabimus. Et quamvis interdum applicatio principii cuilibet vel etiam rudiori obvia videatur, eam tamen nos explicite declarabimus. Melius enim est, ut liber abundet superfluis, quam ut deficiat necessariis; præcipue cum ea, quæ doctoribus videntur superflua, minus eruditis sint maxime necessaria.

Præmittuntur variæ annotationes ad intelligentiam hujus tractatus necessariæ.

§. I. *Explicatur breviter quid, & quotuplex sit gratia.*

Gratia est donum Dei elevans nos ad finem supernaturalem, qui est clara Dei visio.

Gratia alia est gratis data, alia gratum faciens.

Gratia gratis data est donum Dei gratis collatum hominibus, non eo fine, ut suscipiens sanctificetur, sed eo fine, ut alii sanctificentur. Tale est donum prophetiæ, linguarum, miraculorum &c.

Gratia gratum faciens est donum gratis collatum eo fine, ut qui illam recipit, fiat gratus, & acceptus Deo.

Gratia gratum faciens alia est actualis & transiens, alia habitualis & permanens.

Gratia actualis gratum faciens est motio quædam virtuosa, per quam intellectus noster illustratur, & voluntas nostra inflammatur, per quam patet nobis veritas supernaturalis, quæ latebat, & placet bonum supernaturale, quod displicebat. Hæc gratia non confertur per Sacramenta, sed a Deo nobis immediate imprimitur, & transit elicita actione supernaturali.

Gratia habitualis gratum faciens est qualitas quædam spiritualis, & supernaturalis, per quam simus filii Dei adoptivi, tamdiu manens in nobis, quamdiu non sumus in peccato mortali.

Gratia habitualis gratum faciens est duplex: alia Sacramentalis, alia non Sacramentalis.

Gratia habitualis permanens non Sacramentalis est ea, quæ nobis extra usum Sacramentorum confertur.

Gratia habitualis Sacramentalis est ea, quæ ad nos a Deo per Christum in ipso Sacramentorum usu derivatur: Sacramentum enim est id, a quo omnis vera justitia incipit, incepta augetur, & amissa reparatur.

Gratia igitur Sacramentalis est ipsamet gratia habitualis cum jure aliquo, quod habemus exigendi a Deo gratias actuales necessarias ad pie vivendum conformiter ad finem Sacramenti recepti: puta, vi gratiæ Sacramentalis Baptizatus vivit ut filius Dei, confirmatus ut miles Christi, saginatus Eucharistia ut homo nutritus Deo, pœnitens ut homo satisfaciens Deo offenso, unctus extrema Unctione ut homo convalescens a peccato, & reliquias ejus abstergens, ordinatus ut minister Christi, conjugatus ut repræsentans unionem Christi cum Ecclesia. Origo ergo gratiæ Sacramentalis est Deus juxta illud: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

Instru-

Instrumentum conjunctum est Christus juxta illud: *Gratia per Jesum Christum facta est*. Instrumentum separatum sunt Sacramenta juxta illud: *Haurietis aquas*, idest gratiam, *de fontibus Salvatoris*, idest de Sacramentis: ergo videndum jam quid sit Sacramentum.

§. II. *Explicatur quid, & quotuplex sit Sacramentum*.

Sacramentum generatim est res sacra, quæcumque illa sit. Sic juramentum, mysterium, secretum, vocantur Sacramenta.

Sacramentum stricte sumptum est cæremonia sensibilis divinitus instituta, qua Deus utitur ad conferendam gratiam.

Sacramentum aliud est novæ, aliud veteris legis.

Sacramentum veteris legis est cæremonia illa sensibilis, qua Deus in veteri lege gratiam per Christum nobis conferendam significabat: & de his Sacramentis non hic est quæstio.

Sacramentum novæ legis est cæremonia sensibilis, quæ a Christo instituta est ad nostram sanctificationem: & de septem Sacramentis a Christo institutis hic solum agimus.

§. III. *Quomodo Theologi explicent naturam Sacramenti a Christo instituti*.

Sicuti philosophi explicantes naturam compositi physici, v. g. hominis, tria in illo agnoscunt; nimirum materiam, formam, & actionem generantis ambas illas partes unientis; ita Theologi post Conc. Florentinum explicantes naturam Sacramenti, dicunt, quod *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*: ita Florentinum in instructione ad Armenos. Et Aug. explicans naturam Sacramenti, ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*.

§. IV. *Quid sit materia, quid forma in Sacramentis*.

Materia in Sacramentis est pars determinabilis; forma vero est pars determinans. Sic aqua est materia Baptismi; aqua enim est de se indifferens ad multos effectus, v. g. ad abluendum, refrigerandum &c. Sic illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* sunt forma Baptismi; hæc enim verba determinant materiam Baptismi, scilicet aquam, ad ablutionem spiritualem.

Materia Sacramenti est duplex: remota, & proxima. Materia remota est ea entitas rei, quæ a Christo electa est, ut fit materia Sacramenti, v. g. aqua est materia remota baptismi. Materia proxima Sacramenti est ipsamet materia, ut applicata per actionem Sacramentalem: v. g. ablutio facta per aquam est materia proxima baptismi.

§. V. *Qua sit intentio requisita in Sacramentis conferendis, & recipiendis*.

Intentio generatim est propositum aliquid faciendi; estque triplex; actualis, virtualis, & habitualis. Intentio actualis est propositum voluntatis hic & nunc actualiter elicitum: talis est actio, qua actualiter quis proponit Missam celebrare.

Intentio virtualis est propositum voluntatis, non actu elicitum, sed remanens in opere ex vi prioris actionis elicitæ: talis est actio, qua quis volens celebrare Missam, non retractans illam intentionem, sumit vestes Sacerdotales, & alia necessaria ad Missæ celebrationem.

Intentio habitualis est habilitas relicta ex iteratione plurimorum actuum: talis est habilitas celebrandi Missam, quæ reperitur in Sacerdote etiam amente: & de hac intentione hic non est quæstio, quandoquidem juxta omnes non sufficit ad Sacramentum.

Intentio actualis, & virtualis, alia est exterior, alia interior. Intentio exterior, ut volunt quidam, est opus exterius factum serio & non jocose, sine interiori voluntatis affectu: talis est intentio illius, qui præcise peragit serio, & non jocose actionem Sacerdotalem, v. gr. serio baptizat, confirmat, Missam celebrat, absolvit, ungit, ordinat, desponsatos benedicit.

Intentio interior est internum propositum voluntatis agendi quod peragitur: talis est intentio illius, qui agens serio, & non jocose actionem Sacramentalem, vult interne illam actionem Sacramentalem elicere.

Intentio interior, vel est respectu Sacramenti, vel respectu alicujus sequentis collatum jam Sacramentum. Intentio respectu Sacramenti est propositum respiciens illa, quæ sunt de essentia Sacramenti: talis est bona intentio illius, qui baptizans adhibet aquam & verba, & vult interne efficere actionem illam Sacramentalem, quatenus Sacramentalem: talis est etiam prava intentio illius, qui serio quidem baptizans adhibet aquam & verba, sed non vult interne actionem Sacramentalem fieri, quatenus Sacramentalem: v. g. malus Minister, qui veritus ne redditus Ecclesiasticos amittat, si jocose in Sacramentis conferendis se gereret, ritus Sacramentales solum exterius serio peragit, sed interius privata intentione proponit non facere Sacramentum, quatum in se est.

Intentio interior respectu alicujus sequentis naturam Sacramenti, est propositum spectans, non ad illa, quæ sunt de essentia Sacramenti, sed ad illa, quæ sunt extra naturam Sacramenti, v. g. ad effectus Sacramenti: talis est intentio illius, qui volens interne facere actionem Sacramentalem, quatenus Sacramentalem, nollet adhibere cæremonias accidentales ab Ecclesia præscriptas, vel nollet Sacramentum a se collatum suum habere effectum in recipiente, vel vellet facere Sacramentum ob vanam gloriam, ob magiam &c.

Ecclesia determinavit, ad valorem Sacramenti requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia. *Si quis dixerit*, inquit Trid. sess. 7. can. 11. *in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*. Determinavit insuper ad valorem Sacramenti requiri, ut actio exterior Sacramenti fiat serio, docet enim sess. 14. c. 6. absolutionem esse nullam, *si Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit*. Sed Ecclesia non determinavit, utrum intentionis intentio ex parte

Digitized by Google

ministri impediat, ne valeat Sacramentum, dum exterius serio conficitur ab homine sano & advertente. Catharinus enim, Salmeron, Contensonius, & multi Sorbonici id tuentur; sic enim legitur in Thesi in Sorbona propugnata anno 1658. *Cujusnam generis necessaria sit intentio, nondum Ecclesia propugnavit, adeo ut internam, externamve propugnare non sit nefas, mihi externam tueri proclivius.* Non tamen hic amplectimur eam sententiam, quæ tuetur requiri intentionem internam, & externam non sufficere, tum quia hæc sententia est communior, tum quia videtur esse Conciliis & Patribus conformis, tum demum quia fertur Alexandrum VIII. damnasse sequentem propositionem: *Valet baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit; non intendo, quod facit Ecclesia.*

§. VI. *Recensentur historice varii errores circa Sacramenta, simulque explicatur, quid de Sacramentis necessario credendum sit.*

Priusquam ad resolutiones morales veniamus, quid circa Sacramenta fides Catholica doceat determinandum est.

Certum est de fide, septem esse Sacramenta in Lege Evangelica a Domino Jesu Christo instituta, nec plura, nec pauciora, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Certum insuper est ea Sacramenta gratiam Christi continere, eamque non ponentibus obicem ex operato conferre. Constat etiam, tribus Sacramentis, videlicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine conferri characterem indelebilem, proinde hæc tria Sacramenta iterari non posse. Demum eadem fides docet, quodlibet Sacramentum tribus constare, scilicet, rebus, & verbis, & persona Ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: qui Minister, licet peccator, vere Sacramenta conficiet, modo quæ sunt essentialia Sacramentis servaverit.

Contra illa fidei dogmata insurrexerunt Gentiles & Hæretici. Gentiles nulla admittunt Sacramenta. Cataphryges circa an. 181. Sacramenta funesta esse contendebant. Cathari an. 256. Sacramenta nihil posse, nihil efficere docuerunt. Catharistæ an. 279. Sacramenta non modo inutilia, sed execranda esse voluerunt. Donatistæ an. 358. Sacramenta a malis Ministris collata nulla esse asseruerunt. Idem docuerunt Albanenses an. 796. Idem contendebat VVicleffus ann. 1410. Armeni vero ann. 640. quos postea secuti sunt Lutherani, tandem & Calvinistæ duo tantum esse Sacramenta, videlicet Baptismum, & Eucharistiam voluerunt.

De Baptismo: Necessario credendum 1. Quod institutus sit a Christo ad tollendum peccatum originale. 2. Quod medium sit de via ordinaria ad æternam salutem consequendam necessarium. 3. Quod ex institutione sua materiam habeat *aquam* veram & naturalem; formam vero hanc vel æquivalentem; *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.*

Circa Baptismum in varios errores prolapsi sunt Hæretici. Marcus Valentini Discipulus ann. 155. illam somniavit Baptismi formam: *Ego te baptizo in nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, & in eo, qui descendit, Jesu.* Cataphryges an. 181. baptizare noluerunt in nomine Trinitatis. Paulus Samosatenus an. 270. noluit baptismum administrari in nomine trium personarum. Sabæi an. 368. docuit, baptismum nullam prorsus habere virtutem. Seleuciani, & Henriciani an. 368. noluerunt uti aqua in baptismate, sed igne. Jacobus Sirus an. 586. frontem baptizandorum ferro candenti inurendam voluit. Flagellantes ann. 1273. docuerunt Baptismum aquæ cessasse, & immutatum esse in baptismum sanguinis flagello ex proprio corpore excussi. Berengarius ann. 1038. & Fraticelli ann. 1304. docuerunt, parvulos non esse baptizandos, sed adultos solummodo, quibus adhæserunt Anabaptistæ.

De Confirmatione: Credendum, quod verum sit Sacramentum, quo confertur gratia roborans in fide hujus Sacramenti. Minister ordinarius solus est Episcopus. Materiam & formam habet a Christo Domino, vel in genere, vel in specie institutam, quam Apostoli, eorumque successores adhibuerunt, quamve Ecclesia usurpat; istam scilicet formam aut æquivalentem: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis;* materiam vero impositionem manuum aut chrismationem.

Sacramentum illud multi insectantur Hæretici. Novatianus, & Novatus an. 252. negarunt baptizatos debere sacro chrismate confirmari. VVicleffus an. 1410. Sacramentum Confirmationis irrisit. VValdenses ann. 1160. noluerunt Confirmationem esse Sacramentum. Lutherus an. 1520. docuit confirmationem neque esse Sacramentum, neque gratiam conferre, sed esse cæremoniam inutilem. Sectarii fere omnes hujus temporis confirmationis Sacramentum tollere enituntur.

De Eucharistia: Necessario credendum 1. Quod in Eucharistiæ Sacramento sit vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi, quod quia subsistens & animatum est, cum eo simul existit anima vivificans, & Divinitas faciens subsistere. 2. Quod panis & vinum sint hujus Sacramenti materia. 3. Quod substantia panis & vini convertatur integre per *transubstantiationem* in substantiam Corporis & Sanguinis Christi. 4. Quod sub altera tantum specie totus atque integer Christus contineatur, atque sumatur. 5. Quod Christus sit in eo Sacramento cultu Latriæ adorandus. 6. Quod actio, per quam conficitur hoc Sacramentum (quam Missam dicimus) sit proprie sacrificium pro vivis & defunctis, non cruentum, quale fuit in cruce, sed incruentum, quo nobis sacrificium crucis applicatur, & impetratur cordis contritio, spiritus pœnitentiæ, & peccatorum remissio, & demum ea, quæ ad salutem possunt nos reducere.

Circa Eucharistiam varie errarunt Hæretici. Catharistæ an. 279. docuerunt Sacramentum hoc non posse confici ex pane confecto ex aqua & igne. Armeni an. 640. non in azymo, sed in fermentato debere confici hoc Sacramentum contendebant. Pauperes de Lugduno, sive VValdenses an. 1160. novam finxerunt hujus Sacramenti formam; consecrabant enim dicentes septies *Pater noster*. Sacramentarii, quos refutat Ignatius, negarunt in Eucha-

Eucharistia esse carnem Salvatoris Christi. Albigenses an. 1216. asseruerunt, Corpus Christi non aliter esse in pane, quam in aliis rebus. Beguardi & Beguinæ anno 1314. voluerunt in elevatione Corporis Christi inter sacrificandum nullam Christo exhibendam esse reverentiam. VVicleffus an. 1410. substantiam panis & vini post consecrationem remanere putavit. Carlostadius docuit Christum esse in Eucharistia tamquam in signo vere præsentem, si sumatur; non esse si non sumatur. Missam non debere celebrari pro mortuis docuit Aerius anno 342. Faustus Manichæus anno 307. altaria, incensa, vasa, luminaria, ipsum demum sacrificium quodcumque impugnavit, quem errorem secuti sunt Petrus de Bruis & Henricus Apostata. Pauperes de Lugduno anno 1160. potestatem conficiendi Eucharistiam Laicis concesserunt: idem docent Bohemi. VVicleffus docet, Christum non instituisse Missam. Lutherus vero à Diabolo edoctus, ut ipsemet fatetur, Missam dicit non posse offerri pro peccatis, eamque soli Sacerdoti sacrificanti prodesse.

De Pœnitentia. Necessario credendum, quod sit verum Sacramentum a baptismo distinctum, cujus partes sunt contritio, confessio, & satisfactio; forma vero hæc verba, aut æquivalentia: *Ego te absolvo*. Credendum insuper quod Minister hujus Sacramenti sit solus Sacerdos, habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam; quod absolutio actus sit judicialis, non solum declarans peccata esse remissa, sed etiam ea vere contritis, sincere confessis, & satisfacere proponentibus remittens nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo.

Hæretici contra Pœnitentiam sunt primo Montanistæ anno 181. qui docebant lapsos quamvis pœnitentes numquam peccatorum aliquorum remissionem consequi posse. Idem docuerunt Novatiani. Jacobitæ an. 594. docuerunt non esse necessarium confiteri peccata Sacerdoti, sed soli Deo. Idem docuerunt Albanenses an. 799. quibus postea adhæserunt Calvinistæ. VValdenses ann. 1160. potestatem absolvendi a peccatis etiam ad Laicos pertinere asseruerunt. VVicleffus anno 1410. voluit Confessionem peccatorum factam Sacerdoti esse inutilem, eamque Papisticam carnificinam vocant sequaces Lutheri & Calvini.

De Extrema unctione. Credendum, quod sit verum Ecclesiæ Sacramentum a Christo Domino institutum, & a Jacobo promulgatum. Materiam habet oleum; formam vero orationem deprecatoriam per verba in Ecclesia usurpata. A solis Presbyteris vel Episcopis conferri potest. Effectus hujus Sacramenti est alleviatio ægroti, & peccatorum, si quæ sint in ægroto, remissio.

Hæretici etam Catholicæ Ecclesiæ fidem sequentibus erroribus labefactare conati sunt. Hierarchici anno 279. docuerunt extremam unctionem non fuisse a Christo Domino institutam. Albanenses anno 709. dixerunt, Sacramentum Extremæ Unctionis nihil prodesse. Idem docuerunt VVicleffus, Lutherani, Calvinistæ. Omnes demum hujus temporis Sectarii Sacramentum illud & rident, & contemnunt.

De Ordine. Credendum de fide 1. Quod Ordo verum sit Sacramentum, quo confertur ordinato gratia, & spiritalis potestas exercendi sacra. 2. Quod principatus, qui per Ordinem confertur, sacer sit, coalescens ex Episcopis, Sacerdotibus, & aliis Ministris. 3. Quod Episcopi sunt Sacerdotibus superiores. 4. Quod Episcopi potestatem habent conferendi Confirmationem & Ordinem, quam non habent Sacerdotes.

Contra illa fidei dogmata insurrexerunt Hæretici. Et primo quidem Cataphryges an. 181. qui voluerunt mulieres posse Sacris Ordinibus initiari, cui errori adhæserunt Pepuzitæ. Secundo Tandenus Germanus an. 1184. qui docuit, Ordinem Sacerdotalem & Episcopalem nihil esse, omnesque Christianos Sacerdotes esse: quem errorem secutus est Lutherus: Tertio Calvinus, qui non alios agnoscit Ministros, quam fideles ætate seniores.

De Matrimonio. 1. Credendum de fide. Quod Matrimonium verum sit novæ Legis Sacramentum. 2. Quod nulli liceat plures habere uxores. 3. Quod impedimenta ab Ecclesia inducta Matrimonium vel impediant contrahendum, vel perperam contractum dirimant. 4. Quod Matrimonium ratum & non consummatum dissolvatur per professionem Religiosam, Matrimonium vero consummatum per solam mortem dissolvi. 5. Matrimonium clandestinum sine præsentia Parochi & duplicis testis celebratum nullum esse.

Sacramentum hoc & verbo & opere Hæretici nonnulli prophanarunt. Marcion an. 155. nuptias dixit esse illicitas. Montanus an. 181. docuit nuptiarum fœdus & vinculum pro conjugum arbitrio posse dissolvi, quod postea Græci quidam schismatici asseruerunt. Tatiani an. 173. nuptias scortationem habuerunt. Adamæi an. 194. Matrimonium tamquam per se malum damnarunt. Manichæi an. 272. nuptias illicitas esse docuerunt. Armeni an. 640. negarunt Matrimonium esse Sacramentum: Lutherus, & Melancton, & alii, non solum negant Matrimonium esse Sacramentum, sed & dissolvi posse docent, nimirum juxta Legem Mosaicam, scilicet propter adulterium, more Judæorum, asserentes posse saltem partem innocentem, conjuge superstite, alteri per Matrimonium conjungi.

Brevis hæc expositio Fidei ex instructione ad Armenos, & ex Tridentino extracta est. Hæretici vero, qui eam impugnarunt, referuntur ab Holdeno Doctore Sorbonico: refutabuntur a nobis in decursu hujus operis. Si qui velit singulos Hæreticos refellere, legat Alphonsum a Castro contra Hæreses.

CAPUT I.

In varias Sectiones divisum.

Quænam sint, quæ reddant Sacramentum validum vel invalidum, licitum vel illicitum.

NOta. Sacramentum potest considerari 1. Præcise ut validum, & ut invalidum. 2. Ut validum simul, & licitum. 3. Ut validum quidem, sed illicitum.

Sacramentum est validum præcise, quando habet tantum ea, quæ sunt absolute necessaria ad constituendum Sacramentum: habet v. g. debitam materiam, debitam formam, debitam intentionem: adest insuper Minister potens conferre, & subjectum potens recipere,

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum est invalidum, quando caret aliquo, quod fit ad constituendum Sacramentum absolute necessarium: v. gr. caret vel debita materia, vel debita forma, vel debita intentione, vel abest Minister, qui possit valide conferre, aut subjectum quod possit valide recipere.

Sacramentum est validum simul & licitum quando habet ea omnia, quæ necessario requiruntur ad constituendum Sacramentum, & comites habet eas cæremonias, quas Ecclesia adhiberi jubet, & nihil fit vel ex parte Ministri conferentis, vel ex parte subjecti recipientis, quod Sacramentum illicitum reddat & infructuosum efficiat.

Sacramentum est validum, sed illicitum, quando habet quidem omnia essentialiter requisita ad constituendum Sacramentum, sed deest aliquid præter naturam Sacramenti requisitum, vel adest aliquid, quo ratione aliqua læditur accidentaliter Sacramentum; v. gr. intervenit mutatio accidentalis vel in materia, vel in forma, vel in intentione: intervenit omissio alicujus cæremoniæ, aut alicujus decentiæ, quam Deus, & Ecclesia in collatione Sacramentorum observari volunt; vel demum in Ministro conferente, aut in subjecto recipiente non adest ea sanctitas, quam Deus in utroque exigit: quod ut clarius pateat, sit.

SECTIO I. CAPITIS I.

Quot, & quæ requirantur, ut Sacramentum sit præcise validum: quot vero, & quæ exigantur, ut Sacramentum sit validum simul, & licitum: demum quæ omissio reddat Sacramentum invalidum, quave omissio faciat Sacramentum illicitum.

PRopositio prima fundamentalis. Ut fiat Sacramentum, quatuor requiruntur essentialiter, scilicet materia & forma, seu res & verba, subjectum potens recipere, & Minister potens conferre, una cum intentione faciendi serio, & non jocose id, quod facit Ecclesia, idest cum intentione exercendi actionem sacramentalem, quatenus cæremoniam sacram, vel habitam ut sacram apud Christianos.

Prob. 1. Script. Hæc verba Christi, Matth. 28. v. 16. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, denotant ista quatuor; nam, hæc vox *euntes* denotat Ministrum, *eos* vero denotat subjectum, *baptizantes* denotat materiam, scilicet aquam, hæc vero verba *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* denotant formam: & quia Minister conferens, & adultus recipiens debent se gerere moraliter, conferens debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; suscipiens vero adultus debet habere intentionem recipiendi Sacramentum, quod confertur in Ecclesia.

2. Ex Concilio Florentino. Sacramenta *tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramenta, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*: ita in litteris unionis; ergo ut fiat Sacramentum, quatuor requiruntur, materia, forma, subjectum recipiens, & Minister conferens, una cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

3. *Rat.* Sacramentum est compositum morale: ergo quatenus compositum, constat rebus, & verbis; rebus tamquam materia, verbis tamquam forma: omne enim compositum constat materia, & forma; quatenus vero compositum morale, requirit, quod subjectum recipiens, & Minister conferens se gerant moraliter: ergo, quod habeant intentionem aliquam.

Dixi autem, quod intentio debet esse interna, & non externa; quia actio externa Sacramenti est indifferens ad multa: v. gr. ablutio aquæ potest ordinari ad munditiam corporalem, ad sanitatem, ad ludum: ergo debet determinari ad esse cæremoniale, & Sacramentale per internam Ministri intentionem.

Dixi, quod intentio debet esse vel actualis, vel virtualis, & non habitualis solum, quia intentio habitualis solum non facit, quod minister gerat se moraliter, cum talis intentio possit reperiri in amente, in dormiente.

Dixi, quod sufficit intentionem spectare id, quod est de natura Sacramenti: quia cum bona vel mala intentio fertur ad id, quod est extra naturam Sacramenti, tunc non irritat Sacramentum, cum Sacramentum supponatur jam validum, & peractum.

Prop. secunda fundamentalis. Ut Sacramentum sit validum simul & licitum, isthæc requiruntur. 1. Ad validitatem requiruntur debita materia, debita forma, debita intentio, subjectum potens recipere, & minister potens conferre. 2. Ad decentiam requiruntur ritus illi qui in Ecclesia adhiberi consueverunt, debita dispositio in adulto recipiente.

Prob. prima pars. Ex Aug. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*: atqui *elementum* idem est ac materia, *verbum* idem est ac forma, ergo ad Sacramentum requiritur materia debita, & forma debita; illud autem *elementum, & verbum* uniri non possunt in esse Sacramenti, nisi sit minister conferens, & subjectum recipiens; ergo requiritur ad validitatem Sacramenti nedum materia & forma; sed insuper minister conferens, & subjectum recipiens. Sed quia minister debet in conferendis Sacramentis moraliter & libere se habere, & adultus debet pariter libere Sacramenta recipere, in utroque requiritur intentio faciens quod facit Ecclesia: ergo ad valorem Sacramenti isthæc requiruntur; debita materia, debita forma, debitus minister, & debitus recipiens, cum ea intentione, quam Christus & Ecclesia requirunt.

Prob. secunda pars. Sanctitatem aliquam requiri tum in Ministris conferentibus, tum in adultis recipientibus patet ex illo loco Aug. contra Donatistas: totus est in probando quod Sacramenta *obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne suscipientibus*: ergo sanctitas aliqua requiritur, tum in ministro conferente, tum in subjecto recipiente.

Prob. tertia pars, quod scilicet omissio cæremoniarum reddat Sacramentum illicitum. Illud patet ex Trid. sess. 7. cap. 13. ubi declaratur peccare graviter eum, qui cæremonias in solemni Sacramentorum collatione adhiberi solitas omiserit.

Prob. singulæ partes ratione. Ut sacramentum sit validum, requiruntur ea, quæ sunt de essentia Sacramenti: quia ubi non sunt essentialia Sacra-

Digitized by Google

mento, ibi non est sacramentum: ergo ad validitatem Sacramenti requiruntur debita materia, debita forma, debita intentio, subjectum potens recipere, & minister potens conferre: quia isthæc omnia sunt de essentia Sacramenti. Ut Sacramentum sit licitum, requiruntur ea, quæ sunt de decentia Sacramenti; quia si desit aliquid eorum, quæ ex decentia conjungi debent cum Sacramento, Sacramentum illicite tractatur, & proinde fit illicitum: ergo ad decentiam Sacramenti requiruntur ritus solemnes adhiberi soliti, ut Sacramentum illis ritibus adornetur. 2. requiritur sanctitas debita in ministro conferente, & in adulto recipiente, ut Sacramentum non pertractetur indigne.

Propositiones aliæ minus generales ex istis duabus prioribus propositionibus deductæ.

Prop. 1. illata ex duplici priore propositione. Toties Sacramentum est invalidum, & nullum, quoties adhibetur aut materia, aut forma diversa ab ea, quam Christus instituit, aut interveniunt vel minister conferens, vel homo recipiens alius, quam Christus elegit, aut reperitur vel in conferente, vel in recipiente intentio diversa ab ea intentione, quam Christus in utroque exigit.

Prob. 1. ex Florentino in litteris unionis. *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum*; Ergo toties Sacramentum est invalidum & nullum, quoties non adhibetur aliquid ex iis, quibus Christus voluit sacramentum perfici.

2. *Rat.* Sacramentum est cæremonia a Christo instituta ad conferendam gratiam, & ad uniendum homines in eadem religione: ergo tunc tantum sacramentum censebitur validum, quando observabuntur ea, quæ Christus ad sacramenti valorem requiri voluit; invalidum vero, si aliquid desit, quod Christus ad constituendum sacramentum elegit, ea enim quæ pendent ex mero arbitrio instituentis, tunc tantum censentur valere, quando ea habent, quæ institutor ad eorum valorem elegit: & sicut contractus non sunt validi, nisi cum habent eas conditiones, quas ad eorum valorem legislator præfixit; ita sacramentum non erit validum, nisi quando habuerit ea, quæ Christus institutor determinavit, scilicet eam materiam, eam formam, eum ministrum, & eam intentionem, & eum recipientem, demum singula, quæ fuerunt a Christo determinata.

Prop. 2. illata ex duplici propositione fundamentali. Toties sacramentum etiamsi validum in se, erit infructuosum recipienti, quoties recipiens illud suscipiet sine debitis dispositionibus; & toties erit infructuosum conferenti, quoties conferens illud ministrabit sine debitis dispositionibus ex parte ipsius: v. g. sine debita sanctitate, vel omittat cæremonias non essentiales, in sacramentorum tamen collatione ex usu Ecclesiæ adhiberi solitas, vel scienter negligit eum ordinem, eamque decentiam, quam Deus vult observari.

Prob. 1. Scriptura. Generaliter & quibuscumque tractantibus sacramenta sive conferendo, sive recipiendo, dicitur Levit. 19. v. 2. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*. Ministris ad hoc deputatis specialiter dicitur Ecclesiast. 10. v. 2. *Secundum judicem populi sic & ministri ejus*; id est ut exponit D. Th. Minister sacramentorum debet esse conformis Christo, qui est auctor sacramentorum. Et recepturis Baptisma (idem sentiendum de aliis sacramentis) dicitur, Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*: ergo toties sacramentum est illicitum, & infructuosum tum recipienti, tum conferenti, quoties non tractatur sancte.

2. Ex Dionysio, seu ex auctore Cælestis Hierarchiæ cap. 1. *Malis non est fas Sacra Symbola*, id est Sacramenta, tangere; qui contactus ut quæ fit vel conferendo, vel recipiendo: sacramentum inquinat conferentem, si indevote conferat; inquinat pariter recipientem, si indevote recipiat.

3. *Rat.* Toties sacramentum inquinat conferentem, quoties ab illo indevote tractatur, & toties inquinat recipientem, quoties ab eo indevote recipitur; ea enim est rei sanctæ dignitas, ut digne tractantem sanctificet, indigne tractantem coinquinet: ergo sacramentum etiamsi validum in se erit infructuosum recipienti, si illud sine debita sanctitate administret: de quo ita D. Th. 3. p. q. 64. art. 7. ad 1. *Sacramenta*, inquit, *in se ipsis quamdam sanctificationem habent per mysticam consecrationem; & ideo praexigitur in ministro sanctitas justitiæ, ut congruat ministerio; & ideo incongrue agit, & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat*. Et in corp. ejusdem articuli ait: *Et quia hoc peccatum*, inquit, *pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum ... consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale*.

Si, juxta D. Th. sacrilegium committit qui sine debita sanctitate sacramentum confert; ita & sacrilegium committit adultus, qui sine debitis dispositionibus sacramentum recipit.

Prop. 3. illata ex duplici propositione priore fundamentali. Quoties cæremoniæ in solemni sacramentorum administratione adhiberi solitæ omittuntur, toties sacramentum remanet validum, sed fit illicitum.

Prob. 1. ex Catechismo Trid. 2. par. de sacramentis in genere num. 18. ubi sic habetur: *Cæremoniæ tametsi prætermitti sine peccato non possint, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamen si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum est*.

Prob. 2. ratione. Licet cæremoniæ non sint necessariæ necessitate sacramenti, tamen ad multa inserviunt. 1. Ad majorem sacramenti solemnitatem; quo enim plures, & graviores adhibentur cæremoniæ, eo profundior reverentia videtur sacramentis exhiberi. 2. ad majorem devotionem excitandam tum in Ministro conferente, tum in subjecto recipiente, cæremoniæ enim efficiunt, ut sanctius sacramenta tractentur. 3. Ad faciliorem rudium populorum instructionem; cæremoniæ enim sunt quasi vivæ imagines, quæ ob oculos ponunt quidquid per vim sacramentorum efficitur: ergo licet cæremoniæ non sint necessariæ necessitate sacramenti, sunt tamen necessariæ necessitate præcepti; & ideo si omittantur, Sacramentum est quidem validum, vel illicitum.

Prop. 4. illata ex duplici propositione fundamentali.

Digitized by Google

tali. Toties Sacramentum validum in se fit illicitum, quoties servatis etiam solemnioribus cæremoniis, & supposita etiam sanctitate ministri conferentis, & adulti recipientis, omittuntur aliquæ circumstantiæ vel loci, vel temporis, vel personarum, quas Ecclesia omitti vetat; v. g. Sacramenta conferuntur alio in tempore, alio in loco, quam Ecclesia velit conferri, vel dantur a ministro, aut recipiuntur a subjecto aliter affectis, quam Ecclesia velit.

Prob. 1. auctoritate Dionysii. Ut Sacramentum sit licitum, debet esse integrum, non solum in substantia, sed etiam in omnibus circumstantiis; quia *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: ergo sacramentum validum in se fiet illicitum, si detur, vel accipiatur in aliqua circumstantia vel loci, vel temporis, vel personarum, in qua circumstantia Ecclesia vetat sacramentum conferri.

2. *Rat.* Præter materiam & formam, præter personam legitime conferentem, & personam legitime recipientem, quæ quatuor requiruntur, ut sacramentum sit validum, præter solemniores cæremonias, & sanctitatem Ministri ex officio conferentis, & sanctitatem adulti recipientis, quæ duo requiruntur, ut sacramentum sit *licitum*; exigitur insuper ab Ecclesia observantia quarumdam circumstantiarum loci, & temporis, & personarum, quæ aliquatenus distinguuntur a solemnioribus cæremoniis; quas tamen observari Ecclesia stricte jubet; v. g. Ecclesia præcipit baptismum solemniter conferri in templo, nunquam vero in domibus privatorum; vult etiam conferri intra octavam diem, & non ulterius differri; jubet etiam baptismum solemniter dari vel ab Episcopo, vel a Diacono, minime vero a simplici Clerico; idem dic de aliis sacramentis: atqui omissio illarum circumstantiarum reddit sacramentum illicitum, cum talis collatio sacramenti fit contra vetitum Ecclesiæ: ergo toties sacramentum validum in se, fiet illicitum, quoties servatis etiam solemnioribus cæremoniis, & supposita etiam Ministri conferentis & adulti recipientis sanctitate, omittitur aliqua circumstantia loci, vel temporis, vel personarum, quam Ecclesia omitti vetat.

Notandum, quod numquam scienter omittitur hoc præceptum Ecclesiæ sine peccato, & proinde quod omissio earum circumstantiarum conjungatur cum defectu sanctitatis in eo, qui voluntarie talem circumstantiam omittit. Fateor etiam quod illæ circumstantiæ vocari possint cæremoniæ, saltem non solemniores; sed observantia illarum circumstantiarum est aliquatenus diversa a solemnioribus circumstantiis, sanctitate requisita in Ministro ex officio conferente, & in adulto recipiente: ideo quartam istam propositionem ex principiis supra statutis educendam putavi.

Monit. ad totum tractatum præliminare. Sacramentum erit validum, quando habebit materiam, & formam debitam, personam valide conferentem, & personam valide recipientem; invalidum vero, si aliquid eorum desit. Sacramentum validum in se fiet illicitum, si constans ex debita materia & debita forma, & collatum a legitimo Ministro, & receptum a legitimo subjecto, interveniat defectus sanctitatis in Ministro ex officio conferente, vel in adulto recipiente, vel omittantur solemniores cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, aut negligantur circumstantiæ minus solemnes & loci, & temporis, & personarum, quas circumstantias Ecclesia omitti vetat.

SECTIO II. CAPITIS I.

De debita materia, forma & intentione cujuslibet Sacramenti in particulari.

Inquiritur quæ mutatio in materiâ, forma, & intentione reddat Sacramentum nullum, & invalidum; quæ vero mutatio reddat Sacramentum illicitum.

Statuitur principium ad explicandam integram sectionem.

PRop. *unica* & fundamentalis, cui innititur integra hæc sectio. Mutatio substantialis in materia, forma, & intentione reddit sacramentum nullum, & invalidum; mutatio vero accidentalis reddit sacramentum illicitum.

Prob. prima pars. Mutata essentia rei non est res: v. g. si homo mutetur substantialiter in brutum, non est homo; ita si materia, & forma, & intentio, quæ constituunt sacramentum, mutentur substantialiter, non erit sacramentum.

Prob. secunda pars. Mutata accidentaliter essentia rei, remanet res, v. g. si homo ex albo fit niger, remanet homo: ergo si materia, forma, & intentio, quibus perficitur sacramentum, mutentur solum accidentaliter, remanet sacramentum & validum, & verum.

Prob. tertia pars. Cum intervenit mutatio accidentalis in materia, forma, intentione, quibus Sacramentum constat, tunc sacramentum est illicitum ex parte illius, qui conscius est hujusmodi mutationis accidentalis, quia tunc non observatur præceptum vel Divinum, vel Ecclesiasticum, quo vetatur ne fiat mutatio etiam accidentalis in sacramentis.

Explicatur fusius eadem propositio. Mutatio substantialis in materia sacramentorum est ea, per quam materia a Christo determinata transit physice in aliam speciem, v. g. conversio aquæ in cervisiam; vel materia determinata a Christo, fit inepta ad usum sacramenti, v. g. aqua fit congelata, in quo statu est inepta ad ablutionem, nisi liquefiat.

Mutatio accidentalis in materia sacramentorum ea est, per quam materia a Christo determinata consistit in sua specie, & remanet ad usum sacramenti: v. g. calefactio in aqua, quæ nec tollit naturam aquæ, nec impedit quominus apta sit ad ablutionem.

Mutatio substantialis in forma est conversio verborum in sensum plane diversum: v. g. si quis diceret: ego te baptizo in nomine *Matris*.

Mutatio accidentalis in forma sacramenti est alteratio verborum retento eorum sensu, saltem quoad substantiam: v. g. si quis diceret: ego te abluo, te lavo, &c.

Mutatio substantialis in intentione est ea alteratio propositi in conferente sacramentum, qua fit, ut non amplius remaneat intentio faciendi quod facit Ecclesia. v. g. ablutio facta ab amente, in quo non

non est usus rationis, nec proinde intentio: ablutio pariter facta ab adulto rationis compote, sed jocose, & contumeliose se gerente.

Mutatio accidentalis in intentione est ea alteratio propositi in conferente sacramentum, qua fiat, ut semper remaneat intentio faciendi quod facit Ecclesia: v. g. ablutio facta sine devotione interiori, facta ex sordida intentione lucrandi pecunias, &c.

ARTICULUS I.

In quo prædictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minime vero accidentalis, applicatur ad Sacramentum Baptismi.

Resp. 1. Materia hujus sacramenti, idest baptismi, est aqua vera, & naturalis: nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ita expresse Florentinum.

Prob. 1. Scriptura, Matth. 18. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ubi hæc vox *baptizantes* denotat ablutionem debere fieri in aqua, qua communius utimur ad abluendum. Et hæc verba *in nomine Patris*, denotant baptismum conferendum in nomine trium personarum, quæ sunt objectum fidei nostræ, quam suscipimus in Baptismo.

2. Ex Trid. sess. 7. de baptis. can. 2. ubi sic habetur: *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi: atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto: ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.* Et can. 4. ibidem ait: *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum: anathema sit.* Ergo materia baptismi est aqua naturalis, & forma sunt hæc verba: ego te baptizo in nomine Patris &c.

3. *Rat.* Ex Christi institutione, quæ nobis per Scripturam, per traditionem, & per perennem Ecclesiæ usum innotescit, ad conferendum valide baptismum requiritur aqua naturalis tamquam materia, requiruntur hæc verba: ego te baptizo in nomine Patris &c. & intentio faciendi, quod facit Ecclesia; numquam enim aliter valide collatum est baptisma Christi: Ergo si in conferendo baptismate contingat mutatio substantialis circa prædicta, nullus erit baptismus; si mutatio sit tantum accidentalis, baptismus erit quidem validus, sed illicitus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De multiplici mutatione, quæ contingere potest in baptismo. Ex parte materiæ, nimirum aquæ mutatio intervenit in istis casibus. 1. Si quis loco aquæ naturalis uteretur alio liquore, v. g. vino, oleo, sanguine, saliva, sudore, aqua ex herbis per artem chymicam extracta, qualis est aqua rosacea, non conficeretur baptismus; prædicti enim liquores non sunt aqua naturalis: ita Florentinum, & D. Th. 3. p. q. 6. a. 4. ad 5. Idem juxta nonnullos sentiendum est de aqua ex vitibus distillante. 2. Si quis aquæ naturali admisceat alium liquorem, qui non dissolvat speciem aquæ, conficitur baptismus, v. g. si aquæ admisceatur chrisma. D. Th. 3. p. q. 66. a. 4. ad 2. 3. Si quis uteretur aqua maria, paludis, &c. dulci, vel salsa, pluviali, fluviali, frigida, calida, nive, aut glacie liquefactis, conficitur baptismus; aqua enim illa est naturalis. 3. p. q. 66. a. 4. ad 4. Si quis uteretur mixto aquoso, v. gr. lixivio, luto, brodio, conficeretur baptismus, si aqua multum prævaleret; sed non conficeretur baptismus, si aqua non prævaleret: mixtum enim, in quo aqua prævalet, est substantialiter aqua; mixtum vero in quo aqua non prævalet, non est aqua, sed aliud compositum. 3. p. q. 66. a. 4. ad 5. Peccaret tamen, qui citra urgentem necessitatem, vel ignorantiam invincibilem baptizaret cum mixto illo aquoso; quia non satis digne tractaret.

Consect. 2. De mutatione, quæ contingere potest circa materiam proximam, scilicet ablutionem; contingit autem mutatio in his, aut similibus casibus. 1. Si quis loco aquæ poneret nivem, glaciem supra pellem baptizandi, non esset baptismus; etenim non esset ablutio. 2. Si quis vestes, capillos, ungues tantum ablueret, non esset baptismus; homo enim tunc non posset dici ablutus. 3. Si quis pedem tantum, aut extremam manuum partem ablueret, dubium est an esset baptismus; quia tunc homo non videtur dici posse certo ablutus. Peccaret graviter, qui sic extra necessitatem baptizaret; exponeret enim Sacramentum nullitati: & qui etiam in necessitate esset sic baptizatus, deberet sub conditione rebaptizari. 4. Si caput, scapula, venter, aut aliæ partes præcipuæ abluantur, conficitur baptismus; quia hæ partes sunt insigniores: quibus ablutis, homo certo censetur ablutus.

Consect. 3. De mutatione, quæ contingere posset in baptismo ex parte formæ. In forma contingit mutatio diversimode, scilicet per additionem, per detractionem, per correctionem, per transpositionem, per interpolationem aliorum verborum: quæ singulæ mutationes solent in sequentibus casibus evenire.

I. *Per additionem destruentem.* Ut si quis dicat: ego te baptizo in nomine Patris majoris, in nomine Filii minoris, &c. non conficitur baptismus; variatur enim omnino sensus formæ, & ponitur diversitas inter personas Trinitatis: demum aperte inducitur error Arianorum.

Si quis dicat pariter: Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. non conficitur baptismus: *nomen* enim in plurali numero adhibitum significat essentiam in Divinis multiplicari, & inducit aperte errorem Tritheitarum. D. Th. 3. p. q. 6. art. 5. ad 6. Dubius esset baptismus, si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti; quia non exprimitur explicite unitas essentiæ Divinæ.

Si quis dicat: Ego te baptizo *cum* Patre, *cum* Filio, *cum* Spiritu Sancto, non conficitur baptismus; modus enim ille loquendi non exprimit unitatem essentiæ; sed solum Trinitatem personarum; & baptizans declarare videtur se esse causam principalem baptismi una cum Trinitate.

II. *Per additionem non destruentem.* Si quis dicat: ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, qui

Digitized by Google

te creavit, Filii sapientis, qui te redemit, Spiritus Sancti, qui in te effusus est: conficitur baptismus; talis enim additio non destruit sensum formæ. Si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in nomine Mariæ, si intendatur quod nomen Mariæ aliquid operetur in baptismo, non conficitur baptismus; mutatur enim sensus formæ; inducitur quippe quarta persona in Divinis. Si vero intendatur tantum, quod oratio Mariæ prosit baptizato, conficitur baptismus, quia non mutatur sensus formæ. D. Thom. 3. p. q. art. 8.

III. *Per detractionem non destruentem*. Si quis dicat: Ego te baptizo nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omittendo particulam *in*, & particulam *amen*, conficitur baptismus: quia talis detractio non tollit fidem circa Trinitatem, nec expressionem explicitam Trinitatis.

Si quis dicat: Ego baptizo, omittendo *te*, ponendo aliquid æquivalens: v. g. hunc puerum, hanc Dei creaturam, vel baptizo celsitudinem tuam, indicando illum, qui baptizatur, conficitur baptismus; detractio enim hujus particulæ *te* suppletur per aliquid æquivalens. Idem dicendum, si dicatur tantum, baptizo te: quia in latino idiomate non semper necessario exprimi debet nominativus verbi. D. Th. 3. p. q. 66. a. 1. ad 1.

IV. *Per detractionem destruentem*. Si quis dicat: ego te baptizo in nomine Trinitatis, non conficitur baptismus: quia non fit explicita expressio trium personarum. D. Th. 3. p. q. 67. a. 6. ad 3. Si quis dicat tantum: ego te baptizo in nomine Christi, non conficitur baptismus, nisi id fieret ex speciali revelatione, uti factum ab Apostolis credit D. Th. ob specialem revelationem. 3. p. q. 56. a. 6. in cap Cum autem Nicolaus dixit baptismum collatum in nomine Christi valere, vel intellexit, si loco *Filii* ponatur *Christi*, qui vere est Filius Dei, vel in nomine Christi facit hunc sensum; Apostoli baptizabant vice & auctoritate Christi: vel Nicolaus locutus est ut Doctor particularis.

Sunt tamen Doctores, qui dicunt Apostolos baptizasse in nomine Christi, idest auctoritate Christi, adhibendo tamen formam hanc a Christo acceptam: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Si quis dicat: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen, omittendo hanc particulam, baptizo, non conficitur baptismus; pervertitur enim sensus formæ. D. Th. 3. p. q. 69. art. 5. ad 2.

V. *Per corruptionem destruentem*, qualis est illa, quæ fit initio vocis, ut si quis dicat: ego baptizo in nomine Matris, Milii, & Miritus sancti, non conficitur baptisma: corruptio enim initio vocis facta vulgo destruit sensum formæ, ut notat D. Th.

VI. *Per corruptionem non destruentem*, qualis est illa, quæ fit in fine vocis: v. g. si quis dicat: ego te baptizo in nomine Patrias, Filias, & Spiritus sanctas, conficitur Baptismus; corruptio enim facta in fine vulgo non immutat sensum formæ, ut notat D. Th.

VII. *Per transpositionem destruentem*. Si quis dicat: *nomine ego Patris in baptizo, Spiritus Filii, amen Sancti*, non conficitur baptismus; hæc enim ridicula transpositio vocum tollit omnino sensum formæ.

VIII. *Per transpositionem non destruentem*. Si quis dicat; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ego te baptizo, conficitur baptismus; tunc enim non immutatur sensus formæ.

IX. *Per interpolationem destruentem*. Si quis dicat: ego te baptizo, postea recitet Psalmum, aut per longam moram taceat, deinde subjiciat In nomine Patris, &c. non conficitur baptismus; hæc enim interruptio abrumpit omnino sensum formæ.

X. *Per interpolationem non destruentem*. Si quis dicat: ego te baptizo, & subjiciat quasi incidenter hæc verba; aqua est frigida, vel parum sileat, tussiat, tunc conficitur baptismus; est enim tunc unitate intentionis unitas formæ. D. Th. 3. p. qu. 66. art. 8. in corp.

XI. *Per synonimationem, seu similium aut quasi similium vocum substitutionem destruentem*. Si quis dicat: ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & spirati, non conficitur baptismus, inquit D. Th. quia hæc nomina genitor, genitus, spiratus non exprimunt personas subsistentes, sed agentes, vel patientes. 3. p. q. 66. ar. 5. ad 7.

Item si quis diceret, ego te baptizo in nomine Dei unius in essentia, & trini in personis, non conficeretur baptismus; tunc enim non explicite exprimeretur qualibet persona.

Si quis pariter dicat: ego te baptizo in virtute Patris, Filii, & Spiritus sancti, dubium est an conficiatur baptismus; *virtus* enim non est vox synonima omnium cum hac voce *nomine*; virtus enim non tot significat, quot *nomen*; virtus enim significat solum vim agendi; nomen vero significat essentiam, & virtutem.

XII. *Per synominationem non destruentem*. Si quis solitarie baptizans dicat: nos te baptizamus in nomine Patris, &c. conficitur baptismus, potest enim quis loquendo de se uti numero vel plurali, vel singulari.

Si quis baptizans Principem dicat, honoris causa: ego vos baptizo, conficitur baptismus; honoris enim causa possumus alloqui Principem in plurali: si tamen id fieret passim, & sine causa esset peccatum, inquit D. Th. 3. p. quæst. 66. art. 5. ad 3.

Si quis baptizans utatur idiomate, quo alii non utuntur, v. g. apud Latinos utatur Græco idiomate, apud Græcos utatur Latino, apud utrosque utatur lingua vernacula, modo caveat, ut utatur verbis idem omnino significantibus, quod ista verba significant: ego te baptizo &c. conficitur Baptismus; quia tunc, ut supponimus, non mutatur sensus formæ.

Si quis dicat: baptizetur, vel baptizatur, servus Christi N. in nomine Patris, &c. ut fit apud Græcos, conficitur baptismus: quia non invertitur sensus formæ; Idem enim sensus exprimi potest vel per activam, vel per passivam vocem, ut docent grammatici. D. Th. 3. p. q. 65. a. 5. ad 1.

Consect. 4. De varia mutatione, quæ contingere potest in baptismo circa intentionem, quam Minister debet habere faciendi quod facit Ecclesia; & circa intentionem, quam adultus recipiens debet habere recipiendi quod offertur ab Ecclesia. Mutatio circa intentionem potest contingere in baptismo sequentibus in casibus, in quibus aliquando destruitur baptismus, aliquando non destruitur.

Tunc intentio est destruens sacramentum, quando

do non remanet propositum faciendi quod facit Ecclesia.

I. *Intentio Ministri destruens baptismum.* Si Minister jocose, derisorie, vel contumeliose exerceat actionem sacramentalem, puta ablutionem, non conficitur baptismus: talis enim intentio impedit, ne actio sit sacramentalis; actio enim sacra, aut habita apud Christianos ut sacra, debet essentialiter fieri *serio*, ut dicit Trident. agens de absolutione Sacerdotis in sacramento pœnitentiæ: sess. 14. c. 6.

Si Minister conferat baptismum sub conditione de futuro, v. g. dicendo: ego te baptizo, si vixeris per diem integrum, vel si Pater tuus mihi deinceps innotuerit, &c. non conficitur baptismus, quamvis conditio postea adimpleatur; quia in omnibus sacramentis (excepto matrimonio, eo quod sit contractus) intentio conditionalis de futuro impedit sacramentum, eo quod impediat, ne materia, & forma simul sint, & moraliter uniantur, nunc enim, v. g. in hoc tempore, pronunciantur verba; & intentio suspenditur usque ad tempus fururum.

II. *Intentio Ministri non destruens baptismum.* Si Minister intendit vere dare baptismum, qui datur in Ecclesia, ut postea devoveat baptizatum Diabolo, vel si intendat vere dare baptismum, ut ex collatione baptismi consequatur pecunias, vere conficitur baptismus; talis enim intentio, quatenus prava, non attingit naturam sacramenti, ut impediat, ne sit sacramentum, sed solum sacramentum vere faciendum attingit, ut eo jam facto utatur ad malum finem; nec vitiat actionem quatenus sacramentalem, sed quatenus meritoriam.

Si Minister Græcus baptizet sub forma Latinæ Ecclesiæ, putans erronee formam Græcorum esse invalidam: si Minister Latinus baptizet sub forma Ecclesiæ Græcæ, putans erronee formam Latinorum esse nullam; uterque vere baptizat: uterque enim habet intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia; quamvis uterque erret, putans Ecclesiam vel Græcam, vel Latinam errare circa formam baptismi: error enim personalis non impedit valorem sacramenti.

Si Minister hæreticus conferat baptismum, ut confertur in Ecclesia Romana, quamvis credat in Ecclesia Romana non esse veram de baptismo doctrinam, nec per baptismum conferri gratiam habitualem, characterem &c. vere tamen baptizat, ut dicit Trid. sess. 7. Can. 4. error enim personalis non tollit sacramentum in forma Ecclesiæ collatum. Si Minister conferat baptismum sub conditione de præterito, vel de præsenti, dicens v. g. ego te baptizo, si tu non es baptizatus, si vivis, &c. conficitur baptismus, si ponatur conditio expressa; intentio enim conditionata adimpleta conditione transit in absolutam. prædicta enim propositio facit hunc sensum: quia non es baptizatus, quia es vivens, ego te baptizo.

III. *Intentio accedentis ad baptismum impediens baptismum.* Si quis adultus accedat ad baptismum omnino invitus, non recipit sacramentum, repugnantia enim, & contradictio recipientis tollit valorem sacramenti; quia receptio sacramenti in adultis est actio moralis, & Religionis exercitium: ergo est nulla, ubi est repugnantia, & contradictio: sicut enim homo nornisi voluntarie perit, ita ponnisi voluntarie salvari debet. Concil. Toler. 4. Can. 55. Si quis adultus recipiat baptismum mere negative se habens, non recipit sacramentum: indifferentia enim negativa non sufficit in adultis ad validitatem sacramenti, sicut non sufficit ad valorem actus Religiosi. Ita docent passim Theologi contra Cajetan.

IV. *Intentio recipientis baptismum non tollens Sacramentum.* Si quis non adultus, v. g. infans, amens a nativitate, recipiat baptismum sine ulla intentione personali, valide recipit baptismum; quia non requiritur intentio personalis, ut non adulti baptizentur: sicuti enim sine privata voluntate inficiuntur nascendo in Adamo; ita sine privata voluntate justificantur renascendo in Christo. Si quis adultus recipiat baptismum ex metu gravi, valide recipit; quod enim ex metu facimus, voluntarie facimus. Concil. Tolet. IV. Can. 55. *Oportet*, inquit, *ut fidem etiam quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur.* Si quis adultus Catechumenus, vel dormiens, vel factus amens tempore Catechumenatus, recipiat baptismum, valide recipit; intentio enim interpretativa sufficit ad valide recipiendum baptisma. Conc. Carthag. III. Can. 34. & Can. *Majores.*

Consect. 5. De varia mutatione, quæ contingere potest in baptismo ob actionem Ministri, qui utique debet se habere active, cum Christus dicat *Baptizantes.* Hæc mutitio contingit in sequentibus casibus.

I. Actio Ministri conficientis baptismum. Si minister dicat: ego te baptizo, & se habeat active in ablutione, vel quia injicit aquam supra puerum, vel quia sustentat puerum suppositum aquæ e fonte, e tecto, e cælo decidenti, conficitur baptismus, immo si injiciat puerum in flumen; in his enim singulis casibus minister se habet active in ablutione, & in pronunciatione verborum. In ultimo casu injiciendo puerum in puteum ut ipsum baptizet, peccat graviter; numquam enim facienda sunt mala, ut inde veniant bona.

Si minister dicat: ego te baptizo, & abluat sive per aspersionem, sive per immersionem, sive per infusionem, conficitur baptismus; minister enim in singulis illis casibus se habet active & ad ablutionem factam per aquam, & ad verborum pronunciationem. Can. *Doctrina* 80. de Consecr.

II. Actio ministri, qua non conficitur baptismus. Si unus minister dicat: ego te baptizo, & alius injiciat aquam supra puerum, vel unus sustentet puerum suppositum aquæ decidenti, alius pronunciet verba, quod potest contingere ex electione duorum ministrorum volentium eumdem baptizare, vel ex necessitate, si duo tantum essent quorum alter esset mutus, alter vero non mutus, sed mancus manibus, atque ideo mutus effunderet aquam & mancus manibus pronunciaret verba, non conficeretur baptismus; quia minister proferens verba non se haberet active in effusione aquæ; vel in sustentatione pueri suppositi aquæ decidenti. Si plures ministri conjunctim abluant, & formam pronuncient, intendentes singuli simul baptizare, quilibet dependenter ab alio, ut causa particularis, sive dicant: ego te baptizo, sive dicant: nos

te ba-

te baptizamus, juxta D. Thom. non conficitur baptismus; sensus enim formæ a Christo institutæ est: ego te baptizo; & sensus formæ, quæ illi utuntur est: ego te baptizo cum alio.

Si quilibet per se intendat baptizare, independenter ab alio, qui primus abluit, & verba pronunciat, vere baptizat; non vero secundus. Primus puniendus est, ut inordinate baptizans; secundus ut rebaptizans. Primus qui abluit, & verba pronunciat, baptizat vere: quia ponit omnia requisita ad baptismum: secundus nihil efficit; qui abluit eum, qui jam est baptizatus: & ideo iste puniendus, ut rebaptizans; quia rebaptizat jam baptizatum: alter puniendus, ut inordinate baptizans, quia non baptizat secundum ritum Ecclesiæ. Si quilibet per se intendat baptizare una cum alio, sicuti Sacerdotes intendunt consecrare una cum Episcopo, quando ordinantur, & uterque simul abluat, & verba pronunciet, baptismus videtur validus, uti valida est consecratio in Missa ordinationis, licet fiat a pluribus: sed baptismus eo modo collatus est illicitus, quia non est secundum usum Ecclesiæ. D. Th. 3. p. q. 67. a. 6.

Si quis dicat: ego me baptizo, & se in aquam immergat, non est baptismus: sicuti enim nemo potest se generare corporaliter; ita nemo potest se regenerare spiritualiter, inquit D. Th. 3. p. q. 66. art. 5. Adultus tamen, qui in mortis articulo bona fide se ipsum baptizare attentaret, si statim moreretur, salvus esset, non propter baptismum, qui nullus est, sed propter votum sacramenti c. *Debitum* de bapt. suo, & D. Th. ibid.

ARTICULUS II.

In quo prædictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit sacramentum, minime vero mutatio accidentalis, applicatur ad sacramentum Confirmationis.

NOTA. Circa materiam remotam confirmationis triplex est sententia. Prima est eorum, qui docent impositionem manuum Episcopi esse materiam essentialem juxta illud Actuum 8. vers 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; & juxta communem Patrum loquendi modum, qui confirmationem vocant impositionem manuum. Secunda est eorum, qui docent, juxta instructionem Eugenii IV. ad Armenos, solum chrisma esse hujus sacramenti materiam, sive ex oleo solo juxta quosdam, sive ex oleo & balsamo juxta alios confectum sit: quod oleum alii volunt a solo Episcopo posse & debere consecrari, alii a simplici Presbytero, saltem ex commissione, valide, & licite posse consecrari contendunt. Tertia sententia est eorum, qui docent impositionem manuum, & chrisma æque esse materiam essentialem confirmationis.

Quæ circa materiam confirmationis est disceptatio inter Theologos, eadem est & circa formam; aliis docentibus, solam orationem esse formam essentialem juxta illud Act. c. 8. v. 13. *Orabant pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*: aliis affirmantibus, non aliam esse formam essentialem hujus sacramenti, quam verba ab Episcopo confirmante prolata, nempe, *signo te signo crucis &c.* Nos hujusmodi quæstionibus nihil immorantes statuimus a pro decisione casuum duplex principium, alterum circa materiam, alterum circa formam. Unde sit

Prop. 1. Juxta præsentem Ecclesiæ praxim, pro materia confirmationis adhibenda est impositio manuum Episcopi, & chrisma ex oleo olivarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo consecratum: adeo ut si aliquid horum defuerit, Confirmationis sacramentum erit vel invalidum, vel illicitum. Pro forma sacramenti confirmationis adhibenda est oratio, & verba ab Eugenio IV. præscripta, scilicet *signo te signo crucis &c.* adeo ut si aliquid horum desit, sacramentum confirmationis futurum sit vel invalidum, vel illicitum.

Prob. Ex Florent. seu instructione Eugenii IV. ad Armenos, ubi sic habetur: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto; forma autem: signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

2. *Rat. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis innovatum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*, inquit Aug. l. b. 4. de Bapt. c. 20. & proinde circa naturam sacramentorum vel pro materia & forma habendum est, vel pro ritu absolute necessario: quæ enim libera sunt & indifferentia, non adeo constanti lege ab omnibus ubique & semper observantur: atqui in collatione confirmationis prædicta omnia, nempe impositio manuum, & oratio a tempore Apostolorum adhibita fuerunt: ut constat tum ex Actibus Apostolorum, tum ex sanctis Patribus, præcipue eo sacramentario Gregorii: & hæc verba, *signo te signo crucis, &c.* præscripta sunt a Florentino, ut a longo tempore usurpata in collatione confirmationis: ergo sunt aut materia, aut forma confirmationis, vel ritus ita necessarius, ut eorum omissio reddat confirmationem vel invalidam, vel illicitam.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. De multiplici mutatione, quæ potest contingere in confirmatione, ex parte materiæ remotæ, sive ea sit impositio manuum, sive chrismatio, sive utrumque simul. Hæc autem mutatio contingit in sequentibus casibus.

Si quis loco chrismatis adhiberet aliam materiam ad ungendum, v. gr. butyrum, adipem, aut aliud hujusmodi aptum ad ungendum, non esset confirmatio; quia prædicta omnia non possunt dici chrisma confectum ex oleo: tamen Patres exigunt chrisma in confirmationis sacramento: sic habet Optatus lib. 7. in fine: *Oleum simplex est .... confectum jam chrisma vocatur*: & Dionys. de cælest. hier. c. 2. & 4. de chrismate in confirmatione adhibendo fuse loquitur. Greg. in Cant. ait: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali Benedictione chrisma efficitur.* Et Cyprianus epist. 70. sic habet: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.*

Si quis loco chrismatis adhiberet vel solum balsamum, vel solum oleum, dubium, an esset confirmatio; quia balsamum solum, oleum solum, non

possunt

possunt dici chrisma confectum ex balsamo & oleo, licet Canns & alii doceant solum balsamum sufficere, & Cajetanus contendat, solum oleum pariter sufficere: neutrius tamen sententia in praxi amplectenda est; quia in praxi, circa materiam sacramentorum, sequendum id, quod est tutius; Patres autem dicunt chrisma confirmationis ex utroque constare. Greg. in Cant. ait; Chrisma *ex oleo & balsamo conficitur*. In sermone de unctione chrismatis apud Cypr. sic habetur: *Hodie sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo Balsamum, Regiæ & Sacerdotalis gratiæ exprimit unitatem*. Ideo Innoc. III. vult chrisma suppleri in eo, qui non chrismate, sed oleo simplici confirmatus fuerat. Decret. tit. c. Pastoralis.

Si quis loco chrismatis confecti ex oleo olivarum adhiberet chrisma confectum ex oleo nucum, ex oleo piscium; &c. non esset confirmatio, in hypothesi quod chrisma sit necessarium; quia tale compositum non posset dici chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo: quod tamen chrisma *ex Apostolico jure* defluxisse docet Pacianus, epist. ad Simpronianum, & Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Idem habet D. Th. 3. p. q. 61. a. 2. ad 5. *Proprietates*, inquit, *olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo*.

Si quis loco balsami, adhiberet aliam materiam, quantumvis magis odoriferam, in hypothesi quod chrisma sit necessarium, non esset confirmatio; quia tale compositum non posset dici chrisma, confectum ex oleo olivarum & balsamo, uti jubet Ecclesia; & Iste explicat Catechismus Trident. dicens: Chrisma confirmationis, illud tantummodo unguentum est, *quod ex oleo & balsamo, solemni Episcopi consecratione conficitur*. Et D. Th. 3. p. q. 61. a. 2. in c. ait. *Licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipitur balsamum, propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios; ideo dicitur: Christi bonus odor sumus*.

Si quis adhiberet chrisma non benedictum ab Episcopo, dubium esset sacramentum confirmationis; quia chrisma debet esse ab Episcopo benedictum, quidquid in contrarium dicat Cajetanus; quia in materia sacramentorum sequendum id, quod est tutius. De qua consecrationis necessitate ita Catechis. Trid. *Quoniam igitur*, inquit, *Dominus hanc confirmationis materiam usu ipso & tractatione non sacravit, necessum est ut sanctis & religiosis* Episcopi *precationibus consecretur .... neque ad alium nisi Episcopum ea confectio pertinere potest*.

Si quis uteretur mixto oleaginoso, in quo prævaleret chrisma, esset confirmatio; quia semper tale mixtum est verum chrisma; peccaret tamen qui citra necessitatem, vel citra ignorantiam invincibilem uteretur tali materia: si autem chrisma non prævaleret, non esset confirmatio; quia tale mixtum, in quo chrisma non prævalet, non est chrisma, sed mixtum aliquod aliud.

Si quis uteretur chrismate sive novo, sive veteri, conficeretur confirmatio; quia semper tale mixtum est verum chrisma: peccaret tamen qui uteretur chrismate non confecto eodem anno, ageret enim contra præceptum Ecclesiæ, quæ jubet vetus chrisma comburi, & novum quolibet anno confici.

Consect. 2. De mutatione, quæ potest contingere ex parte materiæ proximæ, quæ mutatio intervenit in sequentibus casibus. Si quis loco chrismatis fluidi & apti ad ungendum, adhiberet chrisma concretum quasi in lapidem, non est confirmatio; quia non est unctio: unctio autem requiritur; dicit enim Tertul. de bapt. c. 7. *Egressi de lavacro ungimur benedicta unctione* .... Si quis vestes tantum, capillos, ungues, manus, pedes &c. inungeret, non esset confirmatio; quia unctio debet fieri in fronte. *Multa Sacramenta*, inquit Aug. in Ps. 141. *aliter, atque aliter accipimus: quædam, sicut nostris, ore accipimus, quædam per totum corpus, quædam in fronte per signum crucis*. Et in Ps. 61. ait alludens ad confirmationem: *Videam ego in frontibus Regum crucem crucifixi*.

Si quis ungeret frontem sinistra manu esset confirmatio; quia vere esset impositio manus: peccaret tamen qui citra necessitatem uteretur sinistra manu, potius quam dextra; ageret enim contra usum recentem Ecclesiæ. Si quis ungeret fronte mediante aliquo instrumento, v. g. virgulto, videtur quod non esset confirmatio; quia non esset vera manus impositio: dicitur tamen de Apostolis conferentibus confirmationem, *& imponebant manus*. Et Tertul. de bapt. loquens, simul de confirmatione ait: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum*.

Consect. 3. De multiplici mutatione, quæ potest fieri ex parte formæ, quæ contingit in sequentibus casibus.

I. *Per additionem destruentem sensum formæ*. Si quis diceret: ego te signo crucis &c. in nomine patris majoris &c. in nominibus Patris &c. ego signo te cum Patre, cum Filio, cum Spiritu sancto, non esset confirmatio; quia destrueretur sensus formæ propter rationem supra dictam ubi de baptismo.

II. *Per additionem non destruentem*. Si quis dicat: ego te signo in nomine Patris omnipotentis, qui te creavit &c. in nomine Filii, qui te redemit &c. conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ.

III. *Per detractionem destruentem*. Si quis dicat: ego te confirmo in nomine Dei, in nomine Trinitatis, in nomine Christi, &c. non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

IV. *Per detractionem non destruentem*. Si quis dicat: confirmo te, omittendo, ego, conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ: vox enim ego in verbo includitur subaudita.

V. *Per corruptionem destruentem*, qualis est ea, quæ fit initio vocis: v. g. confirmo te in nomine Matris, non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

VI. *Per corruptionem non destruentem*, qualis est ea, quæ fit, in fine vocis: v. g. confirmo te in nomine *Patrias*, conficitur confirmatio; quia non destruitur sensus formæ.

VII. *Per transpositionem destruentem*. Si quis dicat: Te Patris ego in confirmo nomine, non conficitur confirmatio; quia destruitur sensus formæ.

VIII. *Per transpositionem non destruentem*. Si quis dicat: In nomine Patris &c. confirmo te, conficitur confirmatio, quia non destruitur sensus formæ.

IX. *Per interpolationem destruentem*. Si quis dicat: ego te confirmo, & multum post temporis dicat,

in

Digitized by Google

in nomine patris, non conficitur confirmatio; quia tanta interruptio temporis impedit, ne prolatio formæ censeatur moraliter eadem.

X. *Per interpolationem non destruentem*. Si quis dicat: ego te confirmo, & verbum aliquod aliud interserat, v. g. recedite, afferte chrisma &c. conficitur confirmatio; quia brevis illa interruptio non destruit sensum formæ, nec impedit quominus prolatio formæ dicatur eadem moraliter.

XI. *Per synonimationem destruentem*. Si quis dicat: ego te confirmo in virtute genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, non videtur confici confirmatio, propter rationem dictam ubi de baptismate.

XII. *Per synonimationem non destruentem*. Si quis dicat: ego roboro te, conficitur confirmatio: quia roborare & confirmare sunt voces synonimæ.

Consect. 4. Si quis omitteret vel impositionem manuum, vel preces præscriptas & adhiberi solitas peccaret juxta omnes, quia non servaret præscriptum Ecclesiæ; & juxta eos, qui volunt impositionem manuum, & preces esse de substantia Sacramenti confirmationis, non conficeretur comfirmatio. quia Sacramentum stare nequit sine eo, quod est de ejus substantia.

Consect. 5. *De multiplici mutatione, quæ potest contingere ex parte intentionis*. Toties confirmatio est nulla, quoties Episcopus non habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Sic si Episcopus *jocose*, *derisorie*, *contumeliose* se gerat in conferenda confirmatione, non est confirmatio: talis enim actio non est sacramentalis; actio quippe sacramentalis debet fieri serio.

Si minister, v. g. Episcopus, adhibeat materiam, & formam confirmationis, *physice* solum sine ulla intentione, non conficitur confirmatio; quia actio solum *physice* exercita non est sacramentalis.

Item si Minister *serio* agens, & non *jocose* quantum ad actionem externam, interius tamen intendat non facere actionem sacramentalem, non conficitur confirmatio; quia actio non est sacramentalis, nisi quatenus habetur ut cæremonialis.

Item si minister confirmationis confirmet ex vi solius intentionis habitualis, quod contingeret, si Minister esset ebrius, amens &c. non conficitur confirmatio; quia intentio habitualis non sufficit: intentio enim, qua confertur valide confirmatio, ea debet esse, qua velit conferre illud sacramentum, & non aliam cæremoniam exercere. Unde Gregorius Turonensis l. 7. c. 44. refert actionem cujusdam Episcopi, qui in exorcismo frontem puellæ sacra unctione unxerat; tamen agnoscit, quod ea unctio non fuit verum confirmationis sacramentum; quia non intendebat facere, quod facit Ecclesia, cum dat sacramentum confirmationis.

II. Toties confirmatio est valida, quoties Episcopus adhibet materiam, & formam, licet habeat pravam intentionem circa aliquid, quod pertineat ad id, quod constituit confirmationem. Sic si Minister interius intendat facere, quod facit Ecclesia, & ea intentione confirmet, quamvis privata malitia nolit aliquid subsequens ad sacramentum, vel privata infidelitate nihil credat eorum, quæ pertinent ad sacramentum, v. g. interius optet confirmationem non producere suum effectum in eo, quem ungit, vel putet nullos effectus a confirmatione produci, tamen vere conficitur confirmatio; quia ea intentio, quantumvis perversa, utpote terminata ad ea, quæ sequuntur confectionem sacramenti, non destruit naturam sacramenti. Sic si Minister confirmans ungat sub conditione de præsenti, vel de præterito, si conditio vel præsens, vel præterita sit vera, conficitur confirmatio, quia intentio conditionalis, posita conditione transit in absolutam.

III. Toties repugnantia ex parte recipientis confirmationem, impedit ne fit sacramentum, quoties tanta est, ut constet eum nolle recipere sacramentum; quia aliqua requiritur intentio in adulto recipiente sacramentum.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem omnino invitus, nec gratiam, nec characterem confirmationis recipit: de quo ita Innoc. cap. *Majores* de baptis. *Ille vero*, inquit, *qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti; quia plus est expresso contradicere, quam minime consentire*.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem mere negative se habens, non recipit Sacramentum; indifferentia enim negativa vetat validitatem Sacramenti.

IV. Toties reluctantia ex parte recipientis non tollit confirmationem, quoties omnibus pensatis non impedit quominus Sacramentum voluntarie accipiatur; ea enim intentio, utpote voluntaria, sufficit ad receptionem validam Sacramenti.

Sic si quis adultus recipiat confirmationem ex metu gravi, valide recipit, quod enim ex metu facimus, voluntarie facimus.

Sic qui se offert ministro conferenti confirmationem, valide illam recipit, licet explicite non dicat: ego volo suscipere confirmationem; intentio enim interpretativa sufficit ad valide recipiendum Sacramentum, ut docet Innocent. III. his verbis: *Tunc enim characterem Sacramentalem imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*.

ARTICULUS III.

In quo prædictum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minime vero mutatio accidentalis, applicatur ad Sacramentum Eucharistiæ.

PROP. *unica*. Materia Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite: forma vero consecrans panem est hæc: *Hoc est enim corpus meum*: Forma consecrans vinum est hujusmodi: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Prob. 1. Ex Conc. Flor. ibid. *Tertium est Eucharistia Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet .... Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*: ex praxi autem Ecclesiæ habemus prædictam formam adhibendam esse ad conficiendum hoc Sacramentum.

2. *Rat.* Materia, & forma Eucharistiæ non alia po-

potest assumi, quam ea, qua Christus in celebratione Eucharistiæ utendum præcepit; cum enim Sacramentum sit ex institutione Christi, tota ejus natura tam quoad materiam, quam quoad formam ex Christo instituente dependet: atqui Christus pane & vino, & prædicta forma in celebratione Eucharistiæ nos uti præcepit, ut patet ex Scriptura; etenim Matth. c. 26. Marc. cap. 14. & Luc. cap. 22. & Paulus 1. ad Cor. 11. dicunt, quod Christus accepto pane, & vino dixerit: *Accipite, & comedite: Hoc est enim corpus meum..: Hic est enim calix sanguinis mei; & deinde subdidit: hoc facite in meam commemorationem*, nempe idem, quod fecit: ergo panis & vinum sunt materia Eucharistiæ; prædicta vero verba sunt illius forma.

Et quidem panis, & vinum sunt aptissima materia. 1. Quantum ad usum: uti enim aqua aptissima est materia ad abluendum; ita panis, & vinum aptissima est materia ad nutriendum: & uti ablutio corporalis per aquam aptissime demonstrat, & efficit ablutionem spiritualem in mente; ita nutritio corporalis per species panis, & vini aptissime demonstrat, & efficit nutritionem spiritualem in anima: demum sicuti panis ex multis granis, & vinum ex multis acinis conficitur, & in unum pabulum tendit: ita ex multis Christianis in Eucharistiæ communione unitis Ecclesia consurgit.

Verba etiam prædicta aptissime dicuntur esse forma Eucharistiæ; etenim vere efficiunt quod significant, ut passim docent Sancti Patres. Tertullianus enim explicans quæ esset fides Ecclesiæ circa hoc Sacramentum, sic habet contra Marcionem lib. 4. cap. 40. *Acceptum panem*, inquit, *& distributum Discipulis, corpus suum illum effecit*, Hoc est Corpus meum *dicendo*. Et Damascenus referens fidem Ecclesiæ, sic habet lib. 4. cap. 15. de fide Orthodoxa: *Sicut Deus dicendo*, fiat lux, *fecit lumen; ita dicendo*, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, *perfecit hoc Sacramentum*. Patres vero medantes inter Tertullianum & Damascenum idem docent; sic enim habet Chrysost. de proditione Judæ: *Hoc est corpus meum; hoc verbo proposita consecrantur*. Et Ambrof. lib. 4. de Sacram. c. 4. *Consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini J. su*; Sacerdos enim consecrans hæc dicit in persona Christi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De multiplici mutatione, quæ potest contingere in Sacramento Eucharistiæ ex parte materiæ remotæ. Defectus ex parte materiæ toties reddit sacramentum Eucharistiæ nullum, quoties non ponitur verus panis, & verum vinum; reddit vero sacramentum illicitum, quoties ponitur quidem verum vinum, & verus panis; sed hæc elementa non ponuntur qualia debent poni; quia mutatio substantialis reddit sacramentum nullum, mutatio vero accidentalis reddit sacramentum illicitum; sic defectus subsequentes vel tollunt sacramentum Eucharistiæ, vel reddunt illicitum.

Defectus tollens sacramentum Eucharistiæ.

Si quis nec panem, nec vinum adhiberet ad consecrandum, non conficeretur Eucharistia; quia ubi non est materia sacramenti, ibi non est sacramentum; ideo defectu panis aliquando in Lybia desiit offerri sacrificium, ut habetur in Conc. Chalced. actione 3.

Si quis loco panis adhiberet mel, lac, carnes, & alia similia, quæ in Sacrificiis veteris Legis adhibebantur, non esset Eucharistia; quia non esset ibi materia Eucharistiæ. D. Th. p. 3. q. 52. art. 2.

Defectus non tollens sacramentum.

Si quis unicam solum speciem vel vini, vel panis consecraret, conficeretur Eucharistia; quia altera species, vel panis, vel vini, est vere materia sacramenti. D. Th. 3. p. q. 74. art. 1. ad secundum.

Peccaret tamen graviter Sacerdos, nisi ignorantia facti excusaretur; quia ex institutione & ex praxi Ecclesiæ semper ambæ species consecrantur; casus autem ille potest contingere culpabiliter hoc pacto: si quis vellet consecrare solum materiam vel panis, vel vini, ut faciebant Aquarii, qui loco vini aquam consecrabant; casus vero ille posset contingere inculpabiliter hoc pacto: si quis non advertens loco vini consecraret aquam cum pane, vel loco panis tritici consecraret panem ex leguminibus confectum; vel si quis consecrato pane statim moreretur, aut comprehenderetur ab hostibus, ita ut non posset alia species consecrari.

Defectus tollens sacramentum ex parte panis.

Si quis loco panis triticei consecraret panem ex leguminibus confectum, ex oriza, hordeo, avena, milio, amygdalis, pisis, fabis, aliisque legominibus, aut ex arborum fructibus, non conficeretur Eucharistia; quia prædicta omnia non sunt panis usualis. D. Th. 3. p. 74. art. 3.

Si quis loco panis cocti adhibeat massam triticeam, crudam, vel non coctam per modum panis, v. g. massam triticeam frixam, vel elixam, non conficitur Eucharistia; quia prædicta omnia non sunt panis usualis.

Si quis loco panis ex farina, & aqua naturali confecti adhibeat massam triticeam maceratam, seu omnino dilotam, vel aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte, ovis, sacchato, aliisve liquoribus, non conficitur Eucharistia; quia prædicta omnia non sunt panis usualis.

Si quis loco panis usualis ponat panem madidum & corruptum totaliter, non conficitur Eucharistia; quia panis corruptus non est panis.

Defectus ex parte panis reddens sacramentum non invalidum, sed illicitum.

Si quis loco panis triticei ponat panem, in quo permixta sint multa grana alterius speciei, ita tamen ut prævaleat triticum, conficitur Eucharistia; quia triticum prævalens facit, ut panis ille sit absolute panis triticeus. D. Th. 3. p. q. 74. art. 3. ad 3.

Si quis loco panis confecti ex aqua naturali ponat panem confectum ex aqua artificiali, in quo tamen prævaleat aqua naturalis, conficitur Eucharistia; aqua enim naturalis prævalens facit, ut panis ille sit absolute panis.

Si quis apud Latinos consecret panem fermentatum, si quis apud Græcos consecret panem azymum, conficitur Eucharistia; quia uterque consecrat materiam, quæ est absolute panis: sed uterque peccat; quia non servat usum suæ Ecclesiæ.

Si

Digitized by Google

Si quis apud Latinos contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ consecret hostiam figuræ quadratæ, & in Ecclesia Græca consecret hostiam figuræ orbicularis, conficitur Eucharistia; figura enim quadrata, vel orbicularis non impediunt quominus utraque hostia sit vera panis.

Si quis loco panis usualis adhibeat panem aliquatenus corruptum, ita tamen ut corruptio non prævalcat, conficitur Eucharistia; quia panis tendens ad corruptionem est vere panis: in prædictis autem casibus peccatur mortaliter: quia non adhibetur materia solita.

Defectus ex parte panis reddens Sacramentum Eucharistiæ dubium.

Si quis loco panis triticei ponat panem confectum ex spelta, vel siligine non orta ex frumento, dubium est an conficiatur Eucharistia; quia dubitatur an spelta, & siligo non orta ex frumento, sint grana ejusdem speciei cum tritico: de siligine generata ex grano fromenti potest ex D. Th. fieri Eucharistia. 3. p. q. 74. a. 4. ad 2.

Si quis loco panis triticei ex aqua communi confecti utatur pane triticeo ex aqua marina confecto, dubium est (a) an conficiatur Eucharistia; quia dubitatur, an aqua marina faciat panem naturalem: licet enim apta sit ad ablutionem, & proinde ad baptismum, tamen non videtur apta ad panem usualem conficiendum.

Defectus ex parte vini reddens Eucharistiæ Sacramentum nullum.

Si quis loco vini ex vite, ponat liquorem ex pomis, ex moris, ex malogranatis &c. extractum, non conficitur Eucharistia; talis enim liquor non est usuale vinum. D. Th. 3. p. q. 74. a. 5.

Si quis loco vini ex vite, ponat liquorem ex uvis omnino acidis aut non maturis extractum, non conficitur Eucharistia; quia talis liquor non est vinum usuale.

Si quis loco vini usualis ponat acetum, vappam, idest vinum corruptum, non conficitur Eucharistia; quia vinum corruptum non est vinum. p. 4. q. 74. art. 5. ad 2.

Si quis loco vini usualis ponat racemos, non conficitur Eucharistia; quia racemus non est vinum, sed id, ex quo educitur vinum.

Si quis loco vini usualis ponat vinum imbibitum in pane calido, non conficitur Eucharistia; quia vinum illud non est usuale, nec potabile.

Defectus ex parte vini reddens Sacramentum illicitum, sed non invalidum.

Si quis loco vini usualis ponat mustum conficitur Eucharistia; quia mustum est absolute vinum, quamvis non sit perfecte depuratum. p. 3. q. 74. art. 5. ad 3.

Si quis loco vini usualis ponat vinum ex racemis, vel uvis passis expressum, conficitur Eucharistia: talis enim liquor est vinum absolute, quamvis non sit perfecte defæcatum.

Si quis loco vini usualis ponat vinum, in quo admixtus est alius liquor, ita tamen, ut vinum prævaleat, conficitur Eucharistia. 3. p. q. 74. art. 7. ad 3.

(a) *Apud aliquos.*

Si quis utatur vino, cui contra præceptum Ecclesiæ non fuerit admixtum pauxillum aquæ naturalis, vel cui admixtum sit pauxillum aquæ artificialis, verb. grat. aquæ rosaceæ, conficitur Eucharistia; quia tale mixtum est absolute vinum. D. Thom. ibid. In prædictis tamen casibus peccatur mortaliter; quia non adhibetur materia solita: Christum enim usum esse vino mixto aqua docet traditio, ut habetur apud Cyp. epist. 3.

Defectus ex parte vini reddens Sacramentum dubium.

Si quis loco vini usualis ponat vinum, cui tantum aquæ admixtum sit, ut dubitetur, an species vini soluta fuerit, dubium est, an conficiatur Eucharistia; quia non est certum, an illud mixtum sit vinum. Si quis loco vini usualis ponat vinum congelatum, dubium est juxta Estium, an conficiatur Eucharistia; quia vinum non est potabile: idem sentit de musto nullatenus depurato.

Consect. 2. Ex parte actionis terminatæ ad species consecrandas. Toties consecratio censetur nulla, quoties materia Eucharistiæ non est moraliter præsens; censetur vero valida, si sit moraliter præsens; quia hæc verba, *hoc est corpus meum*, *hic est Calix*, denotant materiam Eucharistiæ debere esse moraliter præsentem.

Defectus præsentiæ reddens Sacramentum Eucharistiæ invalidum.

Si species consecrandæ sint extra parietem Ecclesiæ, a tergo Sacerdotis, in Tabernaculo clausæ, non conficitur Eucharistia; quia illa materia non est moraliter præsens.

Defectus præsentiæ reddens quidem Sacramentum illicitum, sed non invalidum.

Si species consecrandæ sint sub mappa, sub corporali, sub missali, panis sit clausus in ciborio, vel vinum sit in calice cooperto conficitur Sacramentum; quia quod est super Altare, censetur moraliter præsens: peccatur tamen; quia in illis casibus non adhibetur ea præsentia, quæ solet in Ecclesia adhiberi.

Defectus præsentiæ reddens Sacramentum dubium.

Si intra Ecclesiam species consecrandæ sint longe distantes, v. g. viginti passibus juxta aliquos, centum juxta alios, dubium est, an conficiatur Eucharistia; quia materia non videtur esse moraliter præsens.

Consect. 3. De multiplici mutatione, quæ potest fieri ex parte formæ, quæque contingit in sequentibus casibus.

I *Per additionem destruentem.* Si quis dicat: *hoc est enim figurative corpus meum*, *hic est enim figurative calix sanguinis mei*, non conficitur Eucharistia; quia variatur sensus formæ, & expresse inducitur error Calvinistarum.

Per additionem non destruentem. Si quis dicat: *hoc est enim vere corpus meum*, *hic est enim vere calix sanguinis mei*, *hoc est corpus meum, quod de virgine sumpsi*, conficitur Eucharistia; quia non variatur sensus formæ.

II. Per

II. *Per detractionem destruentem*. Si quis dicat: ecce *corpus meum* videtur, non conficitur Eucharistia: talis enim detractio variare videtur sensum formæ; etenim verbum *est* operatur transubstantiationem, minime vero hæc particula *ecce*; aut saltem habemus ex usu Ecclesiæ, quod verbum *est* operetur transubstantiationem, quod, non possumus asserere de ista voce *ecce*.

Per detractionem non destruentem. Si quis dicat: *hoc est corpus meum*, *hic est calix sanguinis mei*, omittendo particulam *enim*, conficitur Eucharistia; talis enim omissio non variat sensum formæ. Ita D. Th. 3. p. q. 6. a. 8.

IV. *Per corruptionem destruentem*. Si quis dicat, hic adverbialiter, idest ibi, vel in illo loco est corpus meum, vel si dicat, hic adverbialiter, idest ibi, est calix sanguinis mei, non videtur confici Eucharistia; quia modus ille loquendi variare videtur sensum formæ: non enim significat, quod materia fuerit conversa in corpus, vel sanguinem Christi, sed solum quod ibi lateat corpus Christi. Si quis dicat: hic ponitur corpus meum: hic convertitur vinum in sanguinem meum, non conficitur Eucharistia; quia modus ille loquendi non est operativus, sed indicativus rei aliunde effectæ.

Per corruptionem non destruentem. Si quis dicat: hæc est corpus meus, hoc est calix sanguinis meæ, ponendo unum genus pro alio, conficitur Sacramentum; quia error contra regulas generum non tollit sensum formæ.

V. *Per transpositionem destruentem*. Si quis dicat: meum hoc corpus est, non conficitur Eucharistia; quia hæc propositio facit istum sensum: hoc meum, quod teneo, corpus est.

Per transpositionem non destruentem. Si quis dicat: enim hoc est corpus meum, conficitur Eucharistia; quia non variatur sensus formæ.

VI. *Per synominationem destruentem*. Si quis dicat: hic panis convertitur in corpus meum, non conficitur Eucharistia, quia destruitur sensus formæ, etenim propositio illa non est operativa, ut oportet, sed indicativa.

Per synominationem non destruentem. Si quis dicat: hic cibus est corpus meum, hic potus est sanguis meus, conficitur Eucharistia, quia non destruitur sensus formæ.

Confect. 4. ex parte mutationis, quæ potest contingere circa intentionem vel conficiendi, vel distribuendi, vel recipiendi Eucharistiam, quæ potest in sequentibus casibus evenire.

Si Sacerdos conficiens Eucharistiam non habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sed vel physice solum, vel derisorie se habeat, non conficitur Eucharistia.

Si Sacerdos conficiens Eucharistiam moraliter, & serio se habeat, & intendat vere facere quod facit Ecclesia, conficitur Eucharistia, licet conficeret propter malum finem, scilicet ad maleficia, vel ut confectum Sacramentum irrideat; quia prava illa intentio non attingit substantiam Sacramenti, non est circa ipsum Sacramentum, sed circa usum Sacramenti.

2. Quæcumque sit intentio, vel physica solum, vel etiam derisoria in distributione, & receptione Eucharistiæ, vere distribuitur, & recipitur Eucharistia. Cum enim Christus sit in hoc Sacramento loco substantiæ panis, & vini, sicuti vere daretur, & reciperetur panis, si adesset, quæcumque interveniret vel dantis, vel accipientis intentio; ita vere datur & accipitur Christus, cum post consecrationem dantur & accipiuntur species Sacramentales, quæcumque sit vel dantis, vel accipientis intentio.

ARTICULUS IV.

In quo traditum principium, scilicet mutatio essentialis tollit Sacramentum, minime vero mutatio accidentalis, applicatur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Ut sciatur quæ mutatio sit essentialis, quæ vero accidentalis, inquirendum, quæ sit materia, quæ forma in hoc Sacramento: quare sit.

Prop. unica. Materia Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio; forma vero sunt verba Sacerdotis jurisdictionem habentis, scilicet ista; *ego te absolvo a peccatis tuis*.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ubi sic habetur: *Docet præterea sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ego te absolvo &c.* postea vero addit: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.* Si autem vocet eos actus *quasi materiam*, hoc ideo dicitur, non quod non sint vere materia, *sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, & chrismatio in confirmatione*, inquit Cathechis. Trid.

2. *Rat.* In omni judicio exercendo circa reum, actus ipsius rei habent rationem formæ; quia quidquid pertinet ad hunc judicium, determinatur per sententiam judicis: atqui in Sacramento pœnitentiæ pœnitens subit vices rei, Sacerdos vero vices judicis, ut expresse docet Trid. sess. 14. c. 2. dicens quod pœnitentia sit tribunal, in quo *per sententiam Sacerdotum non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possunt liberari*: ergo actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio habent rationem materiæ; sententia vero judicis expressa per hæc verba: *ego te absolvo*, habet rationem formæ.

Consectarium generale totius hujus Doctrinæ.

Toties Sacramentum pœnitentiæ erit nullum, quoties non aderit contritio, confessio, & satisfactio, qualis debet esse, cum prædicti actus habeant rationem materiæ; erit pariter nullum, quoties absolutio non erit talis, qualis debet esse, cum absolutio habeat rationem formæ. Qualis autem debeat esse contritio, confessio, satisfactio, & absolutio, sequentibus paragraphis ostendemus.

§. I. *Qualis debeat esse contritio in Sacramento Pœnitentiæ.*

Nota, quod contritio definitur a Trid. sess. 14. c. 4. *Dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Prop.

Digitized by Google

Prop. unica. Contritio seu dolor, qui est materia sufficiens in Sacramento pœnitentiæ, debet esse. 1. supernaturalis. 2. universalis. 3. internus. 4. supremus. 5. cum amore initiali conjunctus. 6. Sacramentalis, idest in ordine ad Sacramentum elicitus.

Prob. 1. Script. Contritio sufficiens in Sacramento debet esse.

1. *Supernaturalis*. Etenim ex D. Paul. 2. ad Cor. 7. ver. 10. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur*: ergo contritio salutaris in pœnitentia debet esse secundum Deum, sive supernaturalis.

2. *Universalis*. Etenim, ut docet Ezech. 18. v. 30. debet esse de omnibus peccatis. *Convertimini*, inquit, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*.

3. *Interior*. Quippe, ut docet idem Ezechiel, debet esse in corde, ibid. v. 31. *Projicite a vobis*, inquit, *omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel?*

4. *Supremus* appretiative, ut dicunt, idest debemus magis dolere de gratia Dei perdita, quam de re quacumque creata; & hoc docet Scriptura dicens, toto corde Deum quærendum, diligendum, & ejus amissionem tota mente deflendam. *Cum quæsieris*, inquit, *Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Deut. 4. v. 19. *Beati, qui in toto corde exquirunt eum*, inquit David. *Convertimini ad me in toto corde vestro*.

5. *Conjunctus cum amore initiali*. Etenim si D. Paulus pronuntiet Martyrium non inservire ad gloriam sine caritate; *si tradidero*, inquit, *corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. 1. Cor. 13. ver. 3. idem videtur dicendum de Sacramento pœnitentiæ, si sine amore, saltem initiali requiratur.

2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. Dolor, qui a Theologis censetur sufficere in Sacramento pœnitentiæ, est ille, *qui quamvis*, ut loquitur Concilium, *extra Sacramentum ad justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponit*: atqui dolor ille prædictas habet conditiones, ut patebit sequenti inductione; ergo debet esse talis, qualis a nobis describitur. Probatur minor.

1. Dolor ille debet esse supernaturalis. Concilium enim declarat verum *donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*. Trid. ibid.

2. Dolor ille debet esse universalis. Non enim ex eodem Concilio sufficit ad Sacramentum, *nisi voluntatem peccandi excludat, & nisi contineat propositum non peccandi de cetero*: vox autem illa indefinita *non peccandi* æquivalet universali.

3. Dolor ille debet esse internus. Definitur enim a Trid. sess. 14. c. 4. *dolor*, non sensus, sed *animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*: ergo debet esse interior.

4. Debet esse supremus. Uti enim per peccatum mortale perdimus Deum, quem supra res omnes creatas debemus diligere; ita & ejus amissionem doleamus oportet per dolorem quocumque alio dolore superiorem.

5. Debet esse cum amore initiali conjunctus, quia juxta Conc. dolor requisitus in Catechumenis ad baptismum, talis debet esse, ut præter actus fidei & spei, ex caritate *Deum tamquam totius justitiæ fontem diligere incipiant*. Trid. sess. 6. c. 6. Ergo a fortiori id requiritur in his, qui lapsi sunt post baptismum; cum enim major ibi fuerit ingratitudo, ardentior debet esse in illis dilectio.

6. Dolor ille debet esse in ordine ad Sacramentum, quia est pars Sacramenti.

3. *Rat.* Dolor sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ est dispositio ad gratiam justificantem; etenim, ut loquitur Trid. *quamvis extra Sacramentum ad justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponit*.

Dolor sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ est dispositio ad gratiam justificantem: ex quo isthæc inferes.

Ergo debet esse supernaturalis, uti est gratia justificans: dispositio enim est ejusdem ordinis cum forma.

Ergo debet esse universalis, idest se extendere ad omnia peccata mortalia, sicut gratia justificans excludit omnia peccata mortalia: unum enim peccatum mortale non potest remitti sine alio.

Ergo debet esse internus, & in corde conceptus; sicuti gratia justificans cor nostrum ex immundo mundum efficit.

Ergo debet esse supremus appretiative; debet enim efficere, ut de eo amisso, utpote quibuscumque bonis creatis superiore, magis doleamus, quam de alio quocumque bono amisso.

Ergo debet esse conjunctus cum dilectione initiali; sicuti gratia justificans efficit, ut Deum super omnia diligamus.

Ergo debet esse conjunctus cum Sacramento, cum sit pars illius.

4. Eadem doctrina ostenditur auctoritate Cleri Gallic. ann. 1700. sic enim loquuntur Illustrissimi Præsules. *Et quidem*, inquiunt, *de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum baptismi in adultis, ita ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex sacrosancta Synodo Trid. monenda & docenda esse duximus. Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam, contritionem eam, quæ sit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei, & spei actus non incipiat diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem*. Ergo ex doctrina Cleri Gallic. necessaria est dilectio Dei in Sacramento pœnitentiæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non sufficit detestatio peccati motivo tantum naturali concepta; v. g. non sufficit dolor conceptus ob infamiam, quæ ex peccato oritur, vel conceptus ob incommoda temporalia, quæ ex illo emanant; expresse enim docet Trid. sess. 6. can. 3. hominem non posse pœnitere, sicut oportet, sine gratia. *Si quis dixerit*, inquit, *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere*

posse,

Digitized by Google

posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Ad veram quippe pœnitentiam non solum oportet malum fugere, sed etiam bonum persequi; & utrumque, scilicet execrari malum, & diligere bonum, debemus motivo supernaturali exequi. Odite malum, inquit Amos, & diligite bonum. c. 5. Quiescite agere perverse, inquit Isaias, & discite bene facere.

Confect. 2. Non sufficit detestatio peccatorum, quæ feratur ad aliqua solum peccata mortalia, sed ad singula debet extendi. Peccator pœnitens debet præterita peccata plangere, futura præcavere; non enim vivet coram Deo, nisi priorem vitam emendet, & novam instituat. Si impius, inquit Ezechiel, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Oportet ergo, ut peccator pœnitens peractam vitam amare defleat, juxta illud: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: Isai. 38. & novam & quidem sanctiorem proponat juxta illud Dividis: Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Psal. 76. v. 11. Eam doctrinam ita explicat Greg. III. Pastoralis c. 31. Admonendi sunt, inquit, qui admissa deflerunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicent, nullis tamen fletibus mundant; neque enim scriptor, si a scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserit delevit, & simili modo nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit. Isthæc omnia paucis concludit Aug. Nemo juxta ejus doctrinam eligit novam vitam, nisi quem veteris pœnitet. Ita tom. 10. l. 50. homil. hom. 50. veteris editionis. Prioris vitæ emendationem, & posterioris inchoationem ita expressit Paul. ad Eph. 4. Exuite, inquit, veterem hominem, & induite novum. Ezechiel nos ad utrumque ita hortatur: Projicite a vobis prævaricationes vestras, & facite vobis cor novum. 18. v. 31. quæ duo si in pœnitentia non conjunguntur, Confessionis verba, inquit Greg. quid sunt aliud nisi folia? in cap. 15. 1. Reg. super illud: Honora me. Et Aug. de verb. Apost. c. 39. Non sufficit, inquit, ut velis, converti, sed adjuvandus es, ut plane velis, & impleas quod velis, scilicet adjuvandus es, ut peccata præterita deleas, & futura præcaveas.

Confect. 3. Non sufficit detestatio, quæ etiamsi feratur ad singula peccata mortalia, sit tantum exterior, verbis ventilata, & solis inefficacibus promissis expressa; sed ea detestatio debet esse & interior, & pleno corde concepta, & factis obfirmata; de ea enim sic loquitur Script. Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ: Ps. 118. v. 10. Et rursus: Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Is. 55. v. 7. Joel vero internam illam, & efficacem contritionem toto corde conceptam vult, dum ait: Convertimini ad me in toto corde vestro, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Joel. 2. v. 12. Illud autem propositum pleno corde conceptum non alirer innotescit, quam per novam vitam priori utique sanctiorem, qua decernimus coaptare animum. Illis incommutabilibus luminibus virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate, ut docet Aug. lib. 2. arb. cap. 19

Rursus juxta eumdem Aug. nova vita, quæ a pœnitente exigitur, ea est, qua castitas impudicitiæ, liberalitas avaritiæ succedit. Quando qui furabatur, jam non furatur, quando omnis sermo malus ex ore nostro non procedit.... quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita. Jam tunc bene ingemiscit ad Dominum, & dicis: Tibi soli peccavi.

Confect. 4. Non sufficit dolor ille internus, etsi universalis, si adeo infirmus sit, ut non omnes peccandi occasiones amputet, sed aliquas retineat, ut enim dolor in Sacramento sufficiat, debet includere propositum non peccandi de cetero: ergo & propositum abscindendi omnem occasionem peccandi; qui enim amat periculum, in illo peribit. Et Christus jubet longe a nobis amovendas esse omnes peccandi occasiones: si enim, inquit, oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Tunc vero peccator pœnitens vere censetur omnes peccandi occasiones abjicere; quando ad singulas pertimescit, quando singulas studiose vitat, quando sperat non in propriis viribus se posse subsistere, sed in sola Dei gratia spem omnem collocat: ubi non dicit superbe cum Petro: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo; sed humiliter fatetur cum Sapiente: Scio, quia continens esse non possum, nisi Deus dederit.

Confect. 5. Non sufficit dolor supernaturalis, universalis, internus, nisi sit supremus appretiative, ut dicunt, idest nisi de gratia Dei perdita magis doleamus, quam de quacumque alia re creata perdita. De eo dolore ita loquitur Script. Matth. 10. v. 37. Qui amat Patrem & Matrem plus quam me, non est me dignus. Et Aug. in Epist. ad Galat. p. 39. edit. nov. Quod amplius, inquit, nos delectat, secundum id operemur necesse est v. g. occurrit forma speciosa femina, & movet ad delectationem fornicationis; sed si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera castitatis.... secundum hanc vivimus, secundum hanc operamur. Ergo si dolor, quo ad Sacramentum pœnitentiæ accedimus, supremus debet esse; oportet ut secundum illum operemur, & ex vi illius ab omni peccato retrahamur. Censetur autem dolor ille summus esse non ex lacrymis, non ex affectionibus sensibilibus, sed ex quadam cordis propensione, qua delectamur in Deo, & magis placet omnibus mundanis abrenunciare, quam divina præcepta infringere. Lacrymas autem ficta & æquivoca esse signa veri doloris docet Petrus Blesensis de Confess. p. 524. Nam, inquit, pœnitencia Cain, fletus Esau, & confessio Judæ, eis cesserunt in judicium. Et postea eamdem materiam diserte percurrens; Compassio, inquit, non semper sancta est; plerumque enim contingit, quod fabulis auditis animus sine fructu ad compassionem moveatur: sicut v. g. audita morte Christi aliqui lugent sine fructu: qui compateris Deo, inquit idem auctor, compateris & Didoni; fieri enim potest, ut absque lacrymis & publicanus in Templo, & latro in cruce veram pœnitentiam egerint, quam Antiochus non egit, dum lamentaretur.

Confect. 6. Non sufficit dolor conceptus ex timore serviliter servili; eo enim timore, ut ait Aug. Ep. 144. non timimus peccare, sed ardere; sed necessarius est timor filialis, quo Deum summe amabilem & in-

& incipiamus amare, & timeamus offendere; hoc autem passim indicat Script. nam Joan. 14. v. 24. dicitur: *Qui non diligit me, sermones meos non servat*: ergo qui non diligit, non dolet de peccatis sicuti oportet. Et 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Et 1. Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum, anathema sit*. Unde Aug. Tract. 5. in Ep. Joan. ait: *Sola dilectio discernit inter filios Dei, & filios diaboli*; timor enim servilis hujusmodi est, inquit Aug. Serm. 25. in Psal. 118. *Timor est, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem: vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen: mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat; quia non spiritaliter delectatur ejus bono*. Eo tendit etiam illud axioma ejusdem Doctoris: *Caritas inchoata, inchoata justitia est; caritas consummata, consummata justitia est*. Aug. concordat Magister sententiarum in 4. dist. 15. dicens: *Quomodo ergo*, inquit, *qui crimen reservat, de alio reciperet veniam sine AMORE DEI*, sine quo nemo umquam gratiam invenit?

Monit. Timor servilis, quo ut loquitur Trid. a peccando abstinemus, non est peccatum; ut enim optime ait D. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. *Timor servilis secundum suam substantiam bonus est*. 1. Quia dum timemus pœnam quæ nos separet a Deo, optamus uniri cum Deo. 2. Quia ex illo timore ducti eligimus aliquid, quod est bonum ex objecto, scilicet abstinere a peccato. 3. Timor ille est donum Dei; supponit enim plerumque fidem, ut docet Aug. sola autem *servilitas est mala*, quatenus efficit, quod non operemur ex amore Dei, minime vero timor servilis, qui est a Deo, & supponit fidem, ut late probat August. serm. 19. de verbis Apost. cap 9. *Si timore gehennæ*, inquit, *non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ; Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile... non occidit, sed tamen lupus redit*. Innuit his verbis timorem illum non immutare interius mentem peccatoris: sicut enim non mutatur lupus, cum timore perterritus ab ovili recedit: ita nec timore servili mutatur peccatoe: timor enim ille voluntatem peccandi non excludit, ut docet idem in Ps. 32. Enarratione 2. *Qui enim*, inquit, *timendo non facit male, mallet facere, si liceret; itaque etsi facultas non datur, voluntas*, scilicet peccandi, *cum rea tenetur*.

Consect. 6. Non sufficit dolor qualiscumque, sed ille dolor requiritur, qui disponat ad justificationem in Sacramento obtinendam; quocirca timor ille ex Trid. sess. 6. cap. 6. debet sequentes actus includere.

1. Fidem, qua peccatores se agnoscentes peccatores vitam veterem odio habeant, & ad novam, & utique meliorem, & sanctiorem aspirent.

2. Timorem, quo pœnitentes utiliter concussi, ut concussi fuerunt Ninivitæ, actu cessent a peccato.

3. Spem, qua excitati proponant suscipere Sacramentum, inchoare vitam novam, & servare præcepta Dei.

4. Denique dilectionem, qua & detestentur peccata, prout sunt offensa Dei, & Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant: *certam enim pœnitentiam non facis, nisi odium peccati, & amor Dei*: Aug. serm. 7. de temp. quippe sine illo amore initiali mens adhuc adhæret peccato, ut docet Leo Magnus: *Rationabilis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi*. Serm. 4. de jejun. septimi mensis.

Consect. 7. Quamvis contritio imperfecta, qualis describitur hic a nobis, extra Sacramentum ad justificationem perducere non valens, & ad impetrandam in ipso Sacramento justificationis gratiam disponens, vere juxta communiorem Theologorum sententiam sufficiat ad hoc Sacramentum, nec requiratur ea contritio perfecta, quæ hominem cum Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum recipiatur, modo conjungatur cum voto Sacramenti, & cum proposito confitendi; hortandi tamen sunt populi, ut se ad perfectam illam contritionem, quo frequentius poterunt, excitent, eamque a Deo & precibus, & jejuniis, & eleemosynis enixe postulent: tum quia tutius est contritionem perfectam habere, quam contritionem imperfectam, & semper ad perfectiora enitendum sit, juxta illud Pauli: *æmulamini charismata meliora*; tum quia licet malum non sit, cupiditatem gehennæ metu reprimere: docet enim Aug. de catechizandis rudibus cap. 17. eum esse verum Christianum, qui propter felicitatem æternam vult esse Christianus, etsi gehennam metuat: *qui autem*, inquit, *propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in Regnum intret cum Christo, vere ipse Christianus est*; tamen longe Deo gratius est solo Dei amore cupiditatem vincere, ejusque pravos motus amore virtutis, quam pœnæ formidine refrænare: etenim, ut passim docet August. *tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur*: sed vehementer nos consolari possunt hæc Aug. verba de verbis Apost. ser. 157. ubi sic habet: *Fac vel timore pœna, si non potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet: quia consummata caritas foras mittit timorem: non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore*. 1. ad Rom. c. 8. v. 15.

§. II. *De Confessione Sacramentali.*

Qualis debeat esse Confessio Sacramentalis.

Confessio Sacramentalis definitur: Accusatio peccatorum Sacerdoti facta, ut eorum remissio virtute clavium obtineatur.

Prop. 1. Confessio Sacramentalis ita debet esse sincera, & integra, ut pœnitens clare, & aperte manifestet Sacerdoti ea omnia peccata mortalia, easque circumstantias, quæ necessariæ sunt, ut Sacerdos & congruam medicinam præbere, & æquum judicium ferre valeat.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 14. c. 5. *Universa*, inquit, *Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino INTEGRAM peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere*: Ergo Confessio Sacramentalis debet esse integra, &c.

2. *Rat*. Sacerdos in Sacramento penitentiæ est ju-

Digitized by Google

dex, & Medicus: ergo debent ei manifestari omnia crimina, de quibus debet judicium ferre ut judex, & omnia vulnera, quibus debet remedium adhibere ut Medicus; nam, ut optime docet Concil. citando Hieron. *Si erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, Medicina non curat*. Et ut addit idem Conc. sess. 4. c. 5. *constat Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent*: ergo Confessio debet esse integra, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Confitenda sunt omnia, & singula peccata mortalia quoad numerum certum, si haberi potest, vel saltem probabilem, si certus haberi non potest, addendo *plus minusve*, vel explicando consuetudinem peccandi, tempus a quo sumus in tali prava consuetudine, & frequentiam in die, in mense, in anno &c. ita Nectarii tempore mulier particulatim confessa dicitur: de hac obligatione ita Trid. sess. 14. c. 5. *Ex his*, inquit, *colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiam si occultissima sint: quæ nonnumquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur.*

Sic peccat contra integritatem confessionis, & contra veritatem pœnitens, qui mentitur Confessario circa ea, quæ tenetur confiteri. Mendacium certe in omni materia damnabile; sed in tribunali pœnitentiæ sacrilegum est, atque execrabile, & ficto illi pœnitenti dici potest quod dixit Petrus Ananiæ: *non es mentitus hominibus, sed Deo*. Si vero mentiatur circa ea, quæ non tenetur confiteri, peccat quidem contra veritatem, sed non contra integritatem confessionis.

Consect. 2. Pœnitens tenetur confiteri peccata mortalia, non solum quoad numerum, sed etiam quoad circumstantias, quæ peccati speciem mutant; is enim semper fuit usus in Ecclesia: alia siquidem pœnitentia dabatur puellæ simplici peccanti, alia sacræ Virgini, alia adulteris, alia stupratoribus. Quænam autem sint peccata specie distincta, diximus primo tomo, ubi de distinctione numerica, & specifica peccatorum. Quod autem circumstantiæ speciem mutantes sint confitendæ, habemus ex Trid. ibid. *Colligitur præterea*, inquit, *etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.*

Consect. 3. Pœnitens tenetur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, juxta omnes, quando illæ circumstantiæ continent 1. Gradum affinitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, injuriæ, &c. quæ egent satisfactione. 3. Quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati apud plures. 4. Diuturnitatem temporis; quia tunc solent plures actus exerceri, qui detegendi sunt. 5. Peccatum inter Confessarium, & pœnitentem. 6. Si circumstantia secum invehat censuram, vel reservationem, vel aliquid necessarium in bonum pœnitentis; quia tunc illæ circumstantiæ, licet solum aggravantes, æquivalent, ut fatentur omnes, vel multiplicationi numericæ, vel multiplicationi specificæ.

Consect. 4. Circumstantiæ peccatum intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, vel minuentes, etiam extra casus in superiori consectario expositos, sunt necessario in confessione explicandæ. Ita aperte docet Catechis. Trid. p. 2. de Confess. nu. 48. *Neque solum*, inquit, *peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt... Quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt*. Id manifeste evincit perpetuus Ecclesiæ usus: peccatum enim internum, & externum intra eamdem speciem non differunt, nisi penes circumstantias aggravantes; tamen peccata solum interna minus puniebantur quam externa. Peccata impudicitiæ interius solum commissa aliqua pœnitentia puniebantur, ut docet Tertullian. lib. de pœnit. c. 3. Mulieres vero adulteras occulto etiam adulterio stare jubet sine Communione. Basil. Epist. Can. Alia imponebatur pœnitentia his, qui cogitatione solum idololatriæ consenserant; alia, sed gravior, iis qui libellis se polluerant, alia, sed adhuc durior, his qui incensum idolis obtulerant, ut habes ex Cypr. lib. de lapsis, quamvis hæc singula peccata ad idololatriam pertinerent. Et merito quidem observavit semper Ecclesia, ut circumstantiæ notabiliter aggravantes Confessario aperirentur, aliud enim feremus judicium, aliaque præscribemus pœnitentiæ remedia duobus hominibus, quorum unus raptim solum peccato impudicitiæ interius consenserit, alius vero per integras horas prava incontinentiæ cogitata volens, & plene conscius evolverit: quorum unus præcipiti motu hostem occiderit, & statim post occisionem inimici mortem doluerit; alter vero mortem inimici diu meditatus eum clanculum a tergo, & per insidias obtruncaverit, & post occisionem non modo non doleat, sed satiandæ ultionis desiderio pugione iterum, atque iterum confodiat, sanguinem vulnere scaturientem epotet, morienti non modo non succurrat, sed risu, & cachinnis insultet. Hæ quidem circumstantiæ sunt omnino aperiendæ, ut patet. Ita pœnitens debet confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, vel minuentes, quas omnes ad sequentia capita reducemus.

1. Tenetur confiteri quantitatem temporis, quo permansit in committendo peccato, quando hæc duratio excedit solitum peccandi modum, puta, si per horam, per diem, cogitationem aliquam pravam animo evolverit.

2. Tenetur confiteri ad quot objecta se peccatum extenderit: v. g. vulnera inflicta in occidendo inimico, homines occisos, nummos subreptos, &c.

3. Tenetur confiteri modum peccandi insigniter enormem; v. g. tenetur dicere, vulneravi aperta vi, fraude, per insidias, &c.

4. Tenetur pariter confiteri circumstantias notabiliter minuentes, non quidem motivo excusationis, sed motivo sinceritatis, ut se talem, qualis est, & medico, & judici suo patefaciat. Tenetur con-

confiteri, an peccatum commiserit vel plena cognitione, vel ex ea ignorantia, quæ juxta Aug. non excusat a toto, sed a tanto; an ex metu mortis, an ex malitia.

5. Ergo ex eodem principio eruitur non teneri pœnitentem confiteri eas circumstantias, quæ leviter tantum vel augent, vel minuunt peccata. Sic v.g. qualitas personæ, nisi concurrat ad scandalum, non est Confessario aperienda. Lapsus est v.g. Episcopus, Abbas in occultum crimen luxuriæ, non est necesse, quod dicat se esse Episcopum vel Abbatem, sufficit, quod dicat se esse vel Sacerdotem, vel Religiosum; hæc enim dignitas non insigniter auget peccatum occultum, bene tamen publicum. Item peccavit quis die festo, peccato, quod tamen nec a Missa audienda, nec ab aliis pietatis operibus die festo imperatis eum avocavit, non tenetur juxta Ludovicum Granatensem hanc circumstantiam diei festi explicare, quia non insigniter aggravat peccatum. Sunt tamen graves Theologi, qui velint eam circumstantiam temporis sacri non minus aggravare, quam circumstantiam loci sacri: uti enim, inquiunt, teneris confiteri te occidisse hominem *in loco sacro*; ita a te occisum esse *tempore sacro*: quare crediderim ego quod in praxi bonum sit circumstantiam temporis sacri aperire, præcipue quando in causa est, quod diem festum non ea, qua decet, sanctitate duxerimus.

Consect. 5. Quando pœnitens non potest aliter suum peccatum integre declarare, nisi manifestando personam complicem Confessario, potest, immo debet, eam personam indirecte Confessario declarare, præcipue si prævideat Confessarium ea declaratione usurum in bonum ipsius complicis. Talis videtur fuisse usus antiquæ Ecclesiæ. Basil. Epis. 3. Can. 70. ait: *Qui uniuscujusque prædictorum peccatorum fuit conscius, & non confessus; sed convictus est, tanto tempore punietur, quanto & ipse malorum effector.* Eum usum viguisse in Ecclesia probat Aug. explicans istum locum Lev. 5. *Si audierit vocem jurantis per falsos deos, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*: & idem Aug. homil. 49. sic habet: *Omnino igitur moneo, ego jubeo, Episcopus jubet, Christus in me jubet .... nolite viros vestros permittere fornicari, interpellate contra illos Ecclesiam.* Idque videtur Christus indicasse dicens: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Matt. 18. Et Paulus 2. ad Thessal. 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate.* Reipsa, quomodo antiqui Parochi, quibus solis fiebat Confessio, potuissent incestus & peccata inter conjugatos secundum Canones punire, nisi pœnitentes personas complices declarassent? D. Th. opusc. 12. ostendit, eam praxim esse etiam isto tempore observandam: sic enim habet q. 9. *Si pœnitens speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta, si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat.* Idem habet D. Bonav. in sent. 22. q. 3. & D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 2. Ratio etiam suffragatur; pœnitens enim est accusator, & testis contra se ipsum: ergo sicut accusator, & testis possunt contra reum, ejusque complices agere; pœnitens potest contra seipsum, & complices agere; præcipue, cum talis declaratio inserviat pœnitenti ad integritatem confessionis, & complici non noceat, quin immo ad ejus conversionem inservire possit, nec diffamatoria sit, cum non fiat animo ipsum denigrandi, sed potius animo eum ad Deum convertendi; demum cum facta Confessario, censeatur facta Deo, non homini.

Consect. 6. Confitenda sunt peccata mortalia dubia, ut dubia; quippe ex Tridentr. sess. 14. c. 5. & Can. 7. confitenda sunt omnia peccata mortalia, quorum conscientia habetur, sic enim loquitur. *Oportet*, inquit, *a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri*, atqui vere habetur conscientia peccati dubii, ut dubii: ergo debet manifestari ut dubium, & sic quando locum habeat hæc regula, *in dubiis tutior pars est amplectenda*, maxime in iis circumstantiis, ubi de obtinenda absolutionis gratia agitur.

Consect. 7. Ad integritatem confessionis prærequiritur diligens examen pro capacitate pœnitentis, pro temporis mora, & ceteris circumstantiis; quia Trid. postulat *diligentem sui discussionem*: Ergo exigit in examinanda conscientia eam diligentiam, qualem vir prudens in negotiis arduis solet adhibere. Itaque pœnitens ad discutiendam conscientiam se ab omni sæculari negotio removeat; gratiam a Deo enixe postulet, qua occultos cordis recessus valeat introspicere: istas aut similes preces effundat: *Domine ut videam. Illumina tenebras meas* &c. postea percurrat præcepta decalogi, & Ecclesiæ, & officia singula suæ conditionis, videatque in quo, cogitatione, verbo, opere, exemplo, consilio, omissione &c. peccaverit, & singula peccata aut memoriæ infigat, aut chartæ inscribat; sed præcipue interius doleat, imiteturque Ezechiam de peracta vita interius gementem: *Recogitabo tibi*, inquit, *annos meos in amaritudine animæ meæ*; postea vero Confessario aperiat sincere omnium peccatorum, quibus inficitur, originem & occasiones, & relapsus, & consuetudinem: hæc enim omnia mire ad conversionem sinceram inserviunt, & ad integritatem confessionis conducunt.

Consect. 8. Si quis aliquod peccatum mortale, vel aliquam circumstantiam variantem specifice, aut notabiliter aggravantem confiteri omiserit vel sponte, & data opera, vel ex negligentia magna, tunc in utroque casu committitur sacrilegium, & iteranda est confessio; minime vero si id fiat involuntarie, aut ex modica negligentia. Ita casus illos determinat Catech. Trid. 2. p. de confes. num. 49. & 50. *Adeo*, inquit, *ad confessionem necessarium est, ut integra sit, & absoluta, ut si quis, dedita opera, alia quidem ex his, quæ explicari debent, prætermittat, alia vero tantummodo confiteatur .... is novo scelere se obstringit; confessionem repetere est necesse, si adeo remisse conscientiam nostram scrutati simus.... ut ne ea quidem recordari voluisse merito videri possimus: id enim si factum fuerit, confessionem iterare omnino oportebit.*

At vero si alia de causa confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiæ latebras non ita accurate perquisierit; cum tamen illud in ani-

mo haberet, ut integre omnia peccata confiteretur, nihil opus erit ei confessionem iterare.

Consect. 9. Non peccatur contra integritatem confessionis, quando peccata mortalia olim rite declarata, quamvis conscientiam remordeant, denuo non declaramus, nec etiam, quando peccata venialia numquam declarata non subjicimus clavibus Ecclesiæ, quia non ea fuit praxis Ecclesiæ, ut fideles obstringeret peccata mortalia sæpius declarare: deinde, si peccata hæc mortalia cum debitis dispositionibus fuerint in Sacramento Pœnitentiæ detecta, merito censentur remissa.

De peccatis vero venialibus sic sapienter nos admonet Trid. sess. 14. c. 5. *Venialia* peccata, *quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Et circa hoc diversa fuit Ecclesiæ praxis. Hieronymus peccata venialia expiari volebat voluntaria, & simul humili sacræ Eucharistiæ abstinentia; sic enim habet: „ Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas martyrum intrare non audeo. „ Insuper damnat perversitatem judicii eorum, qui cum post usum Matrimonii basilicas intrare non auderent, domi tamen Eucharistiam percipere non verebantur. Chrysostomus, & Auctor de imitatione Christi lib. 4. cap. 4. peccata venialia expiari suadent confessione facta Deo. Aug. de fide & oper. peccata venialia remitti docet confessione facta hominibus. Emendamur, inquit, cum lapsus nostros, iis, qui nobis sapientiores sunt, detegimus humiliter. Secundum præsentem Ecclesiæ praxim peccata venialia expiantur orationis dominicæ recitatione, aquæ benedictæ aspersione, vel Sacramentali vel generali confessione, & Eucharistiæ devota sumptione. Ea omnia habes cap. *Omnis utriusque* 12. & can. *De quotidianis* 20. de pœniten. dist. 3. & can. *Aquam* 28. de consecr. dist. 3.

Expiantur insuper jejuniis & eleemosynis. Can. *Medicina* 76 & can. Quamobrem 68. de pœnit. dist. 1.

Remittuntur etiam peccata venialia pectoris percussione, Episcopali benedictione. Can. *Tres sunt*. 82. de pœnitent. distinct. 1. Can. *Dictum* 96. 1. q. 1.

Prop. 2. Non est semper necesse, quod confessio sit integra *materialiter*; sed sufficit, quod sit integra *formaliter*.

Explicatur. Confessio est integra *materialiter*, quando dicuntur Sacerdoti omnia & singula peccata, nullumque omnino peccatum mortale omittitur. Tunc confessio est integra *formaliter*, quando dicuntur omnia peccata, quæ possunt & debent dici; omittuntur vero ea mortalia, quæ vel non possunt, vel non debent declarari; quia eorum declaratio vel est impossibilis, vel est graviter nocitura. Propositio sic explicata.

Prob. Tunc confessio non debet esse integra *materialiter*, ut ajunt, quando vel est impossibilis, vel est nocitura; quia *Deus numquam impossibilia jubet*; & quia in Sacramento pœnitentiæ non jubet, nisi quod est in bonum nostrum, cum Sacramenta sint, non in damnationem, sed in salutem: Ergo confessio non debet esse integra materialiter, quando vel est impossibilis, vel est nocitura.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Quociescumque confessionis integritas erit impossibilis vel ex parte pœnitentis, vel ex parte confessarii, toties sufficiet confessio eorum peccatorum, quæ fieri poterit, & impendenda erit absolutio omnium peccatorum; manebit tamen obligatio confitendi peccatum illud, quod tunc declaratum non fuit. Primo sufficiet confessio, quæ fieri poterit; quia ad impossibile nemo tenetur: tamen manebit obligatio confitendi peccatum non declaratum, integritas enim confessionis est de jure divino: ergo cum occurret occasio, erit observanda; ideo damnata est sequens propositio ab Alex. VII. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Sic si pœnitens nequeat peccata sua confiteri ob defectum memoriæ, quo fit ut inculpabiliter non recordetur peccata commissa; ob defectum vocis, vel scriptionis, vel nutuum, quo fit, ut v. g. lapsus in apoplexiam loqui non valeat, det tamen, aut dederit signa pœnitentiæ; ob defectum temporis, quo fit, ut valeat omnia peccata commissa percurrere, puta, si sit in præsenti naufragio, in proximo incendio, in urgenti cum hostibus conflictu; in his, & similibus casibus poterit absolvi, etiam si singula peccata non integre confiteatur.

Sic si confessarius prævideatur moriturus, aliumque Confessarium adire nequeas, potes petere absolutionem ante peractam integre confessionem.

Consect. 2. Quotiescumque confessio alicujus peccati certo prævidetur graviter nocitura vel pœnitenti, vel Confessario, vel alicui tertio, toties poterit omitti, si alius Confessarius adiri nequeat, & postea data prima occasione peccatum prudenter occultatum declarandum erit; quia Deus non censetur velle obligare ad confessionem peccati, cujus declaratio est nocitura.

Sic si sit periculum moraliter certum, quod Confessarius abusurus sit confessione vel non observando sigillum, vel utendo confessione ad sollicitandum pœnitentem ad peccatum, vel quod usurus sit eadem confessione ad diffamandum pœnitentem, vel complices illius peccati, quod auditurus est in confessione; poterit prudenter tunc ea peccata pœnitens in specie non declarare... Talia tamen pericula non sunt facile fingenda, sed oportet de his claram, & evidentem, moralem tamen, convictionem habere. Ita Gonetus tractatu de Sacramentis, Natalis Alexander de Sacram. pœnitent. Reg. 7.

Propositio 3. Ut confessio peccatorum sit utilis, non solum debet esse integra, sed insuper cum cordis compunctione conjuncta.

Prob. 1. Scriptura. *A mortuo*, scilicet per affectum peccati, *quasi qui non sit, perit confessio*. Eccl. 17. v. 16. ergo ut utilis sit confessio, debet fieri ab eo, qui optet a peccato recedere, quive sit extra affectum peccati.

2. Ex Patrib. 1. Aug. ita eos arguit, qui sine ullo dolore confitentur. *Multi*, inquit serm. 7. de temp. *assidue se dicunt esse peccatores: & tamen illos adhuc delectat peccare. Professio est, non emendatio:*

acce-

accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur: pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Et Greg. Magnus in lib. 1. Reg. cap. 2. sic habet: *Signum veræ conversionis non est in oris Confessione, sed in afflictione pœnitentiæ... In fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est.*

3. Ut confessio peccatorum sit fructuosa, debet esse dispositio ad gratiam obtinendam: ergo debet cum cordis compunctione conjungi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ut confessio peccatorum nostrorum inserviat ad justificationem in Sacramento obtinendam, non sufficit, quod fiat soli Deo: qualis fuit confessio Davidis dicentis: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam*; & rursus: *tibi soli peccavi*. Non sufficit, quod fiat homini tamquam amico, ut ab eo solatium accipiamus, vel fiat homini tamquam doctori, ut ab eo consilium accipiamus; sed debet fieri Sacerdoti tamquam patri, tamquam medico, tamquam judici, ut correctionem a patre, remedium a medico, absolutionem a judice accipiamus.

Consect. 2. Ut confessio facta Sacerdoti tamquam patri, tamquam medico, tamquam judici, sit salutaria, non debet esse narratio mere historica, sed debet cum sequentibus conditionibus conjungi.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Simplex excludit admixtionem peccati ab alio commissi: *humilis* excludit superbiam mentis aut verborum: *pura* excludit omnem perversam intentionem: *fidelis* excludit quamcumque fictionem, & falsitatem: *frequens* excludit negligentiam, quam sæpius confitendo vincimus: *nuda* excludit multiplicitatem, & obscuritatem verborum: *discreta* excludit imprudentiam, qua omnia peccata ut æqualia habentur: *lubens* excludit coactionem: *verecunda* excludit jactantiam de peccato: *integra* excludit reticentiam ejus peccati aut circumstantiæ dicendæ: *secreta* vetat publicitatem, quæ scandalum pareret: *lacrymabilis* vetat complacentiam in peccato: *accelerata* vetat dilationem confitendi: *fortis* excludit teporem & pigritiam: *accusans* prohibet adhiberi excusationes in peccatis: *obediens* includit propositum exequendi pœnitentiam injunctam.

§. III. *Quam necessaria sit satisfactio peccatoribus post Baptismum lapsis, & qualis debeat esse illa satisfactio.*

Nota, quod satisfactio definitur: *studium placandi Deum offensum exhibendo ei voluntariam sui castigationem.*

Prop. 1. Sacerdos tenetur præscribere, & pœnitens tenetur acceptare satisfactiones salutares, & pro modo culpæ congruas.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 14. cap. 8. *Debent ergo*, inquit Synodus, *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminis, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficientur*. Ergo si Sacerdotes debeant salutares satisfactiones imponere, pœnitentes tenentur eas subire: quando enim duo connectuntur, ut revera conjunguntur pœnitentiæ impositio, & ejus acceptatio, cum Deus præcipit unum, præcipit & aliud.

2. Ex Patribus. Primo quidem Cyprianus ad calcem libri de lapsis ita habet: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit*. Aug. in Psal. 44. sic loquitur: *Omnis iniquitas, parva, magnave sit, puniatur necesse est: aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante.... Prorsus aut punis, aut punit: vis non puniat, puni tu ergo.*

3. Inductione. Nulla est iniquitas, quæ omnino impunita relinquatur a Deo: non quidem quod Deus ea pena delectetur; sed ut naturalis æquitas observetur. Sic in damnatis punitur peccatum, non voluntaria satisfactione, sed involuntario cruciatu, scilicet summi boni amissione; *Hoc enim adepto*, inquit Aug. *beata est* anima: *quo amisso misera est*: lib. 12. de civ. c. 3. *factus est enim* homo *malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod posset esse æternum*. De civit. 21. cap. 12. In eo enim sita est damnatio, ut perversa damnatorum voluntas sit invita subdita Deo per dolorem, quæ volens noluit subesse Deo per amorem. *Quid enim*, inquit Bernardus, *tam pœnale, quam semper velle quod numquam erit?* etenim quod vult damnatus, *in æternum non obtinebit, & quod non vult, in æternum sustinebit*. lib. 5. de consid. cap. 12. Item punitur peccatum in Purgatorio, non meritoria satisfactione, sed purgante satis-passione: non meritoria satisfactione; quia animæ in Purgatorio non sunt in statu vitæ, ut possint mereri; sed in eo statu sunt, ut possint a maculis, quibus non plene purgatæ sunt, emundari; itaque si peccatum in inferno, & in purgatorio puniatur: ergo in peccatoribus relapsis, sed pœnitentibus, debet puniri peccatum per satisfactiones & a Sacerdotibus impositas, & voluntarie acceptatas a pœnitentibus.

4. *Rat.* Confessarius debet salutares satisfactiones imponere, & pœnitens debet eas acceptare, si ita exigat ordo a Christo in Ecclesia statutus; quia nefas est quemquam a tali ordine se subducere: atqui ita est: ut patebit sequenti inductione: ergo & Confessarius tenetur salutares satisfactiones imponere, & pœnitens tenetur eas acceptare. Hoc autem ita exigit.

1. Natura ipsius conversionis, quæ satisfactionem in pœnitente exigit. *Fuit quidem*, inquit Trid. *pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria... unde Propheta ait: convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Sess. 14. cap. 1. Non est autem vera pœnitentia, quam non subsequuntur fructus digni pœnitentiæ juxta illud: *facite fructus dignos pœnitentiæ.*

2. Divina justitia: ut docet Trid. sess. 14. cap. 8.

Sane, inquit, *divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scientes, Templum Dei violaverint, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint*. Baptizatis itaque nulla imponitur satisfactio, qua plectantur crimina prioris vitæ; quippe vetus vita in Christo sepelitur; novaque fit creatura, Christi sanguine aspersa, & quasi Christi vestimentis induta, omnique ex parte gratiis, & donis Spiritus Sancti decorata.

3. Hanc satisfactionem exigit divina Clementia. *Divinam Clementiam decet*, inquit Conc. ibid. *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ*.

4. Eas satisfactiones postulat ea, quæ debet esse nostri cum Christo, conformitas. *Accedit*, inquit Concil. ibidem, *quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur; certissimam quoque hinc arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur*.

5. Eam satisfactionem præscribit sanctus, & perenniter observatus Ecclesiasticæ disciplinæ vigor: de quo ita Trid. ibid. *Neque vero*, inquit, *securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hac pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Ea de causa statuti in prioribus Ecclesiæ sæculis Canones pœnitentiales, & a Sancto Carolo Borromæo collecti, ut nuperis istis temporibus & Confessariis, & pœnitentibus essent obvii, ut isti eam, quam præscribunt, pœnitendi formam æmularentur; illi vero, quantum patitur sæculorum perversitas, non aliam in præscribendis satisfactionibus regulam sibi proponerent imitandam.

VI. Ad eas pœnitentias salutares invitat nos nostra ipsorum utilitas; utiles enim fuit ejusmodi satisfactiones. Primo his, qui nondum reconciliati sunt ad impetrandam ex congruo peccatorum remissionem, atque ad redimendam pœnam æternam: juxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*: & juxta illud Ambr. *fletuque culpa solvitur*. Secundo utiles sunt his, qui sunt jam justificati, ut docet Trident. ibid. his verbis: *Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt*.

Consectaria hujus doctrinæ.

Quo docetur Confessarium debere imponere salutares satisfactiones.

Consect. 1. Peccat Sacerdos, qui vel ex malitia, vel ex inscitia, vel ex negligentia, vel ex timore mundano salutares non præscribit pœnitentibus suis satisfactiones. Ex malitia quidem, ut faciebant Scribæ, & Pharisæi, qui inutilibus cæremoniis, & traditionibus populum occupatum detinebant, & a præceptis necessario observandis avertebant, ut eis exprobrat Christus, Matth. 23, v. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere, illa non omittere*.

Ex inscitia vero, uti faciunt illi, qui ignorantes antiquam, & præsentem Ecclesiæ disciplinam circa Canonicas satisfactiones, putant sui juris esse pro libito pœnitentiam imponere; cum tamen in hoc non privatum lumen, sed lumen Ecclesiæ consulendum sit. Quod si civilium causarum judicibus dicitur: *erudimini qui judicatis terram*; a fortiori spiritualibus judicibus dicitur: *scrutamini leges Ecclesiæ qui in tribunali pœnitentiæ judicatis*.

Ex timore mundano, uti faciunt illi, qui iis pœnitentibus, a quibus vel aliquid boni sperant, vel aliquid mali metuunt, perniciosissime adblandiuntur; quibus apte convenit illud Scripturæ: *Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*. Eccl. 7. 6.

Ex negligentia, uti faciunt illi, qui, pertæsi ejus laboris, qui in reminiscendis, & revocandis sæpius iisdem pœnitentibus reperitur, malunt præcipiti absolutione solvere pœnitentem, quam eum salutifera satisfactione ligare; quos quidem a tam præcipiti judicio deterrere debet illud Scripturæ: *Sanguinem ejus de manu tua requiram*: quippe, ut optime monet Cypr. de lapsis. *cum peccatori adulamur, non erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam*; & Ep. 51. 4. *non est pax illa, sed bellum; persecutio hæc alia, & alia tentatio*.

Consect. 2. Peccat Sacerdos, qui sine causa, quæ a Deo probanda sit, pro gravibus peccatis leves imponit pœnitentias. Sciat se sibi & pœnitenti graviter nocere: sibi quidem; quia juxta Trident. *si indulgentiam cum pœnitentibus agat, alienorum peccatorum particeps efficitur*: pœnitenti vero, quia, ut ait Amb. in Psal. 118. *facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti*. Et juxta Greg. *tunc vera est absolutio sacerdotis, cum interni sequitur arbitrium judicis*. Molliori enim hac indulgentia *datur opera*, inquit Cyprian. lib. de lapsis; *ne satisfactionibus, ac lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur*.

Consect. 3. Peccat Sacerdos, qui vel ex zelo, qui non est secundum scientiam, vel ex defectu attentionis ad singula, incongruas præscribit satisfactiones, v. g. eleemosynam mendicanti, jejunia ægrotanti, &c. cum e contra juxta prudentiam avaris esset præscribenda eleemosyna, maceratio corporalis incontinentibus, superbis oratio, singulis vere ardens & humilis in Christum fiducia.

Consect. 4. Peccat Sacerdos, qui impositam ab alio Confessario pœnitentiam, & facultati pœnitentis & peccatis convenientem, & futuris peccatis evitandis aptam, sine rationali causa immutat; pœnitentia enim in præteritum peccatum puniens, & futurum impediens est de jure naturæ: ergo immutari non potest, nisi superiori aliqua ratione hæc eadem mutatio pœnitenti magis profutura videatur: utique Confessarius prudenter in tam difficili materia se gerat, legat Cypr. lib. de lapsis.

Consect.

Consect. 5. Peccat Sacerdos, qui pœnitentias etiam imprudenter injunctas, modo pœnitenti spiritualiter non sint nocituræ, immutat, non auditis in confessionne sacramentali his peccatis, quibus hæc pœnitentia imprudenter injuncta est: Confessarius enim non potest injunctam pœnitentiam pœnitenti non nocituram, nisi per modum judicii, immutare: non potest autem illud judicium exercere, nisi audito pœnitente in sacro tribunali, sed quod pœnitens potest accedere, non vis quidem appellationis, quia omnes Confessarii sunt æquales, cum sint ejusdem Christi Ministri; sed vi novi judicii: cum enim tribunal pœnitentiæ sit in favorem rei sese accusantis, potest diversis se judicibus sistere, & ejus judicio acquiescere, qui utilius pro æterna animæ salute judicaverit.

Consect. 6. Sacerdos non debet leviter pœnitentes audire, qui petunt injunctas sibi a primo Confessario pœnitentias immutari, nisi eas aperte videat saluti pœnitentium nocituras: de quo ita Carolus Borromæus in Actis Eccles. Mediol. part. 4. *Qui sine causa*, inquit, *Confessores mutant, arguendi sunt, nec ad confessionem facile hic admittatur, qui ab aliis Confessoribus passus repulsam fuerit, ne quod alius aut ædificaverit, aut ædificare nitebatur, destruatur.*

Consectaria hujus doctrinæ.

Qua docetur pœnitentem teneri acceptare salutares satisfactiones.

Consect. 1. Peccat pœnitens, qui pertinaciter renuit subire convenientes, & salutares satisfactiones, quamvis aliunde naturæ ejus corruptæ graves videantur: debet enim rite animo infigere, quod quamvis pœnitentia sit tribunal misericordiæ, est tamen tribunal justitiæ, in quo oportet & Deo veniam misericorditer indulgenti gratias agere, & Deo juste aliquam reparationem exigenti pro viribus satisfactionem exhibere. Duplicem hanc veritatem docet Aug. in Ps. 50. explicans illa verba: *Ecce enim veritatem dilexisti*, ubi sic loquitur: *Veritatem dilexisti, idest impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti. Sic misericordiam prærogasti, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti; ignoscis quidem, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia, & veritas: misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.*

Consect. 2. Peccaret pœnitens, qui injunctam a Sacerdote pœnitentiam nollet per se, sed tantum per alium exequi, vel eam in Purgatorio adimplendam remittere; tum quia sicut ipse peccati illecebras percepit, ita & ejus debet experiri amaritudinem, juxta illud Scripturæ dictum peccatori: *Et tu porta peccatum tuum*: tum etiam quia Aug. jam citatus dicit, quod Deus ignoscit peccatori *seipsum punienti*, & non sibi adblandienti; tum demum cum peccator rei personam in tribunali pœnitentiæ sustineat, ejus est obedire Sacerdoti, & non præcipere; ejus est obsequi Joanni dicenti: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*: nec penes eum est satisfactionem datam, & acceptatam in Purgatorio adimplendam remittere; satisfactio enim acceptata est de præcepto, mandata autem in hac vita, & non in altera adimplenda sunt, insuper hæc satisfactio pars est integralis sacramenti: Ergo non licet pœnitenti eam pro libito in altera vita adimplendam remittere: denique praxis Ecclesiæ semper fuit neminem ad communionem admittere, qui Sacerdoti obediens non fuisset, *& alienum de se judicium non expectaret*, ut loquitur Cypr. ep. 26.

Consect. 3. Peccat pœnitens, cui pœnitentiam injunctam, & acceptatam non diligenter exequitur, sed eam vel differt, vel minuit, vel in aliam etiam rigidiorem immutat propria auctoritate: ejus enim est obedire Sacerdoti, & subire vices rei, & non judicis: eas enim satisfactiones, quas contra voluntatem Sacerdotis, superbo potius quam pœnitenti animo subimus, rejecit Deus, ut patet ex Isai. 58. v. 3. *Quare jejunavimus & non aspexisti? Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, melior est* enim apud Deum *obedientia, quam victima.*

Consect. 4. Si pœnitens pœnitentiam injunctam oblitus fuerit, debet eumdem adire Sacerdotem, si possit, ut ab eo addiscat pœnitentiam injunctam: si Confessor impositæ pœnitentiæ non recordetur, oblivionem illam utpote culpabilem subjiciat pœnitens judicio Sacerdotis; immo si ita judicaverit Sacerdos, pœnitens suam iteret Confessionem: docet autem Antoninus tit. 14. c. 18. §. 19. id necessarium esse; sic enim loquitur. *Si ejus*, idest pœnitentiæ, *oblitus fuerit, pœnitens tenetur iterum confiteri.*

Consect. 5. Peccat pœnitens, si impositam a Sacerdote pœnitentiam excedentem, quod raro contingit, sed quod forte posset contingere, si pœnitens confiteretur solum peccata venialia, vel mortalia olim declarata, peccat, inquam, si pœnitentiam injunctam, & acceptatam non exequatur, etsi excedentem: de hoc ita D. Th. quodlib. 1. qu. 13. *Si Sacerdos*, inquit, *imponat majorem pœnitentiam, quam pœnitens facere teneatur pensata remissione, quæ facta est per vim clavium, & contritionem præcedentem, nihilominus pœnitens tenetur facere quod sibi injunctum est, si adsit facultas.*

Consect. 6. Si Sacerdos incongruam injungat pœnitentiam [illegible] præteritis peccatis parum conformem, & futuris præcavendis non satis idoneam, debet pœnitens sibi aliquas satisfactiones imponere. Ita docet D. Th. ibidem. *Peccator*, inquit, *est debitor alicujus satisfactionis dupliciter: uno modo ex injunctione Sacerdotis, alio modo ex peccato commisso: unde si contingat quod Sacerdos minorem imponat satisfactionem pœnitenti, quam sit illa, ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo, quod remittitur virtute clavium, & contritionis præcedentis, nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiat, in purgatorio exsolvet.*

Ut autem aliquam nobis efformemus ideam ejus, quam a nobis Deus exigit satisfactionem, non aliam consulamus regulam, quam Canones pœnitentiales, quibus haud dubie Deus voluit nos instruere ejus pœnitentiæ & satisfactionis, qua in hac mortali vita majestatem ejus offensam placare possumus [illegible].

Prob. 2. Non eadem semper fuit in Ecclesia in imponendis salutaribus satisfactionibus disciplina, sed diversa juxta diversas temporum rationes, & & circumstantias.

Digitized by Google

Hæc propositio non aliter probari potest, quam per quædam monita, quibus historice percurremus lapsa a Christo usque ad nos diversa sæcula.

Monit. 1. Quadruplex fuit in Ecclesia genus pœnitentiæ, scilicet, pœnitentia peccatorum mortalium, pœnitentia peccatorum venialium, pœnitentia publica, & privata.

Pœnitentia peccatorum mortalium fiebat vulgo separatione ab Eucharistia: Patres enim, ut videre est apud Aug. olim inter hom. 50. hom. 28. nunc serm. 352. triplicem tantum pœnitentiam agnovere: unam ante baptismum peccatorum quorumlibet: alteram post baptismum, eamque quotidianorum peccatorum, scilicet venialium: tertiam similiter post baptismum, sed mortalium delictorum. Porro de hac tertia pœnitentia loquens Aug. alias hom. 27. jam serm. 352. de pœnit. ait: *Est pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia pœnitentes remoti etiam a Sacramentis Altaris participandis, ne accipiendo indigne, judicium manducent, & bibant*: ideo conscii peccatorum mortalium se ab Eucharistiæ participatione separabant. Quocirca dicit Cæsarius hom. 8. *Ultro nos ipsos*, inquit, *a communione Ecclesiæ removentes*. Vel fiebat judicio Sacerdotum, ut docet Leo Epist. 92. *Mediator*, inquit, *Dei & hominum Jesus Christus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Quod adeo commune, & vulgare erat in Ecclesia, ut quibuscumque pœnitentibus extra mortis articulum non impenderetur absolutio, nisi peracta, vel in toto, vel ex parte satisfactione: ut late probat Morinus: & pœnitentibus in lecto decumbentibus absolutio impenderetur, eo tamen onere, quod si convalescerent, in ordinem pœnitentium amandarentur, ut docet Conc. Arausic. 1. c. *Quod si supervixerint, stent*, inquit, *in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant*.

Monit. 2. Pœnitentia peccatorum venialium fiebat raro per confessionem Sacramentalem, sed per varia pietatis exercitia. 1. Per orationis Dominicæ recitationem, & per pectoris tunsionem, ut docet Aug. hom. 19. ex libro quinquaginta homiliarum, ubi vocat lavacrum quotidianum. *Quod pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino nostro: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, 2. Per confessionem factam Laico, ut docent Beda: *Quotidiana*, inquit, *leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur*: in hæc verba Jacobi: *confitemini alterutrum*. 3. Demum variis aliis remediis, ut dicit Trident. sess. 14. c. 5. *Venialia peccata quamquam recte, & utiliter, citra omnem præsumptionem in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*.

Monit. 3. Pœnitentia publica ea est, quæ publice fit; solemnis vero ea est, quæ cum solemnitate ab Episcopo injungebatur vulgo initio quadragesimæ; inde remansit cæremonia cinerum, qui capitibus imponuntur. A Christo usque ad tertium sæculum non præscripta erat pœnitentiæ ratio, sed pœnitentibus manus imponebant Sacerdotes, salutares satisfactiones injungebant, quibus pœnitentes reconciliabantur. Hujus satisfactionis exemplum habemus in Corinthio incestuoso, quem Paulus tradidit Satanæ in interitum carnis; ut spiritus salvus fieret, 1. ad Cor. 5. Habemus & alterum exemplum in juvene illo latrone homicida, quem Joannes suaviter ad pœnitentiam allexit.

Tertio sæculo in Oriente pœnitentes in quatuor stationes divisi sunt, ut docet Greg. Thaumaturgus Can. ult. suæ Epist.

Primus gradus dicebatur Fletus, secundus Auditio, tertius Substratio, quartus Consistentia.

In primo stationis gradu *Flentes* erant extra Ecclesiam veste lugubri induti, cinere asperso caput, & cilicio induti. In hac statione nulla manuum impositione, aut speciali oratione perfruebantur. Hoc eis solum licitum erat, scilicet ut præ foribus templi cum fletu preces, & vota fidelium exposcerent.

In secundo stationis gradu *Audientes* erant in porticu interiori Ecclesiæ, & nulla eis concessa manuum impositione, una cum Catechumenis audiebant lectionem, & expositionem Scripturæ, qua absoluta, abibant cum Catechumenis.

In tertio stationis gradu *Substrati* erant in Ecclesia eo in loco, qui a porticu ad ambonem usque extendebatur, in quo Epistola, & Evangelium legebatur, oratio fiebat, verbum Dei annuntiabatur, ad quæ omnia substrati admittebantur, iisque substratis, & humiliatis manus imponebantur, & super ipsos orationes fundebantur.

In quarto stationis gradu *Consistentes* erant in Ecclesia eo in loco, qui ab ambone ad Sanctuarium usque extendebatur, ibi Missæ sacrificio assistebant, publicis precibus intererant, sine jure tamen oblationis offerendæ, nec Eucharistiæ percipiendæ. Post gradus illos juxta præscriptum tempus transactos sequebatur participatio mysteriorum: interdum tamen pœnitentes a gradu flentium ad substrationem absque media auditione perveniebant, Episcopis ob fervorem pœnitentiæ rigorem illum relaxantibus. Totum illud legitur in Historia Ecclesiastica; sed concise habes expressum in Conc. Ancyr. Can. 4. *Placuit eos*, inquit, *inter audientes uno anno consistere; tribus autem aliis substerni ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad perfectionem accedere*.

Octavo sæculo pœnitentia publica aliam formam suscepit. Theodorus enim Cantuariensis circa an. 680. usum pœnitentiæ redimendæ introduxit, indeque trium quadragesimarum usus in Ecclesia invaluit: postea Urbanus an. 1095. indulgentias dedit, & relaxavit pœnitentias Canonicas euntibus ad bellum sacrum ad recuperandam Jerusalem, vel ad hoc milites alentibus; cœpitque tunc absolutio ante peractam pœnitentiam impendi, quæ tamen non nisi impleta satisfactione impendenda erat, ex Conc. Tolet. III. Hinc natus est indulgentiarum usus.

Monit. 4. Pœnitentia secreta ea est, quæ secreto imponebatur his, qui erant inter consistentes, & domi diversis austeritatibus peccata sua castigabant: ea imponebatur secretis delictis, immo & publicis, his scilicet peccatoribus, qui semel pœnitentiam solemnem subierant; his enim non imponebatur pœnitentia solemnis in Ecclesia.

Prop. 3.

Digitized by Google

Prop. 3. Quantumvis diversa fuerint Ecclesiæ in imponendis satisfactoriis operibus disciplina, ea nunc esse debet Sacerdotum praxis, ut eas satisfactiones imponant, quæ & præterita peccata puniant, & futuris medeantur, & scandalum datum Ecclesiæ, damnumve illatum proximo reparent.

Prob. 1. Script. *Facite ergo*, inquit Joannes, *fructus dignos pœnitentiæ*: Matt. 3. v. 8. Ergo satisfactio debet esse peccatis conveniens.

2. Ex Patribus, inter quos Cypr. lib. de lapsis sic loquitur: *Pœnitentia crimine minor non sit*. Et Hieron. Epist. 1. ad Susan. *Necessaria est pœnitentia quæ aut æquet crimina, aut certe excedat*. Ergo satisfactio imposita a Sacerdotibus debet esse commissis peccatis conveniens.

3. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 8. ubi hæc leguntur. *Habeant autem*, inquit, Confessarii præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, *non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Ergo ex Conc. satisfactio imposita debet esse, 1. novæ vitæ custodia, 2. futuri lapsus cautio, 3. utriusque tam præteriti, quam futuri peccati remedium, & demum præteriti peccati vindicta, quæ includit reparationem damni, & scandali, si quod intervenerit.

4. *Rat*. Talis debet esse etiam nunc satisfactio, qualis jure naturæ exigitur; jus enim naturæ est immotum, neque per varium Ecclesiasticæ disciplinæ usum variari potest: Atqui jure naturæ exigitur, ut satisfactio pro peccatis puniat peccata præterita, impediat futura, cum satisfactio sit solutio peccati præteriti, & medela futuri: & quod scandalum datum Ecclesiæ, & damnum illatum proximo reparet; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest. Ergo satisfactio etiam nunc talis debet esse, ut præterita peccata puniat, futuris medeatur, scandalum datum Ecclesiæ, damnumve illatum proximo reparetur. Cui doctrinæ concordat Aug. ep. 54. olim, nunc 153. *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat, eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadet*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Prima satisfactio, quæ imponenda est pœnitenti, est aliqua vivendi ratio, qua novum vitæ genus, quod pœnitendo inchoavit, diu & perseveranter custodire valeat: de quo Paul. ad Col. 3. v. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum*. Exponique debet pœnitenti, quid juxta phrasim Pauli significent hæc verba: *Mori peccato ... vivere justitiæ ... hab.re spiritum* Christi ... *conversari digne Evangelio Christi*: &c.

Hæc ergo nova vita interdicit primo usum eorum omnium, quibus Deum infeliciter offendimus. *Hæc enim est*, inquit Aug. *justissima pœna, ut amittat quisque, quo bene uti noluit*. 3. de lib. a. c. 18. hinc est, quod Adam figura pœnitentium, de Paradiso, quo abusus fuerat, ejectus est, ut sciamus nos sponte nobismetipsis debere ea interdicere, quibus nimium adhærentes in Deum peccavimus: hinc est etiam, quod Ecclesia Clericos in peccatum lapsos ab usu officii deponeret. Interdicit secundo usu etiam eorum, quibus sponte privati Deum juste iratum placare possumus. *Qui enim illicitorum veniam postulat, oportet ut a multis etiam licitis abstineat*, v. g. ab usu conjugii, a militia, a negotiatione &c. Leo ep. 29. Tertio hæc nova vita exigit, ut pœnitens, quantum in ipso est, tantum pro Deo impendat quantum pro sæculo terrenorum bonorum consumpsit; tantumque pro æterna salute laboret, quantum pro temporali felicitate curarum impendit: v. g. tantum temporis impendat orationi, quantum consumpsit voluptati: tot expendat opes in eleemosynis, quot in ludis, in comœdiis, aliisque vanis rebus insumpserat: demum tantus sit in maceranda carne, quantus in deliciis fuit. De quo ita Paulus ad Rom. 6. v. 19. *Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*.

Consect. 2. Altera, quæ imponi debet homini peccatori pœnitentia, est satisfactio vindex peccati præteriti; de fide enim est, ut habetur in Trid. sess. 14. can. 13. quod pœnitentia non sit tantum nova vita: *Si quis dixerit*, inquit, *optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit*. Puniat ergo peccator vitam suam præteritam oportet, vel flagellis, quæ veniant a Deo, vel quæ ab ipso sponte suscipiantur, vel quæ ei a Confessario injunguntur; tribus enim illis modis Deo satisfacere possumus. *Docet præterea* sancta Synodus, inquiunt Patres Trid. *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus*. Sess. 14. c. 9.

Quando infliguntur a Deo flagella temporalia, v. g. paupertas, morbi &c. tunc dicendum cum Mich. 7. v. 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus*; & cum Paulo: *Cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Ideo docet Basil. Reg. 55. bonum esse hujusmodi mala temporalia multo conatu non avertere.

Quando sponte nobismetipsis voluntarias satisfactiones imponimus, eas humiliter subeuntes speremus id quod promisit Paul. 1. ad Corinth. 11. v. 31. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*.

Quando vero injunguntur a Sacerdote satisfactiones, audenter sperare possumus pœnas illas humiliter toleratas in locum substitui earum pœnarum, quas Deus nobis justo judicio destinavit; judicium enim Sacerdotum est divini judicii vicarium, ut passim docet Tertullianus.

Consect. 3. Tertio satisfactio, quæ pœnitenti imponenda est, debet esse medicinalis; adhibenda enim sunt, ut docet Greg. medicamenta contraria peccatis. *Cælestis medicus*, inquit, *singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta: nam sicut*

arte

Digitized by Google

arte medicina callida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem. Hom. 31. in Evang. ergo ad exemplum supremi illius medici injungenda est blasphemis oratio, non solum sero, & mane coram tota familia, sed etiam certo alio tempore fundenda, ut ea interna mentis & externa corporis subjectione Deum cunctis rebus superiorem agnoscant, & scandalum, quod intulerunt familiae, reparent; ad exemplum Pauli, qui, ut ipse ait, ante conversionem suam *blasphemus fuit, persecutor & contumeliosus*. 1. ad Tim. 1. v. 13. sed haec omnia ejuravit, & multis in Christum obsequiis compensavit. Eisdem injungi debent silentium, quoties non urget loquendi necessitas, tolerantia detractionum & maledictorum. Cujus duplicis exercitii exemplum dedit David poenitens; *Posui*, inquit, *ori meo custodiam*: & rursus, *in me psallebant qui bibebant vinum, ego autem orabam*. Eisdem injungi possunt exteriora quaedam humilitatis exercitia, puta, frequens genuflexio, deosculatio terrae, & humilis erga Deum in eo statu prostratio; ad exemplum illustrium poenitentium, qui in Ecclesia prostrati orabant, vel ad exemplum publicani dicentis: *propitius esto mihi peccatori*.

Sic his, qui mysteria fidei ignorant, injungendum, ut una cum iis, qui curae eorum subsunt, Catechismis intersint; ad exemplum Cornelii, qui una cum famulis suis avide audire cupiebat a Petro verbum Dei. *Nunc ergo*, inquit, *omnes in conspectu tuo adsumus audire omnia quaecumque tibi praecepta sunt a Domino*. Act. 10. v. 33.

Sic iis, qui sabbata, & festos dies violant, si quid servile illis diebus fecerint, injungi potest, ut ea, quae opere isto lucrati sunt, & aliquid amplius pauperibus erogent, ad exemplum Israelitarum, qui in poenam violati sabbati haec habent lib. 2. Esth. c. 10. v. 32. *Et statuemus super nos praecepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri*.

Sic ii, qui Missae adesse neglexerunt, jubeantur interesse omni officio Ecclesiae, v. g. Missae parochiali, vesperis, completorio, praedicationi, & aliis piis operibus, & exercitiis, quae in conventu Ecclesiastico fiunt, ad exemplum fidelium Troadis, qui libenter audiebant verbum Dei, & conventui Christianorum assistebant, quamvis Paulus sermonem protraheret usque ad mediam noctem. Act. 20. v. 1.

Sic luxuriosus injungi potest abstinentia a carnibus, a vino; & praecipi poterit dormitio super ligna, disciplina, cilicium, solitudo, & labor corporalis, ut docet Clymacus gradu 26. n. 27.

Sic ebriosis aqua pura in potum praecipienda erit. *Nolite*, inquit Apost. *inebriari vino, in quo est luxuria*, modicum tantum vinum erit permittendum, jejunia injungenda, & interdicenda convivia.

Sic usurariis, & latronibus praeter alieni restitutionem, imperanda est proprii boni largitio, ita Luc. 19. Zachaeus: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem fraudavi, reddo quadruplum*.

Sic iis, qui animo inter se offensi sunt, praeter reconciliationem, quae absolutionem semper praecedere debet, praecipi potest oratio certis diebus pro inimicorum conversione, effusa, & specialis ad Deum postulatio, qua deprecentur, ut bene sit inimicis suis & in spiritualibus, & temporalibus. Paulus enim vult Christianos pro Regibus orationes fundere etiam eo tempore, quo Reges Ecclesiam persequebantur.

Consect. 4. Quarta, quae imponi potest pro futuro peccato medicinalis poenitentia, est fuga occasionum, sive per se, sive per accidens pellicientium ad peccatum, & eradicatio pravorum habituum inclinantium ad actus vitiosos. De utroque isto casu agemus infra, ubi de differenda absolutione; sed interim abs re non erit hic & justos, & peccatores poenitentes recensere, qui a peccandi occasionibus longissime recesserunt, ut eorum exempla Sacerdotes poenitentibus proponant, & isti eorum exemplo cautiores evadant. Sic Adam, primus peccator, & primus poenitens, e paradiso, ubi peccaverat, ejicitur. Sic Abraham vocatus a Deo de terra sua, & de cognatione sua, ubi facile in idololatriam labi potuisset, etsi justus, jubetur egredi. Sic Loth ab impiis Sodomitis, qui eum potuissent pervertere, quasi invitus ab Angelis eripitur. Sic Agar, & Ismael ab innocente Isaac, cum quo Ismael non sancte se gerebat, separantur. Sic Jacob profanum Esau, qui idololatras uxores duxerat, ne eum imitetur, fugere cogitur. Habes in Moyse, in Samsone, & demum in integra Judaica gente, quam necessarium sit ad tuendam innocentiam tollere omnino vel minimum commercium cum iis, qui possunt nos ad peccatum pellicere. Moyses ab aula Pharaonia egreditur, & magis eligit affligi cum populo Dei, quam temporalis delicti habere jucunditatem. Samson vi Nazaraeatus obligatus vinum non bibere, non modo a vino, & sicera abstinet, sed a vineis etiam, ubi erant racemi, longe recedit. Tota gens Judaica inhibetur matrimonia cum Gentilibus contrahere; ne inquit Scriptura, tali societate corrumperetur. *Non ingrediemini*, ait, *ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda, ut sequamini Deos earum*. Quod patet exemplo Salomonis, de quo ita textus sacer: *His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore*. 3. Reg.

Nec minorem in novo Testamento adhibuerunt cautionem quotquot vere conversi sunt peccatores; parem, immo majorem in fugiendis periculosis occasionibus invenies diligentiam. Petrus piscator ad piscationem rediit; quia ea ars nihil habebat periculi, sed Matthaeus ad Telonium, ubi occasio peccandi occurrisset, non rediit. Petrus interrogatus ab ancilla Christum negat; ubi a Christo respicitur, egreditur foras, & flevit amare. Magdalena ut cognovit saeculi vanitatem, eam impigre deserit. Paulus, qui tanto zelo Judaismum tuitus fuerat, post conversionem deserit Mosaicam legem, quam acriter impugnat. Gentiles conversi quo zelo libros Idololatriae in ignem conjiciunt, ne eorum lectione pervertantur? Pagani quot delubra, quot statuas, quot idola, quot demum artis fusoriae, & architecturae miracula destruxerunt, ut nullum superesset idololatriae vestigium, quo ad pravam & antiquam vivendi consuetudinem infeliciter redirent, quod coluerant combusserant, & quod

Digitized by Google

& quod combusserant coluerunt? Sacerdotes idem pœnitentibus suis injungant.

Consect. 5. Quinta, quæ imponi debet pœnitentibus satisfactio, est scandali, si quod ortum sit ex peccato, reparatio; de quo ita Trid. sess. 24. c. 8. de ref. Apostolus, inquit, *monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque non sit dubitandum, huic condignam pro culpa pœnitentiam publicam injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, sua emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publice hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Ex quo facile intelligi potest, Confessarium non debere auctoritate sua publicam imponere pœnitentiam, sed necessum esse, ut in hujusmodi casibus Episcopum consulat, & ab eo, quid sit opus facto, addiscat, ut & Ecclesia, quæ scandalum passa est, salutari satisfactione ædificetur, & ut pœnitens, qui publice lapsus est, vehementiori quam par est tristitia non absorbeatur.

Ceterum peccatum publicum illud est, non quod vago populi rumore ventilatur, rumor enim populi tam ficti, quam veri tenax est; sed illud peccatum censetur vere publicum, quod vel evidentia facti, vel confessione publica ipsius rei, vel convictione, seu quando ipse ut reus declaratus est in judicio sæculari, vel Ecclesiastico. Quando autem peccatum est vel uno ex illis tribus modis, tum juxta Episcopi directionem satisfactio publica injungenda est; si vero solo populi rumore divulgetur, privatim monendus est peccator, ut scandalo remedium afferat. Si ex sola privata confessione crimen sit notum, debet denegari Sacramentalis absolutio; Eucharistia vero, & alia Sacramenta, si publice petantur, non debent negari, bene tamen, si petantur privatim.

Consect. 6. Peccatoribus, qui aliquod intulerunt damnum proximo vel in vita, vel in honore, vel in bonis fortunæ, injungenda est restitutio, quæ regulariter loquendo prius facienda est quam absolvatur. Quocirca ita Confessarios præmonet Catech. Trid. de satisf. n. 79. *Nemo*, inquit absolvendus est, *nisi prius, quæ cujusque fuerint, restituere polliceatur. At quoniam multi sunt quibus etsi prolixe pollicentur se officio satisfacturos, tamen certum est, ac deliberatum numquam promissa exsolvere, omnino hi cogendi sunt ut restituant; sæpeque illud Apostoli eis inculcandum, ut qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* Si autem non possit statim fieri restitutio, si nullum sit diffamationis periculum, peti potest relaxatio debiti, vel dilatio solutionis ab eo, cui debetur; ita S. Th. dist. 2. q. 62. a. 9. & Aug. ep. 124. interim tamen, si vere contritus sit, potest absolvi.

Consect. 7. Injungendum est pœnitenti, ut Sacrificio Missæ frequenter intersit, ut saltem quolibet die, si commode possit, cum magna cordis compunctione, & longe remotus ab Altari, fiat huic tremendo Sacrificio præsens, & humiliter, & confidenter cum publicano dicat: *Propitius esto mihi peccatori: offertur enim Missæ Sacrificium pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, & satisfactionibus.* Trid. sess. 22. c. 2. Utile esset, si commode fieri posset, præsente pœnitente offerri sacrificium pro eo, sicut olim solitum erat, *ut per Sanguinem Christi*, inquit Ambr. *fiat remissio peccatorum*, Lib. 2. de pœnit. c. 3. Et Robertus Pullus, par. 7. c. 17. sic habet: Regeneratione autem peracta, sicut post confessionem, oblatio solet fieri Deo, ut bene cœpta perficiantur. Hujusmodi autem debent fieri a fidelibus, non tamen a Sacerdotibus extorqueri... quid enim est Missarum solemnia cum intuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere? Quomodo audienda sit Missa, diximus ubi de præceptis Ecclesiæ.

Consect. 8. Injungendum est pœnitenti, ut quantum in ipso est, piis operibus nitatur Deo offenso satisfacere, sed insufficientiæ propriæ conscios ad Indulgentias ab Ecclesia misericorditer concessas fidens, & devotos recurrat. Ea enim indulgentia usus est Paulus erga Corinthium incestuosum 2. ad Corinth. *Non quod dignus sit*, inquit Chrysostom. hom. 4. in 2. Cor. *neque quod sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quod infirmus sit.* Ea utebantur antiqui Episcopi erga pœnitentes, vel infirmos, vel in pœnitendo, & satisfaciendo ardentiores, ut docet Conc. Ancyr. ubi cap. 5. determinatur, quod Episcopus *humanius agens secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviare, aut etiam prolixius, quod correctioni necessarium viderit, addere possit.* Eadem usi sunt gratia summi Pontifices erga eos, qui pro recuperanda Jerusalem militiæ nomen suum dederant. Quamquam autem frequens sit modo in Ecclesia indulgentiarum usus, Clemens VIII. docet de *hujus thesauri consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod quando plures ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum:* sed hortandi sunt dumtaxat fideles, ut pie, & salubriter utantur tam benigno adminiculo, quo Deo satisfaciant. Quod quidem fructuose facient, si instruantur a Sacerdote, quo pacto utendum sit indulgentiis, non quidem opera satisfactoria & pœnalia omittendo, sed ea ardentius amplectendo: non enim dantur indulgentiæ, *ut disciplina Ecclesiastica enervetur*, ut loquitur Trident. sess. 25. cap. 5. sed ut fideles fiant ad serviendum Deo alacriores, dum vident suam ad satisfaciendum Deo offenso insufficientiam, tam copioso thesauro adjuvari, immo aliquando omnino suppleri; ut enim docet D. Thom. tantum valent indulgentiæ, quantum sonant, cum adhibentur requisita. *Ad applicandum*, inquit, indulgentiarum *thesaurum, requiritur auctoritas conferentis, & caritas suscipientis. & causa pietas; quibus tribus concurrentibus indulgentia tantum valent, quantum prædicantur.* In 4. dist. 20.

Consect. 9. Injungi possunt pœnitenti non modo opera pœnalia indebita, sed etiam debita, qualis est diligens observantia præceptorum Dei, & Ecclesiæ, & officiorum ejus conditionis, in qua vivit pœnitens, vidimus enim Paulum eam præcipue Corinthiis & Ephesiis præscribere vivendi rationem, ut in eo vitæ statu, in quo vocati sunt fide-

fidelis permaneant. *Unusquisque*, inquit, *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: servus vocatus es? non sit tibi cura; sed & si potes fieri liber, magis utere* ad tuam sanctificationem, & peccatorum satisfactionem eo abjectionis statu. 1. ad Cor. 7. v. 20. Et ad Ephesios sic habet: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate.* Ad Eph. 4. v. 1. Quæ quidem mire ad satisfaciendum Deo pro peccatis inservire possunt. Quem certe satisfaciendi modum Ecclesia non improbat; immo ut a Sacerdote imponatur desiderat, dum in precibus, quæ in absolutione adhibentur, hæc adjungit: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum.* Hæ sunt præcipue satisfactiones, quæ peccatoribus imponi debent; sed cavendum imprimis, ne multitudine, & diversitate oneretur pœnitentis memoria: seligenda sunt a prudente Confessario quæ ad salutem pœnitentis judicabuntur magis necessaria; sed imprimis quod in sequenti consectario dicturi sumus, menti pœnitentis erit infigendum.

Consect. 10. Præcipua, semperque insinuanda pœnitentium mentibus satisfactio, est humilis erga Deum subjectio, qua interius sentiant se nihil posse sine gratia, quam proinde enixe postulent necessum est: de hoc ita Aug. *Ad peccandum namque non adjuvamur a Deo; justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte adimplere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus aversusque discedat; ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, nisi illa adjuvarit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est: & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit; sed etiam, ut convertamur, ipse adjuvat; quod certe oculis corporis lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet dicens*: convertimini ad me, & ego convertar ad vos; *nosque illi dicimus*: converte nos Deus sanitatum nostrarum, & Deus virtutum converte nos; *quid aliud dicimus, quam da quod jubes? Cum jubet dicendo*: intelligite ergo, qui insipientes estis in populo; *& nos illi dicimus*: da mihi intellectum, ut discam mandata tua; *quid aliud dicimus, quam, da quod jubes? Cum jubet dicendo*: post concupiscentias tuas ne eas; *nosque dicimus*: nemo potest esse continens, nisi Deus det; *quid aliud dicimus, quam, da quod jubes? Cum jubet dicendo*: facite justitiam; *nosque dicimus*: doce me justificationes tuas; *quid aliud dicimus, quam, da quod jubes?* De peccat. meritis & remiss. lib. 2. cap. 5. Cum ergo Sacerdos aliqua injungit pœnitenti, instruat, quantum potest, ut gratiam a Deo enixe precibus postulet, lacrymis obsecret, gemitibus exoptet, eleemosynis, & jejuniis consequatur: & ipsemet Sacerdos eum in tam urgenti necessitate non deserat, sed ad exemplum Pauli Christo supremo pastori pœnitentes, quos dirigit, commendet.

§. IV. *De Absolutione.*

A quibus, & quibus impendi debeat absolutio.

Nota. Potestas conferendi Sacramentum pœnitentiæ est duplex: potestas Ordinis & potestas jurisdictionis. Potestas *Ordinis* nihil aliud est, quam character sacerdotalis cum modo extensionis ad Corpus Christi mysticum, seu ad fideles, *in quos hæc potestas exerceatur*. Potestas *jurisdictionis* est auctoritas, quam habet Sacerdos in filios fideles sibi subditos, quos potest absolvere a peccatis. Potestas *jurisdictionis* est duplex: ordinaria, & delegata. Potestas jurisdictionis *ordinaria* est ea, quæ habetur ex vi beneficii, cui annexa est cura animarum: talis est potestas Papæ in tota Ecclesia, potestas Episcopi in tota sua Diœcesi, potestas Parochi in sua Parochia, potestas Abbatis in sua Abbatia, potestas Superioris Religiosi in suo Monasterio, potestas Patriarchæ, vel Archiepiscopi in suo Patriarchatu, & Archiepiscopatu, tempore visitationis, vel in casu appellationis ad ipsum. Potestas *jurisdictionis delegata* est auctoritas, quam quis habet ex delegatione legitimi Superioris: v. g. potestas quam habet Legatus a Papa, Sacerdos ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, vel a Capitulo, sede vacante.

Approbatio non est collatio jurisdictionis, sed deputatio personæ ad audiendas confessiones. *Reservatio* est denegatio jurisdictionis circa aliquod peccatum, quod sibi Superior reservat judicandum.

Prob. 1. Solus Episcopus, vel Sacerdos habens jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, potest valide absolvere a peccatis: nullus alius sive laicus, sive Clericus, sive sæcularis, sive regularis, in quacumque dignitate sit constitutus, potest valide absolvere a peccatis.

Prob. 1. Scriptura. Hæc verba, *quorum remiseritis peccata*, & hæc verba, *quodcumque solveritis super terram*, dicta sunt solis Apostolis, & Discipulis Domini, & eorum successoribus: ergo soli Episcopi, soli Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, possunt absolvere a peccatis; quia illi soli repræsentant Apostolos, vel Discipulos Domini.

2. Ex Patribus. Chrysostomus de Sacerdotio cap. 5. ait: *Quod Sacerdotibus data est potestas, quæ neque Angelis, neque Archangelis, neque Principibus terræ data est; quia illis non est dictum: quorum remiseritis peccata.* D. Ambrosius de pœnitentia cap. ait: *Jus hoc*, scilicet absolvendi, *solis permissum est Sacerdotibus*. Et Leo I. epist. 91. ait: *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri.* Ergo soli Episcopi & Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam vel delegatam, possunt absolvere.

3. Ex Conciliis. Concilium Trid. sess. 24. cap. 5. sic habet: *Declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas Doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosissime extendunt.* Ideo damnata est hæc VVicleffi propositio: *Omnes fideles, etiam Laici, habent claves ad ligandum, & solvendum*; ergo soli Episcopi, vel Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, possunt absolvere a peccatis.

4. *Rat.*

4. *Rat.* Judicium non exercetur indiscriminatim ab omnibus membris Reipublicæ, sed solum a judicibus, qui in alios potestatem exerceant, iisque jus dicant, seu leges imponant, ut patet in omni Republica bene ordinata, alias omnia confunderentur, & nulla esset distinctio inter eos, qui judicant, & qui judicandi sunt: atqui soli Episcopi, & Sacerdotes habentes jurisdictionem ordinariam vel delegatam sunt judices in Ecclesia, quia illis solis in persona Apostolorum, & Discipulorum dictum est, *quorum remiseritis peccata* &c. ergo illi soli possunt valide absolvere a peccatis. Et sicuti olim, ut habetur Lev. 13. Sacerdotes, qui erant in ministerio, distinguebant inter lepram, & lepram, eamque mundabant; ita nunc soli sacerdotes, qui habent jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, possunt valide judicare de lepra interiori, seu de peccato, & nos ab ea lepra mundare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nullus Laicus, quantacumque dignitate fulgeat, doctrina polleat, sanctitate ornetur, absolutionem Sacramentalem potest valide impendere; Episcopo enim soli, vel sacerdoti in persona Petri dictum est, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc autem verba, *dic Ecclesiæ*, si de Episcopis, sacerdotibus, & Laicis conjunctim dicta intelligantur, ut volunt quidam Patres, ita interpretanda sunt, ut Laici remittant peccata per orationem; Episcopi vero, & sacerdotes per absolutionem judicialem, ut exponunt Patres supra citati.

Quod si Laici aliquando absolutionem dedisse legantur; eisque facta sit confessio, ut multis probat Gratianus de consec. dist. 4. can. 36. & de pen. can. *Quem pœnitet*, ea confessio, eaque absolutio non fuit *Sacramentum*, inquit D. Th. defectu legitimi Ministri, *sed solum quædam cæremonia Sacramentalis*, quatenus & confitens, & absolvens id imitabantur, quod fit in Sacramento pœnitentiæ. In 4. dist. 17. q. 3. a. 3. Quod adeo verum est, ut Mart. V. dicat: *Quod neque beata Virgo Deipara hanc habuerit potestatem; propterea quod ea potestas nec sanctitatem requirat, nec ab ea dependeat.*

Sic si quis Laicus, simulans malitiose se esse sacerdotem, audiat confessiones, & impertiatur absolutionem, quamvis sit ignorantia inculpabilis ex parte pœnitentis, & error communis, ea absolutio tamen est nulla; quia potestas Ordinis non confertur simulato huic sacerdoti per titulum illum coloratum, etsi ab omnibus reputatum ut verum: potestas enim Ordinis confertur solum in ordinatione per Episcopum facta. Et quamvis tunc pœnitens ob bonam fidem excusetur a peccato, quod committeret, si sciens Laicum adiret, ut ab eo absolveretur; tamen ubi cognovit nullam esse absolutionem sibi datam a Laico, tenetur iterum peccata, quæ confessus est Laico, sacerdoti approbato confiteri, ut ab eis absolvatur, cum antea ab his non fuerit absolutus.

Sic pariter si quis non baptizatus, vel non ordinatus, & proinde nullatenus verus Sacerdos, putans tamen errore invincibili se esse Sacerdotem, audiat confessiones, & impertiatur absolutionem, ejus absolutio est nulla; quia non est vere Sacerdos: quamvis, ut jam dixi, pœnitens excusetur ob bonam fidem; tamen ubi illud didicerit, tenebitur iterum confiteri vero Sacerdoti approbato. Ea doctrina colligi potest ex simili casu, de quo ita D. Th. supp. q. 8. a. 2. ad 3. *Quamvis*, inquit, *ille confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei, sicut potuit, implevit; non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est . . . ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit.*

Consect. 2. Nullus clericus in quatuor minoribus Ordinibus constitutus, nullus Diaconus, nullus Subdiaconus in sacris constituti, quodcumque Beneficium in Ecclesia obtineant, possunt valide confessiones audire, vel absolutionem Sacramentalem impendere; illis enim non est dictum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Si autem pœnitentes apud Cyprianum epist. 13. exomologesim fecisse dicantur in manibus Diaconorum, & ab eis impositionem manuum accepisse, & ab eisdem jubente Episcopo communionem fuisse impertitam, ut constat ex Eliberitano Concil. can. 32. nunquam tamen legitur eos Diaconos absolutionem Sacramentalem impendisse; ea enim absolutio, quæ ab illis impendebatur, Sacramentalis non erat, sed erat solum vel absolutio a censuris, qua pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ, vel erat sacræ Eucharistiæ collatio, quæ adhibitis precibus poterat dari a Diaconis, cum hoc Sacramentum datum fuerit per puerum Serapioni, ut dicit Eusebius lib. 6. cap. 44.

Consect. 3. Simplices Sacerdotes sive sæculares, sive regulares, in quacumque sint dignitate constituti, si nullam habeant jurisdictionem nec ordinariam, nec delegatam, nequeunt valide confessiones audire, nec Sacramentalem absolutionem impendere: ut expresse docet Trident. sess. 14. cap. 7. *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.*

Sic solus Papa in tota Ecclesia, solus Episcopus in tota sua Diœcesi, solus parochus in sua parochia, solus Abbas in sua Abbatia, solus prior Regularis in suo prioratu subditos sibi fideles in tribunali pœnitentiæ audire, & absolvere possunt; quia habent jurisdictionem ordinariam. Sic soli Sacerdotes legitime, & a legitimo Superiore approbati possunt subditorum sibi fidelium confessiones audire, eisque absolutionem impendere; quia circa eos habent jurisdictionem delegatam.

Sic nullus Doctor licentiatus, quantumvis alioquin de eruditus, potest ex vi sui gradus confessiones audire, aut absolutionem impendere: quia doctoratus nec dat jurisdictionem, nec approbationem.

Sic nullus Sacerdos sive sæcularis, sive regularis non approbatus de facto, sed tantum conditionaliter approbandus, etsi sciat quod Superior, v. g. Episcopus, optaret, ipsum audire confessiones in sua Diœcesi, & quod pro rato habiturus esset, quod faceret in tribunali pœnitentiæ, nullus, in-

quam,

quam, talis potest valide confessiones audire, & absolutionem impendere; quia ex Trid. Confessarius esse debet *approbatus*, & non solum *approbandus*; & approbatio jurisdictionis est actus, qui exercetur non per conditionale desiderium, sed absolutam deputationem.

Sic Sacerdos sive regularis, sive sæcularis, cui denegatur approbatio etiam injuste ab Episcopo, non potest valide confessiones audire, nec absolutionem impendere; Concilium enim requirit, ut non solum approbatio petatur, sed ut de facto obtineatur: ita enim habet sess. 23. c. 15. *Quamvis*, inquit, *Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ipsis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis debet concedi, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Illud idem patet ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, data die 12. Septemb. 1628. quæ revocat omnia privilegia in contrarium.

Sic Regulares non approbati ab Episcopo, aut non parochi, etsi casus Papales habeant, nisi ab Episcopo loci approbentur, nequeunt valide confessiones audire, & absolutionem impendere. Ita breve Innoc. X. editum die 14. Majii an. 1648. quo respondens Regularibus, qui confessiones personarum sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ejus licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente; statuit posse Episcopum vi Constitutionis Greg. XV. quæ incipit *Inscrutabili*, tamquam Sedis Apostolicæ delegatum administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis eisdem regularibus interdicere, eosque juris remediis coercere ac punire. Idem confirmavit Alexander VII. Brevi edito die 26. Februarii 1659. ad Episcopum Andegavensem, quo damnat propositiones, in quibus dicebatur, Regulares non indigere approbatione Episcopi, & illis semel ab Episcopo approbatis, non posse revocari approbationem, neque limitari, & ab uno Episcopo semel approbatos censeri ab omnibus approbari.

Consect. 4. Jurisdictio ordinaria mensurari debet juxta qualitatem officii, cui annexa est jurisdictio ordinaria; quia jurisdictio est quasi accessorium beneficii: ergo mensuratur juxta naturam beneficii; quia accessorium sequitur naturam principalis. Sic alia est jurisdictio ordinaria Papæ, alia Episcopi. Papa habet jurisdictionem in tota Ecclesia, sed eam per alios non exercet in tribunali pœnitentiæ, nisi accedente Ordinariorum approbatione.

Episcopus potest ipsemet omnes absolvere, nec nisi illo approbante quisquam in ejus Diœcesi pœnitentem absolvere potest. Episcopus Diœcesanis omnibus inhibere potest, ne data opera Sacramentum pœnitentiæ a quibuscumque Sacerdotibus ab ipso non approbatis accipiant, sive regulares, sive sæculares sint illi Sacerdotes, & ab illis datas potest irritas declarare: ita Conc. Mediol. IV. *Qui ad Confessarium etiam regularem*, inquit, *in aliena Diœcesi commorantem dedita opera se conferens peccata sua sit confessus, nisi Confessarius ille ab Episcopo loci, & pœnitentis Ordinario, & ad confessiones audiendas probatus erit, ei tamquam inconfesse parochus Eucharistiæ Sacramentum ne præbeat.*

Parochus vero jurisdictionem habet in parochia in eos solum, qui sibi subditi sunt: potest v. g. ovibus suis licentiam dare recurrendi ad alios parochos, vel Presbyteros ab Episcopo ejusdem Diœcesis approbatos; sed ipse non potest dare licentiam audiendi confessiones sacerdoti non approbato: non potest etiam Presbyteros approbatos pro alia parochia, immo nec parochos alterius parochiæ advocare, ut in sua parochia confessiones audiant, nisi consentiente Episcopo; forte enim contingeret, quod advocaret eos, quos Episcopus idoneos non judicaret: non potest etiam mittere oves suas ad parochos alterius Diœcesis, nisi ab Episcopo parochi mittentis, & ovium missarum sint approbati: quin etiam non potest parochus alterius parochi oves absque illius licentia audire; alias nulla erit confessio, & absolutio: & hæc confessio iteranda erit, nisi forte pœnitentes peregrini sint, vel in ea parochia bona fide commorentur. Ea omnia educuntur ex istis Trid. verbis: *Nullius momenti ea absolutio est, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem*: qui autem in prædictis casibus absolvit, nec ordinariam, nec delegatam habet jurisdictionem.

Notandum, quod hic jus commune pastoribus describimus, quo quilibet suas oves debet agnoscere, & pascere exclusis aliis pastoribus; sed quilibet pastor potest suarum ovium curam cum aliis pastoribus idoneis communicare ad libitum, pro modo tamen suæ auctoritatis: quare si usus contrarius, pastoribus notus, iisdem non contradicentibus, invaluerit, aliter hac de re sentiendum erit, & judicio Episcopi standum.

Jurisdictio Patriarchæ, aut Archiepiscopi talis est, ut non exerceatur, nisi vel tempore visitationis, vel in casu appellationis ad ipsum.

Jurisdictio Abbatis, aut prioris claustralis talis est, ut non exerceatur nisi erga regulares sibi subditos; minime vero erga sæculares, aut laicos, aut sacerdotes, ut diximus ex Trid. sess. 23. c. 15.

Consect. 5. Jurisdictio delegata mensurari debet juxta terminos delegationis, & approbationis: approbatio autem potest dari vel absolute ad omnes, vel relative ad aliquos tantum, vel sine ulla restrictione, vel cum restrictione tum in ordine ad locum, tum in ordine ad personas, tum in ordine ad tempus; approbatio enim relinquitur judicio Episcoporum, ut patet ex Trid. sess. 23. c. 14. *Decernit*, inquit, *sancta Synodus, nullum etiam regularem posse sæcularium confessiones, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari ... nisi approbationem, quæ gratis debet concedi, obtineat.*

Sic sacerdotes tam regulares, quam sæculares habentes solum jurisdictionem delegatam, non possunt, nisi juxta terminos delegationis, & approbationis, confessiones audire: v. g. nequeunt neque sacerdotes, neque Laicos sæculares, nisi ad id approbentur, absolvere. Dixi sæculares; nam

de

Digitized by Google

de regularibus audiendis aliter est judicandum, ut mox dicetur.

Sic Vicarii sive sint Sacerdotes sæculares, sive regulares, si sint tantum approbati pro certa Parochia, non possunt in alia parochia confessiones audire, immo nec oves alterius parochiæ excipere, nisi in ea parochia peregrinantes sint, & sine fraude accedant: quod si fuerint tantum pro annexa Ecclesia approbati, non possunt oves parochiæ principalis audire. Sic confessio etiam extra tempus Paschale valide fieri non potest ulli presbytero absque licentia parochi, si ille presbyter non est approbatus absolute, sed tantum ad confessiones audiendas accedente consensu parochi; quia tunc necessarius est consensus parochi. Sic approbatus ad audiendas confessiones sæcularium non est approbatus ad audiendas confessiones Monialium, & approbatus pro uno Monasterio non est approbatus pro alio: ita determinavit Alexander VII. Ceterum hæc praxis non est conscientiarum tortura; si enim aliqua causa sit non confitendi parocho, aut designato a parocho, licentia debet dari ab Episcopo confitendi alteri, ut docet D. Th. supplem. q. 8. art. 4. ad 6. *In hoc*, inquit, *quod oportet proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens via ad salutem statuitur; peccaret autem Sacerdos si non esset facilis ad prabendam licentiam alteri confitendi; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Accedit, quod sunt pœnitentes, qui multum possent proficere in via perfectionis, si a certis Confessariis dirigerentur, qui que ab ea perfectione retardantur, si prohibeantur apud illos Sacerdotes confiteri.

Consect. 6. Sacerdotes sive jurisdictionem ordinariam, sive subdelegatam habentes, non possunt valide absolvere a casibus, quos sibi Episcopus reservavit, nec Episcopus ab his, quos sibi Papa retinuit; ea enim semper fuit Ecclesiæ praxis, ut inferiores judices nihil temere sine approbatione Episcopi facerent. *Presbyter*, inquit Conc. Carthag. III. Can. 42. *inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Quam antiquam disciplinam Trid. confirmat his verbis: *Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* Sess. 14. c. 7. unde concludit, & Papam pro bono totius Ecclesiæ, & Episcopos pro bono suæ Diœceseos, non quidem in destructionem, sed in ædificationem posse sibi reservare aliquos casus, quæ reservatio nedum in externa politia, verum etiam coram Deo valeat; & postea ad nostram omnium consolationem hæc addit. *Verumtamen*, inquit, *pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem semper Ecclesia Dei custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Et ad majorem, & distinctiorem de casibus reservatis doctrinam addit: *extra quem articulum* mortis, *Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant:* quæ reservatio ita stricte observanda est, ut ex Constitutione Clementis X. quæ incipit *Superna magni*, ille, qui habet privilegium absolvendi a casibus Papæ reservatis, non possit absolvere a casibus Episcopo reservatis.

Sunt tamen casus, in quibus potest absolvi pœnitens etiam a reservatis.

1. In casu mortis potest quilibet sacerdos, etiam non approbatus, absolvere a quibuslibet casibus reservatis, monens pœnitentem, ut si convaluerit, sistat se Superiori. 2. Si casus, super quem cadit reservatio, sit peccatum mortale olim confessum Sacerdoti valenti absolvere a reservatis, vel peccatum veniale, vel actus non integre consummatus; quia peccatum mortale confessum, & peccatum veniale, non est materia necessaria; actus vero non integre consummatus non censetur reservari ab Ecclesia. 3. Tempore jubilæi; quia tunc Sacerdos approbatus ab Ordinario recipit a Papa potestatem absolvendi a quibuslibet casibus. 4. Quando ex parte pœnitentis, & Confessarii impossibilis est moraliter recursus ad Superiorem; si reservatio sit Episcopalis, debet moneri pœnitens, ut data occasione sistat se Superiori; si reservatio sit Papalis, & casus occultus; potest absolvi absolute; quia ita permittit Papa. 5. Qui bona fide confitetur nesciens suum casum esse reservatum, vel apud Confessarium, qui nescit casum hunc esse reservatum, bona fides excusat, sed relinquit onus sistendi se superiori, ubi error inculpabilis cessaverit. 6. Qui confessus est peccatum reservatum apud Confessarium habentem potestatem absolvendi a reservatis, etsi fecerit confessionem invalidam, tamen cognita peractæ confessionis invaliditate, potest a Sacerdote non habente casus reservatos absolvi; quia prior Confessarius sustulit reservationem.

Consect. 7. *De Confessione Regularium.* Sacerdos in ordine ad regulares absolvendos potest modo quidquid poterat ante Trid. quia Concilium nihil immutavit circa confessiones regularium, qui volunt a suis peccatis absolvi.

Sic regularis non approbatus ab Episcopo, sed approbatus a suo superiore, potest confessionem alterius regularis juxta approbationem sui superioris excipere, eumque valide absolvere; quia id licebat ante Trid. ergo & modo licitum est.

Sic regularis eligens sibi Confessarium, potest eligere vel approbatum ab Episcopo, vel non approbatum; quia ipsemet eligendo approbat pro se tantum.

Sic regulares possunt, nedum alios regulares, sed etiam sæculares, qui sunt in eorum domibus commensales, absolvere: ita declaravit Innoc. X. Const. quæ incipit, *Superna*. *Ceterum*, inquit, *in Monasteriis aut etiam Collegiis, ubi juxta regularia statuta vivitur, posse tam præfatos regulares, quam Confessores regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum illis deserviunt.*

Sic Cardinales, & alii, quibus ex jure datur potestas sibi eligendi Confessarios, possunt quemlibet

libet Sacerdotem eligere, sive approbatum, sive non approbatum; quia eligendo approbant.

Episcopus vero non potest eligere in Confessarium nisi Sacerdotem sibi subditum, quem jam approbavit; vel quem eligendo approbet; quia non habet eamdem facultatem, quam Cardinales, vel regulares.

§. V. *Quæ sint Officia Confessarii erga pœnitentes.*

Prop. 1. Confessarius tenetur erga pœnitentem exercere officia & patris, & medici, & judicis.

Prob. 1. Script. Confessarius est pater pœnitentis juxta illud Pauli ad Gal. 4. v. 10. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Est & ejusdem pœnitentis medicus juxta illud Luc. 9. v. 2. dedit Apostolis *potestatem, ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos*. Est pariter illius judex, non qui severe puniat, sed misericorditer bene dispositos Deo reconciliet juxta illud: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Ergo Confessarius tenetur pœnitentibus affectum paternum exhibere, prudentis medici curam impendere, & auctoritatem judicis exercere Deo reconciliantis.

2. Ex praxi Ecclesiæ. Quotquot ad pedes sacerdotis provolvimur, ab eo tamquam a patre benedictionem postulamus his verbis: *benedic mihi pater, quia peccavi*. Curam morborum nostrorum petimus, & commissorum peccatorum indulgentiam postulamus; etenim, ut dicit Catbec. Trident. post Aug. Confessarius patris, judicis, & medici simul personam gerit: ergo Confessarius debet erga pœnitentem patris, medici, & judicis reconciliantis Deo officia exercere,

3. *Rat.* Quotquot sumus sacerdotes, tales debemus nos erga pœnitentes exhibere, qualem se Christus erga peccatores exhibuit; ait enim: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: atqui Christus erga peccatores & affectum patris, & curam medici exercuit: ergo & eadem erga pœnitentes præstare nos convenit. Eo faciunt ea verba Isaiæ 61. v. 1. de Christo vaticinantis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem ... ut consolarer omnes lugentes.*

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Confessarius, quatenus *Pater*, debet erga pœnitentes eumdem induere animum, quem habent parentes erga filios. 1. Dando illis sanam doctrinam, qua nutriantur, non erroneam, qua inficiantur, attendendo ad illud Christi: *Quis ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei?* 2. Debet ad instar nutricis doctrinam etiam sanam iis attemperare, initio facilioribus præceptis instruens, postea vero difficilioribus, ad exemplum Pauli, qui dicebat fidelibus, quos instruxerat: *Lac vobis potum dedi, non escam*. 1. Cor. 3. 2. 3. Exercitiis pœnitentiæ non severioribus, sed mitioribus ad ardentiorem pœnitentiam præparare, ad exemplum Christi qui dicebat: *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit: neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt; sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.* Matt. 16. Debet in omnibus ardentem zelum pro salute pœnitentium exhibere, ad exemplum Pauli qui his, quos Evangelio pepererat, ait: *Ego autem libentissime impendam, & superimpendar pro animabus vestris*. ad Cor. 13. v. 15. 5. Debet esse patiens in audiendo confessiones, suavis in arguendo vitia, juxta illud Pauli præceptum: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia*. Demum oportet, ut pœnitenti exhibeat singula paterni affectus indicia, quæ his carminibus expressit D. Th.

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

Confect. 2. Confessarius, quatenus Medicus, id debet pœnitenti, quod medicus ægroto, idest causas morborum inquirere, cognitas præscindere, & ne præcisæ renascantur impedire.

Oportet igitur, ut sciat in genere quæ sit peccatorum nostrorum origo. Intrinseca autem causa est ignorantia & concupiscentia; extrinsecæ vero sunt tentationes, quæ a diabolo suggeruntur; diabolus enim circa nos, *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Eædem tentationes a mundo incrementum accipiunt; totus enim *mundus in maligno positus est*. Ea irritamenta peccatorum a concupiscentia infeliciter approbantur: *unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*. Jacob. 1. v. 14. Confessarius ergo, quatenus Medicus, eas omnes peccatorum causas pœnitenti ægroto aperiat, easque a pœnitente præscindi jubeat, eique cum Evangelio audacter dicat: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Matt. 5. v. 29. A pœnitente peccatorum causas, ne iterum redeant, salutaribus monitis, ut loquitur Trid. sapienter abducat, proculque amoveat.

Confect. 3. Confessarius, quatenus judex, debet habere scientiam tanto muneri exercendo necessariam; nam si de judicibus forensibus dicitur: *Erudimini qui judicatis*: quanto justius illud dici debet Confessariis, qui non terrena, sed cælestia judicant, quique invigilare debent non villicationi terrestri, sed spirituali, idest de animabus nostris rationem reddituri, & in quibus specialiter scientia requiritur, juxta illud: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*; & quibus doctrina specialiter præcipitur, juxta illud: *Nulli sacerdoti*, præcipue Confessario, *liceat Canones sacros ignorare*, nec quidquam facere quod Patrum regulis contradicat. Cæleft. ep. 3. c. 1.

Oportet ergo, ut Confessarius, quatenus judex, isthæc omnia apprime sciat. 1. Quæ sint peccata mortalia, quæ venialia ex genere suo, & quomodo per accidens peccatum mortale possit fieri veniale, vel veniale mortale; quia confessio est nulla, si peccatum mortale omittitur.

2. Quæ species & circumstantiæ peccatorum necessario in confessione explicandæ; quia confessio est nulla, si omittitur aliqua species, vel circumstantia necessaria explicanda.

3. Quæ

Digitized by Google

3. Quæ pertinent ad satisfactionem faciendam, vel reparandum damnum illatum vel in vita, vel in honore, vel in bonis temporalibus, aut spiritualibus; *quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

4. Quinam sint casus reservati, quæ excommunicationes, quæ censuræ, quæ irregularitates, ut sciat, a quibus potest absolvere, a quibus vero non potest.

5. Quæ pœnitentia cuilibet peccato imponenda, quæve remedia eis præscribantur.

Unde gravissime peccat confessarius, qui sine prædictorum scientia exponit se audiendis confessionibus, quique vel defectu scientiæ, vel defectu examinis, vel defectu advertentiæ, v. g. vel quia non audit, vel quia non attendit, certa peccata incognita judicat; tunc bis peccat. 1. Quia cum ignorantia munus Angelicis humeris formidandum exercet. 2. Quia indebitam absolutionem impendit. 3. Demum quia pœnitentem fallit, qui si conscius sit confessarium sine attentione sufficiente de peccatis incognitis judicasse, confessionem iterare tenetur.

Consect. 4. Sacerdos quatenus Pater, Medicus, & Judex tenetur pœnitentem interrogare, & pœnitens tenetur ei respondere circa ea, quæ ad ipsius salutem æternam pertinent: quis enim dicat, Patrem non teneri interrogare filium circa ea, quæ filii statum & conditionem meliorem efficere possunt, aut pejorem? quis neget, Medicum non debere ab ægroto causas morbi inquirere? quis Judicem eximat ab obligatione reum examinandi? Et cum sincera rei expositio interrogationi correspondeat, si confessarius debeat pœnitentem prudenter interrogare, iste utpote filius, ægrotus, & reus debet Patri, debet medico, debet judici humiliter, & sincere respondere: ideo merito damnata est sequens propositio ab Innoc. XI. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Consect. 5. Toties confessarius tenetur interrogare pœnitentem, quoties prudenter judicat id necessarium esse ad promovendam salutem pœnitentis: sic v. g. tenetur interrogare, ut sublevet inscitiam crassam & supinam pœnitentis. 2. ut consuetudinem peccandi, si quam habet, & cognoscat, & eradicet. 3. ut gravitatem & circumstantias peccati agnoscat. 4. ut remedia pro peccatis commissis convenientia præscribat: de hoc ita Can. *Qui vult* dist. 6. de pœnit. circa medium. *Caveat*, inquit, *spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ; oportet enim, ut sciat cognoscere quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc expostulat; ut quod debet dijudicare discernat: diligens igitur inquisitor, & subtilis investigator, sapienter, & quasi astute interroget a peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare ... si enim in judicio civili oporteat judicantem cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique prabita facultate, a fortiori id oportet fieri in foro interiori conscientiæ.*

Consect. 6. Sacerdos tenetur pœnitentem interrogare ea prudentia & arte, qua fiat, ut per frequentes interrogationes nec sibi noceat, nec pœnitenti: quod qualiter præstandum sit, ita paucis explicat D. Thom. in 4 dist. 19. *Dicendum*, inquit, *quod Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, sicut Medicus vulnus, & judex causam; quia frequenter, qui pre confusione confitens taceret, interrogatus revelat; sed tamen in interrogationibus faciendis tria attendenda. 1. Ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare; non enim oportet, quod a milite quæratur de peccato clericorum, aut Religiosorum, aut e converso. 2. Ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt, de aliis autem adinventionibus peccatorum, ita debet de longinquo interrogatio fieri, ut si commisit dicat; si non commisit non addiscat. 3. Ut de peccatis præcipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias; quia hujusmodi delectabilia, quanto magis in particulari considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere, ut dicitur 4. Ethic. & ideo posset contingere, ut confessor talia quærens, & sibi & pœnitenti noceat, & sic quandoque deficiant in suo scrutinio iniquitatem scrutantes.*

Sic si pœnitentem rudiorem inveniat, debet illum examinare, ut ejus supinam ignorantiam sublevet: si vere pœnitentem sufficienter eruditum inveniat, qui se neglexerit, aut noluerit examinare, debet illum remittere, donec se examinaverit: si autem inveniat pœnitentem, qui astute, & prudentia in sui perniciem mentiatur, debet illum dimittere, ut melius consulat, sanctiusque dispositus ad Sacramentum accedat.

Si vero pœnitens non se accuset de aliquo crimine mortali, cujus tamen reum esse certo scit confessarius, vel quia ipsemet vidit, vel quia plures fide digni confessario denunciarunt, debet confessarius pœnitentem illum interrogare, an commiserit tale crimen, videat num forte illius oblitus sit: si pœnitens persistat, & constanter illud pernegat, non debet confessarius ei testes, quibus convincatur, objicere; non enim ad convictionem, quæ reum confundat, sed ad contritionem, quæ confitentem salvet, institutum est Sacramentum pœnitentiæ; sed prudenter faciet confessarius, si eum ad tempus remittat, ut sese examinet. Sed non tamen video quod, stante convictione de ejus mendacio, possit illum absolvere, sed prudenter illum remittet ad alium confessarium, cui peccator ille suæ pertinaciæ pœnitens forte totam conscientiam aperiet.

Si autem sacerdos crimen, quod pœnitens constanter neget, non aliunde quam ex alterius pœnitentis confessione didicerit, potest pœnitentem ad alium confessarium remittere, cui forte minus verecunde statum suum aperiet: si autem id non potest, nec commode in aliud tempus differri absolutio valeat, non video cur isti confitenti non crederet; quia non est major ratio, quod magis credat accusanti quam accusato, quod magis credat primo quam secundo. Si autem accedat pœnitens, qui levissima dumtaxat peccata confiteatur, vel nulla, cum tamen urgens habetur præsumptio, quod pœnitens aliquibus criminibus obnoxius sit, quibus vel non attendit, vel mederi non vult, monendus est, ut conscientiam suam diligentius scrutetur, & indicandi sunt lapsus præci-

pui, in quos decidere potuit, simulque ad tempus aliquod differendus. Hæc omnia exigit officium Patris, Medici, & Judicis, quod erga pœnitentes sacerdos exercere debet.

Consect. 7. De sigillo confessionis. Sacerdos, quatenus Pater, Medicus, & Judex, in nullo casu potest sigillum confessionis prodere. 1. Quia jus naturale vetat omnino, ne quis commissum secretum prodat, quod strictiore lege præcipit jus parentibus erga filios, medicis erga ægrotos, advocatis erga clientes, Confessarius autem non tam est Judex pœnitentis, quam illius advocatus. 2. Quia jus Canonicum in Lateranensi Concilio Can. 21. id his verbis præcipit: *Caveant*, inquit, *omnino verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodant aliquem peccatorem*. Quod secretum si sacerdos infregerit, deponendus est, & ad agendam pœnitentiam in Monasterium in perpetuum amandandus. Illud idem prohibet jus civile, cum Confessarius, qui convincitur sigillum confessionis violasse, vivus comburitur. Sed jus divinum quocumque alio jure longe fortius secretum illud strictius jubet; cum enim Confessarius non alio nomine agat, quam nomine Dei, ita peccata in confessione declarata non audit ut homo, sed ut Deus: ergo sicut Deus peccata in confessione declarata sua justitia tegit juxta illud: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata*; ita & Confessarius peccata sibi revelata profundissimo debet secreto tegere: & sicut Deus peccata semel dimissa numquam deinceps imputat, quia *sine pœnitentia sunt dona Dei*; ita numquam Confessarius debet eadem peccata in mentem suam revocare, numquam de his cum alio quocumque loqui, sed illud psalmi debet sæpius ad Deum dirigere: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*. Psal. 14. v. 3.

Consect. 8. Ad quot extendatur sigillum confessionis. Ad illa omnia se extendit sigillum, quæ Confessarius didicit via confessionis, quæque pœnitens justo desiderio vult latere; quia ea omnia scit Confessarius non ut homo, sed ut Deus.

Sic peccata mortalia cum suis circumstantiis tam in genere, quam in specie, & in individuo cadunt sub sigillo; unde Confessarius nequit dicere: hic homo apud me confessus est peccata mortalia; & a fortiori: hic homo apud me confessus est tale peccatum, v. g. fornicationem, adulterium, &c.

Sic peccata venialia, non in genere, sed in specie, & in individuo cadunt sub sigillo confessionis; ideo Confessarius posset quidem dicere: hic homo confessus est peccata venialia, quia nemo confiteri potest, nisi confiteatur aliquod saltem peccatum veniale: sed nullum potest in specie indicare, v. g. dicere: hic homo confessus est apud me mendacium jocosum.

Sic defectus natalium, v. g. inhabilitatis naturalis, irregularitatis, censuræ, &c. cadunt sub sigillo: ideo Confessarius, qui hæc omnia via confessionis accepit, non potest ea prodere, v. g. non potest dicere: hic homo est nothus, inhabilis est ad matrimonium, irregularis ad Ordines, &c. Sic personæ complices, & circumstantiæ omnes via confessionis cognitæ, sunt materia sigilli.

Consect. 9. *Quæ personæ obligentur ad sigillum confessionis*. Non solum Sacerdos, sed etiam hi omnes, qui concurrunt ad confessionem, quique via sola confessionis aliquid didicerunt, tenentur ad sigillum; quia sincera declaratio non fit nisi sub spe secreti: & sicut illi sunt cooperatores Confessarii, ita ad idem secretum obligantur, per quod obstringitur Confessarius.

Sic quando Confessarius non intendit idioma pœnitentis, interpres interveniens ad explicandum Confessario peccatum pœnitentis, tenetur ad sigillum; unam enim cum Sacerdote personam constituit.

Sic Superior, a quo petitur facultas absolvendi a reservato, obligatur ad sigillum, sicut Confessarius, cum secretum illud noverit ut ipse Confessor.

Sic qui vel casu, vel consulto audit aliquod peccatum pœnitentis confitentis, tenetur ad sigillum sicut Confessarius: quia accepit via confessionis notitiam illius peccati.

Si tamen disceret eadem peccata alia via, quam via confessionis, v. g. audiendo pœnitentem colloquentem cum Confessario extra tribunal, vel legendo chartam non traditam Confessario, obligaretur quidem ad silentium vi secreti naturalis, sed non vi sigilli confessionis.

Consect. 10. *An in aliquo casu possit violari sigillum*. Nullus est omnino casus, in quo vel ad vitandum malum tum generale, tum particulare, vel ad inducendum bonum tum generale, tum particulare, infringere liceat sigillum confessionis: tum quia violare sigillum suapte natura malum est, & numquam facienda sunt mala, ut inde veniant bona: tum quia sacramentalis confessionis illæsum exercitium longe perfectius, & universalius bonum est, quam quodcumque aliud bonum, quod expectatur; & periculum ne interrumpatur in Ecclesia exercitium confessionis, longe gravius malum est, quam quodcumque aliud malum, quod quis violando sigillum vitare vellet.

Sic Confessarius in nullo casu potest revelare confessionem, vel directe, vel indirecte, aut facere aliquid, quod possit indicare peccatum declaratum in confessione.

Sic Confessarius interrogatus a judice vel Ecclesiastico, vel civili circa ea, quæ didicit via confessionis, potest, & debet respondere modeste se soli Deo redditurum rationem de his, quæ fiunt in tribunali; & si urgeatur, potest, & debet respondere, se nescire ea, quæ didicit via confessionis, immo potest jurare; quia revera nescit ut homo, sed tantum ut Deus: interrogatur autem ut homo, non ut Deus. Talis est sent. D. Th. suppl. q. 11. art. 1. ad 3. *Homo*, inquit, *non adducitur in testimonium nisi ut homo; & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus*. Sic si confessarius nequeat suum peccatum confiteri, nisi indicando indirecte peccatum pœnitentis, debet retinere, & non confiteri illud peccatum, & remittere illius confessionem, donec repererit Confessarium, cui possit integre confiteri sine ullo periculo revelationis etiam indirectæ: cujus rei ratio est hæc, scilicet quod præceptum de servando sigillo magis urget, quam præceptum de integritate confessionis.

Sic si Confessarius cognoverit via confessionis pœnitentem inhabilem esse ad aliquod officium,

vel

Digitized by Google

vel beneficium, non potest exterius uti illa cognitione, ut illum a tali officio amoveat. Id expresse determinavit Clem. VIII. die 16. Maji an. 1594. *Tam Superiores*, inquit, *pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritates fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Unde

Episcopus v. gr. sciens via confessionis aliquem ex ordinandis esse incapacem Ordinationis, v. gr. quia femina est, quia hermaphroditus est, idest utriusque sexus, quia est irregularis, quia est in affectu peccati mortalis, non potest eum hac sola de causa ab ordinatione rejicere. Parochus sciens sola via confessionis eos, qui benedictionem matrimonialem postulant, impedimenta habere Canonica, quibus reddantur inhabiles ad contrahendum, non potest benedictionem matrimonialem denegare. Item

Elector sciens pariter sola via confessionis, eum, qui eligendus proponitur, non posse obtinere licite dignitatem, ad quam proponitur, si aliunde non habeat motiva exteriora, quibus eum ab officio excludat, non potest licite suffragium publicum ei denegare, quia in singulis illis casibus, ut optime ait D. supplem. q. 11. art. 1. ad 3. *Potest Prælatus dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio; quia non tenetur mederi ut Deus, sed ut homo.*

Sic duo Confessarii, qui eumdem pœnitentem audierunt, non possunt colloqui de peccatis pœnitentia, etiam in bonum pœnitentis; quia tractant extra tribunal pœnitentiæ quod solum tractandum est intra tribunal pœnitentiæ.

Sic Confessarius non potest loqui, etiam cum pœnitente, sine facultate ipsius pœnitentis de illis peccatis, quæ via confessionis didicit, quamvis velles cum eo tractare de errore aliquo essentiali, quem audiendo ejus confessionem commisisset; quia non licet extra tribunal deducere quod in solo tribunali tractandum est.

Sic demum in praxi nunquam loquendum est de his, quæ in Sacramento pœnitentiæ audivimus, abstinendumque est ab omni colloquio, quo vel in genere, vel in specie personas, quas in confessione audivimus, indigitamus, ut dum dolendo dicimus: hic in miseria magna est: in magno periculo versatur salus ejus. Item fugienda omnino ea licentia, qua aliquando imperitus modus confitendi quorumdam hominum simplicium irridetur.

Consect. 11. Quando Confessarius scit aliquid, non solum via confessionis, sed alia via, potest illud, quod scit ut homo, declarare, modo dicat illud ut homo, & in iis circumstantiis, in quibus religio nihil detrimenti patiatur; quia tunc, ut supponitur, non utitur scientia per confessionem accepta; de hoc ita loquitur D. Th. *Illud, quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id, quod scit ut homo; potest enim dicere: scio illud, quod vidi, non enim potest dicere: ego hoc audivi in confessione; tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, ne hoc loquatur nisi imminente necessitate.*

Sic si Confessarius viderit ante, vel post confessionem scelus aliquod committi, potest de eo testimonium ferre, licet reus illius sceleris ad ipsum accesserit, eique commissum crimen confessus fuerit.

Consect. 12. Quando Confessarius scit sola via confessionis parari vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ, vel sibi, vel aliis ingens malum, debet, quantum in ipso est, in tribunali pœnitentiæ deterrere confitentem a tali crimine; extra vero tribunal nihil potest facere, quod crimen declaratum notum faciat, sed potest prudenter aliquod remedium huic malo adhibere, absque tamen revelatione de eo casu: ita D. Th. loquitur suppl. q. 11. a. 1. ad 1. *Tamen remedium aliquod adhibere debet in prædictis casibus, quantum potest sine revelatione confessionis, sicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim: potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum, ita tamen ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat.*

Sic si didicerimus via confessionis peccata aliqua committi, absque revelatione hortari possumus Episcopos, ut gregibus suis invigilent, superiores regulares, ut septa Monasterii diligentius custodiant, parentes, ut filios jam adultos, etiam ejusdem sexus, simul cubare non permittant, &c.

Prop. 2. Non sufficit, quod Confessarius exerceat officia & Patris, & Medici, & Judicis erga eos pœnitentes, quos pro libito excipit; sed quibuscumque peccatoribus, qui ad eum accesserint, debet se facilem, & non morosum exhibere, eorum confessiones audire, & juxta statutas in Ecclesia regulas judicare.

Prob. 1. Script. Christus mittens Apostolos eis injungit, ut nullum peccatorem a gratia evangelica rejiciant, sed quascumque gentes edoctas Sacramento baptismatis intingant: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare quæcumque præcepi vobis.* Matth. 28. 19.

Loquens vero de pœnitentia, sic distincte ait: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 23.

Et loquens in genere de quocumque ministerio sine ulla personarum acceptione, sic præcipit: *Leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date*: Matth. 10. v. 8. Ergo Confessario non licet alium pœnitentem audire, alium vero rejicere; sed quia pro omnibus approbatus est, omnes audiat, & quemlibet juxta Ecclesiæ regulas judicet.

2. Exemplis. Christus primus pœnitentiæ Evangelicæ prædicator nullum peccatorem rejecit; sed e contra singulos suaviter alliciebat, & benigne complexabatur, & singulos attrahebat dicens: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, Matth. 9. v. 13. *Venite*, inquiebat, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: Matth. 11. v. 28. meretrices vocabat, cum publicanis conversabatur, & id maximæ gloriæ duxit, quod exprobrabatur ei a Pharisæis, scilicet, *quod esset peccatorum & Publicanorum amicus*. Joannes vero alter pœnitentiæ Evangelicæ prædicator nullum rejicit, turbas suscipit, Publicanos non subsannat, ipsos etiam milites non dedignatur; turbis ait: *Qui habet*

Digitized by Google

duas tunicas, det non habenti: Publicanus ait: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis*: militibus vero: *Contenti estote stipendiis vestris*. Petrus gentes peccatrices non excludit, Paulus omnibus omnia factus est: ergo & Confessarii debent ea exempla imitari, & quoscumque peccatores benigne recipere.

3. *Rat.* Confessarius nihil debet omittere erga pœnitentem, quod possit eum ad veram pœnitentiam revocare; id enim præcipuum est Confessarii officium: atqui experientia constat, quod affabilitas erga pœnitentes, juxta tamen Ecclesiæ regulas exercita, eos ad veram pœnitentiam revocat: ergo maxima erga pœnitentes affabilitate utendum est; & ideo nullus est rejiciendus, omnes sunt ad pœnitentiam admittendi, sed nulli adulationibus no cendum: de quo ita Cyprian. lib. de lapsis: *Qui peccandum*, inquit, *blandimentis adulantibus pal pat; peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit; at qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem: imperitus est Medicus, qui tumentes vul nerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum dum ser vat, exaggerat: aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum; vociferetur, clamet licet, & conquera tur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nullum est hominum genus, cui Confessarius suaviter, & fortiter animum pœnitendi inspirare non valeat; nam *sanis, & ægris* apta est pœnitentia.

Ægris non tam est imponenda pœnitentia, quam indicanda, ut cum in morbo periculoso absoluti fuerint, ad pœnitentiam vel incipiendam, vel percipiendam obligentur, uti olim observabatur.

Sanis vero ea est imponenda pœnitentia, quæ & viribus conveniat, & peccatis eluendis par esse possit.

Juvenibus, & Senibus apta est pœnitentia.

Juvenes ob animi inconstantiam non tam ad pœnitentiam agendam admittantur, quam piis quibusdam operibus ad seriam peccatorum correctionem præparentur, ut monet Aug. serm. 7. de tempore.

Senes vero decrepiti non ad pœnitentiam externam obligentur, sed ad internam animi amaritudinem incitentur, qui doleant florem juventutis in sceleribus decurrisse, & reliquum vitæ tempus in fletibus transigant.

Clericis & Laicis apta est pœnitentia.

Clericis non tam imponenda est pœnitentia, quam antiqua, quæ eis olim imponebatur, indicanda: ubi peccata, si quæ habeant, enormia, luxuriæ confessi sunt, non absolvendi, sed proponendi eis sunt Canones antiqui a Conc. Trid. circa Clericos renovati; in quibus videant qualibus gemitibus, quibusve pœnis reparanda sunt hujusmodi flagitia: detur illis legendus Prosper lib. 2. de vita contemplativa c. 7. Damiani liber gomorrhianus c. 2. & 17. & Natalis Alexander, qui antiquos illos collegit Canones. Et ubi hæc legerint, & attente meditati fuerint, cognoscet Confessarius, quo pacto cum illis agendum sit.

Laicis ea est imponenda pœnitentia, quam & vires ferre possunt, & criminum gravitas exigit.

Nobilibus, & ignobilibus apta est pœnitentia.

Nobiles quidem alto animo debent infigere, nec nobilitatem, nec Magistraturam, nec divitias quemquam a pœnitentiæ laboribus eximere; multi enim Principes pœnitentiam publicam egisse leguntur. Philippus Imperator pœnitentiam publicam non recusavit.

Theodosius Imperator eam humiliter subiit, ut habes ex Ambrosio ep. 21. & 28. ob cladem Thessalonicensem. Otho Imperator ei se sponte subjecit, ut habet Petrus Damianus in vita Romualdi cap. 25. Henricus II. Angliæ Rex impositam a summo Pontifice pœnitentiam lubens sustinuit an. 1172. eo quod occasionem cædi Thomæ Cantuariensis dedisset.

Ignobilibus & plebeis ea est imponenda pœnitentia, quæ eorum statui, & viribus conveniat, & peccatis remittendis sufficiens esse valeat.

Viris, & mulieribus apta est pœnitentia.

Adulteræ mulieres pœnitentiæ publicæ non subjiciebantur, ex Bas. can. 34 ne conjugum zelotypiam accenderent; sed secretæ pœnitentiæ laboribus exercebantur, immo inter consistentes stabant, ut docet Balsamon, ut Deum offensum flecterent. *Puellæ Virgines* non eximebantur a pœnitentia, ut docet Innoc. I. epist. 2. cap. 12. & 13. Leo epist. 92. cap. 15. Greg. Turon. 2. cap. 21. *Viduæ* quoque pœnitentiam egerunt, ut docet Hieronymus in epitaphio Fabiolæ. Hæc & similia exempla in manu prompta esse debent, ut Confessarius ostendat pœnitentibus, ætatem nullam, conditionem nullam, sexum nullum a pœnitentiæ laboribus eximi posse.

Consect. 2. Nullum est vitæ tempus, in quo peccator pœnitentiam agere non valeat, & in quo proinde a Sacerdote non debeat recipi; possibilis enim est pœnitentia, etiam in exitu ab hoc mundo: & in hac ultima vitæ periodo non sunt rejiciendi pœnitentes, sed absolvendi, si pœnitentiæ interioris signum aliquod externum exhibeant vel verbis, vel nutibus, vel etiam aliorum adstantium testimonio: id expresse docet Concil. Carthag. IV. c. 76. ubi sic habetur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia: si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum: & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

Monit. Difficilis & raro vera est usque ad finem vitæ dilata conversio.

Prob. 1. Script. Prov. 1. v. 24. dicitur: *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo vos, cum id, quod timebatis, advenerit: Cum irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia; tunc invocabunt me & non exaudiam; mane consurgent, &* non

non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam... Comedent igitur fructus viæ suæ: aversio stultorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Vide quomodo Deus solemniter attestatur, se non auditurum peccatores ad mortis articulum conversionem suam differentes. Et Isaias obstinatos peccatores verbis longe minacioribus terret. *Vos esurietis*, inquit, *vos sitietis ... & interficiet te Dominus Deus. Et quæ timebant, adducam eis.* Et Jer. 8. vers. 13. istud multo magis timendum addit: *Faciam domui huic... sicut feci Silo*: ergo qui differunt conversionem usque ad finem vitæ, timere debent, ne a Deo non audiantur, subsannentur, &c.

2. Ex Patribus. Basilius vocat injustam eam conversionem, qua in fine tantum vitæ ad Deum recurrimus. *Flos enim*, inquit, *vita diabolo consecratur; exitus vero Deo reservatur. Audiat hoc*, inquit Hugo, *senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, & ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se & per se deficiunt; hi non offerunt agnum immaculatum*: de claustro animæ lib. 3. c. 10. Aug. serm. 36. vocat eam conversionem periculosam. *Si quis*, inquit, *positus in extrema necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit; si securus hinc exit, ego nescio; pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo a dubio liberari; tene certum, & dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quod securus es; quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

3. Ex Doctoribus Scholasticis. Magister sententiarum lib. 4. dist. 20. sic de sera illa pœnitentia loquitur. *Sed quoniam*, inquit, *multa sunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium.* Scotus vero ex professo agitans hanc quæstionem, probat multis rationibus pœnitentiam, quæ in fine vitæ peragitur, vix umquam esse sinceram: 1. Quidem; quia vehementia doloris mentem omnino occupat, &, ne ad Deum assurgat, maxime impedit. *Cum enim*, inquit Hugo Victorinus, lib. 2. de Sacramentis cap. 5. *cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest.* 2. Quia pœnitentia debet esse libera, & ex amore Dei saltem initiali concepta; tunc autem homo non amore ducitur, sed timore, nec sponte peccata deserit, sed ab illis deseritur, ut dicit Aug. *Si vis pœnitere*, inquit, *quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* 3. Quia pravi habitus ita dominantur in anima, eamque captivam detinent, ut eam ad peccandum quasi ineluctabiliter trahant: unde, ut ait Aug. sermone innocentium, *hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* 4. Demum, quia objecta singula, quæ imaginationi aut menti occurrunt, nos a vera conversione avertunt; terret nos Deus, quem per totam vitam offendimus; captivat nos diabolus, cui semper morem gessimus; deserit nos mundus, cui adhæsimus; offert se nobis infernus cum omnibus suis tormentis, quæ numquam cogitavimus.

Prop. 3. Sacerdos approbatus non potest citra grave peccatum absolutionem denegare ei, quem moraliter noverit vere contritum, sincere confessum, & ex animo paratum Deo offenso satisfacere, demum quem, omnibus pensatis, rite dispositum judicat, ut non modo sine periculo, sed etiam cum fructu possit donari Sacramento.

Prob. 1. Scriptura. Sicuti Apostoli missi sunt ad prædicandum Christi Evangelium, & conferenda sacramenta juxta illud: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ita jam Sacerdotes sunt in Ecclesia ut doceant populos, eisque sacramenta ministrent: ergo sicuti Apostoli crediderunt sibi illicitum esse a prædicatione Evangelii, & receptione sacramentorum rejicere eos, quos dispositos agnoscebant; ita illud idem sibi esse prohibitum agnoscere debent Sacerdotes. Imitentur Petrum, qui sic habet Act. 10. v. 42. *Præcepit nobis Deus*, inquit, *prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus a Deo judex vivorum & mortuorum*: Et v. 47. *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? & jussit baptizari.* Ergo sacramenta non possunt denegari his, qui sunt sufficienter dispositi.

2. Ex Patrib. inter quos ita habet Cyp. ep. 3. *Amplector*, inquit, *prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili & supplici confitentes.* Et Gregorius Nyssenus hæc habet: *Quemadmodum*, inquit, *porcis margaritas projicere est vetitum; ita & pretiosa margarita privare eum, qui jam per alienationem, & per purgationem a vitio homo factus est, absurdum*: immo injustum & iniquum, ut exponit Balsamon, locum illum Gregorii explicans.

3. *Rat.* Sacerdos non est sacramentorum dominus, sed minister fidelis: ergo quoties ad eum accesserit pœnitens rite dispositus, debet thesaurum, cujus est dispensator, lubens, sed fideliter tamen aperire, & opes divinas ei largiri: & sicut graviter peccaret ille, cui essent commissæ divitiæ in eleemosynas impendendæ, si urgente necessitate veris pauperibus, & non aliunde indignis eleemosynam destinatam denegaret, & avara manu retineret; ita haud dubie peccat, & longe quidem gravius Confessarius, qui thesaurum Christi in sacramentis contentum fidelibus egentibus, & rite dispositis crudeli parsimonia occludit, liberalem Christi munificentiam coarctat, aquam gratiæ e sacramentis fluentem retinet, demum auctoritate privata impedit, ne fideles his sacramentis sanctificentur, quæ non ob alium finem, quam ut fidelibus prudenter administrentur, sunt a Christo Domino instituta.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccaret graviter Sacerdos, qui pœnitenti alioquin rite disposito, privatis affectibus vel avaritiæ, vel factionum, absolutionem denegaret; quia sine causa privaret pœnitentem gratia, quam a sacramento posset recipere. Sic peccaret graviter parochus, qui licet habens circa temporalia cum parochianis, sit tamen rite disposi-

Digitized by Google

tis absolutionem denegaret, ductus cupiditate solius temporalis emolumenti, quod a parochianis exigit. Hujusmodi erant scribæ, & pharisæi, qui amore lucri faciebant proselytos, eos soles, qui sibi utiles futuri erant, quærentes. Matth. 23. Sic peccaret graviter Sacerdos, qui abreptus factionum partibus, nollet eum absolvere, qui suis partibus non staret: tunc enim non zelus, non religio, sed amor partium causa esset, cur absolutionem denegaret. Hujusmodi erant pseudo Apostoli, de quibus Paulus loquitur ad Galatas 4. v. 17. *Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt* a libertate Evangelica, *ut vos illos æmulemini*, idest ut vos habeant discipulos. Et cap. 5. v. 13. *Volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur*, & palam fiat illos plures discipulos habere.

Consect. 2. Peccaret Sacerdos, qui ut haberetur rigidior, & sanioris doctrinæ tenacior his etiam absolutionem denegaret, quibus secundum Ecclesiæ Canones non esset deneganda; mirum enim quantum valeat in hominum animis studium novitatis, & stultus amor illius laudis, qua gloriantur qui severiores, & puriores Ministri haberi volunt: nulla est Ecclesiæ indulgentia, quam non incusent, nulla benignitas, contra quam non obmurmurent. Hujusmodi erant pharisæi, qui elato supercilio Christum quasi peccatorum amicum dedignantes onera importabilia imponebant, quæ tamen ipsi digito suo nolebant tangere. Matth. 23.

Prop. 4. Sacerdos approbatus non potest beneficium absolutionis impendere his, qui secundum prudens judicium non possunt judicari vere contriti, sincere confessi, & parati Deo offenso satisfacere.

Prob. 1. Scriptura. Nulli Ministro licet conferre sacramenta his, qui non habent eas dispositiones, quas exigit sanctitas sacramenti: juxta illud: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: Matth. 17. v. 6. Ergo non licet absolutionem impendere nisi vere contritis, sincere confessis, & satisfacere proponentibus.

2. Auctoritate Cypriani lib. de lapsis. *Si quis*, inquit, *præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cuiquam putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere*, dando scilicet non pœnitentia functis, *non tantum nihil prodest, sed obest lapsis: provocasse est iram, non servasse sententiam: nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere*. Et ut exprimat quantum noceat præpropera illa absolutio, hæc habet: *Hoc sunt*, inquit, *lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas*... *non concedit pacem facilitas ista, sed tollit, nec Communionem tribuit, sed impedit ad salutem*. Ergo Confessarius non potest beneficium absolutionis impendere his, qui non sunt dispositi.

3. *Rat.* Minister Sacramenti non potest nisi frustra & cum sacrilegio conficere, vel tentare conficiendum sacramentum sine materia ejusdem sacramenti; v. g. non potest dare baptismum sine aqua, confirmationem sine oleo, conficere Eucharistiam sine pane, & vino; quia sacramentum sine sua materia stare nequit: atqui actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sunt materia pœnitentiæ; absolutio vero est forma: ergo nullus Confessarius potest dare absolutionem his, qui prudenter judicari possunt vel non vere contriti, vel non sincere confessi, vel non parati Deo offenso satisfacere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Suspendenda est absolutio his, qui sunt in vitiosa consuetudine peccandi mortaliter, donec serio & efficaciter eam eradicandam sategerint; nam peccatores consuetudinarii prudenter judicantur non esse vere contriti, & proinde incapaces absolutionis: uti enim libera a fermento febris non judicatur ille, qui certis periodis ardoribus febris inflammatur; ita nec a fermento peccati immunis judicandus est ille, qui longa peccandi consuetudine detentus, frequenter in eadem peccata prorumpit.

Quippe, juxta Scripturæ regulas, vere pœnitens est, non qui instar canis ad suum vomitum revertitur, sed qui semel lotus non iterum iisdem sordibus inquinatur: non qui dicit, ut Judas, *peccavi tradens sanguinem justum*: non qui vitam novam ficte promittit, ut Antiochus; sed qui, ut David, Petrus, Paulus, Magdalena, vitam omnino novam instituit. David enim post conversionem non fuit adulter, nec Petrus blasphemus, nec Paulus persecutor, nec Magdalena peccatrix: quippe, ut ait Isidorus Hispalensis; *irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus*. Lib. 2. sententiarum c. 13. Ideo damnata est sequens propositio & ab Innocentio XI & a Clero Gallicano: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec est differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem*.

Sic his peccatoribus non impertienda, sed suspendenda absolutio, quos ex anteactis confessionibus cognoscimus in eadem peccata sæpius prolapsos, quæve jam iterum sine ulla emendationis spe subjiciunt confessioni; quamvis enim pœnitentia sacramentum sit, quod sæpius iterari possit, non tamen iterari debet erga eos, qui non sunt vere contriti; quales sunt ii, qui etiam post frequentes lapsus volunt toties sibi absolutionem impendi, quoties ea confitentur; de quibus dicit Concilium Toletanum tertium Can. 11. *Eos fœdissime* pro suis peccatis pœnitentiam agere: *cum quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris se reconciliari postulent*.

Sic etiam eis peccatoribus frequenter in eadem crimina relabentibus non est absolutio impendenda, sed suspendenda, qui verbis promittunt se numquam peccaturos: prudentia enim dictat hæc verba non fructus, sed folia esse pœnitentiæ, ut dicit Gregorius; cum tamen Christus a nobis non folia, sed fructus exigat pœnitentiæ. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ*.

Circa quod ita nos monet Carolus Borromæus. *Confessarios*, inquit, *monitos volumus, ut iis, quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumvis polliceantur, ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent quoad emendationem perspexerint*.

Sic, etsi credendum sit semper pœnitenti se accusanti,

santi, non tamen semper credendum est pœnitenti se excusanti; *mens enim nostra sæpe sibi ipsi mentitur: Deus infatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*; quibus fit, ut homo se credat mortuum peccato, dum infeliciter peccatum regnat in suo corpore: ergo ad tempus suspendenda est absolutio.

Sic, quamvis fieri possit, quod peccator consuetudinarius vere doleat, tamen extra casum mortis prudenter ei suspenditur absolutio, donec constet de ejus sincera conversione: sicut enim, cum adhuc dubia est materia baptismi extra casum mortis, baptismum suspendimus, donec certam materiam habeamus: ita suspendamus absolutionem necessum est, donec moraliter certi simus de conversione pœnitentis: & quamvis Christus nec Matthæum, nec Magdalenam, nec Latronem remiserit, sed statim dixerit, *remittuntur tibi peccata*, non idem nos Confessarii agere possumus; quippe Christus legebat in corde veram contritionem, quam ipse infuderat, nobis vero incogniti sunt cordis recessus: Christus auctor erat gratiæ, nos vero Ministri: ille dabat pœnitentiam, nos vero conversionis signa debemus inspicere, & juxta Ecclesiæ Leges judicare: de quo ita habet Yvo Carnotensis ep. 228. *Ecclesia, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet resuscitatum, nisi de monumento elatum*. Itaque nullus, qui detinetur consuetudine peccati mortalis, absolvi debet, sive regularis, sive non regularis, sive Clericus, sive Laicus, sive hospes, sive peregrinus, sive accedat tempore paschali, sive extra tempus paschale, sive tempore jubilæi, sive extra tempus jubilæi, sive peccator ille consuetudinarius solus debeat communionem recipere, sive cum aliis: ut non caute fit aliquando in Missionibus, in Processionibus publicis, &c. quando decernuntur Communiones generales, quibus fit ut modo singulæ virgines, modo singuli adolescentes, post singuli conjuges, singulæ mulieres uxoratæ Eucharistiam debeant sumere: in his, inquam, & similibus casibus absolutio impendi non debet; quia nulla est conditio, nullum tempus, nulla circumstantia, quæ valeat nos ab hac regula dispensare, scilicet extra casum mortis, numquam licet Sacramentum pœnitentiæ, quamdiu materia est dubia, conferre: sicuti extra casum mortis non licet conferre baptismum cum materia dubia; ita neque absolutionem. Nec festivi dies possunt efficere, ut ab hac regula recedamus, ut monet Chrysostomus hom. 3. c. 1. ep. ad Ephes. *Si advenerit*, inquit, *tempus sancta quadragesimæ, qualiscumque fuerit, quispiam fit particeps Sacramentorum, sicut si advenerit dies Epiphaniorum. Atqui tempus ad ea accedendi non sunt Epiphania, neque quadragesima facit dignos qui accedant, sed animæ sinceritas & puritas: cum ea semper accede, absque ipsa numquam*.

Confess. 2. Absolutio suspendenda est his, qui ignorant mysteria fidei; quia censentur non esse sufficienter dispositi; dispositio enim ad Sacramentum est fides Sacramenti, & dolor de peccatis: quippe juxta Christi præceptum, adulti instruendi sunt antequam baptismate abluantur, juxta illud Christi: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c.* ergo neque pariter admittendi sunt ad absolutionem, nisi prius instruantur. Quocirca damnata est sequens propositio ab Innoc. XI. & a Clero Gallicano: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; & etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis & incarnationis D. N. Jesu Christi: sufficit illa mysteria semel credidisse*. Sic, juxta Acta Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. si pœnitens ignorans mysteria fidei accedat, si de ea re numquam ante monitus fuerit, poterit absolvi, dummodo 1. ea præmittatur instructio, quam pœnitentibus satis esse Sacerdos censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus. 2. modo pœnitens certo promittat se, quam citius poterit, iis addiscendis operam daturum.

Si autem vel a Confessario suo eodem, sive a diverso, vel a sua ipsius conscientia jam admonitus, eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficit; non prius absolvendus est, quam obligationi huic, aliqua saltem ex parte, fecerit satis. Si vero pœnitens sit adeo rudis, & debilis memoriæ, ut nihil possit memoriter retinere; tunc clare quantum fieri potest, proponenda sunt mysteria fidei, & statim dicendum: credisne Deum creasse istum mundum, Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, &c. Vide catechismum historicum Domini de Fleury, ubi in prœmio ostendit etiam rudioribus mysteria fidei.

Confess. 3. Qui est in occasione proxima tum per se, tum per accidens peccati mortalis, non est absolvendus; quia est in affectu peccati mortalis: etenim, ut ait Scriptura, *qui amat periculum, in illo peribit*. Eccl. 3. v. 27. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Eccl. 13. v. 1. Proinde qui in occasione peccandi permanet, vel ex eo reus est, quod Dominum Deum suum tentat; ridens ergo, & non serio ait: *Et ne nos inducas in tentationem*, cum lubens seipsum in peccandi occasiones projiciat. His, & aliis rationibus motus Summus Pontifex damnavit sequentem propositionem: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, & ei se ingerit*.

Occasio per se, ea est, quæ de se trahit ad peccatum vel semper, vel ut plurimum v. g. societas mulieris, cum qua semel, vel pluries peccasti.

Occasio per accidens, ea est, quæ non ex natura sua, sed ex defectu, & ex debilitate pœnitentis trahit ad peccatum vel semper, vel fere semper; talis est v. gr. status Clericalis in eo, qui nescit quæ pertinent ad statum Clericalem.

Sic quotiescumque Sacerdos videt quod pœnitens est in occasione, quæ vel per se, vel per accidens trahit frequenter illum ad peccatum, debet ipsi præcipere, ut deserat occasionem: nec audiendæ sunt excusationes, quas sæpius prætexunt pœnitentes, sed inculcandum illud Christi: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te*, hoc est si sit ruinæ vel perditionis occasio, *abscinde eum, & projice abs te &c.* Ubi hæc notat Chrysostomus: *Vim sermonis observa*, inquit, *non enim dicit, ab talium societate discede, sed maximam separationem indicens: erue*, inquit, *& projice abs te*.

Si vero occasio abjici nequeat, suspendenda est absolutio, donec resipuerit.

Confect. 4. Suspendenda est absolutio ei, qui non vult reconciliari cum inimicis; quia est in affectu peccati mortalis, nec servat ordinem caritatis. Vide quæ diximus de caritate erga proximum tom. 1. Interim accipe quæ sunt observanda in reconciliatione inimicorum.

Si pœnitens fratrem offenderit, vadat reconciliari fratri suo, & veniam petat antequam absolvatur: ita enim Dominus ipse præcepit Matth. 5. v. 23. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.*

Nisi forte persona offensa ita inferior sit, ut nullatenus hoc debeat fieri; quo in casu, loco petitionis veniæ blanda appellatio fieri debet, ut docet Aug. hom. 40. c. 5.

Si autem offensus ipse est, non debet petere veniam, sed vel corripere fratrem, seu admonere secundum Christi præceptum Matth. 26. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*, aut saltem ad eum mittat pacificos intercessores, a quibus admoneatur, ut docet Aug. hom. 40. c. 5. vel si hoc non possit, ipse offensam de memoria delere studeat, & Deum pro adversario oret, non ut puniatur, sed ut corrigatur. Aug. hom. 40. c. 6.

Si offensæ mutuæ fuerint, ipse pœnitens veniam petere debet ab adversario de eo quod fecit, sive plus ab ipso offensus fuerit, sive minus, sive adversarius veniam postulet de eo quod fecit, sive non, memor quod Christus, licet a nobis offensus, tamen nos pluribus beneficiis cumulat, & nobiscum reconciliari & optat, & enititur.

Confect. 5. Suspendenda est absolutio ei, qui non vult eam restitutionem facere, ad quam tenetur; quia est in affectu peccati mortalis: non enim remittitur peccatum, si non restituatur ablatum. Vide quæ diximus de restitutione tom. 1. tract. 4.

Confect. 6. Suspendenda est absolutio ei, qui dat scandalum, vel occasionem peccandi, nisi scandalum sincere velit & abjicere, & reparare; quia est in affectu peccati mortalis. Quinam sint, qui dant scandalum, diximus ubi de scandalo tom. 1.

Confect. 7. Sacerdos non potest absolvere sacramentaliter absentem, qui per epistolam sua peccata declaravit; quia Confessarius non potest prudenter judicare pœnitentem esse rite dispositum, cum ipsi omnino incognitum sit, an a tempore scriptæ epistolæ nova peccata commiserit, an in suscepto proposito non peccandi de cetero permanserit; cum insuper moraliter præsens debeat esse qui absolvitur, sicut moraliter præsens debet esse materia panis, & vini quæ consecratur; hæc enim verba, *Ego te absolvo*, non minus ad personam moraliter præsentem diriguntur, quam hæc verba, *hoc est corpus meum*, ad materiam moraliter præsentem. Ideo Clemens VII. sequentem propositionem damnavit. *Licet per litteras, aut per internuntium Confessario absenti confiteri sacramentaliter, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Confect. 8. Sacerdos non potest etiam in periculo mortis moribundum absolvere, qui flagitiosam vitam duxit, vel qui in ipso actu peccandi sensibus destitutus, vel nulla dedit, vel nulla dat signa pœnitentiæ; quia Confessarius prudenter agens judicat hominem illum non esse rite dispositum: si enim rationem vitæ anteactæ æstimet, multa videt quæ postulant, ut ei absolutio denegetur; si attendat præsens statum, nihil est quod Confessarium moveat, ut absolutionem impertiatur; cum juxta Concilium Carthaginense IV. jam citatum, Confessarius debeat quærere testimonium conversionis vel a præsentibus, vel conjicere ex verbis, aut nutibus ipsius pœnitentia: si vero Sacerdos in futurum prospiciat, timendi locum habet, ne sacramentum exponat risui; fictitii enim illi pœnitentes, si forte convalescant, non ratum habent quod eorum nomine gestum est, ut dicit Conc. Tolet. XII. can. 12. qui admonet Sacerdotes, *ne passim & licenter donum pœnitentiæ non pœnitentibus audeant erogare.*

Sic desertores Ecclesiæ, publice excommunicati, hæretici, schismatici, publici peccatores, duellistæ, &c. in his circumstantiis, si nulla dent, aut dederint signa pœnitentiæ, non sunt absolvendi.

Confect. 9. Juxta communem Theologorum Scholasticorum sententiam fidelibus repentino morbo correptis, & omnino obstupescentibus, si nec in morbo, nec ante morbum, nec verbis, nec nutu sacramentum petierint, nullaque dederint signa pœnitentiæ, non est impertienda absolutio, licet illi fideles catholice antea vixerint. Primo, quia forma absolutionis debet applicari materiæ sensibili, & moraliter præsenti; contritio autem hujus morientis incerta est omnino, & si quæ sit in ejus corde, est penitus insensibilis. Sancta etiam vita anteacta, etsi perpetuum fuerit desiderium implicite postulans absolutionem, non est tamen materia apta, cui applicari possit absolutio: tum quia incertum est, an aliquo mortali peccato interruptum fuerit implicitum hujusmodi desiderium, tum quia hic, & nunc datur absolutio, & pia illa vita jamdudum transiit, & proinde materia, & forma sibi moraliter non coexisterent, quod tamen est ad valorem sacramenti omnino necessarium. Demum, inquiunt, nullum est in antiquitate Ecclesiastica hujus praxeos vestigium; quin e contra jubent Concilia, ut non passim detur absolutio, sed caute impendatur his, qui per se ipsos vel verbis, vel nutibus eam postulant, vel eam postulasse testimonium reliquerunt.

Sunt tamen insignes auctores, qui hujusmodi fideles, qui catholice vixerunt, privandos non esse absolutione sacramentali contendant, licet ex improviso morbo sensus omnes intercludente eam postulare non possint. Etenim, inquiunt, ex dura illa disciplina sequeretur, quod non ex liberæ voluntatis vitio, sed ex improvisa omnino morbi malignitate melior esset conditio hominis flagitiosi, qui in ipsa mortis periodo absolutionem timore magis, quam amore postulat, quam conditio hominis catholice viventis, qui per totam vitam & absolutionem petiit, & eam piis operibus promeruit. Durior ergo esset, inquiunt, Ecclesia erga filios humiles & obedientes, eo quod infelici casu loqui non valeant, quam sit erga filios semper rebelles, semper scandalosos, eo quod in fine vitæ pacem, & reconciliationem postulant. Quapropter, inquiunt, incunctanter homini, de quo agitur, impendenda est sacramentalis absolutio; quia juxta Aug. lib. 1.

de

de adulterinis conjug. c. ultimo: *Quia autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupavit, nec ipsum enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire vellet mater Ecclesia*: ergo sicut baptismum Catechumeno obstupescenti non negatent; ita nec Catholico improvisa morbi vi obstupescenti neganda est absolutio, ut argumentatur August. Nec est quod dicas, inquiunt, dubiam, & incertam esse materiam ex parte pœnitentis; nam in casu mortis cum dubia, & incerta materia sacramenta conficimus. Nec est, inquiunt, quod causeris actus pœnitentis cum absolutione Sacerdotis simul moraliter non coexistere; nam anteacta vita usque nunc perseverans absolutioni coexistere censenda est: & sicut apud Magnates satis petit qui fideliter ministrat; ita a fortiori in Ecclesia Catholica sufficienter petiisse censendus est qui Catholice vixit: & sicuti eleemosynæ postulabant olim pro Dorca, & moverunt Petrum, ut eam a mortuis suscitaret; ita anteacta vita movere debet Sacerdotem, ut absolutionem impendat pro Catholico in subita ægritudine obstupescenti. Ita jubet, inquiunt, Sacerdotale Romanum Venetiis apud Joannem Variseum ann. 1560. impressum: ita Concilium Lemovicense an. 1619. ut videre est, apud Morinum lib. 10. de administr. pœnit. cap. 6.

In tanta sententiarum diversitate, & in tam periculoso denegatæ absolutionis discrimine vellem primo, ut sacerdos casum illum prævideret, Episcopumque consuleret, ut ab eo instrueretur quid opus sit facto in illis circumstantiis: vellemque, ut Confessarius eam sequeretur praxim, quæ observatur in ea Diœcesi, in qua commoratur.

2. Si Episcopus nihil velit circa hoc determinare, totumque relinquat Confessarii prudentiæ, vellem, ut ægroto obstupescenti, si per tempus sufficeret, ei conferretur Extrema Unctio, modo decenter conferri posset, etenim illud sacramentum remittit peccata in his, qui sunt contriti, quando confiteri non possunt, ut contingit in nostro casu.

3. Si nec tempus, nec vis morbi, nec natura loci patiantur conferri Extremam Unctionem, vellem cum adstantibus preces pro ægrotante effundi, & quidem tamdiu, quamdiu non esset mors imminens, ut expectaretur occasio alicujus signi pœnitentiæ percipiendæ, ut obtineretur a Deo debita dispositio pro moriente ad absolutionem cum fructu percipiendam: tandem imminente morte absolutionem impendendam ducerem: nec credo me ita praxi Sorbonæ, quam summe veneror, contradicere; non enim Sorbona eam praxim in certis casibus damnavit, sed solum noluit passim & omni casu sine ulla cautela moribundis singulis impendi absolutionem.

Confess. 10. Qui in aliquod grave, & insolitum peccatum lapsus est, v. g. adulterium, sodomiam, &c. non statim est absolvendus; sed si commode fieri possit, dimittendus est per aliquod tempus, ut per pœnitentiæ opera ad ardentiorem contritionem excitetur: ut enim ait Ambrosius Ps. 37. uti medicus medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus medicinæ subsidia deferantur, nec acerba adhuc & immatura, ut asserunt, ægritudo curationis remediis reluctetur, & beneficium sentire non possit; ita differendum aliquamdiu absolutionis remedium, ut efficacius operetur. Sic Petrus conversus non statim venit ad Christum, sed egressus foras flevit amare. Sic Paulus conversus tribus diebus neque manducavit, neque bibit, & postea baptismum accepit, ut habes Actor. 9. *Et nunc quid moraris? inquit illi Ananias, exurge, baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.*

Prop. 5. Quando pœnitens non est sufficienter dispositus, imponenda sunt ei quædam opera satisfactoria, quibus ad veram contritionem disponatur.

Prob. Scriptura. Cum Petrus vellet Judæos ad baptismum recipiendum præparare, eos ad pœnitentiam adhortatur, ut piis illis operibus majori cum fructu baptismum recipiant: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus Sancti*. Act. 2. v. 38. Et idem Petrus alloquens Simonem jam baptizatum volentem emere Spiritum Sanctum, sic habet: *Pœnitentiam*, inquit, *age ab nequitia tua, & ora Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: Act. 8. v. 22. Ergo injungenda sunt opera salutaria, ut ad gratiam sacramenti disponantur pœnitentes.

2. Ex Conciliis. Opera satisfactoria ante absolutionem peracta tantæ videbantur efficaciæ in Ecclesia, ut qui in illo exercitio, etiam sine absolutione accepta, morerentur, non habebantur a Regno cælesti alieni, ut constat ex Conc. Carth. IV. c. 79. *Pœnitentes*, inquit, *qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur*. Et passim dicitur in Conciliis: *De his qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti: sed pro eo quod honoraverint pœnitentiam, oblatio pro illis recipiatur*: ergo satisfactio ante absolutionem exercita multum prodest apud Deum: ergo debet imponi his, qui non sunt sufficienter dispositi; contingit enim, ut docet Catech. Trid. de satisf. num. 68. ut qui duro animo ad pœnitentiæ *sacramentum accesserant, ita emollitos esse, ut vere contritionis dolorem conceperint*.

3. *Rat.* In dubio, an pœnitens sit sufficienter dispositus, debemus ad ea media recurrere, quæ ad impetrandam veram pœnitentiam habentur in Ecclesia efficaciora, ut patet: atqui nulla alia possunt efficaciora reperiri, quam quædam opera satisfactoria a Confessario imposita, cum ea præter meritum proprium etiam quasi vim habeant sacramenti: ergo ad ea recurrendum est, cum in Ecclesia ut sancti habiti sint qui pœnitentiæ exercitio sine reconciliatione inopino casu defuncti sunt.

Confess. unicum. Quoties accedunt pœnitentes, quibus dominatur cupiditas, solus spirat sæculi genius, nihil cernitur christianæ religionis: quales sunt illi, qui vel toti sunt in divitiis congregandis, vel in deliciis capessendis, vel in honoribus mundanis ambiendis, vel qui neglectis divitiis, deliciis, & honoribus, nec gravibus vitiis dediti, ita Deum, & virtutis exercitia negligunt, ut magis extra vitia quam intra virtutes esse videantur; tunc suaviter admonendi sunt pœnitentes,

sub-

Digitized by Google

ha, *per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quod per sensus deliquisti*, optime exprimunt effectus hujus sacramenti: ergo aptissime adhibentur, ut sint forma hujus sacramenti.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De multiplici mutatione vel essentiali, vel accidentali, quæ potest contingere circa materiam hujus sacramenti*. Si quis loco olei adhiberet aliam materiam ad ungendum infirmum, v. g. adipem, butyrum, immo oleum nucum, amygdalarum, &c. non esset extrema unctio defectu materiæ: prædicta enim non possunt dici absolute oleum. *Oleum*, inquit D. Th. *principaliter nominatur olivæ, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant*. Sup. q. 29. a. 4. in corpore.

Si quis loco olei benedicti adhiberet simplex oleum, juxta complures dubium esset sacramentum, immo nullum juxta D. Th. oleum enim extremæ unctionis debet esse benedictum, ut ait idem Doctor; quia *Christus non est usus materia extremæ unctionis*, sicut usus est materia baptismatis: ergo debet materia extremæ unctionis consecrari. Suppl. q. 29. a. 3.

Si quis loco olei benedicti ab Episcopo uteretur oleo benedicto a simplici Sacerdote, illicitum esset sacramentum juxta omnes; quia ex Trid. & ex praxi continua Ecclesiæ Latinæ oleum debet esse ab Episcopo benedictum: immo nullum juxta D. Th. quia materia hujus sacramenti debet ab Episcopo benedici; est enim principalis Sacerdos, ad quem de jure pertinet hæc benedictio. Immo Estius addit Papam non posse dispensare, ut per alium quemcumque, quam Episcopum, possit fieri olei infirmorum benedictio.

Si quis loco olei infirmorum adhiberet vel chrisma, vel oleum catechumenorum, juxta complures non esset Sacramentum, quia licet hæ materiæ sint benedictæ, non habent tamen specialem benedictionem, quæ competit oleo infirmorum.

Si quis loco olei isto anno benedicti uteretur oleo anno superiori benedicto, validum esset sacramentum; quia vere adesset materia: sed illicitum esset sacramentum, quia jubet Ecclesia vetere oleo exusto novum quolibet anno benedici oleum infirmorum.

Si quis deficiente oleo benedicto admisceret in minori quantitate oleum non benedictum, sacramentum esset & validum & licitum; quia, ut dicitur c. *quod in dubiis* de cons. Ecclesiæ: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri: tunc enim preces super oleum consecratum effusa ad oleum non consecratum extenduntur.*

Consect. 2. *De multiplici mutatione, quæ potest contingere in Extrema unctione ex parte materiæ proximæ.*

Si quis nullum ungeret sensum infirmi, non esset sacramentum; quia non esset applicatio materiæ remotæ. Validum tamen, sed illicitum esset sacramentum, si extra casum necessitatis quilibet sacerdos non eas ungeret partes, quas usus Ecclesiæ suæ ungendas præscribit: v. g. Sacerdos Græcus, juxta Arcudium, debet ungere ægri frontem, mentum, ambas genas; ita ut fieri videatur in capite in modum crucis, deinde pectus, tum manus ex utraque parte, postremo pedes. Latinus vero Sacerdos, juxta Greg. debet ungere quinque sensus, aut proximiores partes sensibus, si ipsi sensus inungi non possint ex aliquo casu: & insuper in aliquibus diœcesibus pectus inungitur; minime vero in aliis. Ratio horum est, quia Sacerdos extra casum necessitatis, numquam debet omittere usum suæ Ecclesiæ.

Validum, & licitum est sacramentum, si in casu necessitatis ungat tantum Sacerdos unam infirmi partem, cum hac universali forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid per sensus deliquisti*: ita Rituale Mechliniense approbatum ab Academia Lovaniensi.

Consect. 3. *De multiplici mutatione vel essentiali, vel accidentali, quæ contingere potest ex parte formæ.*

Si quis sine verbis, vel indicativis, vel deprecatoriis adhiberet sacram unctionem, non conficeretur sacramentum; quia sacramentum nequit esse sine forma.

Si quis uteretur forma indicativa, v. gr. *Ungo te oleo sanctificato*, ut fiebat in Ecclesia Mediolanensi, juxta omnes sacramentum jam esset illicitum; quia esset contra praxim præsentem Ecclesiæ; immo juxta D. Th. esset nullum; quia forma Extremæ unctionis, juxta illum, debet esse *deprecatoria*.

Si quis omittat hæc verba: *indulgeat tibi Deus*, aut æquivalentia, non erit sacramentum; quia destruitur sensus formæ.

Si quis vero omittat hæc verba: *per piissimam suam misericordiam*, *per istam sanctam unctionem*; & ista pariter *in nomine Patris, & Filii &c.* validum est Sacramentum; quia hæc omissio non variat sensum formæ: nam unctio satis designatur per ipsam olei applicationem: divinam misericordiam intervenire satis indicant ista verba: *Indulgeat tibi Deus*. Invocatio explicita Trinitatis non est necessaria; quia illud Sacramentum non est professio fidei, uti baptisma.

Consect. 4. *De varia mutatione tum essentiali, tum accidentali, quæ contingere potest circa intentionem*. Si quis extremam unctionem conferat *sine intentione faciendi quod facit Ecclesia*, nihil perfigit; hæc enim intentio est necessaria Sacramento: si vero cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, pravas alias intentiones, ut lucri, vanitatis &c. efformet, validum quidem, sed illicitum est Sacramentum: validum est; quia habet quæ sunt necessaria Sacramento: illicitum vero; quia pravis illis intentionibus lucri, & vanitatis &c. illicite tractat Sacramentum.

ARTICULUS VI.

In quo principium superius statutum, scilicet, *mutatio substantialis in materia, forma, & intentione, minime vero accidentalis tollit sacramentum*, applicatur ad Sacramentum Ordinis.

PRop. 1. Remota materia Ordinis est impositio manuum, cui impositioni manuum Ecclesia Latina addit traditionem instrumentorum, quibus designatur potestas per Ordinem suscepta.

Forma vero est oratio, quæ ab Episcopis recitatur cum impositione manuum, cui orationi Ecclesia Latina addit formulam, quæ dicitur cum traduntur instrumenta v. gr. *accipe potestatem offerendi Sacrificium.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. 1. Script. Quoties Scriptura loquitur de ordinatione, toties meminit impositionis manuum, & effusionis orationum: sic de ordinatione Diaconorum dicitur Act. 6. *Et orantes imposuerunt eis manus*; de presbyteris vero, & Episcopis ordinatis, ita loquitur Paulus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* 2. ad Tim. Ergo juxta Scripturam ad ordinationem requiritur impositio manuum & oratio.

2. Ex Hier. in c. 58. Isa. ubi sic habet: *Ordinatio*, inquit, *non solum ad invocationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum*: ergo ad ordinationem duo requiruntur, & oratio, & impositio manuum; & quia oratio determinat impositionem manuum, oratio habebit rationem formæ, impositio vero manuum rationem materiæ.

3. *Rat.* Ex Script. Conciliis, & Patribus in ordinatione requiritur impositio manuum, & oratio, & insuper juxta Eugenium apud Latinos traduntur instrumenta cum quidam orandi formula: atqui oratio determinat impositionem manuum, & orandi formula determinat traditionem instrumentorum: ergo & impositio manuum, & instrumenta tradita habent rationem materiæ; oratio vero effusa cum imponuntur manus, vel cum traduntur instrumenta, habebit rationem formæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties Sacramentum Ordinis ut invalidum habendum est, quoties abest vel impositio manuum, vel oratio; quia hæc duo in Ecclesia Græca, & Latina habentur ut materia, & forma essentialis, immo juxta aliquos, quoties in Ecclesia Latina non intervenit traditio instrumentorum, quibus designatur potestas collata ordinato, & forma, quæ dicitur cum traduntur instrumenta; quia in Ecclesia Latina hæc duo habentur ut materia & forma essentialis juxta aliquos Theologos, vel saltem ut materia & forma integrans juxta alios, & primum, scilicet impositionem manuum & orationem docent Scripturæ, & continua Ecclesiæ Græcæ & Latinæ praxis: postremum, nempe instromentorum traditionem cum aliqua verborum formula indicat Eug. IV. in instructione ad Armenos. *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem* ... v. g. forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Sic nulla est ordinatio Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, si non adsit impositio manuum, & oratio, quam servat utraque Ecclesia Græca & Latina: immo & nulla habenda est apud Latinos, si non interveniat traditio eorum instrumentorum, quibus designatur potestas tradita ordinato, & formula, quæ recitatur in illa instrumentorum traditione: v. g. si in ordinatione Episcopi non tradatur liber Evangeliorum cum hac formula; *Accipe Evangelium, accipe Spiritum sanctum*: si in ordinatione Presbyteri non tradatur calix cum vino, patena cum pane, & recitetur hæc formula: *Accipe potestatem, &c.* si in ordinatione Diaconi non tradatur liber Evangeliorum, & non recitetur oratio, designans potestatem Diacono traditam.

Sic nulla est collatio Subdiaconatus, & quatuor inferiorum Ordinum in Ecclesia Græca, si non interveniat impositio manuum, & oratio, in Ecclesia vero Latina traditio instrumentorum; quia materia & forma illorum inferiorum Ordinum apud Græcos est impositio manuum cum oratione, apud Latinos traditio instrumentorum cum recitatione formulæ in Pontificali contentæ: v. g. Ostiario traduntur claves Ecclesiæ, exorcistæ liber exorcismorum, Acolytho candelabrum, & ampullæ vacuæ, Subdiacono calix vacuus, & patena vacua superposita calici.

Consect. 2. Toties Sacramentum Ordinis, ut validum quidem, sed ut illicitum habendum est, quoties absunt accidentales quædam cæremoniæ, vel apud Græcos, vel apud Latinos observari solitæ; quas nec Concilia, nec Patres, ut essentiales habent: hujusmodi sunt unctio Episcoporum: talia sunt pariter certæ vestes, & ornamenta tradita Diacono, subdiacono, & aliis clericis inferioribus.

Consect. 3. Toties Sacramentum Ordinis, ut invalidum & nullum habendum est, quoties in eo, qui ordinat, aut in eo, qui ordinatur, intervenit intentio contraria faciendi quod facit Ecclesia: quia intentio faciendi quod facit Ecclesia, est necessaria ad validitatem Sacramenti.

Consect. 4. Toties Sacramentum Ordinis, ut validum quidem, sed ut illicitum habendum est, quoties servata intentione faciendi quod facit Ecclesia, supervenit alia intentio, quantumvis perversa, vel lucri, vel vanitatis &c. quia intentio, quæ supervenit Sacramentum.

Consect. 5. Toties tonsura, ut valida habenda est, quoties confertur juxta regulas a Trid. descriptas. Sess. 23. c. 4. de ref. *Prima*, inquit, *tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta non edocti fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Consect. 6. Toties tonsura, ut valida quidem, sed illicita haberi debet, quoties confertur, aut accipitur diverso fine ab eo, quem exigit Ecclesia.

Sic valide quidem, sed illicite tonsuram recipit, qui hac sacra cæremonia se initiari postulat, ut beneficia ecclesiastica possit accipere, ut bursam in aliquo collegio possit obtinere, firmum tamen habens animum non permanendi in statu clericali. De his & similibus ait Nav. de oratione & horis Canonicis c. 7. *Satius ipse fore ipso ordinationis die frangere crura, quam prima tonsura, aut quatuor minoribus Ordinibus initiari*; quia re sacra indignissime abutuntur.

ARTICULUS VII.

In quo principium superius statutum, scilicet *mutatio essentialis tum in materia, tum in forma, tum in intentione tollit Sacramentum, minime vero accidentalis*, applicatur ad Sacramentum Matrimonii.

Materia matrimonii, juxta aliquos Theologos, est consensus mutuus contrahentium; forma vero

vero est benedictio parochi, qui solus in eorum sententia est Minister hujus Sacramenti; ita Melchior Canus, Sylvius, & Estius &c. Juxta alios Theologos, materia hujus Sacramenti est consensus, ut oblatus; forma vero est consensus, ut acceptatus; & benedictio parochi est cæremonia, quam citra peccatum omittere non licet; contrahentes vero sunt Ministri. Omissa omni circa talem quæstionem controversia, sit

Prop. 1. Matrimonium nullum est, nisi interveniat mutuus contrahentium consensus, qui juxta omnes est materia hujus Sacramenti.

Prob. rat. Nullum Sacramentum potest esse sine sua materia; quia sicut materia est pars essentialis physici compositi, ita pariter est pars essentialis compositi moralis: Atqui juxta omnes, consensus contrahentium est materia matrimonii: quia, ut optime ait D. Th. 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. *In aliis Sacramentis, qui habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia & matrimonio:* Ergo matrimonium nullum est nisi interveniat consensus mutuus contrahentium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties matrimonium erit validum ratione consensus, quoties consensus erit internus, & externus, libere elicitus, & non coacte extortus, mutuo oblatus & acceptatus; quia ut diximus l. c. ad contractum requiritur & sufficit consensus internus & externus, libere & non coacte elicitus, & mutuo oblatus, & acceptatus. Vide quæ ibi diximus, quæque hic repetere inutile esset. Primo consensus debet esse internus; quia sine interiori consensu non potest esse conventio. Secundo idem consensus debet esse externus; quia, cum sit materia Sacramenti, debet esse sensibilis. Tertio debet esse reciprocus, quia non potest obligare, nisi acceptetur. Quarto debet esse libere & non coacte elicitus; quia contrahentes non possunt nisi sponte obligari.

Consect. 2. Toties matrimonium erit invalidum, quoties non aderunt ea, quæ requiruntur ad consensum internum simul & externum, liberum simul & reciprocum; quia isthæc requiruntur ad valorem matrimonii.

Sic matrimonium sine consensu interiori initum nullum est: ut docet D. Th. in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. ad 4. *Sicuti*, inquit, *si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.* Tamen in sententia Catharini volentis intensionem solum externam sufficere ad valorem Sacramenti, qui solum exterius contrahesset matrimonium, vero esset matrimonio ligatus.

Sic pariter matrimonium, solum interius initum, & nullo signo exteriori expressum, nullum est, quia contractus debet esse sensibilis, præcipue ille, qui est materia sacramenti, de cujus essentia est, quod sit sensibile. Ideo cum oportet mederi matrimoniis ficte contractis per renovationem consensus, oportet renovationem consensus sensibilem esse, & non omnino insensibilem. Sic consensus vel coactus, vel metu extortus, &c. vel ex ignorantia elicitus, reddit matrimonium nullum; quia non est sufficienter liber, ut diximus ubi de contractibus, & hic infra agendo de impedimentis matrimonii dicemus. Sic consensus oblatus, & non acceptatus, quantumvis liber ex parte offerentis, non sufficit ad matrimonium; quia oportet, *quod consensus sit mutuus*, inquit Eug. in instr. ad Armenos.

Consect. 3. Toties matrimonium erit validum, sed illicitum ratione consensus, quoties consensus interior & exterior, liber & reciprocus, requisitus & sufficiens ad valorem sacramenti, non habebit eas cæremonias accidentales, quas Ecclesia requirit ad majorem tanti sacramenti solemnitatem: v. g. non exprimetur ille consensus inter Missarum solemnia, vel exprimetur sine dispensatione, ante solitas proclamationes in pronao faciendas.

Consect. 4. Toties matrimonium erit invalidum ratione intentionis, quoties non aderit intentio faciendi quod facit Ecclesia; quia ad valorem sacramenti necessaria est.

Consect. 5. Toties matrimonium erit quidem validum, sed illicitum ratione quidem intentionis, quoties contrahentes aliis rationibus finibusque movebuntur, diversis ab iis, propter quos Deus matrimonium instituit. Qui finis duplex est, scilicet propagatio prolis, & remedium incontinentiæ: quibus addi potest mutuum utriusque partis subsidium, ut videtur Scriptura innuere, dum dicit: *Faciamus adjutorium simile sibi*. Contra eos, qui sibi alium finem in contrahendo matrimonio proponunt, sic loquitur Conc. Coloniense an. 1636. c. 12. *Si neque*, inquit, *ob prolem suscipiendam, neque ob fornicationem vitandam, sed potius divitiarum aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in Sacramentum ipsum peccatur*. Et D. Carolus Borr. in instructionibus de Sacram. Matr. vult populos instrui, matrimonium contrahi posse tribus de causis. 1. *Prolis suscipiendæ gratia ... 2. Causa vitandæ fornicationis. 3. Ut conjuges, alter alterius ope adjuti, vitæ incommoda facilius ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queant.*

SECTIO III. CAPITIS I.

De legitimo subjecto, & Ministro cujuslibet Sacramenti in particulari.

Quæritur, quæ destinatio & deputatio veniens a Christo, cum in ministro conferente, tum in subjecto recipiente requiratur, ut Sacramentum sit validum; quæ vero sanctitas in utroque exigatur, ut Sacramentum sit licitum.

Statuitur principium ad explicandam integram Sectionem.

Prop. un. fundamentalis. Ut Sacramentum sit validum, minister debet esse missus & electus a Christo ad illud conferendum, & subjectum debet esse destinatum a Christo ad illud recipiendum. Ut Sacramentum vero sit licitum, requiritur sanctitas, & in ministro conferente, & in adulto recipiente. Prima pars hujus propositionis probabitur in primo articulo proxime sequenti; altera vero probabitur in secundo articulo hujus sectionis.

AR-

dam confirmationem, & subjectum recipiens erit destinatum a Christo ad recipiendam confirmationem; quia tunc nihil interveniet ex parte conferentis, vel recipientis, quod impediat valorem confirmationis. Toties e contra confirmatio erit nulla, quoties interveniet vel conferens, vel recipiens alius, quam is, quem Christus elegit; quia tunc deerit aliquid necessarium ad valorem sacramenti confirmationis. Sic si attendas ad Ministrum valide conferentem, valida est confirmatio, quam confert Episcopus quilibet, etiam excommunicatus, vel suspensus, vel hæreticus: etenim ex instructione ad Armenos, Episcopus quicumque est Ministrr ordinarius confirmationis, sic enim habet Eugenius IV. *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus; & cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre.*

Sic valida est etiam confirmatio, juxta Eugenium, quam confert Sacerdos delegatus a summo Pontifice; sic enim habet idem Conc. *Legitur enim aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis Sacramentum.* Sic etiam, si consideres subjectum VALIDE recipiens confirmationem, valida est confirmatio, quam recipit quilibet homo baptizatus, sive vir, sive femina, sive adultus, sive non adultus; quia omnis homo regeneratus in Christo potest in Christo per confirmationem roborari, & omnis ætas, omnis sexus potest esse Christi miles: *arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes.* 2. ad Cor. 10. v. 4. Sic e contra, si Ministrum confirmationis inspexeris, qui INVALIDE agat, invalida est confirmatio, quam attentat conferre, qui nec Episcopus est, nec Sacerdos a Papa delegatus: etenim ordinarius minister confirmationis est solus Episcopus, extraordinarius vero est solus sacerdos a Papa delegatus; docemur enim Scriptura, Act. 8. Apostolos, qui soli tunc erant Episcopi, baptizatis Spiritum sanctum per confirmationem dedisse: Eamdem veritatem tradit perpetua Ecclesiæ praxis; unde Innocentius ad Decentium c. 3. sic habet: *De consignandis vero infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* Et Chrys. in c. 8. Act. *Potestatem quidem acceperunt* alii ab Apostolis *faciendi signa, non tamen Spiritum aliis dandi: hoc erat in Apostolis singulare.* Sic pariter, si habeas rationem subjecti recipientis confirmationem INVALIDE, invalida est confirmatio, quam recipere attentat homo non baptizatus; baptismus enim est janua omnium Sacramentorum, & character imprimendus per confirmationem supponit essentialiter characterem impressum per baptismа.

Confess. 5. De Eucharistia valide, vel invalide confecta & distributa. Hoc sacramentum, utpote consistens in permanentia, potest considerari, & quatenus conficitur, & quatenus distribuitur, & quatenus recipitur, non ut Sacramentum, sed ut cibus communis, quomodo recipitur a bruto. Toties Eucharistia VALIDE conficitur, quoties consecratur a Sacerdote; VALIDE vero toties recipitur, quoties, a quocumque distribuatur, accipitur ab homine baptizato rationis compote; quia tunc nihil est, quod impediat, ne validum sit Sacramentum Eucharistiæ. Toties vero Eucharistia INVALIDE consecratur, quoties quis non Sacerdos attentat eam conficere: & non *sacramentaliter* accipitur, quoties accipitur ab homine vel non baptizato, vel rationis impote; quia tunc intervenit minister conficiens, homo recipiens, alius, quam is quem Christus elegit.

Sic si quæstio sit de Ministro Eucharistiam consecrante VALIDE; valide conficitur Eucharistiæ Sacramentum, si per Episcopum, vel Presbyterum consecratur, sive probus, sive improbus fuerit; immo etiamsi hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus, & degradatus existat; quia & bonis, & malis Episcopis, & sacerdotibus data est potestas consecrandi corpus Christi, cum dictum est illis: *Hoc facite in meam commemorationem*: nullumque est omnino peccatum, quod eam potestatem auferat, ut docet Aug. lib. 2. contra Parmenianum c. 13. *Utrumque*, inquit, scilicet baptismus, & ordo, *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque non licet in Catholica Ecclesia utrumque iterari.* Ex quo istud concludit D. Th. *Sic patet*, inquit, *quod sacerdos degradatus potest conficere hoc Sacramentum*, scilicet Euchar. 3. p. q. 72. a. 8. in corp. *Sic rursus, si quæstio sit de Ministro Eucharistiam distribuente* VALIDE; Eucharistiam jam confectam, & consecratam potest VALIDE dispensare quisquis potest illam vel sibi, vel aliis porrigere; cum enim Sacramentum illud consistat in permanentia, quisquis reperit Eucharistiam consecratam, potest illam vel sibi sumere, vel alteri ministrare; fideles enim olim, urgentibus persecutionibus, Eucharistiam in domos suas deferebant, & postea eam sibi ipsis administrabant: & olim puer tradidit Eucharistiam Serapioni seni ægrotanti, ut refert Eusebius.

Sic si quæramus, quodnam sit subjectum, quod possit hoc Sacramentum recipere VALIDE; Eucharistiam vere & sacramentaliter sumit baptizatus quilibet adultus, sive justus sit, sive injustus, sed ad sui condemnationem recipit peccator, ad sui sanctificationem justus, ut docet D. Tho. *Sumunt boni*, inquit, *sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus: mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Quippe juxta Paulum, indigne recipiens Christum, *judicium* sibi manducat, & bibit. Sic si spectetur Minister attentans conficere, sed INVALIDE, & frustra, nullum est Sacramentum, si quis præter Episcopum, vel Presbyterum sacram Eucharistiam conficere attentaverit, sive sit vir, sive femina, sive laicus, sive clericus, sive sit clericus superior, uti diaconus, sive sit clericus inferior, uti subdiaconus, vel alii clerici; quia, ut ait Epiphan. hær. 19. *non Angelus, non Maria, non clericus quicumque potest Eucharistiam conficere*; solis enim Apostolis & Discipulis, & in eorum persona Episcopis & sacerdotibus dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ideo damnari Pepuziani, teste Aug. lib. de hæresibus hæresi 27. & Marcitæ, teste Irenæo de hæresibus lib. 3. c. 2, eo quod illi hære-

Digitized by Google

hæretici vellent feminas posse consecrare. Ideo pariter si Imperator attentet consecrare, nihil efficit; quia, ut ait Ambrosius, *purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*. Apud Eusebium lib. 15. historiæ cap. 17. Item si Diaconus attentet consecrare, nihil efficiet; nam Hieronymus loquens de Luciferianorum principe, ait: *Eucharistiam non poterat conficere; quia Diaconus tantum erat*. Quod si populus, si femina, si Reges, si Diaconi dicantur cum Sacerdote consecrasse, illud intelligendum est de consecratione morali, quatenus uniuntur moraliter cum Sacerdote consecrante, sed non de consecratione physica; quia non habent characterem Sacerdotalem: *Sic pariter si spectetur subjectum, quod potest hoc Sacramentum recipere*, vere quidem, & quoad rem contentam, sed non sacramentaliter Eucharistiam sumit homo quilibet, vel non baptizatus, vel non adultus, vel jam mortuus: quippe non baptizatus incapax est Sacramenti cujuscumque; ergo & Eucharistiæ: non adultus incapax discernendi panem communem a pane Sacramentali: homo vero mortuus incapax manducandi, ergo sumendi Eucharistiam. De infideli ita D. Thom. *Dicendum, quod etiam infidelis sumat species Sacramentales, Corpus Christi sub Sacramento sumit; unde manducat Corpus Christi sacramentaliter; si ly sacramentaliter determinet verbum ex parte manducati; si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquendo non manducat sacramentaliter: quia non utitur eo quod accipit ut Sacramento, sed ut simplici cibo*. De non adulto ita D. Th. *Dicendum*, inquit, *quod eadem est ratio de pueris recenter natis, & de amentibus, qui numquam habuerunt usum rationis; unde talibus non sunt sacra Mysteria danda*. 3. p. q. 80. art. 9. ad 3. De corporibus vero Defunctorum ita Conc. Carthag. III. can. 6. *Placuit*, inquit, *ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur*. Et Synodus quinisexta can. 83. *Nemo Eucharistiam communicet corporibus defunctorum*.

Antiquus tamen usus talis erat, ut Eucharistia daretur pueris; ideo cavebatur, ne sine urgenti necessitate lactarentur ante Communionem; sed usum illum jamdiu abrogavit Ecclesia, ut patet ex Trid. sess. 21. cap. 4. Immo viguit in quibusdam Ecclesiis usus, vel potius abusus dandi Eucharistiam corporibus mortuorum, quia scilicet haberent arrhabonem futuræ resurrectionis.

Consect. 4 De pœnitentia Sacramento valide, vel invalide ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis.

Toties absolutio VALIDE impenditur, quoties datur a Sacerdote habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, & quoties recipitur a pœnitente, qui legitime subsit Sacerdoti, tunc enim nihil est in Ministro, vel subjecto, quod impediat valorem absolutionis.

Toties vero absolutio INVALIDE impenditur, quoties datur ab alio, quam Sacerdote, vel a Sacerdote qui nullam jurisdictionem habeat; quia absolutio est actus jurisdictionis: ergo dari nequit nisi ab habente jurisdictionem.

Sic si de Ministro absolutionis habeatur quæstio, VALIDA est absolutio data a Sacerdote jurisdictionem habente, sive bonus, sive malus existat: malitia enim non aufert jurisdictionem. Si vero ratio habeatur de subjecto absolutionis, valida est absolutio, data pœnitenti, quamdiu manet subditus confessario.

Sic rursus, si Minister absolutionis spectetur, invalida & nulla est absolutio data a Laico, a clerico non Sacerdote, a Sacerdote nullam jurisdictionem habente: quia absolutio est actus jurisdictionis: ergo nequit impendi ab eo, qui non habet jurisdictionem. Nulla est pariter & invalida absolutio data ab Episcopo, vel parocho, vel Sacerdote olim approbato, sed jam publice vel schismatico, vel hæretico, vel excommunicato, & per sententiam judicis declarato ut tali; quia hoc ipso quod Sacerdotes jurisdictionem habentes declarati sunt ab Ecclesia prædictas pœnas incurrisse, hoc ipso omnes fideles ipsis subditi per Ecclesiæ auctoritatem eorum jurisdictioni subducuntur: ita D. Thom. suppl. q. 19. art. 6. in corp. *Cum Ecclesia*, inquit, *hæreticos, & schismaticos, & alios hujusmodi privet jurisdictione, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad hoc, qui privati sunt, non possunt usum clavium habere*. Nulla est pariter absolutio data etiam a sacerdote vel ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habente, si absolvat ab his casibus, quos vocant reservatos: Ecclesia enim quantum ad hos casus aufert ab eis potestatem absolvendi. Sic pariter *si spectetur subjectum, quod sit capax absolutionem recipiendi valide*, toties absolutio invalide recipitur a pœnitente, quoties accedit ad sacerdotem ligatus aliqua censura; prius enim pœnitens debet absolvi a censuris, quam absolvatur a peccatis, inquit D. Thom. *Quamdiu etenim*, inquit, *aliquis est excommunicatus, non potest percipere aliquod Ecclesiæ Sacramentum*. Suppl. qu. 20. art. 2. ad 2.

Consect. 5. De Extrema Unctione valida vel invalida ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis.

Toties Extrema Unctio confertur, & accipitur valide, quoties datur a Ministro legitimo, scilicet a sacerdote, & recipitur a subjecto capaci, scilicet baptizato ægrotante; quia tunc nihil impedit validitatem Extremæ Unctionis. Toties vero Extrema Unctio confertur, & accipitur invalide, quoties confertur ab alio, quam a sacerdote, & recipitur ab alio, quam a Christiano ægrotante: etenim Minister Extremæ Unctionis est homo sacerdos, & subjectum Extremæ Unctionis est homo infirmus. Utrumque indicant hæc verba Jacobi cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*. Et Chrysostom. lib. de sacerdot. cap. 6. *Laici non habent jus orandi, nec ungendi in nomine Domini*.

Sic si determinetur Minister conferens valide Extremam Unctionem, tunc censenda est valida, quando confertur per sacerdotem infirmo baptizato periculose decumbenti, ut ait Trid. sess. 14. cap. 3. ubi dicit Synodus, verbis Jacobi ostendi *proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros . . . & hanc unctionem esse adhibendam infirmis, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud vitæ discrimen inciderint*. Sic si deter-

determinetur Minister invalide & frustra attentans conferre Extremam Unctionem, invalida est Extrema Unctio collata a Laico, vel a Clerico non sacerdote; quia solus sacerdos est hujus sacramenti Minister; Juxta illud Trid. sess. 14. de Extrema Unct. Can. 4. *Si quis dixerit . . . proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.*

Sic si inquiratur subjectum attentans recipere Extremam Unctionem invalide, invalida est Extrema Unctio, si recipiatur vel ab homine non baptizato, vel ab homine baptizato quidem, sed qui numquam fuerit capax peccandi, vel ab homine peccatore quidem, sed non infirmo: quia hæc tria requiruntur in subjecto Extremæ Unctionis. Primo, qui ungitur debet esse baptizatus: quia baptismus est janua omnium sacramentorum. Deinde debet fuisse capax peccatorum actualium; etenim sacra hæc unctio debet abstergere peccatorum actualium reliquias: unde ait Jacobus, *si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Demum debet esse infirmus; ideo Apostolus addit; *oratio fidei allevabit infirmum*.

Unde pueri ante usum rationis, item perpetuo amentes non sunt capaces hujus sacramenti; quia non habent peccata, quorum reliquiæ abstergendæ sint: bene tamen illi amentes, qui olim habuerunt usum rationis, licet aut vi morbi, aut alio casu sublati sint: isti enim, si antea hoc sacramentum petierint, vel ante amentiam, vel per lucida intervalla, debent eo sacramento inungi: de his ita loquitur Divus Thomas. *Illis, qui non non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet, & præcipue furiosis, & amentibus, qui possent irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere, nisi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum agnoscerent, & sic illis conferri in illo statu posset.* Suppl. q. 32. a. 3. in corp. De pueris vero sic habet: *Forma hujus Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, & auditum: ergo eis dari non debet hoc Sacramentum*. a. 4. ibid.

Unde pariter fideles adulti sani, aut tantum leviter infirmi, non sunt capaces hujus sacramenti, quod institutum est solum pro fidelibus periculose ægrotantibus, ex quocumque casu infirmitas proveniat, sive ex vulnere, sive ex vi morbi, sive ex senectute: de quo ita Divus Thom. *Dicendum*, inquit, *quod hoc Sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam; & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium*. Suppl. q. 32. a. 2. in c.

Unde etiam qui sano sunt corpore, quamtumvis præsentissimum adeant periculum mortis, v. g. hi qui mare transmissuri sunt, aut prælium commissuri, aut qui capitis condemnati ad certum mortis supplicium ducuntur, incapaces sunt hujus sacramenti; quia infirmi non sunt ea infirmitate, quæ mentem dejicit, quæque proinde per hoc sacramentum alleviari debeat. Unde Trid. vult illam unctionem illis solum conferri, *qui periculose decumbunt*.

Consect. 6. De ordine valide, vel invalide ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis.

Toties Ordo VALIDE confertur, quoties datur ab Episcopo rite consecrato; toties vero INVALIDE confertur, quoties ordinarie loquendo datur ab alio, quam ab Episcopo; quia potestatem conferendi Ordines habet ex sui consecratione omnis, & solus Episcopus, saltem tamquam Minister ordinarius: sicut enim præfecto Reipublicæ competit disponere de officiis publicis, iisque idoneos homines præficere; ita & Episcopo tamquam Ecclesiæ præfecto competit Ministros per ordinem consecrare. Sic Christus, ut summus sacerdos, Apostolos consecravit Apostoli Diaconis a plebe electis manus imposuerunt; Paulus, & Barnabas ab his Episcopis, qui præerant Ecclesiæ Antiochenæ ordinati sunt, & ipsemet Paulus, & Barnabas facti Episcopi constituerunt Presbyteros per singulas Ecclesias: inde est, quod juxta Canones Apostolorum, Episcopi a duobus, aut tribus Episcopis ordinantur, Presbyteri vero, & Diaconi, & alii Clerici ab uno Episcopo consecrantur. Continuam illam Ecclesiæ praxim circa ordines conferendos paucissimis verbis expressit Eugenius IV. *Ordinarius*, inquit, *Minister hujus Sacramenti est Episcopus*.

Toties Ordo INVALIDE recipitur, quoties recipitur a masculo non baptizato; vel quoties recipitur a femina etiamsi baptizata; VALIDE vero recipitur, quoties qui ordinatur, masculus est, & baptizatus. Masculus non baptizatus est incapax cujuscumque sacramenti: ergo & Ordinis. Femina vero etiam baptizata est incapax Ordinis propter statum subjectionis, quæ mulieri in Ecclesia competit. *Cum igitur*, inquit Divus Thom. *in sexu feminea non possit significari aliquis eminentiæ gradus, quia mulier statum subjectionis habet, ideo non potest Ordinis Sacramentum suscipere*. Suppl, qu. 39. art. 1. in corp. Diaconissæ autem, aut Presbyterissæ, de quibus fit mentio in decretis, non erant vere ordinatæ, sed erant vel uxores Diaconorum, aut Presbyterorum, quæ sese Deo, consentientibus viris, consecraverant, vel erant piæ mulieres, quæ in aliquibus actibus Diaconos, & Presbyteros imitabantur: v. g. instruebant privatim personas ejusdem sexus, vel circa eas, dum baptizarentur, exercebant quædam officia, quæ exerceri a Diaconis, vel Presbyteris modestia Christiana non patiebatur.

Sic, *si quæras Ministrum validum Ordinis*, VALIDE confertur Ordo ab Episcopo quocumque, etiam publice excommunicato, suspenso, degradato, hæretico, schismatico, ut late probat Aug. lib. 2. contra Parmenianum; character etenim Episcopalis, quo valide conferuntur Ordines, nullo scelere amitti potest: inde est, quod hæretici ad Ecclesiam redeuntes non ordinentur iterum, nec illi qui fuerunt ordinati ab hæreticis rite ordinatis, modo ordo collatus sit juxta formam a Christo, & Ecclesia præscriptam. Unde in Nicæno Novatiani, v. g. & Meletiani ad Ecclesiam redeuntes, suis honoribus functi sunt, eo quod ordinati fuerant juxta formam & a Christo præscriptam, & ab Ecclesia universali usurpatam. Cataphryges vero sancti Nicæni Patres denuo ordinari præceperunt, eo quod in eorum ordinatione servata non fuisset forma ab Ecclesia præscripta: de quo ita D. Thom. suppl. q. 58. art. 2. in corp. *Aliqui dicunt*,

dicunt: inquit, *quod haeretici vera sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter insufficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae; & hoc est tertia opinio Ecclesiae, quae vera est*: ergo supponit sanctus Doctor quod haeretici vere Sacramentum Ordinis conferunt.

Sic etiam juxta Divum Thom. minores Ordines valide conferuntur a simplici sacerdote per Papam delegato; ita enim habet Sanctus Doctor: *Dicendum*, inquit, *quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quae ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Christi corpus: & ideo ex ejus commissione aliquis simplex Sacerdos potest conferre minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos, neo iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos*. Suppl. q. 28. art. 1. ad 3.

Sic Ordo potest VALIDE conferri ab Episcopo non proprio; quia habet characterem Episcopalem: quod enim Episcopus non ordinet, nisi sibi subditos, necessarium est necessitate praecepti, & non necessitate Sacramenti.

Sic, *si quaeras subjectum, quod possit* VALIDE *recipere Ordines*, valide ordinatur vir quilibet masculus baptizatus, in quocumque sit statu, in quacumque aetate; quia hoc ipso quod habet characterem baptismalem, potest characterem Ordinis recipere; nec est necesse necessitate sacramenti, quod prius confirmationem receperit; qui enim est membrum Ecclesiae per baptismum, potest in Ecclesia aliis praefici per Ordinem: unde perpetuo amentes, caeci, muti, manci valide possunt ordinari; licet enim sint jure naturali inhabiles ad exercitium munium ecclesiasticorum, non tamen ad recipiendum characterem Ordinis: Item ordinari possunt excommunicati, suspensi &c. & irregulares &c. etsi enim jure ecclesiastico suspensi maneant ab exercitio muneris ecclesiastici, vere tamen characterem recipiunt ejus Ordinis, qui eis confertur: item valide ordinantur pueri in cunis, modo sint baptizati; quia usus rationis requiritur ad receptionem Ordinum necessitate praecepti, & non necessitate sacramenti, ut docet D. Th. Suppl. tota q. 39.

Sic, *si quaeras Ministrum invalide seu frustra ordinantem*; quicumque non Episcopus, aut saltem non sacerdos delegatus a Papa, si attentet Ordines conferre, nihil efficiet: & ita omnia Laicus in quacumque dignitate sit constitutus, sive Princeps, sive Rex, sive Imperator existat, si Ordines conferre attentaverit, nihil omnino confiriet.

Sic, *si quaeras subjectum incapax recipiendi Ordines*, quaecumque femina, in quacumque sit dignitate, aut quicumque masculus non baptizatus, si forte attentent Ordines recipere, nihil recipient.

Consect. 7. De matrimonio valido, vel invalido ratione Ministri conferentis, vel subjecti recipientis. Posito quod contrahentes sint Ministri conferentes sibi mutuo sacramentum matrimonii, ut volunt insignes Theologi, toties matrimonium erit invalidum, quoties partes contrahentes erunt inhabiles ad contrahendum vel jure naturae, vel jure civili, vel jure ecclesiastico; quia tunc non censebuntur destinati a Christo ad conferendum, vel recipiendum hoc sacramentum. Toties vero matrimonium erit validum, quoties jure naturae, jure civili, & ecclesiastico erunt habiles ad contrahendum; tunc enim censebuntur destinati a Christo ad conferendum, vel recipiendum hoc sacramentum. Sed si partes contrahentes non sint Ministri hujus Sacramenti, sed sint solum subjectum recipiens, toties matrimonium erit invalidum, quoties partes contrahentes erunt inhabiles ad contrahendum; quia inhabilitas ad contrahendum impedit validitatem contractus. Matrimonium vero toties erit validum ex parte contrahentium, quoties partes erunt habiles ad contrahendum; ex ea enim parte tunc nihil impedit valorem matrimonii. Sed quia non facile concipitur, quandonam jure naturae, civili, & ecclesiastico homines sint habiles ad matrimonium; ideo sit.

ARTICULUS SPECIALIS DE MATRIMONIO.

Quandonam jure naturali, civili, & ecclesiastico homines sint habiles, vel inhabiles ad contrahendum Matrimonium.

§. I. *Quandonam Matrimonium nullum sit jure naturali, vel positivo divino.*

PRop. 1. Toties matrimonium INVALIDE seu frustra contrahitur, quoties qui attentant contrahere, jure naturali vel positivo divino sunt inhabiles ad matrimonium, quales sunt hi, qui hoc carmine continentur.

Errans, invitus, junctus, non tinctus, & impos.

Prob. ratione. Ex dictis ubi de contractibus: qui jure naturali, vel divino positivo sunt inhabiles ad contrahendum, si attentent contrahere, nihil efficiunt; quia inhabilitas vel naturaliter, vel divinitus inducta impedit contractum: nullus enim est major defectus in contractibus, quam inhabilitas inducta jure naturali, vel divino: Atqui matrimonium est contractus naturalis, cum Justinianus conjunctionem maris, & feminae inter contractus naturales adnumeret: Ergo qui jure naturali, vel divino positivo sunt inhabiles ad matrimonium, si attentent matrimonium contrahere, nihil efficient. Atqui errans, invitus, junctus, impos, jure naturali sunt inhabiles ad matrimonium, *non baptizatus* vero jure positivo divino: Ergo si attentent contrahere, nihil efficient: *errans* quidem, quia nescit quid contrahendo agat: *invitus*, quia non libere, sed coacte operatur: *junctus*, qui enim ligatus est uni parti, non potest vivente comparte se iterum alteri conjungere: *non baptizatus* jure evangelico est incapax matrimonii, quod sit simul & sacramentum, & contractus; quia cum baptismus sit janua Sacramentorum, nullus potest recipere Sacramenta Christi, nisi sit baptizatus: Ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. In quo explicatur haec vox *Errans*. Qui

Digitized by Google

contrahit matrimonium ex errore terminato ad *substantiam*, v. gr. qui ignoranter ducit Mariam pro Berta, vel Petrum pro Paulo, *invalide* contrahit; quia ex dictis ubi de contractibus cap. 2. artic. 1. ut contractus naturales sint validi, requiritur, & sufficit, quod contrahentes libero consensu se obligent, qui liber consensus intervenire non potest, quoties ignoratur substantia rei, quæ est materia contractus: si tamen error sit solum circa accidentia, contractus est validus: v.g. qui ducit pauperem loco divitis, stupratam loco virginis, deformem loco pulchræ, *valide* contrahit; error enim circa accidentia rei, quæ est materia contractus, non impedit consensum liberum, nisi ea accidentia tanta essent, ut in substantiam rei redundarent; puta, si filia Principis contraheret cum plebejo, putans contrahere cum filio Regis; item qui contraheret cum serva, putans contrahere cum libera, invalide contraheret; quia error ille, etsi circa accidentia, redundat tamen in substantiam: est enim hujusmodi, quod si cognita fuissent hæc accidentia, non initus fuisset contractus, ut dicit D. Th. Vide tom. 1. de contr. art. 2. vide etiam D. Thom. supplem. qu. 51. art. 2. ad 5. Idem dicendum de errore circa accidentia, quæ primo & per se fuerunt causa & motivum ineundi matrimonium, ita ut his deficientibus non fuisset contractum.

Confect. 2. In quo explicatur hæc vox *invitus*. Qui contrahit matrimonium cum consensu vi extorto, *invalide contrahit*; quia, ut diximus de contractibus c. 2. art. 1. ut contractus naturales sint validi, requiritur, & sufficit, quod contrahentes libero consensu se obligent: qui liber consensus haberi non potest, quoties intervenit violentia liberam electionem impediens.

Sic qui contrahit matrimonium per metum absorbentem omnino usum rationis, sive metus ille sit juste, vel injuste incussus, *invalide* contrahit, quia jure naturæ metus quilibet absorbens usum rationis, impedit ne contractus sit validus: libertas enim esse non potest, ubi non est usus rationis.

Sic etiam qui contrahit matrimonium per metum injuste incussum, & cadentem in constantem virum, *invalide* contrahit; non quidem ex vi juris naturæ, quia metus etiam injuste incussus relinquens usum rationis facit voluntarium *absolute*, & involuntarium secundum *quid*; bene tamen ex vi juris civilis & ecclesiastici; quia jus utrumque civile & canonicum irritat hujusmodi matrimonia per metum injuste incussum inita. Vide tom. 1. de contract.

Si vero metus cadens in constantem virum oriatur a causa naturali, vel juste a causa libera incutiatur, matrimonium per jura non irritatur, tunc enim contrahens nihil iniquum patitur, & omnibus pensatis censetur, libere tale acceptare matrimonium: v.gr. si quia monitus a medico se diu non victurum, nisi ducat uxorem, etsi metu mortis contrahat matrimonium, *valide* contrahit; quia metus ille non injuste incutitur. Item si deflorator metu æternæ pœnæ contrahat matrimonium cum virgine, quam defloravit, *valide* contrahit; quia metus ille non est injuste incussus. Demum si qui damnetur a judice, ut vel mortem eligat, vel virginem, quam defloravit, in uxorem ducat, *valide* matrimonium contrahit; quia metus ille non injuste incutitur.

Confect. 3. In quo explicatur illa vox *Junctus*. Uterque conjux sive vir, sive femina, qui vivente comparte cum altero contrahit matrimonium, *invalide* contrahit. Primo quidem ex vi juris naturalis; etenim uterque conjux habet corpus suæ compartis in sua potestate juxta illud Pauli: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier*. Ergo si neuter conjux habeat potestatem sui corporis: neuter potest *valide* matrimonium, vivente comparte, contrahere: & sicuti nequeo iterum dare, quod jam dedi, neque iterum vendere, quod jam vendidi, ita ubi dedi per matrimonium corpus meæ comparti, non possum *valide* dare alteri, nisi dispenset per legem superiorem. Idro dicit Innocentius III. *Nec ulli umquam licuit simul plures habere uxores, nisi cui fuit divina revelatione concessum... per quam... Patriarchæ & alii viri justi, aut plures leguntur simul habuisse uxores, & ab adulterio excusantur*. Cap. *Gaudemus*. Id enim præstiterunt, *non lasciviendi, sed generandi causa*, inquit August. lib. 22. cont. Faust. c. 47. Secundo, illud idem vetatur jure positivo divino; Christus enim matrimonium ad primævam institutionem reduxit, juxta quam Deus unum cum una, solum cum sola conjunxit juxta illud: *Masculum & feminam fecit eos*. De quo ita Trident. *Si quis dixerit licere plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*.

Sic si alter conjux, vivente comparte, cum alio matrimonium contrahat, *invalide* contrahit, & cogitur redire ad priorem conjugem: unde quantocumque tempore absit alter conjux, non debet permitti matrimonium, nisi certo constet de morte absentis.

Confect. 4. In quo explicatur hæc vox *Impos*. Nemo sive vir, sive femina impotens ad carnalem copulam, potest matrimonium *valide* contrahere; matrimonium quippe est mutua traditio corporum in ordine ad usum conjugalem: ergo *invalide* contrahunt qui ad hujusmodi usum sunt impotentes, & inhabiles.

Sic numquam possunt matrimonium contrahere qui sunt impotentes *absolute*, quales sunt Eunuchi, eviirati, quales sunt senes decrepiti, juxta quosdam auctores, & quales sunt feminæ adeo arctæ, ut nullatenus sint viri patientes; quia impotentia absoluta ea est, quæ duratura est semper, & quæ nullo remedio tolli potest; hujusmodi autem est prædicta impotentia.

Sic certo tempore, & cum certis personis nequeunt matrimonium contrahere qui sunt impotentes solum *respective*; quia impotentia respectiva ea est, quæ vel se extendit ad certas solum personas, vel ad certum tantum tempus, aut quæ vel remediis medicis, vel precibus Ecclesiæ tolli potest: & ita *invalide* contrahit cum virgine, minime vero cum vidua, qui est impotens relative ad virginem, & non relative ad viduam. Item *invalide* contrahit infans ante decimum quartum annum, nisi, ut dicunt, malitia, seu vis aliqua insueta ætatem suppleat, qui transacto pubertatis

tempore *valide* contrahet. Demum *invalide* contrahit vir, mulier, stante impotentia, qua sublata vel per artem medicorum, vel preces Ecclesiæ, *valide* poterit contrahere.

Consect. 5. In quo explicantur hæc vox *non tinctus*. Matrimonium contractum inter baptizatum, & non baptizatum numquam fuit validum in ratione Sacramenti: quia Sacramentum diversum a baptismo non potest recipi ab eo, qui non est baptizatus: validum vero semper fuit in ratione contractus naturalis; quia ad Matrimonium, prout est solum contractus, & officium naturæ, sufficit consensus partium sibi mutuo corpora apta ad generationem tradentium, quod contingere potest inter baptizatum, & non baptizatum. Validum autem in ratione contractus civilis tamdiu habitum est, quamdiu non fuit per sæculares Principes declaratum irritum; contractus enim libere initus est civiliter validus, si non declaretur irritus.

Sic primis Ecclesiæ temporibus matrimonia a Paganis inita ante conversionem, non irritabantur, si una tantum pars converteretur: sed pars fidelis poterat habitare cum infideli, modo ista nihil tentaret contra honorem Christi; sic enim pars infidelis disponebatur ad conversionem per fidelem.

Sic postea, ineunte quinto sæculo, legibus Imperatorum Matrimonia inita inter baptizatos, & non baptizatos fuerunt civiliter declarata irrita, quibus legibus acquievit Ecclesia. Eam legem habes in codice Theodosiano lib. 9. tit. 7. leg. 5. *Ne quis*, inquit, *Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judæa Christianus conjugium sortiatur: nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujus crimen obtinebit.*

Sic jam universali Ecclesiæ consensu cultus disparitas dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, immo etiam catechumenum, quamvis olim validum censeretur matrimonium, si catechumenus promitteret se fore Christianum, ut patet ex Can. 67. Conc. Agat. an. 506.

§. II. *Quandonam Matrimonium nullum sit jure Ecclesiastico.*

Prop. 2. Toties matrimonium *invalide* contrahitur, quoties qui attentant contrahere jure Ecclesiastico sunt inhabiles ad contrahendum: quales sunt hi, qui istis carminibus continentur.

Infans, affinis, cognatus, qui Ordine sacro
Nectitur, aut voto, factusve occisor, adulter,
Sperans conjugium, aut fuerit sponsalis honestas.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.

Prob. Ratione. Ex dictis ubi de contractibus, qui ex jure ecclesiastico sunt inhabiles ad contractus ecclesiasticos, seu quos Ecclesia dirigit, si attentent contrahere, nihil efficient. Sicuti enim inhabilitas jure naturali, vel divino inducta, reddit contractum naturalem nullum, ita inhabilitas jure Ecclesiastico inducta reddit contractum Ecclesiasticum nullum.

Sic qui jure Ecclesiastico declarantur inhabiles ad vovendum solemniter, si attentent vovere, nihil efficiunt: atqui matrimonium est contractus Ecclesiasticus, seu quem Ecclesia debet dirigere, quia ex Tridentino sess. 24. can. 6. Ecclesia potest constituere impedimenta matrimonium dirimentia: Ergo qui ex vi juris Ecclesiastici sunt inhabiles ad matrimonium, si attentent contrahere, nihil efficient. Sed qui exprimuntur prædictis versibus, sunt jure Ecclesiastico inhabiles ad matrimonium, ut patebit ex explicatione cujuscumque vocis in particulari: Ergo si hi, qui his versibus exprimuntur, attentent contrahere, nihil efficient.

2. Ex dictis ubi de contractibus. Ad Rempublicam pertinet apponere conditiones contractibus ipsam respicientibus, quibus non observatis, contractus sint nulli. Sic testamenta juris solemnitatibus destituta, sunt nulla; Atqui Ecclesia est Respublica, & matrimonia ipsam Ecclesiam maxime respiciunt cum ordinentur ad perpetuitatem Ecclesiæ: Ergo ad Ecclesiam pertinet statuere certas conditiones, quibus non servatis, matrimonia sint nulla. Inde est quod Trid. sess. 24. cap. 4. sic loquatur: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse, anathema sit.* Siquidem, ut optime ratiocinatur D. Th. *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ: in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est Sacramentum, statuitur jure Divino* seu Ecclesiastico: *Et ideo ex qualibet dictarum legum... potest persona effici ad matrimonium illegitima.* In 4. dist. 4. a. 1. ad 4.

2. Ex factis. Ecclesia, non reclamantibus, immo obedientibus Imperatoribus, varia apposuit impedimenta dirimentia, quæ in Scripturis non continentur: Ergo signum est eam accepisse a Christo vim statuendi impedimenta. Antecedens patebit inductione. Basilius ob consuetudinem in Ecclesia observatam declarat hominem viduum invalide contraxisse matrimonium, eo quod sororem mortuæ suæ conjugis duxerat. Concilium Neocæsareense ann. 314. jubet, ut mulier, quæ duobus fratribus successive nupserat, solvat matrimonium secundum, utpote invalidum, can. 2. Concil. in Hibernia habitum sub Patritio can. 17. ann. 550. declarat irritum, & nullum matrimonium cum Virgine Deo sacrata habitum. Septimo circiter sæculo Gregor. Magnus sub pœna nullitatis prohibuit iniri matrimonia intra primum, & secundum consanguinitatis gradum. Postea vero cautum est ne sub pœna nullitatis ineretur matrimonium intra septimum gradum, ut patet ex Gratiano. Tandem consanguinitas dirimens matrimonium ad quartum gradum inclusive in Lateranensi sub Innoc. III. & in Trident. coarctata est. Alia plura impedimenta statuit Ecclesia, quibus non solum Principes sæculares non contradixerunt, quin immo illis legibus humiliter obtemperarunt; nam Carolus Magnus, lib. 6. Capitularium n. 7. ait: *De reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patrum, & juxta decreta Canonum judicetur.* Ergo Ecclesia potita est jure inducendi impedimenta matrimonium dirimentia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In quo explicatur hæc vox *impubes*, *infans*. Masculus ante decimum quartum annum, femina ante decimum secundum, *valide* ut plurimum contra-

trahere non possunt; quia, nisi malitia præveniat ætatem, nec sufficienter deliberare, nec actum conjugalem exercere valent; ideo jus canonicum l. 4. Decretalium tit. 2. c. 3. irritat matrimonium ante illud tempus initum, nisi malitia præveniat ætatem; quo in casu si carnaliter copulati fuerint, eorum matrimonium validum erit, & indissolubile, ut docet D. Th. Suppl. q. 58. a. 5. in corp.

Confect. 2. In quo explicatur hæc vox *cognatus*. Secundum præsentem Ecclesiæ praxim in Concilio Lateranensi constitutam, & in Tridentino renovatam, matrimonia consanguineorum nulla sunt usque ad quartum gradum inclusive: illud habes ita determinatum expresse 4. Decretalium tit. 13. Ratio hujus disciplinæ potest esse duplex, prima est concupiscentiæ repressio; secunda vero est conjugalis familiaritatis conservatio; Concupiscentia enim non reprimeretur, sed cresceret, ut ait D. Th. suppl. q. 54. a. 3. *Si qualibet consanguinea posset in matrimonium duci; quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta.* Deinde cessaret omnino familiaritas conjugalis inter sponsos, si consanguinei ascendentes, & descendentes possent simul inire conjugium; filius enim debet matri & aviæ, & nepos debet matertetæ & promatertetæ reverentiam aliquam, quæ stare non potest cum familiaritate conjugali. Hanc rationem tangit Scriptura, dum dicit: ne reveles turpitudinem talis, & talis, v. g. matris, materteræ, &c.

§. III. *Quæ sint necessaria ad intelligendum, quantum pateat impedimentum cognationis.*

Nota. Cognatio est propinquitas personarum conjunctarum vel per naturam, vel per legem Ecclesiasticam, aut civilem. Et ideo triplex est cognatio: carnalis, quæ fit per naturam: civilis, quæ fit per legem civilem: & spiritualis, quæ fit per legem Ecclesiasticam.

De cognatione carnali, quæ fit per naturam.

Cognatio carnalis est propinquitas personarum eodem sanguine conjunctarum, ideo dicitur consanguinitas. Ad cognoscendam cognationem carnalem requiritur cognitio linearum & graduum.

Linea in *consanguinitate* est ordinata collectio plurium ab eodem stipite provenientium: sicuti enim linea est collectio punctorum, quæ videntur fluere ab uno; ita in *consanguinitate* linea est collectio plurium personarum ab eadem provenientium.

Gradus in consanguinitate est mensura, qua cognoscitur consanguineorum distantia: sicuti enim per gradus longitudinis, & latitudinis cognoscitur quantum duæ, v. g. urbes distent a polis, & inter se, ita per gradus consanguinitatis cognoscimus, quantum consanguinei distent a communi stipite, & inter se.

Linea in consanguinitate alia est recta, alia est obliqua seu collateralis. Recta est patrum, filiorumque, nepotum, ac pronepotum, &c. quorum alter ab altero sanguinem accipit. Obliqua vero est fratrum, & consobrinorum germanorum, & aliorum, qui ab aliquo tertio sanguinem ducunt.

Linea recta, & obliqua considerari possunt vel ascendendo, vel descendendo. Considerantur descendendo, quando spectantur ii, qui a communi stipite orti sunt. Considerantur vero ascendendo, quando spectantur hi, a quibus communis stips ducit originem.

Regulæ ad cognoscendos gradus consanguinitatis.

Regula I. Ut cognoscatur gradus consanguinitatis, duum accedunt, qui volunt Matrimonium contrahere, quærendum est ab uno eorum, qui se conjungere cupiunt.

1. Quis pater tuus? En primum gradum.
2. Quis avus tuus? En secundum gradum.
3. Quis proavus tuus? Ecce tertium gradum.
4. Quis abavus tuus? Ecce quartum gradum.

Idem ab altero quærendum: & tantum distabunt inter se, quantum a stipite communi remotior distabit.

Regula II. Tot sunt gradus in linea ascendente, vel descendente, quot sunt personæ numeratæ, una dempta. Una persona debet demi; quia communis stips est terminus, a quo incipimus numerare: ergo una persona debet demi. Sic pater & filius sunt in primo gradu; pater & nepos sunt in secundo; & sic descendendo vel ascendendo, vel ad latera excurrendo, numerare poteris gradus omnes.

Regula III. Personæ æqualiter distantes a communi stipite tot distant gradibus inter se, quot distant gradibus a communi stipite; quia gradus sunt mensura: Ergo cum sit eadem mensura a stipite ad descendentes, quæ descendentium inter se, eadem erit distantia.

Sic duo fratres sunt in primo gradu; quia distant uno gradu a patre. Duo consobrini sunt in secundo gradu; quia distant duobus gradibus a communi stipite.

Regula IV. Personæ inæqualiter distantes, tot gradibus distant inter se, quot gradibus persona remotior distat a stipite communi; quia cum impedimentum Matrimonii sit res odiosa, & odia sint restringenda, a remotiori persona numeramus potius quam a proximiori: unde patruus, & nepos sunt consanguinei in secundo gradu.

De cognatione legali.

Cognatio legalis est propinquitas personarum adoptione conjunctarum. Cognatio legalis dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum ejusque descendentes, & hoc propter similes rationes, quas de consanguinitate attulimus. Siquidem adoptatus debet habere quamdam reverentiam ergà adoptantem, quæ stare non potest cum familiaritate conjugali. Item sub spe Matrimonii accenderetur concupiscentia per frequens commercium inter adoptantem & adoptatum, si matrimonium inter eos non interdiceretur.

Unde ad sequentes personas extendit se cognatio legalis: primo inter adoptantem, & adoptatum; quia adoptans se habet ut pater, adoptatus se habet ut filius: secundo inter adoptantem & adoptati conjugem, & vice versa; quia conjuges habent rationem unius juxta illud: *erunt duo in carne una*: ergo si intervenias cognatio conjugalis cum una parte, intervenit pariter cum alia: tertio inter adoptantem, & adoptati filios legitimos usque ad quartum gradum, & vice versa; quia adoptio

imitatur generationem carnalem: ergo sicut generatio carnalis consanguinitatem inducit usque ad quartum gradum ex vi juris canonici, ita ad prin debet inducere cognationem legalem usque ad quartum gradum ex vi juris civilis.

De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est propinquitas personarum baptismo, vel confirmatione conjunctarum. Cognatio spiritualis dirimit matrimonium inter istas personas, quas indicat Tridentinum his verbis: *Docet experientia*, inquit Sancta Synodus, *propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur ... Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublatis*. Sess. 24. c. 2. de reform. Illi ergo soli cognationem spiritualem contrahunt, qui comparari possunt ad invicem, sicuti patres & filii spirituales, vel sicuti fratres, aut si vis, sicuti congenerantes, sed diversimode; alii corporaliter, alii spiritualiter: v. g. baptizans & baptizatus comparantur sicut pater & filius; patrinus & matrina sunt quasi patres spirituales baptizati: baptizans, patrinus, & matrina sunt quasi fratres, aut quasi congenerantes cum parentibus carnalibus baptizati; isti siquidem generant corporaliter, illi vero generant spiritualiter. Idem simili ratione dicendum de confirmatione.

Consect. 3. In quo explicatur hæc vox *affinis*. Secundum præsentem Ecclesiæ praxim affinitas, idest propinquitas, quam vir contrahit cum consanguineis illius mulieris, cum qua habet copulam carnalem, & propinquitas illa, quam mulier contrahit cum consanguineis viri, cum quo habet carnalem copulam; illa, inquam, affinitas dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, quando copula est licita, & in legitimo matrimonio exercita. Causa 35. q. 5. can. 3. Dirimit vero matrimonium usque ad secundum gradum inclusive, quando est illicita, & fornicaria, præceditque matrimonium; ita Trid. sess. 24. c. 4. si vero copula carnalis sit adulterium, & exerceatur post matrimonium jam contractum, non dirimit matrimonium jam initum, sed privat conjugatum reum jure exigendi debitum conjugale a comparte, nisi per inculpabilem errorem facti copula acciderit. Caus. 34. q. 6. & 4. Decretalium tit. 13. c. 6. & 10.

Ratio autem hujus disciplinæ Ecclesiasticæ juxta D. Th. est, *quod sicuti est necessitas quædam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita & affinibus; & sicuti est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita & inter affines*: & proinde ne sub spe matrimonii accendatur concupiscentia, vetat Ecclesia inter affines iniri posse legitimum conjugium: item, ut inter conjugatos servetur conjugalis familiaritas, quæ vix stare posset cum ea reverentia, quæ debetur affinibus. Prohibitum est pariter inter affines conjugium usque ad certos gradus: scilicet usque ad quartum quando copula est licita, usque ad secundum quando copula est illicita.

Ad cognoscendam affinitatem iisdem regulis utendum, quibus usi sumus ad cognoscendam consanguinitatem; cum enim commixti carnaliter fiant una caro, vir fit affinis cum consanguineis illius feminæ, cum qua commiscetur, & hoc in eodem gradu, in quo est femina: & pariter femina fit affinis consanguineorum illius viri, cum quo habet commercium carnale, & hoc in eodem gradu, in quo est vir; ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectæ, sive transversæ lineæ, is fit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ, vel transversæ.

Consect. 4. In quo explicantur hæ voces *qui Ordine sacro nectitur, aut voto*. Qui est in Ordinibus sacris, vel emisit votum solemne castitatis in Religione approbata, nequit matrimonium VALIDE contrahere; quia juxta præsentem Ecclesiæ praxim votum solemne Religiosorum, & lex Ecclesiastica imposita Subdiaconis de servanda castitate matrimonium dirimit, ut docet Trid. sess. 24. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, anathema sit*.

Consect. 5. In quo explicantur hæ voces *factusve occisor, adulter, conjugium sperans*. Qui sub spe matrimonii ineundi cum ea comparte, quam deperit, aut machinatur occisionem illius sponsi, quocum persona amata matrimonio ligatur, aut adulterium ab ea extorquet, promittendo matrimonium, ubi demortua fuerit pars conjugata, quæ impedimento est, ne matrimonium ineatur; ille, inquam, qui tale crimen occisionis, aut adulterii committit, inhabilis est ad matrimonium ineundum cum persona quæ aut hujus homicidii, aut adulterii fuit conscia; Ecclesia enim voluit ea lege removere a conjugatis occasiones aut adulterii committendi sub spe futuri matrimonii, aut moliendi odiosæ compartis mortem, quam facile intendissent plures conjugati, si affulsisset spes ineundi matrimonium cum persona inique amata, & adulterii, aut homicidii complice.

Sic Titius, & Berta conjugati non quidem simul, sed Titius cum Maria, Berta cum Petro, Titius tamen, & Berta mutuo sese amore depereunt, committuntque adulterium, promissione data, & acceptata ineundi matrimonium ad invicem, ubi Maria, & Petrus mortui fuerint; etsi nihil faciant, quod mortem acceleret, tamen inire invicem matrimonium non possunt. *Non licet*, inquit Concilium Triburiense an. 895. can. 10. *ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio*. Si tamen committeretur adulterium sine tali promissione, aut si promissio offerretur, sed non acceptaretur, tunc valide posset contrahi matrimonium, ut dicit Aug. *Mortuo*

viro

Digitized by Google

viro, inquit, *cumque verum connubium fuit, fieri potest conjugium cum quo præcessit adulterium*. De nuptiis, & concupiscentia, lib. 1. cap. 10.

Sic idem Titius, & Berta post adulterium ab ipsis commissum, machinantur mortem vel Petri, vel Mariæ, & ex tali machinatione sequitur mors, non possunt simul inire matrimonium, ut expresse docet Alexander III. cap. *Super hoc*, de eo, qui duxit uxorem, quam polluit adulterio, ubi sic loquitur: *Tibi respondemus, quod si adulter est in mortem uxoris aliquid machinatus, sive dedit fidem, sive non, quod, ea defuncta, hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuo est servanda*. Si vero ex machinatione non sequatur mors, & adulterium commissum fit sine spe matrimonii, contrahi potest matrimonium inter Titium & Bertam.

Sic idem Titius, & Berta nullum habent inter se carnale commercium, sed suis machinationibus moliuntur mutuo consensu mortem Petri, & Mariæ, ut soluti lege prioris conjugii inter se matrimonium ineant: sunt inhabiles ad tale matrimonium in pœnam homicidii commissi.

Sic si Titius conjunctus cum Maria, & vivente Maria legitima ejus conjuge, ineat nuptias, easque consummet cum Berta conjuncta cum Petro, non potest etiam post mortem Mariæ cum Berta valide inire matrimonium, si certo scierit Titium esse conjugatum, dum sponsalia eum ea iniit: ita docet Alexander III. cap. *Ex litterarum*, de eo, qui duxit uxorem, quam polluit adulterio. *Antequam*, inquit, *uxor decederet, aliam superinduxit & plures suscepit filios ex eadem, illos*, scilicet conjuges, *debes ad invicem separare. Idem vero vir, indicta de adulterio pœnitentia, aliam ducere poterit in uxorem*.

Notandum, quod si idem Titius & Berta ita se haberent, ut alter illorum esset liber a lege matrimonii, v. g. si Titius non esset conjugatus, vel Berta non esset conjugata; si tamen idem molirentur, quod diximus, simul conjugium contrahere non possent.

Consect. 6. In quo explicantur hæ voces *aut fuerit sponsalis honestas*. Quippe honestas publica est impedimentum dirimens, proveniens vel ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio invalido, vel ex matrimonio valido quidem, rato solum, & non consummato: inhonestum enim esset, ut qui valide contraxit sponsalia, vel matrimonium cum aliqua persona, ea mortua ineat matrimonium cum consanguineis illius personæ, cum qua inierat sponsalia valida, vel matrimonium etiam invalidum, aut validum, sed non consummatum: nam si consummatum esset matrimonium, tunc non interveniret *publica honestas*, sed *affinitas*. Sponsalia autem invalida nullum inducunt impedimentum; valida vero inducunt impedimentum usque ad primum gradum: ita Trident. sess. 24. cap. 3. ubi sic habetur: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*.

Matrimonium invalidum ex aliquo defectu diverso a defectu consensus inducit impedimentum usque ad primum gradum ut determinavit Congregatio Cardinalium; si vero matrimonium sit nullum ex defectu consensus, nullum inducet impedimentum. Matrimonium validum, ratum quidem, sed non consummatum, inducet impedimentum *publicæ honestatis* usque ad quartum gradum, ut determinavit Pius V. Bulla, quæ incipit *Ad Romanum* an. 1568.

Matrimonium validum, ratum, & consummatum non inducit impedimentum *honestatis publicæ*, sed affinitatis; quia conjugati facti sunt una caro. Ex quibus regulis hæc sequuntur.

Si Titius sponsalia valida inierit cum Berta, non potest inire Matrimonium neque cum ejus matre, neque cum ejus sorore, neque cum ejus filia, si quam Berta haberet: nec Berta similiter potest inire matrimonium cum patre, vel filio, vel fratre Titii; quia sunt in primo gradu: possent tamen & Titius, & Berta contrahere matrimonium cum parentibus ulteriori gradu conjunctis.

Si Titius pleno consensu iniviť matrimonium validum cum Berta, non potest inire matrimonium nec cum matre, nec cum filia, nec cum sorore Bertæ, bene tamen cum aliis parentibus Bertæ: quia priores parentes sunt in primo gradu: similiter Berta nequit inire conjugium nec cum patre, nec cum filio, nec cum fratre Titii, bene tamen cum aliis parentibus Titii, quia priores parentes sunt in primo gradu: si vero matrimonium fuerit coacte initum, poterit cum parentibus Bertæ, etiam in primo gradu existentibus, inire matrimonium.

Si Titius inierit matrimonium cum Berta validum quidem, sed non consummatum, non poterit inire matrimonium cum Bertæ parentibus usque ad quartum gradum; nec pariter Berta cum parentibus Titii.

Si Titius inierit matrimonium validum, ratum, & consummatum, non poterit inire matrimonium cum parentibus Bertæ usque ad quartum gradum, neque Berta cum parentibus Titii usque ad quartum gradum; quia affinitas ex copula licita extendit se usque ad quartum gradum.

Consect. 7. In quo explicantur hæ voces *si Parochi, & duplicis desit præsentia testis*. Si quis post decretum Tridentini, ubi decretum illum receptum est, contrahit absque præsentia Parochi, & testium, invalide contrahit: sic enim habet Concil. sess. 24. cap. 1. de reform. matr. *Qui aliter*, inquit, *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat*: quam irritationem Concilii multa Concilia provincialia in Gallia approbarunt, & observandam decreverunt, eamque Edictum Blesense an. 40. in pleno robore reliquit, & observandam esse jussit. Si quis tamen contrahat coram Episcopo suo, coram ejus Vicario Generali, coram Cardinali in Ecclesia sui tituli, coram delegato a Parocho, modo adsint duo testes, valide contrahit; quia Episcopus, Vicarius Generalis, Cardinalis in suo titulo, auctoritatem habent parochialem: delegatus vero a Parocho vices gerit Parochi. Item qui contrahit coram Parocho nolente, & coram

Digitized by Google

testibus nolentibus, modo & Parochus & testes sint vere præsentes, valide contrahit: quia ad impediendum clandestinum matrimonium sufficit, quod Parochus & testes possint vere attestari. Item qui contrahit coram Parocho nondum Sacerdote, valide contrahit: quia potest esse testis. Demum qui contrahit coram Parocho habente titulum non verum, sed tamen coloratum, quique exterius reputatur, ut verus titulus, valide contrahit; quia talis Parochus potest esse testis.

Confect. 8. In quo explicantur hæ voces *raptave sit mulier, nec parti reddita tuta*. Raptus, de quo hic agitur, est abductio personæ, sive fiat ad explendam libidinem, sive ad contrahendum matrimonium; & juxta præsentem Ecclesiæ praxim impedit matrimonium: ut expresse docet Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reform. matrim. his verbis: *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium; quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*

§. IV. *Quandonam matrimonium sit nullum, quatenus contractus civilis.*

Prop. unica. Toties matrimonium est invalidum, saltem quoad effectus civiles, quoties qui attentant contrahere, sunt jure civili inhabiles ad contrahendum: quales censeri debent, qui hoc carmine continentur.

Impediunt domini servos, natosque parentes contrahere.

Prob. ratione ex dictis ubi de contractibus. Qui jure civili sunt inhabiles ad contractus civiles, si attentent contrahere, nihil efficiunt. Sic solemniores contractus, v. g. venditiones fundi, promissiones ingentis summæ, testamenta, &c. nullum habent vigorem, si non muniantur solemnitatibus jure civili requisitis: atqui contractus matrimonialis est contractus civilis, cujus directio ad Rempublicam pertinet, cum ex validitate, vel invaliditate pendeat civium propagatio & familiarum tranquillitas: ergo qui ex jure civili declarantur inhabiles ad matrimonium, si matrimonium attentent contrahere, nihil efficient: sed qui prædicto carmine exprimuntur, per jus civile declarantur inhabiles ad contrahendum, ut patebit explicando voces prædicti carminis: ergo si attentent matrimonium contrahere, nihil efficient juxta jus civile, & proinde matrimonium erit nullum quoad effectus civiles.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. In quo explicantur hæ voces, *impediunt domini servos contrahere*. Servi qui ante manumissionem, idest non libertate donati, contrahunt matrimonium sine consensu dominorum, invalide contrahunt quoad effectus civiles; unde eorum conjugia non matrimonia dicuntur, sed contubernia: & proinde filii, qui ex tali societate oriuntur, non sunt parentum, sed Dominorum; quia quidquid servus acquirit, Domino acquirit. Hic autem servorum nomine, non intelligimus eos ministros, qui suas operas locant, quo lato nomine servos vocamus; sed intelligimus eos, qui sunt sub dominio alterius, quos mancipia vocamus, fiebantque olim aut jure belli, cum rapti ab hostibus non occidebantur, sed conservabantur; aut jure nativitatis, cum nascebantur ex captivis, aut jure venditionis, cum quis homo liber major viginti annis se venumdari patiebatur. Sed rara est apud Christianos hæc servitus, saltem apud Gallos.

Confect. 2. In quo explicantur hæ voces *impediunt parentes natos contrahere*. Filiifamilias, qui contrahunt matrimonium, invitis & reclamantibus parentibus, invalide contrahunt quoad effectus civiles apud omnes gentes, apud quas viget jus Romanum, & apud Gallos ex vi juris Gallorum; quia utrumque jus declarat illas nuptias invalidas; ita enim habet Justinianus lib. 1. Inst. tit. 10. *Justas autem*, inquit, *nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, feminæ autem viri potentes, si filiifamilias sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt: nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet .... Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex hoc coitu nascuntur ... sunt tales, quales ii, quos mater vulgo concepit*: quod idem sonat, ac si diceret, matrimonium esse nullum quoad effectus civiles. Idem habet jus Gallorum; nam Ludovicus XIII. ann. 1629. vult statutum Blesense de matrimoniis clandestinis adamussim servari.

Statutum Blesense sub Henrico III. anno 1585. art. 24. & 40.

Ad obsistendum desuetudinibus, & impedienda mala, quæ proveniunt ex clandestinis matrimoniis ... si sunt filiifamilias, aut sub alterius potestate: nos stricte inhibemus Parochis aut Vicariis, ne dicta matrimonia celebrent, aut celebrari permittant, nisi eis certo constet de parentum, tutorum, & curatorum consensu; sub pœna privationis Officii, ut fautores criminis raptus.

Decernimus, quod filiifamilias, qui insciis parentibus, & contra voluntatem, beneplacitum, & consensum eorumdem matrimonia clandestina contrahent, possint ab iisdem parentibus hæreditatibus privari, & a successionibus excludi, sine spe appellationis, exhæredatione subsecuta: & hoc ob contemptum, & ingrati animi vitium filiorum erga parentes, ob transgressionem legis & mandatorum Dei, & ob læsionem juris publicæ honestatis inseparabilis ab utilitate.

Parentibus ob supradictas causas auctoritatem concedimus revocandi, & irritos reddendi omnes, & qualescumque proventus & donationes in filiorum favorem factas filiisfamilias, qui ita illicite matrimonium contraxerint, in dicto exhæredationis casu; declaramusque incapaces utilitatis, proventus, & emolumenti, quæ eis obvenirent ratione conventionis in contractu matrimonii appositæ, aut ratione consuetudinum, & legum Regni Nostri. Quorum beneficio privamus eos, qui adversus Dei, hominumque legem se gesserint, & arcemus ut impotentes ad implorandum consuetudinis, & legis beneficium.

Ita-

Prædictis pœnis non subjiciuntur matrimonia contracta a filiis, qui 30. annorum ætatem supergressi fuerint, nec matrimonia contracta a filiabus, quæ ætatem 25. annorum compleverint, dummodo debito requirendi consilium, & rationem parentum satisfecerint. Quod pariter reverentiæ causa servari decernimus erga matres, quæ denuo nubunt, quarum judicium, & consilium sufficit requirere, sed non oportet expectare consensum.

Statutum Ludovici XIII. an. 1639. a. 39.

Statutum de Blois circa clandestina matrimonia quam stricte observari mandamus: insuper decernimus invalida esse matrimonia omnia contra hujus statuti tenorem contracta: inhibendo etiam parochis omnibus aliisque sacerdotibus tum regularibus, tum sæcularibus sub arbitraria pœna, ne matrimonia eorum celebrent qui in aliena parochia existunt, absque licentia proprii parochi vel Diœcesani Episcopi, non obstante quocumque privilegio in contrarium apposito: & de dictorum causis matrimoniorum ad Judices ecclesiasticos, juxta hunc articulum, judicare attinebit.

Ludovicus XIV. hæc eadem supradicta statuta confirmavit, & exacte observari mandavit anno 1697. mense Martio.

§. V. *An matrimonium servorum contractum invitis dominis, & filiorum familias contractum invitis parentibus sit validum, quatenus est Sacramentum.*

Prop. 1. Matrimonium servorum contractum invitis dominis, validum est, quatenus sacramentum.

Prob. 1. Ex Jure Canonico. Caus. 29. q. 2. c. 1. *Omnibus*, ubi sic habetur. *Si autem omnes*, scilicet servi & liberi, *unam legem habent: ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus, semel conjugio copulatus, ulterius dimitti poterit*. Et Conc. Cabillonense II. can. 30. *Dictum*, inquit, *nobis est, quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione diriment, non attendentes illud Evangelicum: quod Deus conjunxit, homo non separet. Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes, dominis suis serviant*. Et Conc. Later. sub Alexandro III. approbat illud Adriani decretum, quod si matrimonia servorum, Dominis invitis & contradicentibus, contracta fuerint; nulla ratione propter hoc solum Ecclesiastico jure dissolvenda.

2. Ex D. Th. *Sicut servus*, inquit, *non subditur Domino, quin libere possit comedere & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest, ita non subditur ei, quantum ad hoc, quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente aut contradicente*. Suppl. q. 52. a. 2. in corp.

3. *Rat.* Qui nullum habet impedimentum Ecclesiasticum ad matrimonium, prout est sacramentum, potest matrimonium, prout est sacramentum, valide suscipere, ut patet: atqui mancipia ratione servitutis cognitæ a contrahentibus, nullum habent impedimentum ecclesiasticum, ut patet ex Conciliis supra citatis: ergo possunt mancipia valide matrimonium in ratione sacramenti contrahere, etiam invitis dominis.

Consect. un. Quando servi post cognitam servitutem inirent ad invicem matrimonium, eadem sibi mutuo debent officia conjugalia, quæ sibi debent conjugati liberi: quia matrimonium ab eis contractum verum est sacramentum, æque eos ligans, ac si essent omnino liberi & sui juris.

Prop. 2. Matrimonium Filiorumfamilias, contractum nescientibus, aut contradicentibus parentibus, non potest pro libito parentum nullum declarari; atque ideo, attenta præcise auctoritate paterna, tale matrimonium debet censeri validum, quatenus sacramentum.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. ubi Conc. damnat eos, *qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*, ut volebant erronee Lutherani & Calvinistæ: ergo parentes, ex vi solius paternæ potestatis, non possunt matrimonia filiorum aliunde valida, irrita facere.

2. Ex D. Th. *Puella*, inquit, *non est in potestate patris, quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum, & ideo secundum hoc, quod libera est, potest se in potestatem alterius sine consensu patris dare, sicut etiam potest aliquis vel aliqua intrare in religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera*. Suppl. 3. p. q. 55. a. 5. ad 1.

3. *Rat.* Illi, qui nullum habent impedimentum Ecclesiasticum ad matrimonium, prout est sacramentum, possunt matrimonium, prout est sacramentum, valide contrahere, ut patet: atqui filiifamilias nullum habent impedimentum Ecclesiasticum, præcise ex defectu consensus parentum, ut patet ex auctoritatibus supra allatis: ergo possunt valide matrimonium in ratione sacramenti contrahere sine consensu parentum.

Consect. un. Quando filiifamilias plena libertate contraxerint matrimonium sine consensu parentum, si nulla lex vel civilis, vel Ecclesiastica reddat illud matrimonium invalidum, non obstante parentum dissensu, debent eadem sibi mutuo conjugalia officia reddere, ac si intervenisset consensus parentum; quia dissensus solus parentum non potest matrimonium filiorumfamilias invalidum reddere: sic matrimonium Esau, Judæ, Tobiæ, &c. quamvis sine consensu parentum initum, non declaratur in Scriptura ut invalidum, sed matrimonia Esau & Judæ habentur solum ut illicita: matrimonium vero Tobiæ habetur ut licitum: quia factum fuit, Angelo dirigente, & cum præsumpto patris consensu.

§. VI. *An auctoritas paterna, roborata per leges civiles simul & Ecclesiasticas, reddere possit matrimonium invalidum & quatenus est contractus, & quatenus est Sacramentum.*

Prop. unica. Paterna potestas, lege civili adjuta, & lege Ecclesiastica roborata, potest matrimonia filiorumfamilias, sine consensu parentum inita, invalida reddere: idest quando lex civilis declarat matrimonia filiorumfamilias esse nulla in esse contractus, & lex Ecclesiastica eam legem

civi-

Digitized by Google

ad jus civile non spectat attingere ea, quæ sacramentum componunt; sed solum ea, quæ extra ipsius naturam sunt. Unde Conc. Trid. anathema pronunciat contra eos, qui dixerint, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia: ita sess. 24. can. 4. vel qui dixerint, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, nihil dicens de impedimentis, quæ a principibus sæcularibus statui possent.

Juxta Jurisconsultos & aliquos Theologos non infimæ notæ, illud matrimonium est invalidum, quatenus Sacramentum est; quippe inquiunt, non potest esse Sacramentum sine materia: materia autem matrimonii, ut ipsi putant, non est contractus naturalis acceptatus ab Ecclesia, sed contractus vere civilis, qualis non est ille, qui fit contra leges principum: ergo si matrimonium careat debita materia, non poterit esse validum quatenus est Sacramentum.

In illa sententiarum diversitate, & æquali hinc & inde effulgente probabilitate, tutior pars est sequenda: tutius autem est declarare prædictum matrimonium validum, quam nullum, in ratione sacramenti, quia tutius est, ut matrimonium dubium declares validum, quam si illud habeas ut nullum: quippe si tale matrimonium declaretur validum, 1. fides data & acceptata a conjugatis, quæ jure naturali est inviolabilis, illæsa conservatur, 2. remedium affertur incontinentiæ utriusque partis, 3. proli vel natæ, vel nasciturae providetur, 4. renovando consensum, & supplendo id omne, quod fuerat omissum, matrimonium quod ut dubium habebatur, certissimum & indubitatum sit.

Si vero dubium illud matrimonium declares invalidum; exponis utrumque conjugem, 1. periculo frangendi fidem datam & acceptatam. 2. Periculo incontinentiæ. 3. Si permittas ad alias nuptias convolare, dissolvis quod Deus forte voluit esse indissolubile, separas forte quæ Deus conjunxit, & exponis utramque compartem perpetuo adulterio; quia forte ligata per prius matrimonium contrahit secundum. 4. Satius est prius matrimonium tametsi dubium perseverare, & emendare quod peccatum est.

ARTICULUS II.

Quandonam Sacramentum sit illicitum, & infructuosum ob defectum sanctitatis, quæ requiritur tum in ministro conferente, tum in subjecto recipiente: & quale peccatum sit indigna Sacramenti receptio, vel collatio.

PRop. 1. Quicumque recipit Sacramentum in statu peccati mortalis, non prius elicito actu contritionis, qua vel a statu peccati exeat, vel saltem affectum peccati mortalis procul amoveat, peccat mortaliter peccato sacrilegii.

Prob. 1. Scrip. *Mundamini qui fertis vasa Domini*: Is. 52. v. 11. ergo si hi, qui portant vasa Domini, debent mundari, abjiciendo omnem affectum peccati mortalis, a fortiori debent mundari hi, qui recepturi sunt Sacramenta, & proinde conscii sunt sacrilegii, si sacram illam cordis dispositionem negligant. 2. Ex Ambr. l. 7. in Luc. c. 57. ubi loquens de Sacramentis tum veteris, tum novæ legis, sic concludit: *Nemo enim*, inquit, *mundari potest*, scilicet per Sacramenta, *nisi qui metuit Dominum*. Ergo abjiciendus est affectus peccati mortalis, si velimus mundari per Sacramenta.

3. *Rat.* Obicem ponere rei sacræ est sacrilegium, quia nulla major injuria rei sacræ irrogari potest, quam si ejus tollatur efficacia: atqui hi, qui accipiunt Sacramenta cum affectu peccati mortalis, obicem ponunt Sacramentis, eorumque effectum impediunt: quia ex Flor. *Hæc nostra* Sacramenta *& continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*; coinquinant vero eos, qui indigne ad sacra illa signa accedunt: ergo peccant mortaliter peccato sacrilegii qui cum affectu peccati mortalis Sacramenta recipiunt. Et sicut Ecclesia dicit quod Eucharistia *mors est malis, vita bonis*, idem dici potest de aliis Sacramentis, & proinde sicut sacrilegii reus est, qui conscius peccati mortalis ad Eucharistiam non veretur accedere; ita sacrilegus est, qui cum affectu peccati mortalis quodcumque aliud Sacramentum audet recipere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter peccato sacrilegii qui Sacramenta mortuorum, scilicet baptismum, & pœnitentiam cum affectu peccati mortalis recipiunt; quia ex Trid. dispositio ad duo illa sacramenta est fides, spes, & caritas initialis, & detestatio peccatorum: sic enim habet sancta Syn. sess. 6. c. 6. *Disponuntur*, inquit, *fideles ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum ... in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem.*

Consect. 2. Peccant mortaliter peccato sacrilegii qui conscii peccati mortalis Eucharistiam attentant recipere, nisi prius per veram cordis contritionem omnem peccati mortalis affectum abjecerint, & insuper si copiam habent Confessarii, pœnitentiæ Sacramentum receperint; Concil. enim Trid. exigit, ut rei peccati mortalis non modo conterantur, sed etiam confiteantur priusquam sacram Eucharistiam recipiant, cum urget præceptum vel celebrandi, vel recipiendi Eucharistiam: sic enim loquitur sancta Synodus, sess. 13. Can. 11. *Et ne tantum Sacramentum*, inquit, *indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem*. Et c. 7. ait: *quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Consect. 3. Peccant mortaliter peccato sacrilegii qui cum affectu peccati mortalis vel confirmationem, vel extremam unctionem, vel ordinem, vel matrimonium suscipiunt; isthæc enim Sacramenta sunt, ut dicunt, sacramenta vivorum; ergo oportet, ut qui ea suscipiunt, mortui non sint per peccatum, sed incipiant saltem vivere vita spirituali, abjiciendo a se omnem affectum peccati mor-

Digitized by Google

mortalis. Oportet ergo, si copiam Confessarii non habeant, ut actum contritionis eliciant, & votum confitendi habeant. Si vero copiam habeant Confessarii, oportet ut prius confiteantur, quam Sacramenta vivorum recipiant, ut dicemus ubi explicabimus, quandonam urgeat præceptum confessionis.

Prop. 2. Quicumque extra casum necessitatis suscipit Sacramentum ab indigno Ministro, cognito ut tali, & ab Ecclesia non tolerato, peccat mortaliter peccato sacrilegii.

Prob. 1. Scriptura. Paulus alloquens Corinthios sic habet: *Si is, qui frater cognominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax*, idem dic de sacrilego ministro, *cum ejusmodi nec cibum sumere*: 1. ad Cor. 5. v. 11. Ergo si ex Paulo non liceat cibum sumere cum fratre cognito fornicario vel malefico &c. si non liceat communicare in civilibus cum ministro ab Ecclesia non tolerato, a fortiori non licet cum ministro non tolerato, in sacris communicare: & quia communicare in sacrilegio est sacrilegium: ergo reus est sacrilegii qui extra casum necessitatis suscipit Sacramentum ab indigno ministro ab Ecclesia non tolerato.

2. Ex D. Th. 3. p. 64. a. 6. ad 2. *Si vero indignus minister ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum; quia communicat peccato ipsius*, & quia peccatum ministri est sacrilegium, cum sit injuriosa Sacramenti contrectatio, recipiens Sacramentum reus est sacrilegii.

3. *Rat.* Qui cooperatur sacrilegio, committit sacrilegium juxta illud Pauli: *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus*. Ad Rom. 1. Sed qui suscipit Sacramentum a ministro sacrilego cognito ut tali, & habito ut tali, cooperatur sacrilegio, cum collatio Sacramenti in talibus circumstantiis sit sacrilega: ergo committit sacrilegium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quicumque in extrema necessitate constitutus, scilicet in articulo mortis, recipit Sacramentum necessitatis, Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, a ministro ab Ecclesia non tolerato, si alium nequeat ministrum adire, non peccat; quia utitur jure, quod habet petendi Sacramenta necessitatis a quocumque ministro: &, ut optime ait D. Th. minister *cui tunc ex officio incumbit Sacramenta dispensare, potest pœnitere de peccato, & licite ministrare*: si tamen homo posset alia via saluti suæ providere, quam accipiendo Sacramenta ab illis ministris, melius ageret, ut mox dicemus ex D. Thom.

Consect. 2. Quicumque extra extremam necessitatem constitutus exigit Sacramentum, etiam non sibi absolute necessarium, v. g. absolutionem a venialibus, Eucharistiam, Extremam-unctionem, &c. a suo parocho, quem scit esse in affectu peccati, non peccat, ut diximus; quia utitur jure suo, & quia parochus potest pœnitere, & rite conferre Sacramentum: sed melius aget, si alia via sibi procuret eam gratiam, quam sperat se ex Sacramentis percepturum; quia ea caritas, quam exercebit erga parochum, non exigendo Sacramentum quod utique cum peccato conferret Parochus, longe magis placebit Deo, quam indiscreta illa devotio, quia extra casum necessitatis reciperet ab indigno ministro Sacramentum non absolute necessarium.

Consect. 3. Peccat quicumque extra extremam necessitatem, sed ob aliquam causam non valde gravem, exigit sacramentum ab eo Sacerdote, a quo non habet jus exigendi, eumque ad celebrandum, vel conferendum sacramentum inducit, quamvis sciat eum esse in statu peccati; peccat, inquam, quia non habet jus exigendi, & quia indiscreta illa devotione magis nocet proximo, quam sibi prosit. Sic illicitum est sollicitare indignum Sacerdotem ad celebrandam Missam die feriali, ut eam audias, cum citra peccatum possis omittere illo die auditionem sacri. Item illicitum exigere absolutionem ab eodem Sacerdote, ut consequaris fructus indulgentiarum, cum alia via possit indulgentiarum utilitas compensari.

Prop. 3. Minister solemnitatis, qui speciali consecratione deputatus est ad conferendum Sacramenta, si ea conferat in statu peccati mortalis, peccat mortaliter peccato sacrilegii, nisi prius per contritionem aut per confessionem omnem peccati mortalis affectum procul abjiciat.

Prob. 1. Scriptura. Deus ita suos ministros alloquitur: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Lev. 19. v. 2. Et rursus: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus*. Lev. 21. v. 11. Ergo si ministris legis Mosaicæ imperatum fuerat sancte Sacramenta tractare, quid a fortiori præcipitur ministris legis Evangelicæ?

2. Ex Concil. Agathensi, seu Aquensi, anno 1574. de Sacramentis, ubi sic habetur: *Parochi igitur, omnesque alii, ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ne lethalis sint labe peccati infecti, dum aliorum saluti student, sibique sint æternæ damnationis ministri*. Ergo supponit Concilium eos peccare peccato inducente damnationem, qui conferunt Sacramenta in statu peccati mortalis.

3. *Rat.* Ille habendus est ut sacrilegus, qui rebus sacris debitam non modo denegat reverentiam, sed insuper iisdem rebus sacris irrogat injuriam, ut patet: atqui id præstat qui ministrat Sacramenta in statu peccati; nam, teste Dionysio, seu auctore Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Talis*, scilicet peccator, *audax videtur, divina præter divinitatem exequens, ... & audet immundas infamias, non dicam orationes, super divina signa Christi deformiter enunciare*: ita citatur a D. Th. 3. p. qu. 63. art. 6. arg. e contra.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui baptizat solemniter in statu peccati peccat mortaliter peccato sacrilegii, sive Episcopus, sive Sacerdos, sive Diaconus fuerit; quia sunt ministri deputati. Qui vero baptizaret sine solemnitate & tamquam minister non deputatus, supplens necessitatem, non peccaret mortaliter, nisi esset contemptus: ita D. Th. 3. p. qu. 64. art. 6. ad 3. attendet tamen minister necessitatis, quod in omni casu sancta sancte tractanda sunt.

Con-

Consect. 2. Episc. qui confert in statu peccati Confirmationem, Ordines, benedicit oleum Extremæ-unctionis, Ordinis, Confirmationis, peccat mortaliter peccato sacrilegii; quia hoc agit ut minister deputatus: non peccat tamen mortaliter, si in statu peccati consecret Abbatem, det velamen Moniali, Ecclesiam benedicat; quia tunc non agit ut minister deputatus: etenim hæ actiones non sunt in rigore Episcopis propriæ.

Consect. 3. Peccat mortaliter peccato sacrilegii qui conficit, & confert Eucharistiam in peccato mortali, sive sit Episcopus, sive sacerdos; quia hæ actiones sunt, juxta omnes, Sacramentales: & juxta plurimos, tot committuntur peccata mortalia, quot sunt personæ recipientes communionem, quia quælibet receptio Eucharistiæ est specialis actio Sacramentalis. Peccaret pariter mortaliter Diaconus distribuens Eucharistiam in statu peccati; quia est actio sui ordinis. Alii vero censent unicum committi peccatum; quia si non sit interruptio, dum plures suscipiunt Eucharistiam, videtur esse eadem actio moralis.

Consect. 4. Peccat mortaliter peccato sacrilegii sacerdos qui audit confessiones, & dat absolutionem existens in peccato mortali, sive illud faciat in casu extremæ necessitatis, sive non; quia tunc agit ut minister deputatus: & tot committit peccata, quot dat absolutiones; quia qualibet absolutio est actio Sacramentalis indigne exercita. Non tamen peccaret Laicus, cui ex humilitate aliquis confiteretur; quia talis confessio non esset sacramentalis: & dato quod esset sacramentalis, Laicus non ageret, ut minister deputatus; sed ut minister necessitatis.

Consect. 5. Peccat mortaliter peccato sacrilegii Sacerdos, qui existens in peccato mortali ungit ægrotum; sive hoc agat in casu extremæ necessitatis, sive extra casum extremæ necessitatis; quia tunc agit ut minister deputatus, & quia hæc actio est actio sacramentalis.

Consect. 6. Peccant mortaliter peccato sacrilegii recipientes Matrimonium in statu peccati mortalis, non quidem quatenus ministri, quia juxta aliquos non sunt ministri, & quia juxta omnes non sunt ministri consecrati; sed ideo peccant mortaliter, quia recipiunt in statu peccati sacramentum vivorum. Non peccat mortaliter parochus, nec testes, qui intersunt matrimonio, licet sint in peccato mortali; quia & parochus, & illi testes non sunt ministri sacramenti matrimonii: quod si constaret parochum esse ministrum, peccaret mortaliter.

Consect. 7. Peccant mortaliter juxta probabiliorem sententiam, Diaconi, & Subdiaconi, qui in Missis solemnioribus exercent actiones sui Ordinis; quia sunt ministri ad hoc deputati. Quando ministri, inquit D. Th. in statu peccati mortalis existentes *tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, mortaliter peccant*. In dist. 14. q. 1. art. 3. ad 4.

Consect. 8. Peccant mortaliter pastores excommunicati, suspensi, &c. non denunciati, sed tolerati ab Ecclesia, qui jure requisiti ab ovibus suis, ut eis sacramenta conferant, conferunt quidem, sed affectum peccati non abjiciunt; jus enim quod habent oves exigendi sacramenta a pastoribus, non dispensat pastores a generali lege, qua tenentur sancta sancte tractare.

Consect. 9. Peccant mortaliter pastores excommunicati, suspensi, &c. denunciati, & non tolerati ab Ecclesia, qui in articulo mortis jure requisiti, ut sacramenta necessitatis, qualia sunt juxta omnes baptismus, pœnitentia, & Eucharistia juxta plurimos auctores, qui, inquam, tria hæc sacramenta conferunt non abjecto pravo peccati affectu; peccant: quia jus, quod habent fideles ab eis exigendi prædicta sacramenta in articulo necessitatis, non eos dispensat a lege generali, qua tenentur sancte sancta tractare.

Patet autem quod prædicti ministri excommunicati, suspensi, & denunciati, possint in articulo mortis sacramenta necessitatis valide, & licite, si eos pœniteat, conferre; quia si fideles jus habeant exigendi, quod utique habent, si non adsint alii Ministri, pastores pariter habent jus conferendi.

Unde Ecclesia permisit expresse prædicta sacramenta necessitatis a ministris excommunicatis, & denunciatis posse exigi, & ab eis posse conferri.

1. Possunt conferre baptisma, ut habetur Can. *Si quidem* causa 24. q. 1. ubi ex Aug. docetur, quod in extremo positus possit baptisma recipere ab Hæretico, cum non invenit Catholicum, a quo illud recipiat. *Non solum*, inquit, *non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus*.

2. Possunt conferre pœnitentiam: ut tradit Tridentinum sess. 14. c. 7. ubi Concilium vult, *ut nulla sit reservatio in mortis articulo, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis absolvere possunt*. Et declarationes Concilii hæc addunt: *etiamsi isti sacerdotes essent excommunicati & denunciati*.

3. Possunt pariter conferre Eucharistiam; quia Eucharistia sacramentum est necessitatis juxta illud: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Jo. 6. vers. 54. Et Conc. Nicæn. Can. 13. præcipit, ut fideles sacrum Viaticum sumant. *De his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua & Canonica servabitur, ut si quis egreditur de corpore, ultimo, & maxime necessario viatico non privetur*. Et Concil. Trid. sess. 13. vocat consuetudinem communicandi in articulo mortis *omnino salutarem, & necessarium morem*. D. Th. tamen docet, quod quia receptio sacramentorum ab excommunicatis scandalum parit, satius esset non recipere pœnitentiam, & Eucharistiam, quam sumere ab excommunicatis; quia quantumvis necessaria sint hæc sacramenta, illorum defectui per desiderium recipiendi sacramenta supplere possumus: unde sic habet 3. part. q. 82. artic. 8. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod solus baptismus permittitur esse ratus hæreticis, & schismaticis, quia licite baptizare possunt in articulo necessitatis; in nullo autem casu licet Eucharistiam consecrare, vel alia sacramenta conferre*.

Consect. 10. Qui prædicant verbum Dei vel ex officio prælationis, uti sunt illi, qui habent curam animarum, v. g. Episcopi, Parochi, Superiores Religiosi, vel ex delegatione, ut sunt omnes concionatores missi vel a Papa, vel ab Episcopis, si

sine

sint in peccato mortali notorio, peccant peccato sacrilegii juncto cum scandalo.

1. Peccant peccato sacrilegii, quia non sancte exercent id, ad quod sunt consecrati, & deputati: nam ministerium verbi divini pertinet primario ad Episcopum, secundario ad sacerdotem, ex commissione ad Diaconum.

2. Peccant peccato juncto cum scandalo; quia peccator publicus prædicans ex officio, vel ex delegatione, facit, ut vituperetur ministerium nostrum, ut contemnatur prædicatio, ut blasphemetur nomen Dei. Ita tenet D. Th. 1. lect. in cap. 6. 2. ep. ad Cor.

Consect. 11. Qui prædicant verbum Dei vel ex officio, vel ex delegatione, si sint in peccato mortali occulto, peccant mortaliter; quia non sancte exercent actus, ad quos sunt deputati, & consecrati. Ita tenet D. Th. in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. ad 4.

Consect. 12. Qui explicant verbum Dei, ex officio Magisterii, sicuti Magistri Theologiæ, si sint in peccato mortali notorio, peccant mortaliter ratione scandali; *ore enim profitentur se nosse Deum, factis autem negant*: si sint vero in peccato mortali occulto, non peccant; quia non sunt consecrati, & deputati ad ministerium verbi divini. Ita tenet D. Th. in 4. ibid.

Contra tales prædicatores invehitur Apostol. ad Rom. c. 2. v. 21. *Qui alium doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.*

Prop. 4. Peccat mortaliter peccato sacrilegii minister, qui dat Sacramentum peccatori, quem alia via quam via confessionis novit positive indignum.

Prob. Script. Ille peccat mortaliter, qui in materia gravi agit contra expressam Christi prohibitionem, ut patet: atqui id præstat minister in nostro casu; dicit enim Christus: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*. Matt. 7. v. 6. etenim per *sanctum* & per *margaritas* intelliguntur Sacramenta, per *canes*, & per *porcos* intelliguntur peccatores: ergo peccat mortaliter minister, qui dat Sacramentum peccatori, quem alia via quam via confessionis novit certo indignum, & quia minister conferens sacramentum peccatori causa est sacrilegii ab illo commissi, ideo minister fit reus sacrilegii.

2. Ex Chrys. hom. 84. in Matt. ubi ita admonet Sacerdotes. *Magno*, inquit, *studio*, *& diligenti cura dona hæc distribuatis. Non parva vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ad hujus mensæ participationem permittatis; sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris.*

3. *Rat.* Minister debet sacramentis reverentiam, ovibus Christi caritatem: Atqui conferendo sacramentum peccatori positive indigno, negligit reverentiam debitam sacramento, quia permittit illud indigne tractari: negligit etiam caritatem ovibus Christi debitam, cum sinat eas sacramentis male receptis inquinari: ergo Minister conferendo sacramenta peccatori, quem novit bonis Ecclesiæ positive indignum, peccat: & quia peccatum illud est in materia gravi, & contra religionem, illud peccatum erit sacrilegium mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato mortali sacrilegii qui confert sacramenta peccatoribus notoriis: quales sunt ii, qui nominatim ab homine excommunicati per sententiam juridicam declarati sunt excommunicationem incurrisse: quales sunt etiam ii, qui sunt excommunicati a jure ob sectam aperte damnatam; puta, hæretici & schismatici: quales sunt insuper omnes infames ob professionem publicam alicujus artis ab omnibus reprobatæ: talea histriones, usurarii, meretricium exercentes, & alii, si qui sint alterius artis a Deo approbatæ sectatores: quales demum sunt omnes peccatores publici, quorum peccata ita aperta sunt, ut nulla tergiversatione celari possint; hujusmodi sunt concubinarii publici, palam inimicitias exercentes, palam & publice blasphemantes, &c. Quicumque ergo alicujus ex prædictis criminibus reus fuerit, *si peccatum fuerit manifestum, & non est de ipso confessus voce, ante condignam satisfactionem, debet ei manifeste & publice communio denegari*, & quodcumque aliud sacramentum; quia non est major ratio de uno sacramento, quam de alio: ita Conc. Nemausense an. 1285. tit. de Sacram. Euch. *Manifestum autem intelligimus*, inquit idem Conc. *in hoc casu, quod potest sufficienter & legitime probari per testes idoneos contra ipsum ... si de illo peccato fuerit per sententiam condemnatus, vel sponte confessus in judicio, vel adeo manifestum seu notorium fuerit per rei evidentiam, quod nulla possit tergiversatione celari.* Idem docet c. t. extr. comm. de privil. ubi dicitur, quod confessis & absolutis a regularibus extrema unctio & Eucharistia impendenda sit a parochis. *Duos tamen casus*, inquit, *excipimus, scilicet, si Sacerdos afferat excommunicatum, aut notorie peccatorem*: ergo sacramenta nequeunt absque sacrilegio dari peccatoribus publicis & notoriis.

Consect. 2. Peccat peccato mortali & sacrilegii qui confert Sacramentum peccatoribus notoriis, sola etiam notorietate facti, ut dicunt: quamvis enim in Gallia in foro externo sola admittatur publicitas juris, & nihil publicum censeatur, nisi quod delatum ad forum contentiosum, ita certum habetur, ut nullatenus queat in dubium revocari: tamen ubi quæstio est de conferendis sacramentis peccatori positive indigno, sola publicitas facti debet ministrum retinere, ne præceps nimium conferat sacramentum peccatori publico sola etiam publicitate facti; quippe suspendendo collationem sacramenti, minister providet reverentiæ, quæ debetur sacramento, caritati, quæ debetur peccatori, & ædificationi, quæ debetur Ecclesiæ: reverentiæ quidem, quæ debetur sacramento; quia quod indifferenter datur & justis, & injustis, & bonis, & malis, incipit ea communi distributione vilescere, ubi vero nonnisi sanctis distribuatur, ea cautione venerandum habetur. Providetur etiam ea dilatione caritati, quæ debetur proximo, ea quippe mora indignitas peccatoris punitur, & ejus erga sacramentum affectus inflammatur. Demum prudenti ea dilatione fideles ædificantur, dum vident, sacramenta non dari promiscue omnibus, sed juste negari indignis & impœnitentibus.

Digitized by Google

bus, dignis vero & pœnitentibus liberaliter impendi.

Confect. 3. Peccat peccato mortali sacrilegii qui confert sacramenta peccatori occulto, si occulte ea petierit; minime vero, si ea palam petierit. Potest & debet denegare sacramenta peccatori occulto, dum occulte petit, quia ea cautione peccatorem a sacrilegio arcet, & ad pœnitentiam ea confusione adducit. Sed nec potest, nec debet peccatori occulto sacramenta, si ea publice petierit, denegare; etenim licet coram Deo occultus peccator exciderit a jure exigendi sacramenta, non tamen ab eo jure excidit coram hominibus: & licet, ut optime monet D. Th. *pejus sit peccatori occulte peccare mortaliter sumendo Corpus Christi*, vel aliud sacramentum, *quam infamari, tamen Sacerdoti ministranti corpus Christi*, aut aliud Sacramentum, *pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum: quam quod ille mortaliter peccet; quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato*. Unde Aug. dicit lib. qu. super Gen. *Periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat*. 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. Idem D. eod. a. 1. dicit, *quod sancta prohibentur dari canibus, idest peccatoribus manifestis; sed occulta peccata non possunt publice puniri, sed sunt Divino judicio reservanda*. Unde idem S. D. 3. p. q. 81. a. 2. ad 2. loquens de Euch. quæ data fuit a Christo Judæ proditori, sic habet: *Dicendum, quod Christo nota erat Judæ iniquitas; sicut Deo; non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Judam non repulit a communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos*.

SECTIO IV. CAPITIS I.

De cæremoniis cujuscumque Sacramenti in particulari, & de circumstantiis, quæ respiciunt tum locum, tum tempus, in quibus conferri debeat Sacramentum: item de circumstantiis, quæ respiciunt qualitatem personarum, a quibus conferri, & a quibus recipi debeat Sacramentum.

Inquiritur.

Quæ cæremonia, quæve circumstantia tum loci, tum temporis, tum personarum requirantur, ut Sacramentum sit licitum; quæ vero omissio hujusmodi circumstantiarum, & cæremoniarum reddat Sacramentum illicitum.

Statuitur principium ad integram Sectionem explicandam.

PRop. un. *fundamentalis*. Cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes collationem Sacramenti; circumstantiæ, quæ respiciunt locum, & tempus, in quibus fieri debet Sacramentum; illæ etiam circumstantiæ, quæ respiciunt non substantiam, sed qualitatem personarum, a quibus conferri, & recipi debeat Sacramentum, necessariæ sunt necessitate præcepti, & non necessitate sacramenti: singulæ observatæ reddunt sacramentum licitum: aliquæ omissæ reddunt sacramentum illicitum.

Prob. 1. ex Aug. S. D. ep. ad Januarium olim 118. jam 54. tractat ex professo de cæremoniis, & probat, quod si quæ sint, quæ ad pietatis exhortationem conferant, observandæ sunt, superfluæ autem sint amputandæ: atqui cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ, quæ eisdem adjungi solent, multum inserviunt ad pietatem, si ita jubeat universalis Ecclesiæ praxis, *contra quam disputare vanitatis insolentissimæ est*, ut ait idem Aug. ibid. ergo cæremoniæ sacramentorum, & circumstantiæ eisdem adjungendæ exacte observandæ sunt.

2. *Rat.* Sacramentum ex dictis est compositum morale coalescens necessario necessitate sacramenti ex materia, forma, subjecto recipiente, & Ministro conferente, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; & exigens insuper necessitate præcepti cæremonias aliquas, quibus ornetur, & magis venerandum reddatur, habetque aliquas adjunctas circumstantias loci, temporis, & personarum, ex quarum circumstantiarum adjunctione & decentius tractetur, & honorificentius conferatur & recipiatur: atqui hæ cæremoniæ & circumstantiæ citra peccatum omitti nequeunt, cum ad honorem & decentiam sacramenti pertineant, & per Ecclesiæ praxim, quæ vim legis habet, jubeantur: ergo sunt observandæ, & consequenter si omittantur, reddunt Sacramentum illicitum.

Cæremoniæ autem aliæ sunt antecedentes, aliæ concomitantes, aliæ subsequentes collationem sacramenti, quas singulas oportet percurrere.

Circumstantiæ autem aliæ respiciunt tempus, aliæ locum, in quo sacramentum conferri oporteat; aliæ vero qualitatem personarum, a quibus aut confertur, aut recipitur sacramentum: quæ singula in sequentibus articulis expendentur.

A R T I C U L U S I.

In quo prædictum principium, scilicet *cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ citra peccatum omitti nequeunt*, applicatur ad Sacramentum Baptismi.

PRop. un. Cæremoniæ Baptismi, quæ in ritualibus habentur, & circumstantiæ Baptismo adjungendæ, quæ ex praxi Ecclesiæ dignoscuntur, exacte observandæ sunt a ministris, & populis explicandæ. Propositio patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De Cæremoniis.* Observandæ sunt cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes collationem Baptismi; quia ita jubet Ecclesia.

Cæremoniæ, antecedentes Baptismum sunt exorcismus, & catechismus.

1. Bis exorcismo adjuratur diabolus, ut a baptizando exeat: ejus enim possessionem iniit ob peccatum originale. De hac adjuratione hæc habet Cælest. Papa ep. 2. ad Episcopos Galliæ c. 9. *Sive parvuli, sive juvenes, dum ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius vita fontem adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo princeps hujus mundi ejiciatur foras*. 2. Crucis signum fronti & pectori baptizandi imprimitur, ut sit deinceps contra diaboli potestatem

statem crucis signaculo munitus. 3. Sal in os immittitur, *ut sale sapientiæ conditus fœtore careat iniquitatis*, inquit Rabanus l. 1. inst. cler. c. 27. Ista hæc ad exorcismum. Hæc vero ad catechismum pertinere possunt. 1. Legitur Evangelium, ut Christi lex baptizando proponatur. 2. Ad baptisterium deducitur, sputo nares & aures illiniuntur; aures ad audiendum, nares ad discernendum verbum Dei. *Tibi aures*, inquit Amb. *Sacerdos tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & elogium sacerdotis ... Non os tangit, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ*: lib. de Sacr. c. 1. 3. A baptizando ter exigitur, ut abrenunciet diabolo: ter abrenunciat, ad significandum quod serio ex animo id faciat. 4. Sacrato oleo inter scapulas velut Athleta inungitur, quo intelligat esse sibi jam contra abnegatum diabolum fortiter dimicandum. *Unctus*, inquit Ambr. ibid. c. 2. *quasi luctam hujus sæculi luctaturus*. 5. Fidem Ecclesiæ profitetur, & se Deo tali professione totaliter consecrat: unde ait Ambr. *Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis*. Lib. de Sacram. cap. 2.

Cæremoniæ concomitantes baptismum sunt eæ, quæ observantur, dum actu confertur baptisma, habenturque in Rituali, quem si lubet consulas.

Cæremoniæ subsequentes baptismum sunt istæ. 1. Baptizatus in vertice ungitur chrismate, ut norit se esse insitum filio Dei, qui Christus a chrismate dicitur; & sciat se per baptismum in regale quoddam sacerdotium esse consecratum. *Omnes*, inquit Amb. *in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia spirituali*: De iis, qui myst. init. 2. Veste alba induitur tum in signum recuperatæ innocentiæ, tum in testimonium se vitam mundam in posterum professurum. Post hæc, inquit Amb. *accepisti vestimenta candida ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, induens innocentiæ casta velamina*. De initiandis l. un. c. 7. 3. Datur baptizando ardens cereus, quo recordetur sibi studendum semper esse, ut luceant opera ejus bona coram hominibus.

Consect. 2. De loco, in quo conferendus est baptismus. Olim tempore Apostolorum ubique locorum conferri poterat baptismus; nam eo in loco, quo Petrus prædicaverat, baptizavit, & Philippus diaconus in via eunuchum Reginæ Candacis baptizare non dubitavit. Postmodum erecta sunt in cryptis, in domibus baptisteria, in quibus urgente persecutione baptizabantur fideles: deinde vero in Ecclesiis ea lavacra constituta. Jam vero, secundum præsentem Ecclesiæ praxim, extra casum necessitatis nec in privatis domibus, nec in Oratoriis, nec in Ecclesiis, in quibus non sunt baptisteria, licitum est solemniter baptizare; id solum licet, vel in mortis articulo erga omnes privatos, vel extra casum necessitatis erga filios Regum & Principum. Id expresse docet Conc. Viennense an. 1311. *Præsenti*, inquit, *prohibemus decreto, ne quis de cetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi) audeat baptizare*. Et ut vigorem aliquem decreto suo adjiciat, addit: *Qui autem secus præsumpserit, ut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per suum Episcopum castigetur; quod alii similia attentare non præsumant*. Conc. Aquense an. 1585. vetat: *Ne Sacerdos eat extra casum necessitatis ad domum cujuscumque etiam MAGNATIS ad Sacramentum ministrandum*. Plurima Concilia id vetant sub pœna excommunicationis, casusque ille in quibusdam Diœcesibus reservatur. Eadem doctrina habetur apud Gratianum can. *Diaconus* 13. dist. 93. Immo vetatur baptismum conferri in Abbatia, ubi non fuerit baptisterium can. *Pridem* caus. 18. quæst. 2.

Consect. 3. De tempore, quo conferri debeat Baptismus. Olim Baptismus non conferebatur solemniter, nisi in festo Paschatis, & Pentecostes, & in aliquibus Ecclesiis in festo Natalis Domini & Epiphaniæ: ita Gelasius in suis decretis cap. 10. *Baptizandi*, inquit, *sibi quispiam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam præter Paschale festum & Pentecosten, venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari, fortassis ægrotans exitio præventus abscedat*. Baptisma etiam in festo Natalis Domini celebrabatur; nam ea festivitate, teste Avito Viennensi Episcopo, baptizatus est Clodoveus Francorum Rex. Jam vero, secundum præsentem Ecclesiæ praxim, quam citissime fieri potest, infans ad Ecclesiam parochialem deferri debet, & ibi baptizari: ita jubet Conc. Mediol. an. 1565. *Nemini*, inquit, *liceat quemquam intra domesticos parietes baptizare, sed natum infantem, ii, quorum est cura, ante nonum diem ad suscipiendum baptismum ad Ecclesiam deferendum curent; quod si neglexerint, excommunicationis pœnam subeant*. Nec toleranda est prava illa quorumdam hominum consuetudo, qua expectandi patrini gratia baptismus sine solemnitate confertur; postea vero patrino præsente solemniter cæremoniæ baptismatis adhibentur: id enim expresse vetat Conc. Avenionense an. 1594. *Præcipimus*, inquit, *ne in posterum expectandi patrini gratia, aliave causa, præterquam necessitatis extremæ, cum scilicet periculum vitæ infanti imminet, baptismus sine solemnitatibus cæremoniisque adhiberi solitis ministretur*.

Consect. 4. De adjunctis illius personæ, quæ debet conferre baptisma, vel quæ debet illud recipere. Quicumque non habet jurisdictionem, vel ordinariam, qualem habet Episcopus, & Parochus Sacerdos, vel saltem Diaconus, aut delegatam, qualem habent simplex Sacerdos, aut Diaconus ab Episcopo vel Parocho delegati; si baptismum conferat extra casum necessitatis, valide quidem confert, quia adhibet materiam, formam, & intentionem debitam; sed confert illicite, quia non habet jurisdictionem, quam debet habere. Can. *Diaconus* de consecratione. Et ita illicite extra casum necessitatis baptizant qui hic subjiciuntur. 1. Diaconus qui baptizat absque Episcopi, vel Parochi commissione, immo si baptismum absque speciali commissione solemniter administraverit, fit irregularis, exercet enim actum Ordinis, quem non habet: ita Gelas. dist. 93. can. 13. *Diaconus*. *Diaconi*, inquit, *absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi necessitas extrema compellat*. 2. Parochus

rochus baptizans extra suam parochiam, aut episcopus extra suam Diœcesim illicite agunt; quia neuter habet jurisdictionem extra terminos sibi ab ecclesia præscriptos. 3. Baptismum etiam in casu necessitatis illicite ministrat qui digniori non defert honorem baptizandi; id enim exigit ecclesiæ usus, ut habetur in Catechis. Trid. de Bapt. num. 25. Itaque cum in casu necessitatis aliquis baptizandus occurrit, si multi sint ibi præsentes, debet Laico Clericus præferri, vir feminæ, modo pudor id non prohibeat, ut cum infans baptizandus nondum est omnino ex utero egressus, ipse quoque pater feminæ præferendus. Si autem in necessitate pater, & mater baptizent, nullam inter se affinitatem contrahunt. Sicut illicite baptizat, qui præscriptas ab ecclesia cæremonias, & circumstantias loci, temporis, & personæ non servat; ita & catechumenus, qui aliquid omittit quæ ei ab ecclesia præscribuntur.

Consect. 5. *De patrinis*. Observanda sunt omnia statuta, quæ circa patrinos, & matrinas ecclesia præscribit; hæ quippe cæremoniæ, aut circumstantiæ non minus sunt necessariæ ad dignitatem baptismi, & utilitatem baptizati, quam aliæ. Itaque 1. jure communi, non debent esse plures patrini, nec plures matrinæ, sed ad summum unus patrinus, & una matrina. Cap. *Quamvis non plures* de cognatione spirituali in 6. & Trident. sess. 24. de matrim. c. 2. de reform. 2. In patrinam, vel matrinam admitti non potest pater, vel mater baptizati; quia ex officio naturæ debent filiorum educationi invigilare, deinde ne affinitatem inter se contrahant: ita can. *Non licet* 103. dist. 4. de consecrat. 3. Nec Abbates, nec Monachi, nec Moniales possunt esse patrini, scilicet ut liberius propriæ saluti invigilent, nec cura filiorum spiritualium detineantur. 4. Hæretici, infideles, non baptizati, fideles non confirmati, publici peccatores, fatui, furiosi, impuberes, demum illi, qui ignorant rudimenta fidei, patrini esse non possunt: ita habetur can. *Baptismate* 102. de consecr. dist. 4. Hi enim omnes baptizatum non possunt apte instruere.

Monit. Patrinus & matrina contrahunt affinitatem, non quidem inter se, sed cum baptizato, quia ad eum comparantur tamquam parentes spirituales: & cum patre & matre carnalibus baptizati; quia comparantur vel tamquam fratres, vel tamquam congenerantes. Item baptizans contrahit affinitatem cum baptizato: quia comparatur ad illum tamquam ejus pater spiritualis; & cum patre & matre carnalibus baptizati; quia ad illos comparatur, tamquam frater vel congenerans, ut diximus ex Trid. sess. 24. c. 2. Affinitatem autem contrahit non quicumque infantem tangit etiam in modum patrini, sed qui designatur ut patrinus vel matrina, ut habetur communiter.

Monit. 2. Quando quis est patrinus in baptismate, & confirmatione, non per seipsum, sed per procuratorem, ipse mandans contrahit affinitatem, minime vero procurator; generalis enim videtur esse hæc regula: quando mandans facit quid per procuratorem, quod vellet facere per seipsum si præsens esset, non procurator, sed mandans contrahit obligationem; quippe totum quod fit, solo nomine mandantis efficitur: ergo sicut dum contrahitur matrimonium per procuratorem, non procurator, sed mandans vere iniit matrimonium, non procurator, sed mandans contrahit impedimentum honestatis publicæ; ita in baptismate, & confirmatione non procurator, sed mandans contrahit affinitatem spiritualem. Ita determinavit Cardinalium Congregatio.

ARTICULUS II.

In quo prædictum principium, scilicet *cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ loci, & temporis, &c. Sacramentis adjungendæ, citra peccatum omitti nequeunt*, applicatur ad Sacramentum Confirmationis.

PRop. un. Cæremoniæ confirmationis, quæ in Pontificali habentur, & circumstantiæ loci, & temporis, & personarum, quæ ex praxi ecclesiæ dignoscuntur, exacte observandæ sunt a ministris, & populis explicandæ sunt, ut majorem erga illud Sacramentum devotionem concipiant. Propositio patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De cæremoniis*. Observandæ sunt cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes collationem confirmationis; quia ita jubet ecclesia. Cæremoniæ antecedentes confirmationem aliæ spectant ad episcopum confirmantem, & hæ legendæ sunt in Pontificali, & ab episcopis observandæ; aliæ vero ad confirmandum, & istæ duplicis sunt generis, aliæ mentem, aliæ corpus respiciunt. Primo quidem confirmandus debet se ad confirmationem per dies aliquot disponere, confitendo peccata, si adultus sit, & copiam confessarii habeat: ita jubent multa Concilia, ut dicemus ubi de præcepto confessionis. Corpus vero ita debent confirmandi componere, ut non sordidi, sed mundi coram episcopo possint apparere. Frontem debent abluere, *ut non fronte sordida, aut capillis (ut aliquando contingit ex nimia accedentium incuria) indecenter contecta accedant*: ita habet Synod. Aquensis an. 1585. Vestem vero modestam, & quantum fieri potest albam induere, ut & veste alba revocent in memoriam vestem albam, quam in baptismate acceperunt. Cæremoniæ concomitantes confirmationem, aliæ spectant episcopum, & hæ in Pontificali legendæ, & ab episcopo observandæ; aliæ vero spectant confirmandum, & istæ duplicis generis sunt, aliæ mentem, aliæ corpus respiciunt. Primo quidem mens confirmandi tota debet erga Spiritum Sanctum in ipsam illabentem intenta esse. Corpus vero ita debet esse compositum juxta Carolum Conc. V. *Mores*, inquit, *in ecclesia a parte sua sint, feminæ ab altera, sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine pie, & religiose orent*. Dum vero actu recipit Sacramentum roboris, hæc aut similia excerpta ex D. Th. sedulo meditetur. *Confirmatus*, inquit, *linitur chrismate in fronte, ut in manifesto monstret se esse Christianum*, 3. p. q. 71. a. 9. Cæremoniæ subsequentes confirmationem sunt istæ. 1. Episcopus confirmatum leviter in maxilla percutit, *ut sciat homo christianus*, inquit

inquit Beatus Carolus, *se jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis*. 2. Episcopus pacem impertitur confirmato, *ut sciat*, inquit Catechismus Trid. *se gratiæ cælestis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse*. 3. Vitta linea frons circumligatur, quasi diademate, ut intelligant confirmati se totidem Reges esse futuros, suis pravis affectibus dominantes.

Monit. 2. De loco in quo conferri debeat confirmatio. Eodem in loco olim conferebatur confirmatio, in quo conferebatur baptismus; quia duo illa Sacramenta raro disjungebantur. Jam vero conferri potest in locis sacris, vel profanis, in quibus & facilius, & commodius & conferri, & recipi potest.

Consect. 3. De tempore, in quo debet conferri confirmatio. Olim confirmatio simul cum Baptismate conferebatur, postmodum cautum est, ne confirmatio differretur ultra septennium, ita Capitulare Francorum cap. 177. *Annuncient*, inquit, *Presbyteri populis, ut quam citius potuerint suos infantulos ad confirmandum episcopo repræsentare faciant*. Immo Synod. Vigor. an. 1240. ab ingressu ecclesiæ suspendit parentes, si post annum a nativitate pueri computandum, pueros non præsentaverint confirmandos: cap. 6. Postea vero cœpit ecclesia adultam ætatem in confirmandis exigere. Synodus Senon. ann. 1524. *Nec expedit*, inquit, *ut pueris* confirmatio *conferatur, donec memoriam habeant competentem, propter quam excitandam alapantur*, Concil. Mediolan. an. 1565. p. 2. cap. 3. sic habet: *Minori septennio confirmationis Sacramentum nemini conferatur*. Si tamen timeatur, ne vel ob absentiam episcopi, vel ob alias causas pueri obeant ante receptam confirmationem, poterunt ad judicium episcopi ante septennium confirmari; ea tamen cautione, quod parentes inculcabunt filiis suis datam illis fuisse confirmationem; ea pariter cautione, quod parochi exacte scribent nomina patrinorum, & matrinarum, ne contra vetitum ecclesiæ per oblivionem inter affines matrimonium contrahatur. Confirmationem dari posse illis in casibus ante septennium probant omnes canones, qui asserunt hominem non confirmatum imperfectum esse Christianum.

Consect. 4. De qualitatibus personæ, quæ potest conferre licite confirmationem, vel quæ potest licite illud Sacramentum recipere. Quilibet episcopus suspensus, vel excommunicatus, vel hæreticus, vel schismaticus valide quidem, sed illicite confert confirmationem; quamdiu enim est in illo statu, ei interdicitur omnino Sacramentorum collatio. Item valide, sed illicite confert confirmationem episcopus, si in aliena Diœcesi, vel etiam in propria fideles sibi non subditos confirmare attentet, nisi habeat expressum, vel saltem tacitum proprii episcopi consensum; privat enim hac actione episcopum jurisdictione sibi propria: alias, ut optime ait Hieron. contra Luciferum, *tot in ecclesiis efficerentur schismata, quot Sacerdotes*. Sicut illicite confirmat qui præscriptas ab ecclesia cæremonias, & circumstantias non servat; ita illicite confirmationem recipit qui aliquas ex illis cæremoniis aut circumstantiis scienter omittit: v. g. qui recipit confirmationem non jejunus, nisi adsit causa dispensans. Ita can. *Ut episcopi nonnisi jejuni* de consecr. dis. 5. c. 7.

Consect. 5. De patrinis. Observanda sunt omnia statuta, quæ circa patrinos, & matrinas præscribit ecclesia; hæ quippe cæremoniæ non minus sunt necessariæ ad dignitatem confirmationis, & utilitatem confirmati, quam alia. Itaque 1. jure communi non debent esse plures patrini, nec plures matrinæ, uti dictum est de Baptismo. 2. In patrinum, vel matrinam admitti non debet ille idem, qui fuit patrinus, vel matrina in Baptismo: *ut enim*, inquit D. Th. *in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos alii gubernentur; ita confirmati egent eruditoribus, quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis*: 3. p. q. 62. a. 10. & sicut alius est qui generat, alius qui instruit ad pugnam; ita alius debet esse patrinus in Baptismo, alius in confirmatione: ita can. *In catechismo* 100. de consecr. dist. 4. 3. Non baptizatus nequit esse patrinus in confirmatione. Can. *in baptismate* 102. ibidem. 4. Vitricus non potest esse patrinus privigni: can. *De his* caus. 30. q. 1. nec conjux conjugis, cap. 1. de cognatione spirituali in 6. Confirmatio enim similem inducit cognationem spiritualem, quam Baptismus.

ARTICULUS III.

In quo prædictum principium, scilicet *cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ, omitti nequeunt citra peccatum*, applicatur ad Sacramentum Eucharistiæ.

PRop. *un.* Sive Eucharistia consideretur ut Sacrificium oblatum Deo, sive ut Sacramentum dispensandum hominibus, & ab illis adorandum, servandæ sunt omnes cæremoniæ, quæ circa illius confectionem, collationem, receptionem, & cultum ecclesia a Christo edocta præcipit observari.

Prop. patet ex dictis, & insuper probari potest verbis expressis Trid. sess. 22. cap. 25. *Cum natura*, inquit, *hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, quædam vere elatiore in Missa pronunciarentur, instituit: cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*: Ergo illæ cæremoniæ exacte observandæ sunt, & populis, ut ad majorem devotionem excitentur, explicandæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De cæremoniis*. Observandæ sunt cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & subsequentes Eucharistiæ confectionem, collationem, & receptionem: item cæremoniæ, quæ respiciunt debitum ejusdem Sacramenti cultum; quia ita jubet ecclesia. *Cæremoniæ antecedentes* possunt commode sequentibus versibus exprimi:

Jejuna, recita, expecta, tua crimina pande:
Et locus, & vestis sacra sint, Altare paratum.

Explicatur hæc vox *Jejuna*. Ex Apostolica traditione Eucharistia nonnisi a jejunis Sacerdotibus

Digitized by Google

& a jejunis fidelibus recipi debet. Morem illum antiquum in Ecclesia suo tempore viguisse testatur Tertullianus lib. 2. cap. 5. ad uxorem. *Non sciet*, inquit, *maritus* infidelis *quid secreto* ANTE OMNEM CIBUM *gustet*. Cyprianus vero in epist. ad Cæcilium ait: *Nos autem resurrectionem Domini ostendentes mane celebramus*, scilicet jejuni. Et Synodus Carthaginensis ann. 397. can. 29. jubet, *ut nonnisi a jejunis celebrentur Sacramenta Altaris, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur*, uti mos erat tunc temporis. Demum Aug. epist. 54. alias 118. cap. 8. hæc habet: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur*: quæ consuetudo, cum ad cæremonias pertineat Sacramentales, & sit in materia gravi, nulli dubium esse potest, quin obliget sub mortali. Sunt tamen casus particulares, in quibus Eucharistia a non jejunis Sacerdotibus conficitur, & non jejunis fidelibus ministratur. 1. Si Sacerdos inopinata infirmitate abreptus nequeat post consecratam unam speciem, alteram consecrare, Sacerdos non jejunus speciem non consecratam consecrabit, & utrumque accipiet. Item si Sacerdos erronee loco vini aquam benedixerit, errore deprehenso vinum consecrabit: & licet non jejunus ob aquam sumptam, tamen vinum consecratum recipiet. Item ægrotus per modum viatici Eucharistiam, quamvis non jejunus, poterit accipere. Lege rubricas Missalis Romani *de defectibus in Missa occurrentibus*.

Explicatur hæc vox *Recita*. Seclusa necessitate nulli Sacerdoti licet Missam celebrare, nisi prius matutinum, & laudes recitaverit, id enim expresse jubent rubricæ Missalis Romani, quæ haud dubie vim legis habent; etenim cum Missale loquitur de præparatione ad Missam, & apponit quasdam preces, ita habet: preces pro *opportunitate* Sacerdotis faciendæ; quod minime addit, dum de matutinis, & laudibus ante Missam recitandis mentionem facit: quo satis aperte significatur unum esse de præcepto, aliud de consilio.

Explicatur hæc vox *Expecta*, horam scilicet convenientem. Hæc juxta præsentem Ecclesiæ praxim est ab aurora usque ad meridiem: de quo ita D.Th. *Dicendum*, inquit, *quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte; quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento: qui dicit Jo. 9. me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: quamdiu in mundo sum, lux sum mundi; ita tamen quod principium diei non accipiatur a media nocte, nec ab ortu solis... sed quando incipit aurora.* Quæ singula, ut optime notat idem sanctus Doctor, probari possunt sola consuetudine Ecclesiæ, & solis congruentiis suadentur. 3. p. q. 83. a. 2.

Explicantur hæ voces *Tua crimina pande*. Id expresse docet Trid. sess. 13. c. 7. ubi stricte jubet, ut conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, absque prævia confessione ad Eucharistiam accedere non audeat, ut diximus supra ubi de sanctitate necessaria ad receptionem Sacramentorum: additque Concilium, quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur: cumque aliqui auctores istud Synodi decretum merum consilium assererent, Alexander VII. sequentes damnavit propositiones. *Mandatum Trident. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum*, Consilium *est & non* Præceptum: *illa particula* Quamprimum, *intelligitur*, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Quæ singula denotant istud dictum *tua crimina pande*, verum præceptum exprimere.

Explicantur hæ voces *Et locus*. Tempore persecutionum contra Christianos fas erat ubique terrarum Sancta celebrare, ut docet Dionys. Alex. Epist. ad Hieracem, ubi sic habetur. *Cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & morte mulctati festum latèt animis celebravimus, & singula loca, & singula afflictionum genera prostituta, ut ager sylvestris, solitudo deserta, navis fluctibus jactata, diversorium publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus conventus maximo cum gaudio ageremus*. Et secundum præsentem ecclesiæ usum extra Templa, aut Oratoria Deo dicata non licet offerre Missæ sacrificium: ut non obscure determinat Trid. sess. 22. in decret. de observandis in celebrat. Missæ, ubi hæc scribuntur: *Ne patiantur episcopi privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi*.

Explicatur hæc vox *Vestes*. Certum est apud omnes Christum, cum Missam instituit, quotidianis, & vulgaribus vestibus usum esse. Certum quoque videtur idem præstitisse Apostolos, saltem cum primum Hierosolymia celebrarunt; *vestes enim Sacerdotales*, uuait Vallafridus Straba, *per incrementa ad eum, qui nunc habetur, aucta sunt ornatum: nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant* Sacerdotes. De rebus eccles. cap. 24. Secundum vero præsentem ecclesiæ usum vestimenta, quibus utuntur Sacerdotes in Missa, sunt *amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula*, quæ singula nefas est non inducere, crimen negligere, aut irridere: ut expresse decernit Trid. sess. 22. Can. 7. *Si quis*, inquit, *dixerit cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit*. Mystici scriptores cuilibet vesti mysticam quamdam affingunt significationem, quæ vulgo nullum habet cum historia ecclesiastica fundamentum; ideo illis mysticis non est multum insistendum: sed maxime hærendum puto piis illis affectibus, qui in nobis excitari possunt sacris illis orationibus, quas ex præcepto ecclesiæ recitamus, dum sacras illas vestes induimus: v. g. dum dicimus, *impone mihi galeam, &c.* revocemus in mentem non aliam esse Sacerdoti galeam, non alium amictum, quam fidem, spem, & caritatem. Idem præstandum, cum alias Sacerdotales vestes induimus.

Explicantur hæc voces *Sacra fint*, scilicet calix, patena, corporale, purificatorium, velum &c. quæ ideo *sacra* dicuntur, quia sunt speciali benedictione consecrata. Sine his sacris vasis, & instrumentis Missam celebrare nefas esset; violaretur enim in materia gravi usus universalis ecclesiæ. Quid

autem circa hæc singula sentiendum, paucis aperiam. Olim Christus, & Apostoli obviis quibuscumque *calicibus & patenis* usi sunt; nec enim verosimile est Christum, aut Apostolos ad consecrationem vini assumpsisse calices diversos ab his, qui in usu vulgari communiter habebantur. Priores episcopi *aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contra, lignei* Sacerdotes *aureis utuntur calicibus*, inquit Concil. Triburiense cap. 18. Certum saltem est vitreos calices aliquando fuisse in usu. De vitreo calice loquitur Tertul. lib. de pudicit. Et de Exuperio Episcopo Tolos. sic loquitur Hyeron. *Nihil illo*, inquit, *ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro*. Post Constantini tempora aurei & gemmati calices ita communiter in Eucharistiæ consecratione adhibiti, ut postea Concil. Aquense an. 1585. caverit *calices stanneos nonnisi in extrema necessitate, & post expressam episcopi licentiam adhiberi posse*. Patenæ autem in ecclesia vulgo ex eadem materia conficiebantur ex qua calices; ideo modo vitreæ, modo ligneæ, modo aureæ, modo argenteæ, & stanneæ fuerunt, prout ecclesiæ vel paupertas, vel copia permittebat. *Corporale, purificatorium, & velum* semper in usu fuerunt in ecclesia; nam verisimile est Apostolos non in nudo Altari consecrasse, sed potius super altare linteo corporali coopertum: uti enim mensam, qua ad refectionem communem utebantur, mappa lintea operiebant; ita Altare, quo ad consecrationem utebantur, aliqua mappa, & superposito corporali vestiebant: & sicut in vulgari cœna mantili utebantur; ita in consecratione *purificatorio*: demum sicut sacra solemus velis occultare; ita sacra Eucharistiæ vasa velo occultanda esse censuerunt.

Explicantur hæ voces *Altare paratum*. Non in nudo Altari sacrificamus, sed in Altari triplici mappa cooperto, & luminibus illustrato; quia talis est ecclesiæ usus. Luminibus quidem utimur; quia Christus, qui noctu cœnam fecit, luminibus in cœna usus est: item quia Apostoli, eo quod vel noctu, vel die in cryptis, aliisque locis obscuris sacrificarent, raro sine lumine creduntur Missam celebrasse: jam vero nos & Christum, & Apostolos imitati, Sole etiam rutilante accendimus luminaria; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, inquit Hier. contra Vigilant. Quicumque voluerit mysticas istorum omnium significationes addiscere, legat Gavantum, & D. Thom. Qui vero scire voluerit nudam, simplicem, & historicam institutionem earum omnium cæremoniarum, legat Cardinalem Bona de rebus liturgicis, legat Dominum de Fleury lib. qui inscribitur: *les mœurs des Chretiens*. En quomodo concise simul & eleganter vestimenta Sacerdotalia explicet Dominus de Fleury c. 31. *Usque eo tempore peculiari apparatu in perfungendis sacris Altaris ministeriis utebantur. Hac ideo censendum est quod tunc temporis se haberent præstantiori forma apparatus, ac isto. Pontifex Cælestinus I. Galliarum episcopis scribens an. 428. ita eos locutus est*: Oportet nos inter populum emicare & splendescere, non vestibus; sed doctrina & moribus, haud oculos simplicium insolito ornatu detinere affectantes. *D. Aug. tempore vulgaris apparatus erat casula; adhuc etiam imperante Valentiniano utebantur Dalmatica. Stola erat mulieribus & communum pallium, quod nos cum orario promiscuerimus, cum quadam esset lini fascia, qua, qui sibi qualemcumque auctoritatis, ac dominii speciem assumebant, utebantur ad prohibendos, ac abstergendos vultus, colliquesudores. Denique mappula erat linteolum brachio superpositum ad mensæ usum. Ipsa quidem alba primis temporibus minime erat clericis cautum indumentum; quoniam Aurelianus Imperator P. Romano largitus est quamplures hujuscemodi tunicas, nec non sudariola, & strophiola, quæ nuncupabantur oraria; sed postquam clerici continuo gestire albam inceperunt, Sacerdotibus mandatum fuit, ut semper aliqua candidiora haberent, quæ in altaris exercitio præsto essent. Idcirco habendum est quod tempore, quo casulam, & dalmaticam continenter gerebant, sibi aliqua Altaris propria ejusdem forma essent ac illa, quæ communia, verum panno pretiosiore, & dilucidioribus coloribus. Canones potissimum Sacerdotibus & Diaconibus præcipiunt, ut nequiquam ministrarent absque oratio, dum prohibebant ne inferiores Ministri hoc facerent*.

Cæremoniæ concomitantes Eucharistiæ confectionem pertinent vel ad panem, vel ad vinum, vel ad ambas species sumptas simul, vel ad varias rubricas in Missali Romano contentas.

Quantum ad panem Ecclesia Latina consecrat in azymis, Græca vero in fermentatis: utraque ecclesia, inquit D. Th. piis motivis ducitur. *Ecclesia Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed Græca ecclesia offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentatum miscetur farinæ*. Si tamen utriusque ecclesiæ pensarentur motiva, consuetudo utendi azymis videtur esse rationabilior, inquit idem Doctor. *Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum, ut habetur Matth. 26. & Marc. 14. & Luc. 22. qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur Exod. 12. Secundo quia panis est proprie Sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est... Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum sacramenti, secundum illud 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christi; itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis*. Habet tamen, ut persequitur idem Doctor, consuetudo Græcorum aliquam rationem. 1. Propter significationem Christi adinstar fermenti naturam humanam suo vigore fermentantis. 2. *Ad detestationem hæresis* Nazaræorum, qui legalia Evangelio miscebant. 3. p. q. 74. art. 4. in corp.

Quantum ad vinum, vinum quodlibet de vite est materia apta, & valida ad consecrationem; tamen consecrandum est vinum, cui paxillum aquæ admixtum sit: usus enim ille miscendi aquam cum vino antiquissimus est; nam Justinus martyr secundo sæculo vivens illius meminit; ait enim Apolog. 2. Christianos solitos *participare de pane Eucharistico, & de vino, & aqua*. Idem docet Cyprianus Epistola 3. ad Cæcilium. Id observant omnes ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ. Ita determinant Concilia. Et Concilium Triburiense an. 795. descendent ad particulares hujus cæremoniæ circumstantias determinat, quod aqua *non debeat tertiam calicis partem excedere*. Can. 19. Demum Conc. Trid.

Digitized by Google

Trid. eam consuetudinem ad Christum ipsum refert. *Monet*, inquit, *deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant, tum quod Christum Dominum ita fecisse creditur*; is enim erat Judaici populi usus, ut vino lymphato uteretur; sic enim habetur Prov. 9. v. 5. *Bibite vinum, quod miscui vobis*; tum etiam, ut ait eadem Synodus, quia e latere Christi aqua simul cum sanguine exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cum aquae in Apocalypsi beati Joannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur. Aliam ex D. Ambros. addit D. Th. rationem: significat haec aqua vino mixta introitum in Regnum caelorum: *Aqua*, inquit, *redundat in Calicem*, *& salit in vitam aeternam*. Hae autem rationes non debent admitti quasi motiva, quibus ostendatur aquam miscendam esse cum vino in Calice, sed ut solum quasi facta historica, quae probent eam caeremoniam fuisse semper in Ecclesia observatam, & Patres his congruentiis non aliud intendisse, quam ut institutum a Christo ritum populo his congruentiis explicarent. An aqua convertatur in vinum, vel remanens aquae vi consecrationis convertatur in sanguinem, quaestio est magis Philosophica, quam Theologica; ideo id missum facimus.

Quantum ad binas species panis, & vini, licet altera sufficiat ad validam consecrationem; tamen utraque species est simul consecranda. Primo quidem, quia legimus ita Christum fecisse. Secundo vero, quia numquam permissum legitur, ut cum sola specie vel panis, vel vini fieret consecratio; immo si sint regiones, in quibus non sit vel panis, vel vinum, eoque asportari nequeant, vetat Ecclesia Missam sine utraque simul materia celebrari; satiusque judicat, ut Missam fideles non audiant, quam quod sacerdos cum altera tantum specie consecret. 3. Demum, quia sacrificium Missae est sacrificium per modum spiritualis nutritionis juxta illud: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Joann. 6. vers. 56. Oportet ergo, ut contineat binas species, panem scilicet, & vinum, quibus nutritio constat.

Quantum vero ad simplices fideles communicantes, vel Clericos non celebrantes, sufficit, ut in una specie panis communicent; quia alia est ratio communicandi, alia celebrandi. Id ita explicat Trid. sess. 21. cap. 3. *Quamvis*, inquit, *Redemptor noster.... in suprema illa coena hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum est etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt*. Multis quidem de causis. 1. Quia cum Christi Corpus, utpote vivens & gloriosum, nec a sanguine, nec sanguis a corpore, & neutrum a Divinitate separari possit, sub quacumque sumatur specie, integer Christus accipitur, & proinde tota gratia sacramentalis, quae huic Sacramento alligatur. 2. Quia Christus, Apostoli, & primi Ecclesiae Pastores solam speciem panis creduntur simplicibus fidelibus ministrasse: nam a multis docetur, Christum dedisse Eucharistiam Discipulis euntibus Emmaus; in illa autem communione fit solius panis mentio: *Cognoverunt eum*, inquit textus sacer, *in fractione PANIS*. Apostoli solum haud dubie dabant speciem panis Judaeis recens conversis toto tempore Nazareatus, quibus diebus Judaeis uti vino non licebat: noluissent enim Apostoli initio nascentis Ecclesiae Mosaicam legem aperte infringere; voluerunt etenim Synagogam cum honore sepelire: priores Episcopi dabant solam panis speciem Anachoretis, quam ipsi in cellulas suas deferebant, ut eam & adorarent, & tempore congruo sumerent. 3. Quia per solam speciei panis sumptionem fideles firmius roborantur in ea fide, quod Christus in qualibet specie totaliter continetur: impeditur effusio sanguinis vel in terram, vel supra vestes, quod frequenter contingebat, dum vigeret usus sumendi species vini; removetur insuper horror ille, quem habent abstemii bibendi species vini, quemque singuli fere homines sentiunt bibendi in eodem vase post alios; demum non est quod Haeretici circa hoc Ecclesiam Romanam calumnientur, cum ipsimet idipsum frequentent, & solum panem offerant, quoties qui ex adstantibus vel horrore naturali, vel ex aliis causis manifestat se nolle vinum post alios sumere.

Caeremoniae vere concomitantes Eucharistiae confectionem, & celebrationem habentur initio Missalis: eas potest quilibet ibi legere.

Caeremoniae consequentes Eucharistiae confectionem pertinent ad debitum tanti sacramenti cultum. Illud autem Sacramentum, utpote Christum continens, debet cultu latriae adorari: de quo ita Trid. sess. 13. can. 6. *Si quis dixerit*, inquit, *in sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum.... & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit*: Christus enim, utpote subsistens in natura divina, debet, ubicumque sit, adorari, ut diximus tom. 1. ubi de objecto adorationis. Variis autem modis exerceri potest cultus latriae erga Christum in Eucharistiae Sacramento contentum. 1. Genuflexione, ita docet Cyrillus Cath. 5. *Accedat pronus*, inquit, *& in adorationis modum*, scilicet ille qui vult communicare. 2. Luminaribus accensis, ut docet Hieronym. contra Vigilantium. 3. Thymiamatis, & thuris adustione, ut docet Ambr. in Lucam. 4. Observatione festi ab Urbano IV. instituti. 5. Celebratione processionis a Martino V. & Eugenio IV. institutae. 6. Publica tanti sacramenti gravibus de causis expositione, ut docet Carolus Borromaeus in sua synodo XI. Demum devota ejusdem Sacramenti sumptione. *Nemo enim*, inquit Aug. *carnem illam manducat, nisi prius adoraverit*: in Psalm. 98. Singulos illos modos, quibus Christum in Eucharistia adorare possumus, paucis expressit Trid. sess. 53. can. 6. & 7. *Si quis dixerit*, inquit, *non licere sacrum Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit*. Rursus: *Si quis dixerit Christum non esse cultu latriae in Eucharistia adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem, & universalem Eccl sia sanctae ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, anathema sit*.

Digitized by Google

Consect. 2. De persona, qua valide quidem, sed non licite potest Eucharistiam vel conficere, vel distribuere. Eucharistiam valide quidem, sed illicite conficit omnis Episcopus, omnis sacerdos vel suspensus, vel excommunicatus, vel degradatus, vel Hæreticus, vel schismaticus: illis enim omnibus per Ecclesiam interdicta est Eucharistiæ consecratio. Can. *multo.* 83. caus. 1. q. 1. Item Eucharistiam valide quidem, sed illicite dispensat omnis sacerdos, qui non habet jurisdictionem vel ordinariam, ut Episcopus aut parochus, vel delegatam, ut vicarius parochi, vel præsumptam, ut sunt singuli sacerdotes, quibus permittitur celebrare, & adstantibus in Missis communionem impendere: ut enim pastorum est oves suas verbo, & Sacramentis pascere; ita ad pastores pertinet eos, qui sacramenta ministrent delegare: Sacerdos autem ministrans Eucharistiam sine delegatione saltem præsumpta, peccat mortaliter; quia in casu gravi violat alterius jurisdidictionem: Religiosi vero ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si sine speciali parochi licentia præsumant laicis, vel clericis viaticum ministrare. Diaconus autem, & alii inferiores clerici dispensanter Eucharistiam extra casum necessitatis, incurrunt irregularitatem secundum præsentem Ecclesiæ praxim, quamvis olim fuerint Eucharistiæ ministri in certis casibus; nam Diaconi olim ministrabant Eucharistiam: *Qui apud nos*, inquit Justinus, *Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, vinum, & aquam.* Acolythi jussu Episcoporum Eucharistiam ad Christi fideles deferebant. Ipsimet laici acceptam a sacerdotibus hostiam consecratam in proprias domos asportabant, ut ea munirentur contra tentationes tyrannorum, eamque cum opus esset, reciperent. Jam vero Diaconi, Subdiaconi, clerici inferiores, immo & laici possent ex dispensatione Papæ idem, quod olim circa hujus Sacramenti distributionem in Ecclesia observabatur.

Consect. 3. Quot modis possit recipi Eucharistia jam confecta. Eucharistia consecrata potest tripliciter accipi a Christianis. Primo realiter tantum, sed indigne: talis fuit communio Judæ & eorum omnium, qui communicant sine dispositionibus debitis. Secundo spiritualiter tantum: talis est communio eorum omnium, qui Christo existenti in eucharistia spiritualiter adhærent: tales sunt beati omnes justi, & pœnitentes. Tertia realiter & spiritualiter, seu digne: tales sunt hi omnes, qui cum debitis dispositionibus accipiunt eucharistiam sub specie panis vel vini.

Consect. 4. Qua dispositiones requirantur, ut Eucharistia fructuose accipiatur realiter & sacramentaliter. Ut Eucharistia digne suscipiatur, tres requiruntur dispositiones: fides in intellectu, caritas in voluntate, & jejunium in corpore. Fides in intellectu, qua discernat panem eucharisticum a pane communi; ideo eucharistia non datur infantibus. Caritas in voluntate, qua sit extra peccatum mortale; ideo Eucharistia non datur his, qui sunt in peccato mortali. Jejunium in corpore; ideo extra casum necessitatis Eucharistia non sumitur nisi a jejunis, ut jamjam diximus explicantes hanc dictionem *jejuna.* Explicuimus pariter quod eucharistia non sumi debeat a pueris; explicandum solum superest, quod non sumi debeat a peccatoribus consciis peccati mortalis. Id expresse docet Apostolus his verbis: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* 1. Ad Corinth. 11. Illud idem docet Aug. tract. 62. in Jo. *Si*, inquit, *corripitur non dijudicans Corpus Domini, hoc est, qui corpus Dominicum a ceteris cibis non discernit, sed ut quemlibet alium cibum indiscrete, negligenterque sumit: quomodo*, sive quam graviter *damnatur qui ad ejus mensam fingens se amicum accedit inimicus?* Illud idem docet Trid. sess. 13. *Ecclesiastica*, inquit, *consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus observandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris.* Ratio autem, ob quam communicans in peccato mortali grave sacrilegium committat, est, inquit D. Th. 1. quia Eucharistia est Sacramentum vivorum: ergo non debet sumi nisi ab his, qui vivunt vita gratiæ. 2. Eucharistia est cibus fortium: ergo sumi nequaquam potest ab his, qui sunt mortui per peccatum. 3. Eucharistia est signum spiritualis unionis, quam habemus cum Christo capite: ergo sumi non debet ab his, qui sunt separati a Christo per peccatum. 3. p. q. 79. art. 5.

Sic realis sumptio Eucharistiæ permitti non debet ulli ex his, quibus supra monuimus suspendendam esse absolutionem; quia realem Eucharistiæ sumptionem debet præcedere absolutio, quoties adest copia Sacerdotis. Sic qui ignorant mysteria fidei, qui nolunt reconciliari cum inimicis, qui nolunt restituere, qui sunt in habitu, aut proxima occasione peccandi, &c. debent privari Eucharistiæ sumptione, donec præcepto Sacerdotis paruerint.

Sic juxta usum antiquum Sanctorum his etiam, quibus concessa est absolutio a gravibus peccatis, suspendenda est ad tempus sacra communio. *Ut qui separari a regno Cælorum timet per ultimam sententiam summi judicis*, aut separari meruerit, *per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento Calestis panis interim separetur.* Aug. hom. 24. c. 3. Et Concilium Anciranum jubet, ut pœnitens emensis diversis pœnitentiæ stationibus *in quarto anno perfectionem suam*, idest Eucharistiam, *percipiat.* Eam praxim observavit Paulus erga Corinthium incestuosum, quem nonnisi post revolutum annum ad communionem admisit. Eamdem observavit Joannes Evangelista erga illum juvenem, qui a Christianismo ad prædones transierat, & eorum dux factus fuerat, quem Ecclesiæ non reconciliavit, nisi ubi se cum multis maceratum jejuniis, crebrisque precibus Deum provocaret. Eus. lib. 3. c. 17. Sic etiam, juxta usum a Ludovico Granatensi approbatum, non statim post absolutionem a peccatis mortalibus, præcipue impudicitiæ aut inimicitiæ, &c. ad Christum puritatis amatorem & pacis amantissimum per communionem permittendus est accessus, etsi enim, inquit, anima purgata, remanet adhuc fœtidus quidam incontinentiæ odor, & fumus aliquis rancoris pristini exhalatur, quod utrumque dilatione aliqua, precibus, & piis operibus purgari convenit. *Non mensam invado*, inquit Aug. *sed miratus quæro.* Serm. 74. de temp. cap. 6. Et optime a

Ber-

Bernardus sermone de B. Magdalena; *Profecto difficillimus & præsumptuosus saltus est a vestigiis ad verticem Domini transvolare*. Et ita maxima cautione debet Sacerdos uti vel in permittenda, vel in neganda communione his peccatoribus, quos a gravissimis sceleribus absolvit: permittenda, si judicetur necessaria, ut confirmet Deus per sacrum Christi corpus, quod in illis operatus est per gratiam: deneganda vero & ad tempus suspendenda, si ea dilatione adaugenda prævideatur in Eucharistiam devotio.

Sic etiam utilis est aliquando dilatio sacræ communionis, ut ea dilatione purgentur peccata venialia, majorque fiat erga sacram Eucharistiam & reverentia, & devotio. Chrysostomus, teste Palladio, *animo commotiore Sacrificium offerre noluit*. Hieronymus Basilicas Martyrum, cum iratus fuerat, intrare non audebat: a fortiori non ausus esset sacram Eucharistiam sumere. Geruntius Diaconus jussu Ambrosii abstinuit a ministerio, eo quod levia quædam verba inconsiderate protulisset: si quis enim non ex segnitie, sed ex reverentia abstineat a sacra communione, *laudandus est de reverentia*, inquit auctor de imitatione Christi. lib. 4. c. 10.

ARTICULUS IV.

In quo prædictum principium, scilicet, *Cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ, sunt observandæ*, applicatur Sacramento Pœnitentiæ.

NOta. Non hic loquimur de pœnitentia solemni, aut publica: sed de ea pœnitentia privata, qua peccator sistit se in foro interno coram Sacerdote.

Prop. un. Observandæ sunt cæremoniæ, quæ circa administrationem pœnitentiæ in ritualibus describuntur.

Propositio patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De cæremoniis antecedentibus, concomitantibus, & consequentibus Sacramentum pœnitentiæ. Antequam audiatur confessio, perquirendum est tempus, a quo facta est ultima confessio. An præcedentes fuerint integræ, & completæ. Si confessiones ex culpa pœnitentis integræ non fuerint, sacrilegæ sunt, & iterandæ. Rursus a pœnitente quærendum, an impositam satisfactionem impleverit, & inquirenda est causa, cur non impleverit: an quia animum non habebat adimplendi, cum imponeretur; quo casu nulla est confessio, utpote carens parte essentiali: an quia vel non potuit, vel neglexit; quo casu oportet, si possit, ut illam impleat; si non possit, aliam Confessarius imponat, eique malo medeatur juxta regulas superius traditas ubi de mutatione satisfactionis. Dum auditur confessio, non turbetur pœnitens, etiam si confuse, & inhoneste loquatur: interrumpatur solum, cum necessarium erit vel ut circumstantiæ peccatorum pateant, vel ut cum fiducia inceptam confessionem prosequatur. Finita accusatione modus honestior, & commodior accusandi se indicabitur: & si oportuerit, de iisdem pœnitens magis ordinate interrogabitur. Nihil in vultu immutandum, nihil in habitu corporis, quidquid audierit Confessarius. Si cum erubescente peccatore egerit, gravitatem criminis ne exponat, nisi post completam omnino confessionem. Si pœnitens in confitendo laborare deprehendatur, verba quædam de inferno, de impia morte mentientis in confessione injici possunt, ut Confessionis partus adjuvetur. Si pœnitens sit perfrictæ frontis, postquam omnia confessus fuerit, ostendendum, quam severe puniat Deus eos, qui elata cervice veniam audent postulare; quanta e contra benignitate humiles corde suscipiat. Si pœnitens sua ipse peccata exponere non valeat, interrogandus erit juxta regulas superius traditas ubi de munere Confessarii. Demum completa confessione absolvendus est pœnitens, si sit bene dispositus, remittendus vero, si non sit sufficienter dispositus. Antequam absolvatur, præmittenda est brevis aliqua exhortatio, qua ad cordis compunctionem excitetur, & ad suscipiendas salutares, & medicinales satisfactiones accendatur, & postea absolvendus juxta formam in Rituali præscriptam. Post absolutionem datam non sunt habenda cum pœnitentibus colloquia vana, præsertim cum mulieribus, quæ etiam promptius, & graviori cum vultu, modoque loquendi in toto confessionis negotio audiendæ sunt. Extra tribunal numquam de auditis in confessione cum pœnitentibus colloquendum, nisi ipsi velint, & id necessarium judicetur in bonum pœnitentis: nec in memoriam revocanda sunt pœnitentium nomina, nisi ut pro eis orationes ad Deum effundamus. Cavenda est zelotypia, qua Confessarii timent, ne sui pœnitentes apud alios quoque confessionem faciant: immo opportunum est, ut eos pœnitentes, quos ordinarie audimus, interdum ad alios Confessarios mittamus, uti de Monialibus præcipit Trid. quibus ter in anno Confessarium extraordinarium dari mandat. Si pœnitens vel absolutus, vel non absolutus citet confessarium coram judice sæculari, ut reddat rationem de absolutione data, vel denegata, non respondeat judici sæculari, nisi consulto prius episcopo: si episcopus opportunum judicet, ut confessarius sistat se coram judice sæculari; nihil aliud respondere debet, nisi se non posse de his rationem reddere, nisi soli Deo: similiter respondere debet, si coram judice ecclesiastico citetur.

Consect. 2. De circumstantiis loci, temporis, & personarum. Ante confessionem, idest antequam pœnitens suscipiatur, observandæ sunt personæ, tempus, & locus. 1. Circa personas, si confessarius sit parochus, ab eo observandum est, an pœnitens, qui stat coram se, sit suæ parochiæ, vel alienæ. Pœnitentem alienæ parochiæ parochus non suscipiat, nisi de obtenta prius a suo pastore, vel a Superiore licentia fidem confessario faciat. Si pœnitens bonum, & peritum parochum habeat, ab eo pœnitente petenda est causa, cur ad suum pastorem non accesserit: ut si quid est in eo a parocho alieni animi, vel contemptus, prudenter abstergatur; si qua opus est erga pœnitentem indulgentia, ea potius a parocho, quam ab alieno facienda est. Si confessarius sit Sacerdos vel sæcularis, vel regularis universaliter in tota Diœcesi erga omnes approbatus, bonum est, ut pœnitentem interroget, cur ad ipsum potius, quam ad

alium accesserit; an causam habeat, cur ad suum parochum non accedat, eique magna semper erga parochum, & proprium pastorem inspiranda est reverentia. His præmissis expendendus est pœnitentis sese offerentis status, sit ne penitens laicus vel non laicus, Sacerdos vel Monachus, dives vel pauper, dominus an vassallus, &c.

Et statim in mentem revocanda sunt præcipua offerentis se pœnitentis officia. Si quæ autem sint lubricæ tentationis initia inter pœnitentem, & confessarium, mittendus est penitens ad alium Sacerdotem: quod si fieri minime possit, raro & magna cautione adhibita, numquam nisi præmissa oratione est audiendus. Circa tempus isthæc ob servanda sunt. Interdiu confessiones audiendæ sunt, non ante auroram, non post vesperam, ut Galliæ Concilia sanxerunt.

Licet tamen post vesperam, vel ante auroram in aliqua necessitate confessiones audire, modo lucerna accensa sit, duoque, vel tres testes præsentes sint; ut habent vulgo statuta synodalia cujus libet Diœceseos. Peccatoribus quovis tempore audiendis paratum esse oportet confessarium; ordinarias tamen confessiones in vigiliis festorum audire magis est opportunum, quam ipso die festo; extraordinarias vero in aliud tempus differre expediat, nisi caritas, vel necessitas aliter suadeat. Annuam confessionem, incipiente quadragesima, singuli fideles inchoare deberent, vel ad eam saltem se disponere. Circa locum isthæc observanda sunt. Non in cubiculis Magnatum, nec in Oratoriis, sed in ecclesia loco patenti confessiones audiantur, nisi morbus, vel alia necessitas cogat. Ita Galliæ Concilia.

Propterea confessionalia extruenda sunt in ecclesia. Mulierum confessiones in sacristia numquam; virorum autem nonnisi raro, & necessitate urgente audiantur.

Consect. 3. *De persona, quæ valide quidem, sed illicite potest dare absolutionem*. Toties absolutio datur valide quidem, sed illicite, quoties impenditur a Sacerdote approbato, qui observat usum diversum ab eo, quem præscribit ecclesia. Sic juxta Alensem, & Bonaventuram, & Morinum absolutio data deprecatorie est quidem valida; quia, inquiunt, forma deprecatoria usi sunt Antiqui, & ea adhuc utuntur Græci; sed eadem absolutio est illicita; quia usus præsentis ecclesiæ est, quod forma absolutionis istis verbis indicativis proferatur: *Ego te absolvo*, &c. ut expressius modo loquendi significetur, sententiam Sacerdotis non esse solum declaratoriam. Sic valida quidem, sed illicita est absolutio, quæ impenditur a Sacerdote sine ea decentia, qua eam impendi oporteret: v. g. juxta D. Th. valida, sed illicita est absolutio a peccato carnali, quod Confessarius una cum pœnitente sua commisit. *Dicendum*, inquit, *quod in tali casu nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato; sed debet ad alium mittere. Nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia; si tamen absolveret, absoluta esset*: mulier. *Quod enim Aug. dicit, quod absolvens non debet esse in eodem crimine, intelligendum est secundum congruentiam, & non secundum necessitatem Sacramenti*. Suppl. q. 20. a. 2. ad 1.

ARTICULUS V.

In quo prædictum principium, scilicet, *cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ, sunt observandæ*, applicatur ad Sacramentum Extremæ-unctionis.

Prop. un. Observandæ sunt cæremoniæ, aliaque adjuncta tum loci, tum temporis, tum personarum, quæ in ritualibus describuntur.

Propositio patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De cæremoniis*. Cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes Extremam-unctionem habentur in rituali, & sola lectione percipi possunt.

Consect. 2. *De circumstantiis loci, & temporis*. *Locus*, in quo conferatur extrema-unctio, non est determinatus: aliquando ægroti ex pietate volunt deferri ad ecclesiam, ibique inungi: id vulgare est, inquit Goarius, apud Græcos; id teste Bernardo, præstitit Malachias Monachus, multique Monachi Dominæ nostræ de Trappa idem præstant; sed usus communis est, ut sacra hæc unctio conferatur privatis in domibus ægrotis in lecto decumbentibus. *Tempus* vero, quo conferri debet, non est pariter fixum, aliquando ante viaticum conferebatur, aliquando post viaticum. Qui conferebant ante viaticum, eo motivo ducebantur, quod extrema-unctio sit quasi pœnitentiæ complementum; qui vero post viaticum conferebant, hac ratione ducebantur, quod extrema-unctio sit Sacramentum exeuntium; ergo post omnia Sacramenta conferri debet. Usus ritualis Romani est, quod conferatur post confessionem, & post viaticum. *Si tempus*, inquit, *& conditio infirmi permittat, ante extremam unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur*. Rituale Pauli V. Huic praxi utpote communiori insistendum est.

Consect. 3. *De personis, quæ valide quidem sed illicite conferunt extremam unctionem*. Toties extrema-unctio valide quidem, sed illicite confertur, quoties extra necessitatem administratur a Sacerdote, qui vel non est pastor proprius, vel deputatus a pastore; quia eam subordinationem ordo exigit Hierarchicus; immo si Religiosus extra necessitatem sine venia parochi conferret extremam-unctionem, tunc incurrit excommunicationem Papalem Clem. I. de privilegiis. Necessitas autem conferendi hoc Sacramentum est, cum parochus vel non posset, vel non vellet illud Sacramentum ægroto periclitanti conferre.

ARTICULUS VI.

In quo prædictum principium, scilicet *cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ, observandæ sunt*, applicatur ad Sacramentum Ordinis.

Prop. un. Cæremoniæ, aliaque adjuncta, quæ in Pontificali describuntur, observanda sunt, ut Ordinatio sit licita.

Propositio patet ex dictis.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De Cæremoniis Ordinationis, Cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & consequentes Ordinationem in Pontificali describuntur, & sola lectione percipi possunt.

Consect. 2. De circumstantiis loci, & temporis Ordinationis. Locus, in quo conferuntur Ordines, debet esse proprius Episcopi ordinantis, debet esse sacer, & publicus: proprius quidem; cum enim Ordinatio sit actus jurisdictionis, extra proprium territorium exerceri non potest: unde Trid. sess. 6. c. 5. de ref. hæc habet: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Locus debet insuper esse sacer, quoties saltem conferuntur Ordines, qui inter Missarum solemnia conferri solent; Missa enim, ut dictum est, nonnisi in loco sacro celebrari potest: alii vero Ordines, scilicet Minores, & insuper tonsura, *quocumque in loco, & ubicumque conferri possunt*, inquit Pontificale Rom. Demum locus Ordinationis debet esse publicus. *Si enim*, inquit Cyp. ep. 68. *coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id instruit, & ostendit Ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit Ordinatio justa, & legitima, quæ omnium suffragio, & judicio fuerit examinata.* Idem jubet Conc. Trid. sess. 23. de ref. c. 8. *Ordinationes sacrorum Ordinum ... publice celebrentur, præsentibus ad id ecclesiæ Canonicis.* *Tempus*, quo fieret Ordinatio, non erat olim præfixum; nam Apostoli non ad unum potius quam alium mensem, vel diem attendebant: Pontifices vero Romani vulgo Ordinationem ad mensem Decembrem remittebant; jam vero usus præsentis Ecclesiæ Latinæ est, quod collatio sacrorum Ordinum non fiat, nisi sabbatis quatuor temporum, & sabbato præcedente Dominicam Passionis, & Dominicam Paschatis: minores vero Ordines dari possunt singulis Dominicis, & festivis diebus duplicibus & pridie solemnis ordinationis. Ea omnia magis constant usu, quam scripto: & ad hæc alludit Trid. sess. 23. c. 8. dum ait: *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus publice celebrentur*; collatio vero tonsuræ omni tempore, omni loco fieri potest. Ad circumstantiam temporis pertinet, quod a susceptione unius Ordinis ad susceptionem alterius, aliqua interstitia observentur; interstitiorum autem tempus ita fixit Trid. sess. 23. c. 11. de ref. *Minores*, inquit, *Ordines ... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur ... ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat ... cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Et c. 13. *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Hujusmodi est usus Ecclesiæ Latinæ, nam usus Ecclesiæ Græcæ est longe diversus: siquidem Episcopi solum presbyteratum & diaconatum vetantur conferre extra suum territorium; minime vero alios Ordines, ut notat Balsamon in can. 14. Apostolorum.

Consect. 3. De personis, quæ valide quidem, sed illicite conferunt, & recipiunt Sacramentum Ordinis. Toties ordo confertur valide quidem, sed illicite, quoties confertur ab Episcopo vel excommunicato, vel suspenso, vel degradato, vel hæretico, vel schismatico; quia, ut inquit D. Th. hi utuntur valide quidem potestate quam semper retinent, sed qua uti licite nequeunt quamdiu sunt in statu prædicto. Item ordo confertur valide quidem, sed illicite, quoties confertur ab Episcopo nullis certe censuris innodato, seu Pontificalia exercente extra suum territorium, vel circa fideles non sibi subditos, & hoc sine expressa Episcopi loci licentia; id enim districte sub pœna suspensionis vetat Ecclesia.

Valide quidem, sed illicite ordinantur, qui hic subjiciuntur. 1. Perpetuo amentes, cæci, muti, manci, pueri in cunis, licet enim sint naturaliter inhabiles ad exercenda officia ecclesiastica, sunt tamen apti ad suscipiendum characterem Ordinis. 2. Irregulares v. g. neophyti, infames, hermaphroditi, suspensi, excommunicati; licet enim jure ecclesiastico sint inhabiles ad munia ecclesiastica & ab eorum exercitio arceantur, tamen possunt valide characterem ordinis recipere.

ARTICULUS VII.

In quo istud principium, scilicet, *Cæremoniæ Sacramentorum, & circumstantiæ Sacramentis adjungendæ, observandæ sunt*, applicatur ad Sacramentum Matrimonii.

PRop. un. Cæremoniæ, aliaque adjuncta Matrimonii, observanda sunt, ut Matrimonium sit licitum.

Prop. patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De Cæremoniis. Observandæ sunt cæremoniæ antecedentes, concomitantes, & subsequentes matrimonium: quia ita jubet Ecclesia, alias matrimonium fit illicitum. *Cæremoniæ antecedentes* sunt primo sponsalia, secundo proclamationes; etenim si aliquid istorum omittatur, matrimonium, licet validum, est tamen illicitum. Sunt autem *sponsalia* futuri matrimonii promissio. De sponsalibus fiet infra specialis paragraphus. *Proclamationes* sunt denunciationes publicæ ad impedienda clandestina matrimonia: debent autem fieri. 1. In parochia sponsi utriusque, in qua per sex saltem menses quilibet habitaverit. 2. Per tres continuos dies festos, *& hoc intra Missarum solemnia*, non autem in officio. 3. Elapsis post

ulti-

Digitized by Google

ultimam denunciationem sex mensibus, si celebratum non fuerit matrimonium, debet una saltem denunciatio iterum proclamari ante celebrationem. 4. Etsi die denunciationis ultimæ matrimonium celebrari possit, non expedit tamen. Cæremoniæ concomitantes matrimonium in rituali describuntur, & sola lectione percipiuntur. *Ad cæremonias vero subsequentes matrimonium* reduci potest sancta ea libertas, quam habent conjugati, ut stante matrimonio rato, & nondum consummato, cuilibet conjugum detur spatium bimestre, quo matrimonium ratum & non consummatum dirimitur per solemnem alterius sponsi in approbata religione promissionem: ut expresse definit Trid. sess. 24. c. 10. & merito quidem; quippe cum conjugati nondum facti sint *una caro* per carnalem copulam, cuilibet licitum sit oportet, se Christo per spirituale conjugium copulare, & sicut per mortem corpoream solvitur carnalis matrimonii vinculum, quidni per mortem spiritualem, qualis est professio religiosa, solvetur rati dumtaxat matrimonii ligamen? Eam doctrinam continua traditione in Ecclesia observatam sic explicat Alex. Papa III. cap. *Verum* de conversione conjugatorum, ubi sic habet: *Verum*, inquit, *post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos ... & alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire.* Et cap. *Ex publico* jubet mulierem conjugatam, sed non carnaliter cognitam, vel transire ad religionem, vel ad virum redire intra *duos menses*.

Consect. 2. De circumstantiis loci, & temporis, in quibus matrimonium & recipi, & conferri possit. Juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem matrimonii Sacramentum in Ecclesia suscipitur, celebratur Missa specialis, & in ea novi conjugati specialibus precibus Deo offeruntur, & speciali benedictione benedicuntur. Tempus vero matrimonii juxta usum præscriptum in Trid. est hujusmodi: a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, & a die Cinerum usque ad Oct. Paschæ solemnes nuptiæ interdicuntur; ideo sine dispensatione non possunt toto illo tempore celebrari.

Consect. 3. De personis, quæ valide quidem, sed illicite contrahunt matrimonium ob circumstantiam impedimentorum prohibentium. Illi omnes valide quidem, sed illicite contrahunt qui ineunt matrimonium cum aliquo impedimento impediente. Impedimenta autem impedientia sunt quintuplicis generis, & isto carmine continentur.

Votum, promissum, prohibitio, tempora, crimen.

Explicantur singulæ voces. *Votum*, scilicet castitatis, si fuerit tantum simplex, impedit matrimonium; quia est ad instar sponsalium, quæ cum Deo ineuntur: ast si votum solemne fuerit, dirimit matrimonium; quia est ad instar matrimonii initi cum Deo.

Promissio matrimonii, vel sponsalia cum alio facta, impediunt matrimonium.

Prohibitio quadruplex prohibet matrimonium. 1. Vetatur, ne sine consensu parentum contrahatur. Trid. sess. 24. c. 1. de ref. 2. Ne cum hæretica ineatur conjugium. Elliberitanum canon. 16. Agathense can. 67. 3. Ne quis contrahat cum ea, quam ipse per adulterium polluit caus. 31. qu. 1. Irritabatur tempore Basilii epist. ad Amphilochium cap. 39. 4. Ne quis contrahat durante pœnitentia publica.

Tempora feriata impediunt matrimonium. His non licet matrimonium solemne contrahere, scilicet a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive, & a feria quarta Cinerum usque in Oct. Paschæ inclusive. Trid. sess. 24. c. 10. Nuptias quoque solemnes his temporibus celebrare non licet in Gallia absque dispensatione.

Crimen impedit nuptias, non quodcumque, sed quod istis carminibus explicatur.

Incestus, Monacham ducens, rapiensque alienam,
Presbyterum, uxoremve necans, susceptio prolis.

Explicantur singulæ voces. *Incestus* prohibet matrimonium in perpetuum: contingere autem potest quatuor modis. 1. Si cum consanguineis conjugis quis coeat, nisi hoc per errorem contigerit: caus. 34. q. 6. & 8. 2. Si quis cum consanguineis desponsati, vel desponsatæ coeat. 4. dec. tit. 13. c. 8. 3. Si cum duabus sororibus quis fornicetur. 7. c. 296. vel cum matre, & filia, caus. 35. qu. 2. can. 5. & 6. 4. Si quis cum propria consanguinea, vel consanguineo nuptias contrahat: caus. 35. q. 2. can. 4. & q. 6. can. 4.

2. *Monacham ducens.* caus. 27. q. 1. can. 13.
3. *Rapiensque alienam.* caus. 27. q. 2. can. 34.
4. *Presbyterum occidens.* caus. 17. q. 4. can. 24.
5. *Uxoremve necans.* caus. 33. q. 2. can. 8.
6. *Susceptio prolis* in baptismo, vel in confirmatione: caus. 20. q. 1. can. 2. si tamen hoc ex malitia fiat, non autem ex necessitate.

Juxta Caballucium, incestus, occisio Presbyteri, vel uxoris, conjugium attentatum cum moniali, pœnitentia publica, impedimenta quidem sunt non recepta in Gallia.

Paragraphus specialis de Sponsalibus,

Quid sint Sponsalia.

Sponsalia sunt promissio vel absoluta, vel conditionalis, voluntaria, deliberata, & mutuo signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas natura, & jure habiles ad contrahendum.

Hæc definitio ab omnibus admittitur, sumunturque singulæ voces in particulari, ex quibus resolvuntur.

I. Sponsalia dicuntur promissio, *ex quo istheo inferes*, scilicet quod ad sponsalia non sufficit propositum, vel desiderium contrahendi cum aliqua; quia propositum, vel desiderium non est promissio: hæc autem promissio debet esse non vaga, & indeterminata, sed determinata, & certa; quia vaga promissio non ligat in particulari.

Sic non valet hæc promissio ad sponsalia, si Titius dicat Bertæ: non aliam ducam præter te; quia potest nullam ducere.

Sic non valet hæc promissio, si Titius dicat: ducam aliquam ex tuis filiabus; quia nullam determinat.

II. D.

II. Dicitur absoluta, *ex quo isthaec inferes*, scilicet, quod promissio sponsaliorum absoluta potest fieri valide quatuor istis modis: 1. *Nude*: accipiam te in meam; vel in meum. 2. Dando arrhas sponsalitias, v. g. vestes, jocalia. 3. Annuli subarrhatione. 4. Intervenientе juramento; quia hæc omnia confirmant promissionem, seu tantum modificant.

III. Dicitur conditionalis, *ex quo isthaec inferes*. 1. Si promissio sponsaliorum fiat sub conditione de futuro, promissionis obligatio suspendetur, donec adimpleta sit conditio: v. gr. accipiam te in meam, vel in meum, si pater voluerit: urgebis obligatio, si pater velis: non urgebis, si parer nolit, & vis obligationis suspendetur donec constet de patris voluntate. 2. Si promissio fiat sub conditione de præterito, vel de præsenti, urgebit obligatio promissionis, si conditio sit, vel fuerit posita; quia consensus conditionalis post conditionem positam transit in absolutum: v. g. accipiam te in meam, vel in meum, si sis Berta, vel Titius; urget obligatio, si contrahentes sint Titius, & Berta, & non aliter. 3. Si promissio fiat sub conditione inhonesta, repugnante fini matrimoniali: v. gr. accipiam te in meam, vel in meum, si sterilitatem induxeris, non valent sponsalia, quia itur contra finem matrimonii. 4. Si promissio fiat sub conditione inhonesta non repugnante fini matrimoniali: v. gr. accipiam te in meam, vel in meum, si furtis meis consentias, valent sponsalia; quia non itur contra finem matrimonii: sed non est servanda conditio; quia est de se mala.

IV. Dicitur voluntaria, *ex quo istud inferes*, scilicet quod promissio facta tantum exterius, resistente interius voluntate, non sufficit ad sponsalia; quia requiritur consensus internus.

V. Dicitur deliberata. Promissio debet esse deliberata, quia si ante eadeliberatio, quæ requiritur ad plenum consensum, contractus censetur involuntarius, & proinde invalidus: ex quo *isthaec inferes*, scilicet quod sponsalia inita completo septennio valent; tunc enim homo censetur habere usum rationis: quod si constaret, contrahentes sponsalia non habere usum rationis, septennio completo, contractus non esset validus.

VI. Dicitur mutua. Promissio debet esse mutua: quia sicuti matrimonium postulat mutuum consensum, ita & sponsalia: *ex quo isthaec inferes*. Si altera pars non repromittat, non fiunt sponsalia. Sic si Titius promittat Bertæ, & Berta non repromittat, non valent sponsalia. Sic si Titius absolute promisisses, & Berta acceptasset, solus Titius teneretur ad promissionem.

VII. Dicitur, quod promissio sponsalitia debeat esse signo sensibili expressa: quia omnis exterior promissio debet esse signo sensibili expressa; promissio enim, & contractus debent modo humano, idest sensibili: unde inferes: Si altera pars interius tantum consentiat, non valent sponsalia.

VIII. Dicitur futuri matrimonii. Promissio debet esse futuri matrimonii, quia per hoc sponsalia distinguuntur a matrimonio: *ex quo isthaec inferes*. Matrimonium clandestinum non habet vim sponsaliorum: quia sponsalia debent distingui a matrimonio: & ita declaratum fuit a Congregatione Cardinalium.

IX. Dicitur inter personas natura, & jure habiles. Promissio debet fieri inter personas natura & jure habiles: quia sicut contractus est invalidus, quoties personæ sunt inhabiles ad contrahendum, ita promissio matrimonialis est invalida, si personæ sint inhabiles ad matrimonium: *ex quo isthaec inferes*. 1. Sponsalia contracta inter duas mulieres sunt nulla; quia non sunt natura habiles ad matrimonium inter se. 2. Sponsalia inita inter ligatos voto castitatis, aut alio impedimento juris, sunt invalida.

De obligatione sponsaliorum.

Prop. unica. Sponsalia sunt promissio vel absoluta, vel conditionalis, voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas natura, & jure habiles.

Prop. patet ex dictis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui contraxerunt sponsalia, tenentur inire matrimonium; quia omnis promissio absoluta, & acceptata ligat.

Consect. 2. Qui contraxerunt sponsalia, tenentur inire matrimonium tempore condicto, si tempus determinaverint; quia promissio servanda est juxta pactam conditionem: si vero tempus non determinaverint, debent inire matrimonium tempore congruenti, cum altera pars exiget; quia res promissa convenienter tunc ex obligatione debet concedi, cum juste exigitur.

Consect. 3. Quando qui contraxerunt sponsalia peccant carnaliter cum aliis, v. gr. sponsa cum alio a sponso, & sponsus cum alia a sponsa, peccant nedum peccato fornicationis simplicis, sed peccato luxuriæ mediantis inter simplicem fornicationem, & adulterium; quia violant castitatem per actum carnalem: & insuper violant justitiam: promiserunt enim sibi mutuo fore fideles: & hæc circumstantia est aperienda in confessione, utpote aggravans notabiliter.

Consect. 4. Qui contraxit sponsalia ficte, non tenetur inire matrimonium: quia non fuit vera promissio: tenetur tamen compensare injuriam factam parti, cum qua contraxerat simulate: quia jus ita exigit: attamen per accidens potest obligari. Sic qui sub promissione matrimonii defloravit virginem ejusdem conditionis . . . . . vel quæ inferioris conditionis ignorabat conditionem illius, qui eam defloravit, tenetur deflorans eam ducere in uxorem: quia tunc filia decepta est sub spe futuri matrimonii: si tamen filia sciveris disparitatem conditionis, non tenetur eam ducere in uxorem, sed tantum tenetur eam dotare: quia filia sciens conditionis disparitatem, ipsa voluit decipi, & ita sibi debet damnum suum attribuere.

Consect. 5. Qui contraxerunt sponsalia, non possunt sibi mutuos dare amplexus, nec actum conjugalem committere: quia nondum initus est contractus, sed solum dispositiones pactæ sunt ad contractum.

Consect. 6. Si alter desponsatorum noluit injuste inire matrimonium, poterit cogi per censuras, vel aliis pœnis ad ineundum matrimonium, quia judex legitimus potest cogere promittentem, ut servet promissa: hoc tamen non est in praxim redigendum, si timeatur aliquod incommodum inter conjugatos.

De

De dissolutione sponsaliorum.

Prop. unica. Sponsalia sunt promissio absoluta, voluntaria, deliberata, & signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas natura, & jure habiles.

Prop. patet ex dictis.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Sponsalia possunt dissolvi eodem modo, quo solent alii contractus promissorii dissolvi: quia habent vim contractus.

Consect. 2. Si terminus matrimonii ineundi fuerit conditione aliqua præfixus, transacto tempore, & termino, sponsalia dissolvuntur: v. g. duo promittunt sibi mutuo se inituros matrimonium intra duos menses, quod si non ineant matrimonium intra illud tempus, erunt liberi a promissione; transacto enim tempore statuto sponsalia erunt dissoluta.

Si terminus non esset præfixus conditione aliqua, sed tantum ad maturandum matrimonium, sponsalia non dissolverentur transacto illo tempore, sed data opportuna occasione matrimonium ineundum esset quam citius; procrastinatio enim matrimonii inter desponsatos exponit eos periculo fornicationis, & periculo non commode nubendi, si dissolutis sponsalibus cogantur cum aliis contrahere.

Consect. 3. Sponsalia dissolvuntur per mutuum utriusque partis consensum; quia promissio non ligat cum offertur, & acceptatur promissionis relaxatio: v. g. si utraque pars rescindat sponsalia, si utraque pars eliciat votum castitatis, vel Religionis; quia in his omnibus casibus utraque pars censetur alteri relaxare obligationem ineundi matrimonium.

Consect. 4. Si alter contrahentium lædat compartem in ordine ad matrimonium, pars læsa eximitur ab obligatione sponsalium: minime vero pars lædens. Sed si pars læsa exigat adimpletionem promissi, pars lædens tenetur adimplere sponsalia, seu promissum, prout potest, & quando poterit: quia in promissionibus mutuis pars lædens cecidit jure suo; pars vero læsa potest uti jure suo. Et ita, si altera pars ineat sponsalia nova, pars læsa non tenetur initis prioribus sponsalibus stare: & si velit potest exigere, ut pars lædens servet promissum, & ineat promissum sibi matrimonium; quia prior promissio magis ligat quam posterior.

Si tamen pars lædens esset vir, & deflorasset secundam sponsam, cum qua secunda contraxit sponsalia, teneretur potius inire matrimonium cum secunda sponsa, quam cum prima, quia teneretur impedire majus damnum: majus autem damnum est defloratio, quam violatio promissionis sponsalium.

Si altera pars fornicetur, permittat oscula, tactus impudicos, &c. pars innocens, quæ est læsa, potest dissolvere sponsalia, & dimittere partem fornicantem, aut impudicam; quia hoc est jus partis læsæ: deinde, quia in promissione sponsaliorum, hæc conditio implicite ponitur, quod partes contrahentes sibi mutuo erunt fideles.

Si utraque pars ejusdem criminis fuerit rea, vir potest dimittere sponsam, & femina sponsum; quia sponsus, & sponsa sunt æquales in hoc crimine, sicut in adulterio: hic enim attenditur fides sponsaliorum, ad quam servandam utraque pars æqualiter tenetur. Si altera pars labatur in hæresim, pars innocens poterit dissolvere sponsalia.

Consect. 5. Sequens ex eo, quod promissio debeat esse voluntaria, & deliberata. Dissolvuntur sponsalia, si nova detegatur mutatio, quæ si prævisa fuisset, non fuissent contracta sponsalia, quia tunc sponsalia censentur fuisse contracta involuntarie. Et ideo si de novo pateant defectus insignes vel in anima, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, possunt dissolvi sponsalia a parte, quæ per talem occultationem fuisset læsa.

Sic in sequentibus casibus possunt dissolvi sponsalia ab altera parte læsa.

1. Quando in anima compartis apprehenditur asperitas morum, futuræ furiæ inter conjuges, vel rixæ inter parentes conjugatorum.

2. Si in corpore illius detegantur defectus insignes, v. g. lepra, paralysis, morbus gallicus, mutilatio membrorum, auris, brachii &c. fœtidus oris aut corporis odor.

3. Si in bonis fortunæ detegatur diminutio insignis divitiarum.

Si autem illi defectus reddant matrimonium perniciosum comparti, vel filiis ex tali connubio orituris, pars, quæ patitur illos defectus, non potest illos occultare; quia præjudicium prolis, & compartis debet privatæ utilitati præponderare.

Si vero illi defectus reddant matrimonium tantum minus gratum, & jucundum, potest eos prudenter occultare.

Consect. 6. Sequens ex eo, quod sponsalia iniri debeant inter personas natura, & jure habiles. Dissolvuntur sponsalia, si aliquo impedimento superveniente, vel altera pars, vel utraque pars fiat inhabilis ad matrimonium promissum; puta, utraque pars, vel altera pars ineat matrimonium cum comparte diversa ab ea, quam desponsavit: quia matrimonium ratum dissolvit sponsalia. Item si altera, vel utraque pars eliciat votum castitatis, vel votum intrandi Religionem: quia votum etiam simplex dirimit sponsalia. Item si utraque, vel altera pars proficiscatur in regionem longinquam non reditura, nisi post longum tempus: quia absentia longi temporis, puta, biennii, aut triennii dissolvit sponsalia.

Monit. 1. Quando sponsalia dirimuntur non per consensum utriusque partis, sed per culpam alterius partis, pars innocens potest petere vel compensationem damni, vel sponsaliorum executionem, quando mandari possunt executioni: & ita desponsatus vel desponsata intrantes matrimonium in præjudicium ejus partis, cum qua primo sponsalia inierant, defuncta comparte, tenentur adimplere promissum matrimonium, si pars læsa illud exigat. Item pars, quæ elicuit votum vel castitatis, vel Religionis, si obtineat dispensationem a voto, vel non recipiatur in Religionem, tenetur inire matrimonium cum ea quam desponsaverat, si hæc illud exigat, quia manet semper obligatio promissionis.

Monit. 2. Quando sponsalia dissolvantur, dissolvi debent auctoritate judicis Ecclesiastici.

C A

Digitized by Google

C A P U T II.

Quæ sit obligatio recipiendi Sacramenta.

PRop. un. Illi omnes tenentur recipere Sacramenta, qui opus habent gratia, quæ confertur per Sacramenta.

Prob. 1. Script. Nemo potest pie, & sancte vivere sine gratia juxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere:* Atqui gratia, qua pie vivimus, hauritur e Sacramentis: juxta illud: *Haurietis aquas*, idest gratiam, *e fontibus Salvatoris*, idest Sacramentis: Ergo qui eget gratia, quæ confertur per Sacramenta, tenetur recipere Sacramenta.

2. Ex jure Canonico. Omnia Sacramenta sunt toti ecclesiæ necessaria, quamvis singula non sint singulis necessaria, sed aliqua aliquibus, ut habetur hac inductione: *Baptismus* v. g. Sacramentum est ad regenerationem intrantium in ecclesiam. Can. *Nulla præter* 142. de cons. dist. 4. *Confirmatio* ad robur pugnantium. Can. *Spiritus S.* de cons. dist. 5. *Eucharistia* ad viaticum saluberrimum progredientium. Can. *De his* 26. q. 6. *Pœnitentia* ad remedium resipiscentium. Can. *His qui* 26. q. 7. *Extrema unctio* ad levamen ex hoc sæculo exeuntium. Can. *Ab infirmis* 26. q. 7. *Ordo* ad consecrationem divinis servientium. Can. *Cleros*, dist. 21. *Matrimonium* ad benedictionem generantium. Can. *Omne* 27. q. 2. Demum quodlibet Sacramentum est id, *a quo omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*, ut habetur in Trid. sess. 7. & Can. *Nulla* de cons. dist. 4. ergo quilibet homo, qui eget gratia, quæ in prædictis Sacramentis continetur, debet recipere illud Sacramentum, cujus gratia eget; debet, inquam recipere vel in re, cum adest opportuna occasio, vel in voto, cum non adest opportunitas, quando scilicet urget præceptum recipiendi Sacramentum.

3. *Rat.* Qui vult finem, debet velle media conducentia ad finem: ergo qui vult gratiam consequi, debet aut recipere, aut velle recipere Sacramenta, quæ sunt media, quibus Deus utitur ad conferendam gratiam.

Consectaria, quibus præcedens doctrina ad singula Sacramenta applicatur.

Consect. I. *Quandonam urgeat obligatio recipiendi baptismum, seu de necessitate baptismi.*

Nullus est homo sive infans, sive adultus, cui necessarius non sit baptismus, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii: ita ut sine baptismo vel in re vel in voto suscepto salus æterna obtineri non possit. Et primo quidem necessarius est baptismus, ut per illum homo emundetur a peccato originali: secundo vero, ut per illum homo initietur in Christiana Religione; etenim geminus ille effectus non aliunde, quam a baptismate emanat. De primo quippe effectu dicitur in Script. Jo. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei. Quod enim*, inquit Christus, *natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est:* quasi dicat, carnalis generatio ab Adamo proveniens infundit peccatum: spiritualis vero regeneratio emanans a Christo infundit gratiam. Secundum vero effectum, scilicet initiationem in Christiana Religione, ita explicat Mat. his verbis: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* insinuans, quod qui per doctrinam instruuntur circa fidem, per baptismum in Christiana Religione initiantur. Quem duplicem effectum ita explicat Flor. his verbis: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Quam regenerationem a peccato, & initiationem in Christiana Religione ita paucis verbis expressit D. Th. 3. p. q. 68. a. 1. in corp. *Ad hoc autem*, inquit, *datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneretur, & incorporetur Christo, factus membrum ipsius; unde dicitur ad Galat. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis: unde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.*

Sic generatim nullus est homo, cui liber, & indifferens debeat esse baptismus, sed ut necessarius habendus est vel ut regeneretur, vel ut initietur. Ideo dicit Trid. de baptismo Can. 5. *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium, anathema sit.*

Sic in specie baptismus pueris, etiam non adultis, necessarius est, atque ea in ætate conferendus. Ideo dicit Trid. sess. 5. de peccato originali: *Si quis parvulos, recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit; ideo enim in remissionem peccatorum baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxere*: quodque remedium adeo est indispensabile, ut, si illis pueris vel casu, vel malitia hominum denegetur, justo Dei judicio in his tenebris relinquantur, nec ab Ecclesia nullis precibus adjuventur; fixa enim Domini sententia est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum cælorum.* Et Aug. l. 3. de anima & ejus origine c. 9. *Noli*, inquit, *credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*: solum quippe martyrium in infantibus, sola contritio in adultis, supplere potest defectum baptismi.

Sic in specie omnibus adultis necessarius est baptismus, eisque, si sufficienter instructi, & dispositi, conferendus. Philippus enim eunuchum, Reginæ Candacis sufficienter instructum, & dispositum illico baptizavit; sicut & Petrus Cornelium. Vulgo tamen tempore aliquo differtur baptismus. Primo propter cautelam, ne Ecclesia decipiatur, Sacramentum baptismatis passim quibuscumque petentibus conferens; possunt enim occurrere qui ficte, & indispositi postulent. Secundo ad utilitatem recipientium, ut plenius instruantur, & sanctius disponantur. Tertio propter solemnitatem Sacramenti, ut splendidius in Paschate, vel Pentecoste, ut olim moris erat, conferatur.

Sic ergo in praxi 1. Baptizandus est adultus plenæ rationis compos, qui vel nutu, vel verbo baptismum postulat. Item baptizandus est adultus, etiamsi non plenæ rationis compos, modo saltem per lucida, ut dicunt, intervalla ratione utatur,

tur, & per ea intervalla intentionem aliquam exhibuerit suscipiendi sacramentum, aut saltem nullum obicem contraria voluntate posuerit, ut dicit Innoc. III. cap. *Majores*.

2. Baptizari possunt & debent omnes pueri, omnes infantes, omnes amentes, demum quicumque alii, qui a nativitate usu rationis caruerunt, nec ulla umquam habuerunt rationis intervalla, licet actu proprio non credant: sicuti enim sine actu proprio per voluntatem Adami ex vi generationis carnalis peccatum originale contraxerunt; ita sine actu proprio ex vi generationis spiritualis possunt per voluntatem Christi gratiam regenerantem recipere, ut docet Orig. supra illud ad Roman. *Si enim complantati*, ubi sic loquitur: *Ecclesia*, inquit ab Apostolis traditionem *suscepit etiam parvulis baptismum dare*. Cypr. ep. 64. editionis novæ, in Concilio definitum esse, non expectandum octavum diem circa collationem baptismi. Aug. lib. 10. Gen. ad litteram c. 22. *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam aspernanda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*.

3. Baptizari possunt & debent Fidelium vel Hæreticorum parvuli, ipsis etiam parentibus invitis; quippe cum tam Fideles, quam Hæretici sint baptizati, legibus subjiciuntur Ecclesiæ, quæ proinde potest filios, parentibus irrationabiliter invitis, baptizare, eosque e manibus eorum eripere, si periculum immineat, ne corrumpantur.

4. Baptizari possunt & debent filii paganorum, qui sunt sub captivitate principum Christianorum, cum enim servi sint filii, quos suscipiunt, non parentum juris sunt, sed dominorum: ergo in bonum spirituale, & æternam salutem baptizari possunt, & debent eorum pueri, & in Christiana Religione educari. Quando autem parentes infideles subjiciuntur tantum civiliter vel Ecclesiæ, vel principibus, nec possunt, nec debent filii invitis parentibus baptizari; parentes enim habent jus naturale supra filios, quibus citra injustitiam orbari nequeunt, periculumque foret, ne filii baptizati postea ab infidelibus parentibus perverterentur: Si tamen iidem filii vel per mortem, vel per alium casum essent eripiendi parentibus, tunc, invitis etiam parentibus, & possent, & deberent baptizari; nulla enim tunc per baptismum fieret injuria parentibus, nec pertimescendum periculum violandæ fidei.

5. Per rationem oppositam nec possunt, nec debent baptizari pueri in utero matris; nemo enim potest renasci, nisi jam natus; cum autem puer nondum integre natus periclitatur, si partim ex utero effusus caput ostendat, ea pars debet ablui, & cum debita forma baptizari, nec postea rebaptizandus est sub conditione, præcipua enim pars abluta est: si pedem, manumve, aliamve corporis partem ostendat, potest & debet ea pars ablui, sed postea rebaptizandus est sub conditione; quia præcipua pars non abluta est. Si dubium sit, an infans vel integre, vel partim effusus, sit mortuus, vel vivens, potest juxta manuale Bellov. baptizari; quia viventi loquitur qui dicit; ego te baptizo: vel poterit baptizari sub hac conditione: si tu es homo vivens, ego te baptizo. Si mater monstrum genuerit, si nihil hominis appareat, baptizari non debet, si autem dubium sit, debet baptizari sub hac conditione: si tu es homo, ego te baptizo. Si duæ personæ appareant ex duplici pectore, ex duplici capite &c. duo baptismata facienda sunt; vel si mortis periculum urgeat, uterque uno baptismate baptizandus est sub hac forma: ego vos baptizo. Si autem dubium sit, an sint duæ personæ, vel una tantum clare appareat, ea, quæ apparet, absolute baptizanda est; ea, quæ non apparet, sub conditione baptizanda est.

Consect. 2. *Quandonam urgeat obligatio recipiendi confirmationem, sive quæ sit ejus necessitas*. Sacramentum confirmationis necessarium est, non necessitate medii, cum certum sit multos salvari sine confirmatione: sed necessarium est Sacramentum illud necessitate præcepti. Et primo quidem necessitate præcepti communis, quo cunctis fidelibus præcipitur, ut in accepta in baptismate gratia perseverent, perfectique Christiani habeantur, ut docet Conc. Laod. c. 48. *Oportet*, inquit, *baptizatos post baptismum, chrismatis quoque cælestis, & Regni Christi participes fieri*. Ad quam necessitatem alludit Cypr. ep. 71. ad Janua. ubi hæc habet: *Ungi quoque necesse est qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit*. Deinde confirmatio necessaria est speciali præcepto, ut acceptam fidem custodiamus in corde, & cum opus est ore confiteamur: *Corde enim creditur ad justitiam*, ut dicit Paulus, *ore autem confessio fit ad salutem*. Ea autem fidei firmitas, & Christianæ Religionis professio ex Sacramento confirmationis oritur, ut docet Florent. *Quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ideoque in fronte ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia; propter quod signo Crucis signatur*. Tertio necessaria est confirmatio, ut ex ea varias gratias actuales hauriamus, quibus variis tentationibus valeamus resistere, ut docet Conc. Senon. an. 1524. *Confirmatio*, inquit, *fortiorem reddit ad resistendum tentationibus, promptiorem ad Deo serviendum, & ad Dei præcepta adimplendum*. Quarto demum debet illud Sacramentum recipi propter characterem, quo tamquam Christi milites designamur, & Christiani perfecti efficimur: de quo ita Conc. Rhemen. ann. 1583. *Quamvis*, inquit, *unusquisque per baptismum catalogo fidelium adscriptus sit, ad diaboli tamen, carnisque, mundique tentationes perferendas, ac superandas, nonnisi per impositionem manuum Episcopi plus ROBORIS, & GRATIÆ recipit*. Unde ait Cyril. Hierosi. Catech. 3. *Hujus sancti chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani ... Antequam enim hac gratia vobis donata esset, non eratis digni eo nomine*.

Ex quo sequitur, quod fidelis quilibet tenetur confirmationis Sacramentum recipere, quando opportuna sese exhibet occasio, ne se prædictis utilitatibus orbum efficiat: ita docet expresse Conc. Sen. supra citatum: *Quam scilicet confirmationem*, inquit, *fideles omnes usum rationis habentes. OBLI-*

GAN-

GANTUR *suscipere aut saltem non contemnere*: contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere, aut sine gravi difficultate adiri potest Episcopus qui confirmat. Et quamvis omni pace frueretur Ecclesia, tamen urgeret præceptum recipiendæ confirmationis; quippe tempore Constantini, aliorumque Imperatorum de Ecclesia bene merentium, quantacumque esset Ecclesiæ tranquillitas, tamen sollicita devotione postulabatur illud Sacramentum a fidelibus, & maxima cura conferebatur ab Episcopis.

2. Fideles maxime miseris istis temporibus tenentur ad confirmationem recurrere, quibus tot hæreticis circumcingimur, & præcipue his, qui confirmationem uti otiosam cæremoniam calumniantur. Hanc rationem ut maxime momentosam affert Conc. Rhem. supra cit. *Moneant ergo*, inquit, *Parochi, divinique verbi præcones, confirmationis Sacramentum non debere negligi, vel prætermitti a vere Christianis, hoc præsertim calamitoso, & hæreseon pleno tempore*.

3. Strictius adhuc ligat præceptum recipiendæ confirmationis tempore, quo urget persecutio tyrannorum: effectus enim specialis hujus Sacramenti est robur contra tyrannos, quod haberi non potest sine confirmatione, aut illius voto, ut docet D. Th. his verbis: Sicut, inquit, nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine illius voto, quando scilicet non potest realiter suscipi. 3. p. q. 72, a. 6. ad 1. Quo circa testatur historia ecclesiastica tempore persecutionum properasse Episcopos, ut baptizatos confirmarent: cujus sollicitudinis exemplum dedere Apostoli Petrus, & Joannes, qui ad Samaritanos per Philippum baptizatos citi, & properantes accesserunt, ut eis confirmationem conferrent. Unde parochi debent enixe precari Episcopos, ut hoc Sacramentum conferant, debent & populos adhortari, ut illud suscipere non omittant; nullus enim est Patrum, qui dixerit, eum omnino a peccato vacare, qui confirmationem non susceperit, dum opportuna occasio se offerret, & inter antiquos scholasticos, vel nullos, vel paucos hujus sententiæ patronos reperies. Gerson tuetur confirmationem esse necessariam non quidem absolute, sed conditionate, scilicet ut vita spiritualis, & salus in baptismo adepta robuste contra hostes spirituales custodiatur. Et Hugo a S. Victor. sic loquitur: *Quid prodest, si per baptismum erigaris, nisi etiam per confirmationem ad standum roboreris?*

Consect. 3. Quandonam urgeat præceptum communionis, seu de necessitate Eucharistiæ. Eucharistiæ sumptio est omnibus, & singulis Christianis necessaria, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; sed diversimode: necessaria est pueris in voto implicite contento in receptione baptismi: adultis in re, vel in voto. Rursus Eucharistiæ sumptio necessaria est morituris per modum viatici, Sacerdotibus per modum Sacramenti, & sacrificii: necessitas autem illa fundatur in expressis Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Jo. cap. 6. v. 54. Cujus præcepti necessitatem Moyses ipse prædixerat N. 9. v. 13. ubi sic loquitur: *Si quis mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecerit phase, exterminabitur anima illius de populis suis; quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo*; non enim minus urget veritas, quam figura, strictiorque debet esse obligatio Paschatis evangelici, quam Paschatis legalis. Et quidem merito; nemo enim salvari potest, nisi fiat membrum Christi juxta illud: *Ego sum vitis, & vos palmites*: Jo. 15. v. 5. & juxta illud Pauli ad Eph. c. 2. v. 21. ubi Christus vocatur lapis angularis, *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Domino, in quo & vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*: atqui ut homo fiat membrum Christi, & templum Dei, debet conjungi cum Christo per Euch. sumptionem vel in re, vel in voto spectatam, juxta illud: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Jo. c. 6. v. 57. Ergo quilibet Christianus debet vel in re, vel in voto suscipere Euchar.

PUERIS necessaria est Eucharistia non quidem in re suscepta; quia nondum ratione utuntur, qua probare se valeant juxta Apostoli præceptum: *Probet autem seipsum homo*: nec ullo devotionis sensu erga illud Sacramentum affici possunt; sed necessaria est in voto implicite contento in receptione baptismatis, ut expresse docet Trid. sess. 21. c. 4. *Eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in alia ætate amittere non possunt*. Et quamvis in pluribus ecclesiis daretur infantibus sumenda realiter Eucharistia, id tamen factum non est ex necessitate, sed ex solius disciplinæ usu non generali, sed particulari; qui tamen justis de causis immutatus est, ut monet idem Tr. d. *Neque ideo*, inquit, *tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctiss. illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est*. Votum illud puerorum circa Eucharist. am paucis explicat D. Th. 3. p. q. 33. a. 3. *Per baptismum*, inquit, *ordinatur homo ad eucharistiam; & ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur ad Eucharistiam ordinantur per ecclesiam; & sic sicut ex fide ecclesiæ credunt, sic ex fide ecclesiæ desiderant Eucharistiam*. Doctrinam illam hausit D. Th. ex August. lib. 3. de peccat. meritis cap. 4. ub. disertis verbis docet, quod pueri Christo per baptismum inserantur; qui scilicet Christo, inquit, *ut incorporentur, Sacramento baptismatis induuntur*.

ADULTIS necessaria est Eucharistia, vel in re, vel in voto explicite suscepta, necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici: divini quidem, ut præmonent hæc verba Christi adultos alloquentis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quem textum ita interpretatur D. Th. 3. p. q. 38. a. 11. *Sine voto*, inquit, *percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus; frustra autem esset votum, nisi adimpleretur, quando opportunitas adesset; & ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacra-*

Digitized by Google

cramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis, Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Eucharistia autem ex præcepto Ecclesiæ sumi debet singulis annis, saltem in Paschate, ut dicetur infra.

MORITURIS necessaria est Eucharistia per modum viatici: ita remotior docet antiquitas, siquidem teste Eusebio l. 6. hist. c. 34. Serapion in infirmitate constitutus Eucharistiam sibi afferri enixe postulavit, eamque devote accepit a puero, qui partem Eucharistiæ in os ejus infudit, quam a Sacerdote acceperat. S. Petronilla eodem Sacramento ante mortem munita est; siquidem Nicomedes ad eam ægrotantem accessit, celebravit mysteria Christi; Virgo autem sanctissima mox ut corporis Christi Sacramentum accepit, inclinans se in lectulo emisit spiritum. D. Basilius, teste Amphilochio, cum in lecto decumberet, sacrum viaticum accepit, & cum in ore ejus esset, reddidit Domino spiritum. Chrysost. ægrotans in Cucuso, cum divinam sanctificationem per communionem accepisset, beatissimam ingressus est profectionem, cum Christo vivens, & regnans. Hieronymus cum in lecto moriturus decumberet, & Presbyter sanctissimum Christi corpus obtulisset, ille prostravit se pronus in terram voce, & lacrymis orationis, & ubi orationem complevit, vir Domini sacrum Domini corpus suscipiens ad terram, supinus rediit. Quæ singula historiæ facta satis indicant consuetudinem sumendi viaticum in infirmitate, non consilium esse, sed præceptum. Ideoque Aug. lib. de visit. infirm. Euchar. de præcepto sumendam esse declarat; infirmo enim sic loquitur: *Illud viaticum Dominici corporis supplementum suscipere ne renuas, quin potius illud amicissime quæras, fideliter comedas; cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ pretium, Redemptoris monimentum, & redempti munimentum*. Ideo Trid. sess. 13. can. 7. anathema pronuntiat contra eos, qui dixerint, non licere sacram Eucharistiam reservari ... ut illa ad infirmos honorifice deferatur; & ideo forte Conc. Nicænum Eucharistiam vocat necessarium viaticum.

SACERDOTIBUS necessaria est Eucharistia, & per modum sacrificii, & per modum Sacramenti; nefas enim est sacerdotem omnino a celebratione Missæ abstinere, ut docet D. Th. his verbis: *Sacerdoti*, inquit, *etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt; hinc est quod 2. Mach. c. 4. contra quosdam sacerdotes dicitur, quod jam non circa Altaris officia dediti erant, contempto Templo, & Sacrificiis neglectis*. 3. p. q. 82. a. 10.

Quam frequenter autem sumi debeat Eucharistia ab adultis, non eadem fuit semper in ecclesiis consuetudo. Primis siquidem Ecclesiæ temporibus sumebatur quotidie a fidelibus Eucharistia; *erant enim Christiani perseverantes in fractione panis*, inquit Lucas. Postea vero singulis dominicis a fidelibus sumebatur, ut notat Conc. Aquisg. can. 1. *Sane*, inquit, *communicatio corporis Domini omni die dominico debuit celebrari*. Postea tribus festis solemnioribus a laicis accipiebatur, ut habetur can. *Saeculares* de consec. *Saeculares*, inquit, *qui natali Domini, Paschâ, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Jam vero ex præcepto Ecclesiastico, tum in Lateranensi, tum in Tridentino contento, fideles omnes singulis annis semel saltem in Paschate Eucharistiam sumere tenentur. *Si quis*, inquit Trid. *negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, Anathema sit*. Quod præceptum si omiserint fideles, viventes ab Ecclesiæ ingressu, defuncti ab ecclesiastica sepultura prohibeantur, nisi proprii Sacerdotis consilio legitima de causa communionem distulerint. Quid vero circa frequentem usum Eucharistiæ sentiam, paucis accipe. Ideo sit hæc incidens propositio.

Frequens communio non debet permitti nisi his, qui sunt extra affectum peccati præcipue mortalis.

Prob. 1. Ex Gennadio lib. de dogmatibus ecclesiasticis c. 53. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen diebus dominicis communicare suadeo, & hortor, SI TAMEN MENS SINE AFFECTU PECCANDI SIT; nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari ... Accedat*, inquit idem auctor, Christianus *intrepidus & securus; SED HOC DE ILLO DICO, QUEM CAPITALIA ET MORTALIA PECCATA NON GRAVANT*.

2. Ex Justino, apologia 2. *Nemini*, inquit, *licet Eucharistiæ participem fieri, nisi ... consentaneam Christi præceptionibus vitam agat*.

3. Ex Chrys. serm. de B. Philogonio, ubi sic habetur: *Quemadmodum enim*, inquit, *qui sibi nullius mali conscius est, ad hanc oportet singulis diebus accedere*, ad Eucharistiam scilicet; *sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet eum, ne in festis quidem accedere tutum est; neque enim semel in anno accedere, liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus; quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod cum semel tantum accedamus, ne tum pure accedimus*: & idem auctor hom. 3. in c. 1. ep. ad Eph. docet, quod neque *Quadragesima*, *neque Epiphania dies dignos non faciunt*, ut accedamus ad Euch. sed *animæ integritas, atque innocentia*, vel ut alia vult versio, *animæ sinceritas, atque puritas*.

4. Ex D. Thom. 3. p. q. 80. art. 10. in corpore, ubi ait, quod communio potest considerari ex parte Christi, & ex parte sumentis, *in quo*, inquit, *requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat*: ergo ut quis possit Eucharistiam accipere, debet esse extra affectum peccati, præcipue mortalis, immo & venialis, qui affectus peccati venialis stare non potest cum vita consentanea Christi præceptionibus, ut loquitur Justinus martyr; neque cum ea integritate animæ, quam exigit Chrysost. neque cum magna devotione, quam postulat D. Th. Ex qua propositione isthæc inferes.

1. Ad frequentem communionem hortandi & admittendi sunt omnes fideles, qui sunt extra affectum peccati mortalis, & qui nituntur contra pec-

cata

Digitized by Google

cata venialia, quia Conc. Trid. sess. 13. c. 8. *admonet, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui christiano nomine censentur ... hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis ejus ea fidei constantia, ea animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* Et sess. 22. cap. 6. hæc habet: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Euch. perceptione communicarent.*

2. Ad pœnitentiam hortandi sunt; sed ad communionem admitti non debent hi, qui non sunt extra affectum peccati mortalis; sed singuli excludendi sunt a sacra communione, donec plene resipuerint: tales sunt ii omnes, quibus juxta regulas supra positas suspendenda est absolutio, v. g. qui sæpe relabuntur in peccata mortalia, qui solas virtutes morales gentilium, minime virtutes Christianorum exercent, qui magis sunt extra vitia, quam intra virtutes, quippe ad frequentem communionem non sufficit vita solius expers vitii, sed requiritur vita christianis virtutibus ornata. Unde damnata est sequens propositio ab Innoc. XI. *Frequens confessio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

3. Hortandi sunt ad pœnitentiam, & aliquando ad communionem admittendi hi, qui extra affectum peccati mortalis, nondum plane affectum peccati venialis abjerere, ut concepta pœnitentia affectum illum abjiciant, accepta communione in proposito non peccandi, etiam venialiter, confirmentur, & dilata communione ad Eucharistiæ perceptionem paratiores reddantur. Id expresse docet Innocent. XI. qui hanc regulam statuit die 12. Februarii 1679. vultque, ut populi doceantur per esse, ut hi, *qui se minus paratos senserint, abscedant a communione, quo per pietatis opera ipsi deinceps se paratos magis exhibeant.*

Consect. 4. Quandonam urgeat obligatio recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, seu de necessitate Sacramenti pœnitentiæ. Toties necessarium est pœnitentiæ Sacramentum vel in re, vel in voto susceptum, quoties necessaria est contritio, confessio, & Sacerdotis absolutio; quia Sacramentum pœnitentiæ illis partibus constituitur: & proinde examinandum, quandonam urgeat præceptum contritionis, confessionis, satisfactionis, & absolutionis.

Toties autem urget præceptum vel ATTRITIONIS, qua homo Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, quæ attritio conjungatur oportet cum Sacramento in re; vel CONTRITIONIS perfectæ cum Sacramento in voto, quoties homo lapsus in peccatum mortale, tenetur a peccato mortali resurgere; quia non est aliud medium resurgendi a peccato, quam vel attritio cum Sacramento, vel contritio cum voto Sacramenti juxta illud Christi. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13. v. 3. Quam doctrinam explicat Trid. sess. 14. c. 4. his verbis: *Fuit autem*, inquit sancta Synodus, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*: ergo homo lapsus in peccatum tenetur vel atteri, vel conteri in sequentibus casibus. 1. In mortis articulo, tunc enim maxime eniti debet, ut adipiscatur gratiam: si enim sine gratia decesserit, in æternum damnabitur. Arbor siquidem in ea parte immota manebit, in quam ceciderit; ita & peccator. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccles. 11. v. 3.

2. Cum solemniter, & ex officio aliquod debet conferre Sacramentum; oportet enim ut minister secundarius conformetur Christo, qui est principalis minister, eique per gratiam conjungatur. Et quamvis, ut optime ait Sylvius in Binsfeldium, per solam contritionem minister fit extra affectum peccati mortalis; crediderim ego non negligendam confessionem, si habeat copiam Confessarii.

3. Cum debet recipere aliquod Sacramentum; quia dispositio ad Sacramentum est fides Sacramenti, & dolor de peccatis.

4. In casibus publicæ calamitatis; quia tunc decet maxime per contritionem cordis Deum iratum flectere, uti multos etiam sanctos viros fecisse legimus. Instar omnium sit justissimus Daniel, qui tempore captivitatis in sacco, & cinere, & jejunio sic Dominum deprecabatur: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus.* Vide integram illam orationem Danielis 9. & interdum coram Deo eam supplex effunde.

5. In tentatione urgenti, quæ non aliter, quam per contritionem vitari potest; quibus in angustiis hæ, aut similes effundendæ sunt preces: *Domine, salva nos, perimus*. . , *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.*

6. Cum peccata commissa & deleta, non quidem segniter oberrant memoriæ, sed quasi impetu facto irruunt, & sua titillatione periculum consensus inducunt; tunc enim observandum illud Sapientis: *Tamquam a facie colubri fuge peccatum.*

7. Demum statim post peccatum commissum non quidem statim physice, sed statim moraliter; quia, ut optime dicit Sapiens: *Non tardes converti ad Dominum.* Et D. Th. 2. 2. qu. 62. art. 8. *Manifestum est*, inquit, *quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur peccatum STATIM deserere*, scilicet, cum periculum est, ne peccatum conversionis dilatione fiat vulnus insanabile.

Toties urget præceptum CONFESSIONIS in voto, quoties urget præceptum contritionis; quia non potest esse vera contritio sine voto confessionis, ut docet Trid. sess. 4. cap. 14. ubi expresse dicit, quod votum Sacramenti pœnitentiæ, & proinde confessionis in illa includitur.

2. Toties ex vi juris naturalis urget præceptum CONFESSIONIS in re, quoties habita copia Confessarii homo baptizatus lapsus in peccatum mortale, tenetur gratiam amissam recuperare; quia in lege Evangelica, quando adest copia Confessarii, homo baptizatus lapsus in peccatum mortale non potest justificari, nisi per absolutionem juxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: absolutio autem non impenditur, nisi rite contritis, & sincere confessis. Præceptum ergo confessionis urget in sequentibus casibus. 1. In articulo mortis vel naturalis, quæ ex morbo oritur, vel violentæ, quæ a causa extrinseca nobis infertur:

Digitized by Google

tunc enim oportet nos in gratiam Dei redire per contritionem, & confessionem. 2. In probabili mortis periculo, puta, si quis ingrediatur periculosam navigationem, intret periculosum certamen: item mulier tenera primum paritura, vel solita habere partus difficiles, & alia hujusmodi pericula, in quibus oportet nos cum Deo reconciliari, ut Domino moriamur.

3. Qui habita copia Confessarii vel recepturus est, vel collaturus est aliquod Sacramentum, accepturus Sacramentum vivorum, debet esse in statu gratiæ, cum Sacramenta vivorum conferant secundam gratiam: ergo si habet copiam sacerdotis, debet præmittere confessionem, quæ est medium destinatum ad obtinendam primam gratiam, sacerdos vero, qui collaturus est Sacramentum, *si fuerit peccati mortalis sibi conscius*, inquit Rituale Rom. Pauli V. *quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat; sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.*

4. Fidelis omnis utriusque sexus, modo sit adultus, quamvis annos pubertatis non attigerit, semel in anno confiteatur necessum est.

5. Omnis homo baptizatus reus peccati mortalis, sive Catholicus, sive non Catholicus, tenetur ex præcepto Ecclesiastico semel in anno confiteri, ita enim habet Conc. Lateren. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*: quem pium usum retinendum jubet Concil. Trid. sess. 14. c. 5. Hoc autem præceptum adimpletur, quovis anni tempore peccator confiteatur: quia Concilium non determinavit tempus confessionis, sicuti determinavit tempus communionis: usus tamen est, quod confessio fiat circa quadragesimam, ut ea peccatorum declaratione fidelis se ad communionem sanctius disponat. Qui ergo per annum integrum non est confessus, tenetur quam citius poterit confiteri; sicuti qui tenetur solvere debitum intra annum, si non solverit intra annum, tenetur altero anno solvere.

6. Qui habet solum peccata venialia, tenetur vel ea confiteri, vel saltem sistere se suo sacerdoti, ut statum suæ conscientiæ Pastori suo aperiat: ita expresse docet D. Th. supp. q. 6. art. 3. *Tenentur*, inquit, *omnes ex constitutione ab Ecclesia edita in Concil. generali sub Innocent. III. tum ut quilibet peccatorem se recognoscat, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei: tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur: tum etiam ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat*. Et in solutione ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex decretali prædicta non obligatur, nisi qui habeat peccata mortalia ... sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum*, ut qui habet peccata solum venialia *se sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.*

Toties urget præceptum SATISFACTIONIS Sacramentalis subeundæ, quoties est necessaria vel ad reparandum peccata præterita, vel ad præcavendum futura, vel ad obtemperandum Confessario, vel ad integrandum Sacramentum pœnitentiæ. Satisfactio est necessaria ad reparandum peccata præterita; quia ut diximus, dimissa non omnis pœna remittitur. Item necessaria est ad præcavendum futura; satisfactio enim est ad instar medicinæ præterita peccata tollentis, & præcaventis futura. Demum est necessaria ad integritatem Sacramenti, cum sit pars illius, & ad obediendum Confessario, cum pœnitens impositam sibi a Confessario congruam pœnitentiam teneatur & acceptare, & exequi.

Toties urget præceptum ABSOLUTIONIS percipiendæ, quoties hæc absolutio est ad percipiendam peccatorum veniam omnino necessaria: est autem absolutio sacerdotis necessaria in lege Evangelica his omnibus, qui post baptisma lapsi sunt in aliquod peccatum mortale.

Consect. 5. Quandonam urgeat præceptum Extremæ Unctionis, seu de necessitate Extremæ unctionis. Sacramentum Extremæ Unctionis necessarium est, non necessitate medii, cum certum sit de fide multos infirmos non recepto isto Sacramento salvari, sed necessitate præcepti tum ecclesiastici, tum divini. Necessitas illa fundatur in verbis Apostol. Jacobi 5. vers. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ*. Verbum illud *inducat*, significat strictum, & verum præceptum, juxta multa Concilia, & varios Patres; nec ad merum consilium detorqueri potest, ut volunt quidam Theologi. Concilium Cabillonense II. sub Carolo Magno, & Leone III. Can. 46. sic habet: *Secundum B. Jacobi documentum, cui etiam DECRETA Patrum consonant; infirmi oleo, quod ab Episcopis consecratur, ungi DEBENT*. Concilium Augustodunense Can. 30. sic loquitur: *Unctionis Extremæ Sacramentum cum Litaniis, & orationibus a Majoribus acceptis, totaque Ecclesia servatis, fidelibus impertiendum JUBEMUS*. Et alterum Concilium Cabillonense an. 1538. cap. 5. part. 7. *Hæc*, inquit, *sacra unctio impendatur cum expositione MANDATI Apostolici*. Idem sentiunt sancti Patres; nam Aug. lib. de visitatione infirmorum, extremam unctionem cum viatico componit: ergo si viaticum sit de præcepto in articulo mortis; ita & extrema unctio. *Sic*, inquit, *roges de te; & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, immo per Apostolum Dominus, ipsa videlicet olei sacrati libatio intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio*. Rupertus in vita Huberti Coloniensis hæc habet: *Abbatem Eliam accersivit, quo veniente secundum PRÆCEPTUM Apostoli sacro est unctus oleo in nomine Domini*: Ergo Sacramentum extremæ unctionis est de præcepto, & non solum de consilio.

Consect. 6. *Quandonam urgeat præceptum ordinationis suscipiendæ, seu de necessitate suscipiendi ordinis*. Toties urget obligatio suscipiendi ordinis, quoties qui ornatus, ut supponitur, dotibus necessariis ad ordinationem, & carens impedimentis canonicis, removentibus ab ordinatione, a legitimo Superiore præceptum accipit, ut permittat sibi manus imponi: tunc enim judicare debet necessarium sibi esse hoc Sacramentum accipere, tum ut ipse Domino consecretur, tum ut alios sanctificet, tum ut cultum Dei promoveat, tum de-

rum

mum ut regimen Ecclesiæ stabiliat; resistere autem legitimo Superiori in illis circumstantiis, non victus est, sed vitium; non humilitas, sed superbia; non zelus domus Domini, quo oportet accendi omnes clericos, sed amor otii. De homine in his circumstantiis posito loquitur Ecclesiasticus cap. 13. vers. 11. *Noli*, inquit, *esse humilis in sapientia sua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* De eo etiam sic loquitur Gregorius in suo Pastorali 1. Par. cap. 5. *Qui habet*, inquit, *dona Dei, ut possit esse Pastor, si vocatus suscipere renuit, plerumque dona ipsa sibi auferuntur*; quia non pro se tantum, sed etiam pro aliis acceperat; unde Dominus dicens, *Si diligis me, pasce oves meas*, clare docuit, quod si testimonium dilectionis est suscipere onus Pastorale, quisquis virtutibus pollens ipsum suscipere renuit, Pastorem summum convincitur non amare; quod si ideo curam Pastoralem refugiunt, quia quietem contemplationis diligunt, sciant, quod de tantis animabus rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt: & juxta legem merito Ecclesia in illum expuet, quia noluit suscitare semen fratris sui Christi defuncti sine liberis, quia paucos in vita Dominus convertit: dicitur autem expuere in faciem ejus, quia exprobrat quietem ejus. Non est autem inferioris judicare, an dignus sit vel indignus, sed Superioris, nisi inferior haberet tanta vitia occulta, quæ eum impedirent, ne valide Ordinem posset recipere: quo in casu teneretur ea manifestare secreto Superiori, & iste teneretur medium aliquod invenire ad tollendum scandalum, quod ex tali resistentia oritur. Et Bernardus scribens cuidam Abbati, qui proponebat dimittere Abbatiam, ut sibi quietius vacaret, hoc ei omnino interdicit, multisque probat argumentis, quæ eadem possunt suadere, ut qui judicatur a legitimo Superiore idoneus ad Ordines suscipiendos, Prælato non resistat. Primo, quia caritas non quærit quæ sua sunt. Secundo, quia ex ea inobedientia sequitur scandalum & turbatio pacis. *Libenter*, ait, *carebo quantalibet, etiam spirituali quiete, qui non possit acquiri nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi proculdubio caritatis est detrimentum. Ubi autem est diminutio caritatis, non potest sperari spiritualis exercitii profectus. Item qui propriam quietem communi utilitati prefers, non potest dicere: mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Et ubi erit illud: Nemo sibi vivit, nemo sibi moritur; & illud: Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant; & ut qui vivunt non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est?* Epistol. 82. & ad alium Abbatem scribens, qui Abbatiæ renunciare volebat, hæc scribit, quæ ad propositum nostrum possunt inservire. *Tene*, inquit, *quod tenes, mane in quo es, & stude prodesse quibus praees. Noc praeesse refuge, dum potes prodesse: quia væ quidem tibi, si praees & non prodes; sed væ gravius, si quia praeesse metuis, prodesse refugis.* Epistol. 68. ad alium scribens, qui a se rejecerat sarcinam curæ Pastoralis, & licentiam ab Episcopo magis extorserat, quam obtinuerat: *Attende*, inquit, *si licuit Christiano injunctam sibi dimittere obedientiam ante mortem, cum Christus factus fuerit obediens usque ad mortem. Si dicis, quod impetrasti licentiam ab Episcopo cedendi, dico, quod cum fuerit extorta, non fuit licentia, sed violentia: quod enim tua importunitate victus Episcopus invitus fecit, non fuit absolvere, sed abrumpere. Gaudes quia exoneratus es, & ego vereor, quod Deus sit in te exhoneratus, cujus procul dubio ordinationi resistis, dum premitus ab illo, tu te dejicis. Oportebat etiam patienter portare onus impositum, animo non frangi, pusillanimitate non vinci, & semel susceptum onus deponere non licebat. Si allegas difficultatem, vel impossibilitatem, omnia possibilia sunt credenti. Hoc verum est quod deposuisti; quia magis tibi placuit quies tua, quam utilitas aliena.* Nec veretur idem Bernard. scribens ad Eugen. lib. 4. eum adhortari, ut quos vel Prælatione, vel sacris Ordinibus dignos judicaverit, *compellat intrare* .... His haud dubie innitebantur fundamentis sancti Præsules, cum vel invitis, vel insciis etiam sacras manus imponebant. Sic Flavianus Episcopus Constantinopolitanus Macedonianum Eremitam *abduxit a vertice montis, tamquam in eum ad se delata fuisset accusatio. Cum autem mysticum esset propositum Sacrificium, adduxit ad Altare, eumque constat in numerum Sacerdotum: postquam autem fuit sacrum finitum officium, & hoc ei significavit aliquis (quod enim factum fuerat ignorabat omnino) primum quidem incessebat omnes maledictis & conviciis; postea autem accepto baculo* .... cui inniti solebat, *& ipsum persequebatur Pontificem, & alios, quotquot aderant*: aliquandiu credidit se non esse Presbyterum, postea vero rationibus familiarium convictus, se gessit ut Presbyterum. Theodoret. histor. sess. pp. cap. 13. Sic Epiphan. de Paulino a se ordinato dicit: *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberare se cupiens adjurasset nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus .... proponentes ei timorem Dei & compellentes ut ministraret. Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus eum testimoniis Scripturarum & propositione mandatorum Dei, & cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus ante suaseramus, intulimus ut sederet in ordine Presbyterii.*

Consect. 7. *Quandonam urgeat præceptum contrahendi matrimonii.* Toties urget præceptum matrimonii contrahendi, quoties id exigit bonum universale Reipublicæ vel civilis, vel ecclesiasticæ, vel privatum bonum spirituale illius, qui potest matrimonium contrahere, quia matrimonium destinatum fuit a Deo, 1. Ad multiplicationem generis humani in bonum Reipublicæ civilis, vel ecclesiasticæ. 2. In remedium concupiscentiæ. Ergo toties urgebit præceptum contrahendi matrimonium, quoties aliqua ex illis causis interveniet. Sic sancti Patriarchæ, per quos populus Dei carnaliter propagandus erat, tamdiu obligati fuerunt ad contrahendum matrimonium, donec multiplicatis sufficienter populis cessavit præceptum matrimonii contrahendi: ideo nec Josue, nec Elias, nec Eliseus, nec Jeremias leguntur matri-

Digitized by Google

matrimonium contraxisse: & Christus, & Joannes Baptista non accusati sunt a Judæis, quasi legis Mosaicæ transgressores, licet matrimonium non contraxerint; quod significat tunc nullum viguisse præceptum matrimonii contrahendi: multo minus nunc urget necessitas contrahendi matrimonii, cum, ut notat August. lib. 1. de nuptiis cap. 13. Populus Christianus ex omnibus gentibus coalescat, & spirituali generatione, potius quam carnali multiplicetur. Sic filii Regum & Imperatorum tenentur inire nuptias, cum ex eorum matrimonio pax Reipublicæ pendet, & bonum Ecclesiæ speratur. Sic privati tenentur matrimonium inire, cum non habent donum continentiæ: ut docet August. de bono conjugali cap. 19. *Mihi videtur*, inquit, *hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam Apostoli sententiam: quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri*: matrimonium enim quod ante lapsum erat officium naturæ, post lapsum fit remedium concupiscentiæ. Sic filiusfamilias quibusdam in casibus tenetur ex mandato paterno matrimonium contrahere. *Pater*, inquit D. Thom. *potest filium ad matrimonium inducere ex rationabili causa. Et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris: ut si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, præceptum similiter cogat; alias non*. In 2. dist. 29. quæst. 2. art. 4. Itaque si causa talis sit, ut filium omnino obliget, tunc filius tenebitur ex necessitate matrimonium contrahere: si vero ea causa obliget ex honestate, tenebitur ex decentia contrahere: v. gr. filius est incontinens, tunc debet obedire patri præcipienti matrimonium, ut vitet incontinentiam. Filius virginem seduxit sub spe matrimonii, & injuria non potest aliter compensari, tenetur eam ducere, quam defloravit, ut servet justitiam. Filiæ nubilis pudicitia periclitatur; tunc jubente patre tenetur aut matrimonium contrahere, aut Monasterium ingredi, ut vitet ignominiam, quæ merito prætimetur. Item si pater vel in captivitate constitutus, vel inopia pressus, vel a potentibus inimicis exagitatus, ea mala aliter vitare nequeat, quam per matrimonium filii, tunc filius debet matrimonium inire. Si vero causæ, propter quas pater suadet matrimonium, non sint tam urgentes, filius tunc tenebitur ex decentia inire matrimonium: v. g. si pater, inconsulto filio, ei sponsam elegisset aliunde honestam, parem, & familiæ convenientem; tunc ex honestate deberet filius matrimonium contrahere.

CAPUT III.

Quomodo homo teneatur vivere post acceptum Sacramentum.

PRop. unica. Homo post acceptum Sacramentum tenetur eam vitam degere quam exigit dignitas & sanctitas Sacramenti accepti.

Prob. 1. Script. Quoties Deus legem aliquam hominibus statuit, toties eam stricte observari voluit juxta illud: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*: Psal. 118. v. 4. atqui Deus instituendo Sacramenta, legem posuit obligantem homines, ut vivant digne Sacramentis acceptis, cum Sacramentum sit pactum, quo Deus promittit gratiam daturum hominibus, & homines obligant se reddituros obsequium Deo: ergo homines post accepta Sacramenta tenentur vivere digne Sacramentis acceptis.

2. Ex Ambros. ser. 24. novæ editionis. *Non sufficit quod Christianum nomen præferamus*, quod utique fit per Sacramenta quæ recipimus, *si opera christiana non facimus*, idest opera digna Sacramentis. Idem docet Chrysost. serm. de Martyribus, *quos aut imitandi sunt, aut non laudandi*, ubi sic habet: *Unde tu, Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare: exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spopondisti, conditionem quam accepisti, militiam cui nomen dedisti*: quod pactum utique fit, cum recipiuntur Sacramenta: quæ vita sancta degitur, cum vivitur digne Sacramentis.

3. *Rat.* In quocumque statu homo constituatur, tenetur eam vitam degere, quam dignitas status exigit: cui officio si non satisfaciat, punitur juxta prævaricationis meritum. Sic Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, sibi & posteris justitiam, in qua constitutus fuerat, amisit: sententiam mortis, quam interminatus fuerat Deus, subiit, & e Paradiso ejectus est. Sic filii Dei, idest posteri Seth, videntes filias hominum, idest filias Cain, quod essent pulchræ, illicitoque commercio se mutuo commaculantes, diluvio absorpti sunt. Sic Judæi violantes legem Mosaicam & cæremonias legales contemptui habentes, ejecti sunt: ergo Christiani violantes legem sacramentorum, longe severius punientur, ut probat Paulus ad Hebr. 2. ubi sic habet: *Propterea abundantius oportet nos observare ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus; si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* scilicet eam, quæ ex sacramentis oritur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quam sancte vivere debeat homo baptizatus*. Homo baptizatus debet Patri æterno cujus est nova creatura, vitæ novitatem, Christo cujus est membrum, conformitatem, Ecclesiæ cujus est filius, obedientiam. Debet Patri novitatem vitæ: ita docet Paulus 2. ad Cor. c. 3. v. 17. *Vetera*, inquit, *transierunt; ecce facta sunt omnia nova*. Et idem Paulus ad Colos. 2. v. 9. *Expoliantes*, inquit, *vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum*. Quæ novitas in eo sita est juxta eumdem Paulum ad Titum 2. v. 11. *ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & pie & juste vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem*. Quippe, juxta Cyprianum epist. ad Donatum, Christianismus *est mors criminum & vita virtutum*. Et juxta Aug. lib. de cantico novo: *Omnis qui baptismum Christi desiderat, vitam novam concupiscit; transeat ergo a vetustate, ut perveniat ad novitatem*. Et de Symbolo ad Catechumenos lib. 1. cap. 1. *Videte*, inquit, *quia professionem vestram in curiam*

curiam profertis Angelicam: nomina profitentium accipiuntur in libro vitæ. Baptizatis autem sic loquitur Chrys. *Aliam*, inquit, *vivamus vitam, faciamus de terra cælum, monstremus recte vivendo gentibus, quibus bonis careant; nam quando nos laudabiliter vivere videbunt, quasi faciem celorum aspicient.* Et Gregor. Nazian. orat. 40. novam vitam his verbis baptizato præcipit: *Baptismum æstimare debemus tamquam secundæ vitæ, ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum.*

II. Baptizatus debet Christo, cujus est membrum, conformitatem: ut expresse docet Paulus ad Rom. 6. v. 3. *An ignoratis*, inquit, *fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quod ita interpretatur Aug. Enchirid. c. 41. 41. *Ipsum est quod in nobis celebratur magnum baptismatis Sacramentum, ut quicumque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato, sicut ipse peccato mortuus dicitur, quia mortuus est carne, hoc est peccati similitudini; & vivant de lavacro renascendo, sicut ipse de sepulcro resurgendo: quamlibet ætatem corporis gerant*, idest omnes Christi annos imitentur: infantes imitentur infantem, pueri puerum, adolescentes adolescentem: imitentur Jesum docentem, jejunantem, prædicantem. Ideo juxta praxim ecclesiæ cum baptismo initiamur, renunciamus mundo, diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: quam renunciationem ita vult fieri Aug. *Renuntiat*, inquit, *non solum vocibus, sed etiam moribus: non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ; non tantum labiis sonantibus, sed & operibus pronunciantibus.* lib. 4. de Symbolo ad Catechum. c. 1. Quid enim est renuntiare mundo, nisi imitari Christum, qui dixit: *Ego non sum de hoc mundo.* Joan. 8. v. 23. nisi imitari Apostolos dicentes 1. ad Corinth. 4. v. 18. *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Renunciare mundo est imitari spirituales Israelitas, de quibus Isaias ait: *Cernent terram de longe*: 33. v. 17. idest mundum execrabuntur. Quid demum est renunciare mundo, nisi obedire Joanni dicenti: *Nolite conformari huic sæculo?* 1. Joannis c. 2. v. 15. *Per mundum enim*, inquit Aug. *vult intelligi eos qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo.* Tract. 107. in Joan. Per mundum intelligi debent hi, qui dicunt: *Nolumus hunc*, idest Christum, *regnare super nos.* Quid sit renunciare diabolo late explicat Aug. Soliloquiorum ad Deum c. 16. dum instruit nos, quomodo Deum debeamus orare, ut nos ab insidiis diaboli liberet. *Deus meus*, inquit, *ad te clamamus, libera nos ab adversario nostro quotidiano, qui sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcumque opus operemur, omnibus insidiis instat die ac nocte, fraudibus, artibus, nunc palam, nunc occulte, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. Et tamen, Domine, pessima insania nostra, quia cum continue videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus & lascivimus in pigritiis nostris, tamquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quam ut nos perdat .... Laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, in vigilia, laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni via nostra; sed tu Domine libera nos a laqueo venantium, & a verbo aspero, ut confiteamur tibi dicentes: Benedictus Dominus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Et lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos c. 5. *Duo sunt*, inquit, *genera armorum Diaboli valde fortia ... voluptas, & timor; alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & nostra acies, proferantur arma spiritualia: contra timorem Diaboli adsit timor Domini, castus permanens in sæculum sæculi: contra voluptatem turpissimæ delectationis non desit fides orationis.* Et lib. de Ecclesiasticis dogmatibus baptizatos omnes Diabolo renunciantes ita admonet Aug. *Nemo etiam baptismatis gratia renovatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Per nullam aliam artem salvari possumus a Diaboli incursibus, nisi per crucem Domini*, inquit idem Aug. lib. de rectitudine Catholicæ conversationis.

III. Baptizatus debet Ecclesiæ, cujus est filius, obedientiam in credendo, & in agendo: sicut enim juxta Paulum, qui circumciditur, fit debitor universæ legis faciendæ, & subditus Synagogæ; ita qui baptizatur, fit debitor universæ legis Evangelicæ, & subditus ecclesiæ, quam oportet nos audire, dum proponit credenda; quia est *columna fidei & firmamentum veritatis*: cui oportet subesse, cum præcipit facienda, ut jubet Christus, dum dicit: *Si quis ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Etenim*, ut pronuntiat Aug. *non habebit Deum patrem, qui ecclesiam noluerit habere matrem* Tract. 4. de Symb. c. 10. Et idem Aug. lib. 2. de civit. Dei c. 21. possunt extra hanc ecclesiam aliqua esse Dei munera: vera aliqua de Christo sententia: ipsius Christi Sacramenta: bona aliqua opera; sed non justitia, & sanctitas vitæ. *Vera*, inquit, *justitia non est, nisi in ea Republica, cujus conditor rectorque Christus est.* Et Enchiridion c. 56. non peccatorum remissio, non solida spes hæreditatis æternæ: sicut enim Abraham filiis concubinarum, per quos hæreses & schismata designantur, largitus est quædam munuscula, ac soli filio Saræ, quæ matrem nostram ecclesiam præsignabat, largitus est hæreditatem; ita & Christus infidelibus extra ecclesiam existentibus quædam largitur munera temporalia, solis vero fidelibus in ecclesia existentibus impendit veram justitiam.

Consect. 2. Quomodo vivere debeat baptizatus & confirmatus. Homo baptizatus & confirmatus debet vivere quatenus miles Patris æterni pro quo pugnat, quasi discipulus Christi cujus doctrinam sustinet, quasi habitaculum Spiritus S. cujus gratia perfunditur.

I. Debet fidem divinam, idest Religionem Christianam, tamquam intrepidus miles contra Tyrannos, etiam cum vitæ dispendio, tueri; & contra falsos Christianos cum mundani honoris contemptu defendere. *Noli erubescere*, inquit Paulus, *testimonium Domini Nostri Jesu Christi.* 2.

ad Timoth. cap. 2. vers. 8. Sacræ illius pugnæ exemplum dederunt Apostoli, cum coram Judæis, accepto Spiritus Sancti robore, in die Pentecostes Christi nomen confessi sunt & flagellati: *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Non solum coram tyrannis, sed præcipue coram falsis Christianis debent hi qui sunt chrismate uncti, eam quam profitentur Religionem exercere juxta illud documentum Christi. *Qui me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis:* Marc. 8. v. 38. & juxta illud Pauli: *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus:* 2. ad Cor. c. 9. 21. præcipue coram illis, quos habemus ejusdem Religionis sequaces, sed sæpissime ejusdem sacræ doctrinæ infensissimos impugnatores, quos Apostolus vocat inimicos crucis Christi.

II. Confirmatus, utpote Christi discipulus, debet Christ. doctrinam, quam late poterit, verbis explicando, & factis exhibendo, propagare juxta illud Apostoli *Non erubesco Evangelium; virtus est enim Dei in salutem omni credenti.* Id præstiterunt Apostoli post acceptam in die Pentecost. Sacramenti confirmationis virtutem; quippe per totum orbem dispersi Evangelium Christi *prædicaverunt, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. 16. v. 20.

III. Confirmatus, tamquam plenus Spiritu Sancto, debet factis exprimere eam, quam profitetur, religionem; est enim Christianus, chrismatis unctione consecratus, sedes Spiritus Sancti. *Requiescet super eum*, inquit Scriptura, *spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Isa. c. 11. v. 2. Sunt autem juxta D. Tho. 1. 2. q. 68. a. 1. dona illa Spiritus Sancti, habitus quidam perficientes hominem, ad hoc quod prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti. *Per sapientiam* confirmatus judicabit de omnibus, non secundum regulas hominum fallaces & incertas, sed secundum regulas fidei semper certas & infallibiles, v. g. æterna habebit ut æterna, caduca ut caduca &c. *Per intellectum*, quasi intus leget, & interiora rerum penetrabit, temporalia utpote fluxa parvi faciet, æterna utpote numquam peritura in magno pretio habebit. *Per consilium* nihil tentabit perperam, omnia ad legem Dei tamquam ad flateram fidelem appendet; & ita illud eveniet, quod dicit Sapiens; *Consilium custodiet te, & prudentia servabit te ut eruaris a via mala.* Prov. 2. v. 12. *Per fortitudinem* omnia in Deo tentabit, nil nisi divina virtute exequetur, dicens cum Paulo: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* Ad Philip. 4. v. 13. *Per scientiam* non ab alio, quam a Deo doceri gestiet: *Beatus*, inquit, *quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Psal. 93. v. 12. *Per pietatem* Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum semper præsentem habebit, credet ei ut Doctori, sperabit in ipsum ut promissorem, amabit ut patrem, adorabit ut Dominum, & in Ipso tamquam in ultimo fine conquiescet. *Per timorem* nihil aliud timebit, quam separari a Deo suo.

Consess. 3. Quomodo homo vivere debeat post sacram Eucharistiæ sumptionem. Homo, sumpta sacra Eucharistia, debet vivere. 1. quasi Christum portans. 2. Quasi vitam Christi exhibens. 3. Quasi mortem Christi rememorans.

I. Homo post sacram communionem debet se gerere, quasi Christum portans. Christus enim promittit, se permansurum in eo, qui ipsum sacramentaliter recipiet: *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Inde est, quod Patres eos, qui Eucharistiam sumunt, vocant *Christophoros*, idest Christum portantes: ergo sicuti summa vigilia, attentaque cautione incedunt qui pretiosum liquorem portant, ne forte improviso lapsu aliquid pretiosi liquoris effundatur, ita summa cautione uti debet, qui Christum post communionem portat, ne forte *pereffluamus*, ut dicit Paulus ad Hebræos, idest ne diffusa per Christum in cordibus nostris gratia incautione nostra effundatur. Christo ergo nutriti, nihil extra Christum quæramus: ille enim corrupto penitus palato est, cui Christus nauseat. Et sicut manna, teste Sapiente, omne delectamentum in se præhabens, omnisque saporis suavitatem continens, piis Israelitis generale cujuscumque alterius edulii fastidium, ita divinum illud manna pios fideles ab omnibus oblectamentis terrestribus longe revocat, & ad gustandas solas epulas cælestes suaviter allicit. Eo ergo pane, velut alter Elias, nutritus Christianus ambulat per viam mandatorum, & usque ad montem Dei Oreb, idest usque ad cælestem patriam progreditur. Hoc melle, velut alter Jonatas, recreatus inceptum contra vitia certamen persequitur, nec desistit, donec insigni victoria omnes adversantes sibi, salutis suæ inimicos prostraverit. Et rursus sicut Abel Deo litat de primogenitis gregis, & Abraham unigenitum filium Isaac Deo offerre non detrectat; ita fidelis Eucharistia sacra saginatus, ut loquitur Tertullianus, & per eam Deo oblatus, Christo, qui eft sibi simul & cibus & hostia, offert quidquid habet pinguius & carius.

II. Homo post communionem debet factis suis vitam Christi exhibere: dicitur enim Joan. 6. v. 58. *Qui manducat me, vivet propter me.* Sicut enim, juxta Cyrillum, Verbum unitum humanitati Christi, vitam divinam Christo largiebatur, adeo ut vita Christi esset Theandrica, idest humana & divina; ita humanitas Salvatoris nobiscum per communionem inita, vitam Christi nobis communicat. Oportet ergo post communionem, ut vitam Christi repræsentemus. Oportet ut *exhibeamus nos mortuos quidem peccato, viventes autem Christo.* Demum oportet, ut quemadmodum *ipse ambulavit, & nos ambulemus;* quemadmodum Christus vixit vita Patris, & ipsi vivamus vita Christi, quemadmodum ipse nos præmonet. Joan. 14. v. 20. *Ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis;* ita & nos simus in Christo. Quippe, ut ait Joannes 1. Epist. 4. v. 9. *Misit Deus filium suum, ut vivamus per eum;* est enim Christus, ut docet Paulus ad Coloss. 3. v. 4. *vita nostra:* & ut ipsemet Paulus fatetur de seipso, non aliam sibi esse vitam, inquit, nisi eam, quam a Christo acceperat: *Vivo ego*, inquit, *jam non ego, vivit vero in me Christus;*

Digitized by Google

ſtus: ad Galat. 2. v. 20. ita non vivamus nos vita humana, vivat vero in nobis Chriſtus. Et ſicut Melchiſedech panem & vinum, typum Euchariſtiæ, Abrahæ victori e pugna redeunti obtulit, & illi dedit, qui erat pater credentium, qui fide vivebat: ita hi, quibus communicatum eſt ſanctum illud Sacramentum, vitam Abrahæ, fidemque ejus imitaturi ſunt. Et ſicut Agnus Paſchalis, qui & ipſe ſacrificium fuit & cibus populi Judaici, Judæos ad ſpiritualem quamdam vivendi normam induxit: ita & Euchariſtia, cibus noſter ſimul & noſtrum ſacrificium, ad ſublimiorem quamdam vitam nos debet evehere, ut docet Paulus. *Paſcha noſtrum*, inquit, *immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis*, ideſt excluſo omni peccato, vivamus ſecundum normam gratiæ.

III. Homo poſt communionem debet Chriſti mortem memorari: ita enim præcipit Chriſtus: *Hec facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19. Eſt enim Chriſti paſſio 1. Infinitum meritum, quo tollitur ab humana natura indignitas inducta per peccatum originale juxta illud 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.* 2. Superabundans ſatisfactio & redemptio, qua reparatur omnis illata Deo ab hominibus injuria juxta illud: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Ad Gal. 3. 3. Eſt ſacrificium infiniti valoris ſupplens inſufficientiam omnium ſacrificiorum, quæ in lege vel naturæ, vel Moſaica oblata ſunt juxta illud: *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Ad Eph. 5. 4. Eſt vis efficaciſſima ſalutis noſtræ, omnibus mediis ad ſalutem noſtram operandam deſtinatis efficaciam tribuens juxta illud: *Verbum crucis his, qui ſalvi fiunt, eſt virtus Dei.* 1. ad Corinth. 1. Quos omnes mirificos effectus Chriſtus in Euchariſtia concluſit juxta illud; *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*: & ea ſingula mirabilia voluit a a nobis recoli, quoties Euchariſtiam ſumimus: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.*

Conſect. 4. *Quomodo vivere debeat qui Sacramentum pœnitentiæ accepit.* Qui poſt baptiſmum lapſus eſt in peccata mortalia, & eorum abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ obtinuit, debet 1. Dolere ob peccata præterita, quatenus commiſſa. 2. Ob eadem peccata, quatenus remiſſa, debet Deo gratias reddere. 3. Ob eadem peccata, quatenus per recidivam redeuntia, debet ſemper timere. I. Debet dolere ob peccata commiſſa. Ita fecere, inquit Aug. omnes peccatores ad Deum converſi; & inter illos quatuor enumerat, ſcilicet Davidem, Achab, Manaſſem, & Magdalenam, quibus adjungi poſſunt Petrus, & Paulus, &c. *David dicit: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſal. 6. Et iterum: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Pſ. 101. De impiiſſimo Achab 3. Reg. 31. *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* De Manaſſe 4. Reg. 21. dicitur, *quod in captivitatem ductus, & in carcerem miſſus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuerit, ut mereretur inter Dei amicos poſtmodum numerari. Peccatrix quoque illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit, capillis ſuis extersit ... audire meruit: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ita Aug. ſerm. 58. de tempore. De Petro autem pœnitente legimus, Matth. 26. v. 75. *Egreſſus foras, flevit amare.* Paulus vero de ſeipſo ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* 1. ad Corinth. 9. v. 27. *In hac ergo pœnitentia*, inquit Aug. *majorem in ſe quiſque ſeveritatem debet exercere, ut a ſeipſo judicatus, non judicetur a Domino, ſicut ipſe Apoſtolus ait: ſi enim noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur.* Ita Aug. de pœnitentiæ medicina. II. Homo pœnitens ob peccata dimiſſa debet gratias agere, & cor contritum offerre: ita Aug. in Pſal. 50. juxta illud Davidis: *Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies.* Pſal. 50. v. 19. & juxta illud ejuſdem Prophetæ, *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Pſal. 115. III. Debet homo poſt acceptam abſolutionem peccatum recidivæ & præcavere, & maxime timere: præcavere quidem, quia peccato recidivæ nihil eſt Deo odioſius; timere vero, quia nihil eſt illo peccato periculoſus. Peccato recidivæ nihil Deo eſt odioſius; quippe generatim, *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. v. 9. Sed longe odioſior, quia Deo reconciliatus, iterum in peccatum relabitur. De anima relabente ſic habet Scriptura: *Quare vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Jer. 2. v. 36. Et quidem non immerito; peccator enim relabens eſt canis reverſus ad vomitum, quem Deus incipit evomere de ore ſuo: eſt ſus lota in volutabro ſuo, quam Deus ſinit ſuis ſordibus inquinatam: eſt terra ſterilis maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem: eſt ædificium manu Dei ſæpius erectum, ſed malicia noſtra ſæpius deſtructum, quod in ruina ſua relinquit Deus; unus enim ædificans & alius deſtruens, quid amplius niſi labor & dolor? eſt inconſtans ille ſervus, qui miſit manum ad aratrum, & reſpexit retro, & proinde non eſt aptus regno Dei: demum deſertor eſt miles, qui a caſtris Dei tranſit ad caſtra diaboli, quem pœnituiſſe pœnitet, quem proinde Deus odio ſuo inſequitur juxta illud; *Qui tranſgreditur a juſtitia ad peccatum, parabit illum Dominus ad rhomphæam.* Eccl. 26. v. 27. Eſt enim recidiva rebellio quæ excuſationem non admittit, & ingratitudo quæ nullos limites agnoſcit. David peccavit ex infirmitate; ideo ait: *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* Pſal. 6. v. 3. Paulus peccavit ex ignorantia; ideo ait: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* 1. ad Timoth. 1. v. 13. Peccator vero recidens ex induſtria & malitia peccat, juxta illud Job 22. v. 13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et rurſus: *Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo.* Jo. 34. v. 27. Qua ingratitudine nihil majus, cum peccator ex Dei bonitate peccandi occaſionem aſſumat, & fit nequior, quia Deus bonus eſt. Sicut peccato recidivæ nihil Deo eſt odioſius, ita nihil eo peccato periculoſius, nihil minus ſanabile: quippe etſi verum ſit, nullum peccatum eſſe abſolute irremiſſibile; quia Deus ſic compellat omnes peccatores: *Convertimini, filii revertentes, et ego ſanabo averſiones veſtras*: Jerem. 3. v. 22. & rurſus: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Joan. 6. v. 37. tamen certum eſt peccato recidivæ non facile concedi ve-

R 4 niam,

biam: est enim fractura iterata, quæ difficillime sanari potest juxta illud. *Pessima plaga tua, insanabilis fractura tua*. Jerem. 30. v. 12. Est puteus ille altus, e quo vix exiri potest; juxta illud: *Impius cum in profundum venerit, contemnit*: Proverb. 18. v. 3, quem puteum tam vehementer timebat Propheta dicens: *Ne quando urgeat super me puteus os suum*. Psal. 58. v. 16. Est venenum illud insanabile, de quo sic loquitur Moyses, Deut. 32. v. 23. *Uva eorum, uva fellis, venenum aspidum insanabile*. Est funiculus ille triplex, qui difficillime solvitur. Est onus illud ingens, quod peccatorem aggravat, & ne cælum respiciat, omnino impedit; juxta illud Davidis: *Sicut onus grave gravata sunt super me iniquitates meæ*. Psal. 37. Est demum putrida cicatrix, quæ vix sanari potest juxta illud: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ*. Psal. 37. v. 6. Et hoc justo Dei judicio: quia per recidivam homo fit debilior, dæmon fortior, & Deus ad puniendum paratior, ut patet ex Ninive: prima enim vice misit Prophetam Jonam dicentem 3. v. 4. *Quadraginta adhuc dies, & Ninive subvertetur*, post vero recidivam, misit tantum epistolam, his verbis conceptam: *Deus æmulator, ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem*. Nahum. 1. v. 2. Quippe per recidivam, ut docet D. Thom. peccata redeunt non simpliciter, sed secundum quid. Hujus rei exemplum est in Semei exeunte ex Jerusalem contra vetitum Salomonis, quem etiam post datam veniam occidi jubet Salomon; quia exiens ex Jerusalem præteritum peccatum, etsi dimissum, quasi revocaverat. *Reddidit tibi Dominus malitiam tuam in caput tuum*. 3. Reg. 2. v. 3. Ita per recidivam peccata dimissa in caput nostrum revertuntur.

Confess. 5. Quomodo vivere, aut potius mori debeat, qui periculosissime decumbens, accipit Extremam Unctionem, Qui accipit Extremam Unctionem, debet mortem acceptare tamquam pœnam peccato debitam, tamquam sacrificium Deo debitum, & tamquam medium conducens ad futuram resurrectionem.

Quomodo vivere debeant qui sacris Ordinibus sunt initiati, diximus ubi de officio Clericorum, & de officio eorum, qui præsunt spiritualiter. Quomodo vere vivere debeant conjugati, diximus in primo tomo, ubi de officiis conjugatorum.

SECUNDA PARS TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

In qua, proposita & explicata definitione Sacramenti tum in communi, tum in particulari, per illationes inter se connexas probantur & inferuntur ea conclusiones, quæ in scholis agitari solent.

CAPUT IV.

De Sacramentis in communi.

ARTICULUS I.

Quid sit Sacramentum.

NOmen Sacramenti sumitur diversimode, ut in priori parte diximus: sed hic sumitur prout est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum.

Explicatur fusius quid sit Sacramentum.

Sacramentum est *signum practicum sensibile divinitus & stabiliter institutum, & usu suo gratiam habitualem Christi significans & conferens homini viatori per Ministrum ad hoc deputatum cum certis dispositionibus ex parte conferentis & recipientis.*

Hæc definitio explicatur via affirmationis, & via negationis. Primo quidem via affirmationis.

Illa definitio est optima, quæ continet omnia, quæ conveniunt rei definitæ: quia definitio debet explicare naturam rei: atqui tradita definitio continet omnia, quæ conveniunt rei definitæ seu Sacramentis: ergo est optima. Minor explicatur explicando singulas voces.

I. Dicitur *signum*, idest res ducens nos in cognitionem alterius; uti enim fumus significat ignem, rubor faciei motum cordis, ita Sacramentum significat gratiam.

II. Dicitur *signum practicum*, uti enim verba illa, *fiat lux*, *Lazare veni foras*, vere efficiebant quod significabant; ita & Sacramentum novæ legis efficit, quod significat. Sacramenta vero Legis Mosaicæ erant tantum speculativa signa, erant enim infirma, & egena elementa ad Gal. 4. *in quibus non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum Sacramentorum novæ Legis; in quibus vere erat expiatio*, inquit Aug. tract. 41. in Joan.

III. Dicitur *sensibile*; quia Sacramentum est propter homines sensibiles, quos decet duci rebus sensibilibus.

IV. Dicitur *divinitus institutum*; quia cum Sacramentum ordinetur ad gratiam producendam, & solus Deus possit producere gratiam, solus Deus potuit instituere Sacramenta.

V. Dicitur *stabiliter*; quia cum Sacramentum sit quædam *protestatio fidei*, & *exercitium Religionis*, sicut Religio est permanens & stabilis, ita & Sacramentum.

VI. Dicitur *usu suo gratiam significans & conferens*; quia Christus instituendo Sacramenta propter gratiam significandam, & causandam, voluit ut in actuali usu Sacramentorum conferretur gratia.

VII. Dicitur *gratiam habitualem*; quia gratia Sacramentalis nihil aliud esse videtur, quam ipsamet gratia habitualis vel infusa, vel adaucta cum jure aliquo ad accipienda a Deo auxilia actualia necessaria ad vivendum conformiter ad finem Sacramenti: v. g. baptismi gratia dat jus ad auxilia, quibus vivamus, ut debet vivere regeneratus.

VIII. Dicitur *gratiam Christi*; quia Sacramenta conferunt gratiam medicinalem Redemptoris, non vero Conditoris: quia utpote instrumenta Christi, & rivuli ejus passionis ordinantur ad eamdem gratiam ad quam Christus ordinabatur.

IX. Dicitur *in homine viatore*: quia Sacramenta sunt propter homines viatores, & non propter comprehensores, cum sint media, quibus ad gloriam pergitur.

X. Dicitur *rite disposito*; quia si subjectum Sacramenti sit indispositum, Sacramentum non producit gratiam.

XI. Dicitur *cum certis conditionibus ex parte* con-

Digitized by Google

conferentis, & ex parte recipientis, quia, ut Sacramentum valide conferatur, requiritur in Ministris intentio faciendi quod facit ecclesia, & quia ut utiliter recipiatur, requiritur in recipiente adulto, ut habeat *fidem de sacramento*, & dolorem de peccatis: sicuti enim adulti libere perdidimus gratiam, ita dispositione a nobis libere elicita debemus eam recuperare.

XII. Dicitur *per Ministrum ad hoc deputatum*, quia si sacramentum conferatur ab eo, quem Deus non deputavit, est invalidum.

Explicatur eadem definitio via negationis.

Illa definitio est optima, quæ excludit omnia, quæ non conveniunt rei definitæ, quia cum definitio convertatur cum re definita, debet excludere omnia, quæ non conveniunt rei definitæ; atqui tradita definitio excludit omnia, quæ non conveniunt sacramentis: ergo tradita definitio est optima.

Minor explicatur.

I. Dicitur *signum practicum gratiæ*; & per hoc excluduntur signa speculativa gratiæ, v. g. lignum vitæ præfigurans Eucharistiam, Crux significans Christi passionem, quæ non sunt sacramenta, licet speculativé significent gratiam.

II. Additur *sensibile*, & per hoc excluduntur actus interni supernaturales, qui licet vel disponant ad gratiam, vel eam adaugeant, non sunt Sacramenta; quia non sunt sensibiles.

III. Dicitur *divinitus institutum*, & per hoc excluduntur cæremoniæ ab ecclesia institutæ, quæ licet aliquando causent gratiam, excitando nos ad amorem Dei, tamen non sunt sacramenta; quia non sunt divinitus institutæ.

IV. Dicitur *stabiliter institutum*, & per hoc excluduntur cæremoniæ transeuntes, quibus Christus causabat gratiam, nimirum ablutio pedum Apostolorum, contactus fimbriæ vestis quæ omnia non sunt sacramenta, quia non fuere a Christo ita instituta, ut permanenter in ecclesiis fidelium observarentur tamquam cæremoniæ sacramentales.

V. Dicitur *in homine viatore rite disposito per Ministrum ad hoc deputatum*, quia per hoc excluduntur beati a receptione sacramentorum, & Angeli a collatione ordinaria.

ARTICULUS II.

De sacramento quatenus est signum.

PRop. un. Sacramentum est *signum gratiæ sanctificantis*.

Prob. 1. Quia nihil aliud intelligimus per sacramentum; & si quid aliud intelligant adversarii, quæstio erit de nomine, & non de re.

2. Quia sacramentum denominatur sacrum a gratia, sicut sanum denominatur sanum a sanitate.

Et ita sacramentum ordinatur ad gratiam: non ordinatur ad gratiam, illam continendo *substantialiter* sicut Deus, quia sacramentum est creatura, & creatura non continet *substantialiter* gratiam: non ordinatur ad gratiam recipiendam *formaliter* sicut Angelus, vel anima, quia non est substantia intelligens recepti gratiæ sanctificantis: ergo ordinatur ad gratiam, *significando & causando* eam in homine, quia non potest aliter ordinari; & ideo dicitur sacramentum, seu signum sacrum *significando & causando* eam in homine, sicut ambulatio dicitur sana significando, & causando sanitatem in homine: & quia gratia habitualis, non vero actualis formaliter sanctificat, ideo dicitur signum gratiæ habitualis.

Consectaria educta ex hoc principio.

Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis.

Ergo non est signum naturale, quia non significat ex natura gratiam, sicut fumus significat ex natura ignem, rubor faciei motum cordis.

Sacramentum non est signum naturale gratiæ.

Ergo est signum ex instituto, quia omne signum vel est naturale, vel ex instituto, v. g. fumus est signum naturale ignis, vexillum est signum ex instituto prælii, verba hominum sunt ex instituto signa cogitationum.

Sacramentum est signum ex libero instituto.

Ergo vel est ex institutione divina, vel ex institutione creata, scilicet angelica, vel humana, quia omnis institutio libera est vel a Deo, vel ab Angelo, vel ab homine, quia non datur nisi triplex agens liberum, scilicet Deus, Angelus, & homo.

Sacramentum est signum ex instituto vel divino, vel angelico, vel humano.

Ergo sacramentum est signum ex instituto divino; quia, cum nec Angelus, nec homo possint certo producere gratiam, sequitur quod non possint instituere signa, quæ certo & infallibiliter significent gratiam.

Sacramentum est signum ex instituto divino.

Ergo sacramentum est tale, quale Deus voluit, quia signum ex instituto pendet omnino ex voluntate instituentis.

Sacramentum est tale quale Deus voluit.

Ergo in doctrina sacramentorum non aliæ debent afferri rationes quam eæ, quæ in voluntate Dei nitantur, tota enim ratio facti debet esse voluntas facientis, & ita quoties inquiritur ratio, quare sint septem sacramenta, nec plura, nec pauciora: quare Deus hæc signa elegerit, potius quam alia, solum respondendum: *Ita Deo visum est*, quod equidem habemus ex revelatione residente in Scriptura & traditione, & nobis per ecclesiam proposita. Rationes vero, si quæ afferantur a Theologis, non sunt demonstrationes, quæ demonstrent quod asserimus, sed sunt congruentiæ, quæ nobis suadent quod per fidem certum habemus: quæ rationes non sunt quidem spernendæ, sed iis intendum est ad levandam debilitatem intellectus.

In explicanda natura Sacramentorum non aliæ debent afferri rationes, nisi quæ nitantur in revelatione contentæ in Scriptura & traditione, vel in congruentiis, quæ a Patribus & Theologis afferri solent.

Ergo non male asserimus septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; habemus enim per revelationem contentam in Scriptura & traditione prædicta sacramenta, & hanc affert congruentiam Eugenius in instructione ad Armenos. *Per baptismum, inquit, spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur divina*

divina Eucharistia alimonia; quod si per peccatum ægritudinem incurrimus anima, per pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem sanamur: Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Per matrimonium corporaliter augetur. Tota autem Ecclesia est in possessione horum septem Sacramentorum, & semper fuit in eadem possessione: ut patet ex Conc. Trid. Flor. Const. ex usu Ecclesiæ Orientalis, quæ licet schismate jam pridem ab Ecclesia Romana divisa, tamen nullum negat Sacramentum: ergo signum est septem Sacramenta a Christo esse instituta: ergo retinenda sunt septem hujusmodi Sacramenta.

Non male asserimus septem esse Sacramenta innixi traditione & universali Ecclesiæ praxi.

Ergo male nobis objicitur rejicienda esse illa septem Sacramenta, quia Scriptura nullibi docet esse septem Sacramenta, & quod Patres non mentionem faciant de septennario numero Sacramentorum. 1. Quia sufficit, quod traditio id doceat. 2. Quia licet Scriptura non dicat esse duodecim articulos fidei, quatuor esse Evangelia; tamen reverenter ob traditionem & duodecim articulos, & quatuor Evangelia suscipimus. Quidni septem Sacramenta pari pietatis affectu suscipiemus? Patres vero antiquiores non singula percurrunt Sacramenta in suis libris, vel quia de Sacramentis notioribus loquebantur, v. g. Baptismate, Eucharistia; & alia paganis occultabant, ut monet Aug. in Ps. 103. vel quia cum Baptismus, & Eucharistia ex expressio Christi mandato singulis essent necessaria, ita hæc duo Sacramenta singulis erant explicanda. Non desunt tamen Patres, qui de aliis Sacramentis loquantur, ut videre est apud Estium in 4. dist. 1.

ARTICULUS III.

De Sacramento quatenus sensibili.

PRop. un. *Sacramentum est signum sensibile.*

1. Quia nihil aliud intelligimus &c.

2. Quia Deus agit in rebus juxta modum rerum: cum ergo Sacramenta sint propter homines, & homines conveniat duci rebus sensibilibus, sacramenta debent esse aliquid sensibile.

3. Homo lapsus erat in peccatum, indebite inhærendo sensibilibus: ergo congruum fuit, ut ex divina bonitate ex sensibilibus remedium sumeret, & sic apparerent sensibilia, utpote a Deo creata, esse bona, & ea tantum esse hominibus noxia, quando eis inordinate utuntur.

4. Deus alloquitur homines per sensibiles figuras in Scripturis, per Angelos sensibiliter apparentes, per filium in humanitate sensibili sensibiliter conversantem: ergo congrue utitur sacramentis sensibilibus.

Unde omnia sacramenta sunt sensibilia.

Baptismus in aqua, & in verbis. Confirmatio in materia, scilicet manuum impositione, vel chrismate, vel utroque, & in verbis. Eucharistia in speciebus consecratis, & in verbis consecrationis. Pœnitentia in actibus sensibilibus pœnitentis, & in verbis absolutionis. Extrema unctio in oleo, & in verbis. Ordo vel in impositione manuum, vel in exhibitione, vel contactu materiæ, per quam designatur potestas conferenda ordinato, & in verbis episcopi ordinantis. Matrimonium in actibus sensibilibus partium contrahentium. Proinde, licet corpus Christi in Eucharistia non sit sensibile ratione sui, quia non habet quantitatem *in ordine ad locum*; est tamen sensibile ratione specierum Eucharisticarum, quæ, utpote habentes quantitatem *in ordine ad locum*, sunt sensibiles. Attritio pariter in confessione, & consensus in matrimonio, etsi non sint sensibiles ratione sui, quia sunt actus interni, sunt tamen sensibiles ratione alterius, quia exprimuntur per signa sensibilia.

Consectaria deducta ex prædicto principio.

Sacramentum est signum sensibile.

Ergo est compositum morale; quia omne signum sensibile, si sit arbitrarium, & expresse significativum, quale est sacramentum, est compositum morale; ut patet inductive, v. g. syllaba *BA* componitur ex *B*, & *A*: hæc dictio *PATER*, coalescit ex *PA*, & *TER*. Sic propositio illa *Pater est bonus*, constat ex istis vocibus, nimirum *Pater & bonus*.

Sacramentum est compositum morale.

Ergo constat ex materia & forma, seu ex multis moraliter componentibus, quorum unum habet moraliter rationem formæ, & aliud rationem materiæ; quorum unum determinat, & unum determinatur; quorum unum significat minus expresse, aliud magis exprese; quia sicut in omni composito physico est realiter materia & forma; ita in omni composito morali debet esse moraliter materia & forma: & sicuti in composito physico materia & forma existunt simul conjunctione physica; ita in sacramentis, utpote compositis moralibus, materia & forma debent simul existere conjunctione morali, & non separari longa interpolatione.

Sacramentum constat ex materia & forma moraliter componentibus.

Ergo non incongrue dicitur, quod sacramentum constet *rebus* & *verbis*: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma; quia in omni composito morali, præcipue si sit sub genere signi, est aliquid quod vocatur *res* seu materia, & aliquid quod vocatur *verbum* seu forma. Sic in typis allegoricis, Gallice *devises*, sunt res & verba: res, nimirum pictura, quæ est quasi corpus, & verba quæ sunt quasi anima.

Ratio ulterior est; quia res ultimum locum tenent inter signa ad placitum, verba vero primum locum occupant: res ergo determinantur per verba; & proinde res determinabiles debent dici materia, quia materia est id quod determinatur, verba vero determinantia debent dici forma, quia forma est id quod determinat.

Sacramentum constat rebus tamquam materia, verbis tamquam forma.

Ergo res & verba sunt de essentia sacramenti; quia materia & forma sunt de essentia compositi tum physici, tum moralis; etenim si sola forma, vel sola materia esset de essentia compositi *tam* physici, *tum* moralis, compositum esset æque simplex ac pars.

Res & verba sunt de essentia sacramenti.

Ergo si res & verba immutentur substantialiter, non

non erit sacramentum, quia mutata essentia rei, non est res: sic. v. g. si tollas naturam hominis, non erit homo.

Ergo si res & verba mutentur accidentaliter, verum erit sacramentum: quia mutatio accidentalis non tollit essentiam rei, ut patet ex aqua, quando de calida fit frigida; & vice versa, de frigida fit calida.

Mutatio est essentialis in sacramentorum materia, quando materia deperdit esse physicum quod habebat, vel fit inepta ad sacramentalem actionem: v. g. si aqua mutetur in vinum, vel si aqua congeletur & fiat inepta ad abluendum.

Mutatio est accidentalis, quando remanet in eadem specie, & cum aptitudine ad actionem sacramentalem: v. g. si aqua calefiat, aut frigefiat; aqua enim calida & frigida est substantialiter aqua, & apta ad abluendum.

Mutatio est essentialis in forma sacramentorum, quando destruitur sensus verborum, ita ut verba significent difformiter ad id, quod prius significabant.

Mutatio non est essentialis in forma sacramentorum, quando non destruitur sensus verborum.

Mutatio initialis in verbis vulgo est essentialis, mutatio facta in fine est vulgo accidentalis. Sic: ego te baptizo in nomine matris, mutando *pa* in *ma*, est mutatio essentialis. Ego te baptizo in nomine patrias mutando *is* in *ias*, est mutatio accidentalis.

ARTICULUS IV.

De sacramento quatenus significat gratiam.

PRop. un. *Sacramentum est signum sensibile gratiæ sanctificantis.*

Prob, 1. Nihil aliud intelligimus. 2. Ut aliquid sit sacramentum, debet significare non quamcumque rem sacram, sed gratiam sanctificantem, seu habitualem; sola enim gratia habitualis est ea, quæ formaliter sanctificat: & ita Crux, Evangelium, non sunt sacramenta, etiamsi significent aliquid sacrum; quia non significant, nec conferunt ex se gratiam sanctificantem.

Sacramentum significat gratiam habitualem seu sanctificantem.

Ergo sacramentum significat aliquo modo tria, passionem Christi, gratiam, & gloriam, quia tria illa concurrunt ad justificationem: nam ad justificationem passio concurrit effective, gratia formaliter, & gloria finaliter: ideo sacramentum dicitur signum demonstrativum gratiæ præsentis, signum rememorativum passionis peractæ, & signum prognosticum gloriæ futuræ.

Sacramentum significat tria.

Ergo licet significet plura, non causat æquivocationem & confusionem; quia illa multa sunt ad invicem ordinata: passio enim ordinatur ad gratiam producendam & gratia ad gloriam obtinendam.

ARTICULUS V.

De sacramento quatenus divinitus instituto.

PRop. 1. Sacramentum est signum institutum a Deo.

Prob. 1. Nihil aliud intelligimus per sacramentum. 2. Sacramentum non est ex instituto angelico vel humano: ergo est ex instituto divino. 3. Sacramentum ordinatur ad producendam gratiam: sed solus Deus potest principaliter producere gratiam, & creatura nequit illam producere nisi instrumentaliter: ergo solus Deus potuit principaliter instituere sacramenta, & creatura potuit solum instrumentaliter. Ita Chrys. hom. 25. in Jo.

Prop. 2. Congruum fuit, quod Christus immediate instituerit sacramenta, hoc sensu, quod Christus quædam instituit sacramenta, & contulit, v. g. Baptismum & Ordinem, vel quædam designavit, quæ Apostoli occurrente occasione instituerent, & celebrarent, & hoc sensu, quod Christus sit in omni sacramento operator.

Prob. 1. Sic se habet Christus in mundo reparato, sicut Deus in mundo condito: ergo sicut Deus creator immediate produxit præcipuas mundi partes: ita Christus redemptor immediate debuit instituere sacramenta, quæ sunt quasi præcipua mundi reparati medicamenta: & sicuti Deus mundum a se immediate productum gubernat, mediantibus Angelis gubernantibus; ita Christus sacramenta a se immediate instituta dat fidelibus, mediantibus suis ministris sacramenta ministrantibus. 2. Christus est Princeps Ecclesiæ, & origo gratiæ: ergo & auctor sacramentorum Ecclesiæ. 3. Christo debet tribui omnis perfectio creaturæ communicabilis, & quæ non repugnat fini incarnationis; qualis erat institutio sacramentorum. 4. Ita docet Trid. sess. 7. can. 10. 5. Aug. docet sacramenta omnia fluxisse de latere Christi. Tract. 120 in Jo. & in Ps. 56. ideo ait: *Ipse est, qui baptizat, ipse est, qui per Sacerdotes peccata dimittit*. Tract. 5. in Jo. Ergo Christus instituit omnia sacramenta.

Consectaria prædicti principii.

Christus immediate instituit sacramenta.

Ergo instituit omnia & singula sacramenta novæ legis, & non sacramenta legis naturæ, neque legis Mosaicæ, quia institutor sacramentorum, utpote determinans materiam & formam, debet realiter existere, cum instituuntur sacramenta. Christus autem non realiter tunc existebat, sed erat solum aliquando exiturus. Instituit autem Sacramenta novæ legis, ut patet hac inductione. Instituit enim Baptisma Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Confirmationem promisit, promittens Spiritum sanctum Jo. 16. *Si abiero mittam eum ad vos, &c.* Eucharistiam celebravit Matt. 26. Pœnitentiæ tribunal erexit Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Extremam unctionem insinuavit Marc. 6. Ordinia potestatem dedit. Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, &c.* Matrimonii jura firmavit dicens: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; etenim, ut dicit Aug. *Plus apud nos valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri*. Videtur autem baptisma instituisse, cum baptizatus est, quia tunc vim regenerativam aquis contulit, & quia tunc forma baptismi implicite expressa est; Pater enim apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ. Hæc verba, *nisi quis renatus fuerit*, denotant necessitatem baptismi. Hæc verba,

Digitized by Google

videns Simon magus, quod per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus, voluerit vim illam conferendi Spiritum sanctum emere. De Eucharistia sic habet, Joan. 6. cap. *Caro mea vere est cibus... qui manducat me, vivet propter me*. De Pœnitentia, Joan. 20. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. De extrema unctione sic habet Jacobus 2. *Si in peccatis sit*; infirmus scilicet, *remittentur ei*. De Ordine autem declarat Paul. 1. ad Tim. 4. cap. quod gratia data sit Timotheo *per impositionem manuum presbyterii*. *Demum apud nos plus valet in matrimonio sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*, inquit Aug. 3. Juxta Patres, Sacramenta se habent ad gratiam, sicuti fons ad aquam, uterus ad embrionem, aqua calefacta ad calorem, Jordanis ad lepram mundatam, virga Moysis ad mare rubrum divisum, gratiamque non modo significant, uti arcus in nubibus significabat diluvium aquæ jam præteritum, & diluvium ignis aliquando futurum, ut inquit Gregorius; sed Sacramenta signa sunt practica gratiæ, sicut hæc verba, *fiat lux*, *Lazare veni foras*, efficiebant quod significabant. 4. Sacramenta sunt instrumenta Christi, & applicatio passionis illius: ergo ad id ordinantur, ad quod Christus ordinabatur: ergo, cum Christus venerit, ut gratiam conferret hominibus, *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, Sacramentum debet usu suo conferre gratiam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sacramentum est signum sensibile practicum usu suo gratiam conferens.

I. Ergo Sacramentum confert gratiam *ex opere operato*, idest ultra debitum subjecti recipientis, & meritum ministri conferentis; si enim sacramenta non conferrent gratiam ultra debitum recipientis, & meritum conferentis, non essent causæ magis efficaces gratiæ, quam sint bona opera, quibus ad gratiam disponimur; & sic receptio Sacramentorum esset quasi inutilis recipienti, cum aliunde æque uberem posset recipere gratiam excitando se v. g. ad pietatem: sicuti calor ignis admotus animali esset illi inutilis, si nullum alium gradum caloris afferret, nisi eum quem animal excitando se posset accipere independenter ab igne. Secundo, quia si Sacramenta non conferrent gratiam ultra debitum subjecti, & sanctitatem ministri, essent inutilia collata pueris, & amentibus, in quibus nulla est supernaturalis dispositio: immo & inutilia essent etiam ipsis adultis rite dispositis, quando per malos ministros conferrentur; utrumque tamen falsum esse approbat ecclesiæ praxis.

II. Ergo Sacramentum non est tantum ritus excitans fidem, & symbolum acceptæ per fidem gratiæ, & pignus, quo Deus se nobis oppignoret, vel quo nos oppignoremus Deo, sed insuper vere est causa instrumentalis gratiæ: quia licet prædicta omnia significent aliquem effectum Sacramenti, non tamen significant præcipuum, scilicet producere gratiam. Deinde Sacramentum esset nullum collatum parvulis, collatum amentibus, collatum idiomate ignoto, quia non posset excitare fidem. Demum sacramenta veteris legis, utpote solemniori apparatu collata, magis fidem excitantia, essent perfectiora sacramenta, quam Sacramenta novæ legis, licet vocentur a D. Paul. infirma & egena elementa.

III. Ergo Sacramentum non est tantum conditio *sine qua non*, ad cujus præsentiam Deus operetur gratiam, vel signum meræ speculativæ gratiæ, sed est instrumentum vere effectivum gratiæ, vel morale, vel physicum: conditio enim *sine qua non*, & signum speculativum nihil operatur neque *physice*, neque *moraliter* ad effectum: v. g. lex de successionibus filiorum, causa est moralis cur filius ad hæreditatem vocetur; actus autem Parochi attestantis aliquem esse filium alterius, signum quidem est deferendæ hæreditatis, sed non causa: si inspiciamus autem modum loquendi vel Scripturæ, vel Patrum, sacramenta sunt non tantum conditionis, sed causa gratiæ, non signa speculativa, sed practica.

Sacramentum non est tantum signum speculativum, sed practicum gratiæ: non est tantum conditio sine qua non, sed instrumentum effectivum.

Ergo verba Sacramentorum non sunt tantum excitativa fidei, & deprecatoria solum gratiæ, & concionatoria tantum ad populum; sed consecratoria, & effectiva: etenim si totum Sacramentum sit effectivum gratiæ, præcipua illius pars, nimirum forma seu verba, debent esse effectiva. Quando autem Aug. dicit tract. 8. in Joan. verbum sacramentale operari, *non quia dicitur*, *sed quia creditur*, non sensus est, quod debeat credi vel a suscipiente, vel a ministrante, cum juxta eumdem Aug. Sacramentum operetur sine utriusque pietate & fide; sed sensus est, quod verbum sacramentale creditur ab ecclesia, idest, habetur ut cæremonia sacra, & ut professio fidei in Christi ecclesia.

Verba Sacramentorum non sunt concionatoria tantum, vel deprecatoria, sed effectiva gratiæ.

Ergo ut plurimum verba Sacramentorum debent proferri sub forma expressa per modum indicativum, & non per modum optativum: quia per modum indicativum melius exprimitur efficientia, quam per modum optativum: v. g. *Ego te baptizo*, melius exprimit, quam hæc forma, *baptizem hunc puerum*. Quod si sint quædam sacramenta, quæ collata fuerint verbis deprecatoriis, sensus tamen ecclesiæ semper fuit, quod verbis etiam illis exprimeretur & subintelligeretur efficientia Sacramenti.

Quod si extrema unctio conferatur etiam nunc modo deprecatorio: *indulgeat tibi Deus quidquid per sensus deliquisti*; ideo hoc fit, inquit D. Th. quod extrema unctio Sacramentum sit infirmorum & morientium, qui orare non possunt, & qui tamen maxime oratione egeant, & insuper quia si expediat, confertur sanitas corporalis per extremam unctionem, ad quem effectum corporalem decet Sacramentum ordinari per orationem ministri.

Alia Consectaria ejusdem principii.

Sacramentum est signum sensibile usu suo gratiam Christi conferens.

Ergo confert gratiam Christi, juxta diversam significationem, quam per res & verba exprimit, quod enim operatur gratiam media significatione; debet

debet eam producere juxta diversam significationem, quam exprimit.

Sacramentum producit gratiam juxta diversam significationem, quam per res & verba exprimit.

Ergo quodlibet sacramentum diversam & specialem producit gratiam; quia quodlibet sacramentum diversam & specialem habet significationem, v. g. Baptismus significat spiritualem regenerationem, Confirmatio spirituale robur, Eucharistia nutritionem, extrema unctio convalescentiam, Ordo prælationem, Matrimonium unionem Christi cum ecclesia.

Quodlibet sacramentum diversam & specialem producit gratiam, juxta diversam & specialem significationem quam habet.

Ergo *Baptismus* producit gratiam regenerantem, Confirmatio gratiam roborantem, Eucharistia gratiam nutrientem, pœnitentia gratiam resuscitantem, extrema unctio gratiam peccatorum reliquias abstergentem, Ordo gratiam aliis utiliter ministrandi sacra, & Matrimonium gratiam, qua conjugati vivant ut repræsentantes unionem Christi cum ecclesia, quave sancte generent, & educent filios in timore Domini; singula enim hæc sacramenta singularem illam significant sanctitatem.

Baptismus confert gratiam regenerantem, & Confirmatio roborantem, &c.

Ergo duo sacramenta, Baptismus scilicet, & pœnitentia, vitam spiritualem dant, & incipiunt: cætera vero sacramenta vitam spiritualem non dant, sed supponunt, non conferunt, sed adaugent diversimode; quia, ut monet Trid. Baptismus est id, a quo *omnis justitia incipit*, pœnitentia est id, a quo *justitia amissa reparatur*, & cætera sacramenta sunt id, a quo vita spiritualis *accepta augetur*.

Baptismus, & pœnitentia conferunt, & incipiunt vitam spiritualem; cætera vero sacramenta non incipiunt, sed augent.

Ergo Baptismus & pœnitentia non incongrue vocantur *Sacramenta mortuorum*, quia dantur mortuis non corporaliter, sed spiritualiter per peccatum; cætera vero *Sacramenta vivorum*; quia dantur viventibus spiritualiter per gratiam.

Baptismus, & pœnitentia congrue vocantur Sacramenta mortuorum, reliqua vero sacramenta vivorum.

Ergo Baptismus & pœnitentia per se producunt primam gratiam, alia vero secundam, quia ad id sacramenta mortuorum per se ordinantur: v. g. Baptismus ordinatur ad incipiendam vitam spiritualem, pœnitentia ad eam reparandam: cætera vero sacramenta ad eam adaugendam, quorum prius fit per primam gratiam, posterius vero per secundam.

Baptismus, & pœnitentia per se producunt primam gratiam, & cætera sacramenta secundam.

Ergo nihil obstat quod *per accidens* sacramenta vivorum producant primam gratiam, & sacramenta mortuorum secundam, scilicet, si ita exigat status & dispositio subjecti recipientis sacramenta; cum enim sacramenta sint applicatio passionis Christi, & applicatio passionis Christi nequeat esse sine fructu gratiæ, quoties subjectum non habet dispositiones gratiæ contrarias, toties debet produci gratia: ergo producetur secunda gratia, si subjectum jam habeat primam gratiam; producetur vero prima gratia, si subjectum non habeat primam gratiam, & sit dispositus ad illam recipiendam.

Et ita si ille, qui accedit ad Baptismum, & pœnitentiam, sit perfecte contritus, habeatque gratiam habitualem, hanc Baptismus, & pœnitentia non conferunt; quia supponitur esse in anima, sed eam gratiam insigniter adaugebunt. Ita pariter, si ille, qui suscipit Eucharistiam, extremam unctionem, &c. sit in peccato mortali, quod inculpabiliter ignorat, vel in peccato mortali cognito, quod confiteri non potest, eo quod copiam Confessarii non habeat; si sacramentum vivorum, v. g. Eucharistiam, extremam unctionem, &c. suscipiat cum sufficienti contritione, tunc sacramentum vivorum producet *per accidens* primam gratiam, & justificabit, uti faceret Baptismus & pœnitentia; cum enim sacramentum illud sit passionis Christi applicatio, proinde nequit esse sine fructu gratiæ: Ergo si non possit producere secundam gratiam, debet producere primam.

Alia Consectaria ejusdem principii.

Sacramentum est signum sensibile usu suo gratiam conferens.

Ergo sacramentum usu suo applicat nobis passionem Christi, qua pro nobis meruit, & qua pro nobis satisfecit; etenim sacramentum non potest aliter nobis gratiam Christi conferre.

Sacramentum usu suo applicat nobis passionem Christi, qua pro nobis meruit, & pro nobis satisfecit.

Ergo sacramentorum receptio non dispensat adultos ab exercitio bonorum operum, quibus & se disponant ad gratiam, & quibus sub Christo capite sibi mereantur gloriam, & pro peccatis satisfaciant; passio enim Christi, utpote causa universalis, non excludit, sed exigit cooperationem omnium nostrum, qui sumus causæ particulares: meritum pariter & satisfactio Christi capitis non excludunt, sed exigunt meritum & satisfactionem omnium nostrum, qui sumus ejus membra; dicit enim nobis Christus: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; & Paulus ait: *Adimpleo quæ desunt passionum Christi*, applicando scilicet sibi per sacramenta meritum passionum Christi. Unde ad hoc ita nos hortatur Paulus. *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut & ego Christi*; nosque in eo labore consolatur his verbis: *Si compatimur cum Christo, cum illo conglorificabimur*.

Sacramentorum receptio non dispensat adultos ab exercitio bonorum operum, &c.

Ergo receptio sacramentorum non fovet pigritiam & socordiam in recipientibus; sed e contra, in his zelum & ardorem excitat: Christi satisfactionem non minuit, sed e contra ejus infinitudinem ostendit: non fovet pigritiam, cum exercitium virtutis non impediat, sed imperet: non minuit Christi satisfactionem, sed ejus infinitudinem clarius indicat; influxus enim causæ inferioris sub superiore, causæ superioris dignitatem non minuit, sed ejus & dignitatem & necessitatem ma-

gis

gis ostendit, cum causa inferior nihil agit nisi dependenter a superiore: meritum & satisfactio membrorum non evacuat meritum, & satisfactionem Christi capitis, sed contra ipsius dignitatem, & necessitatem apertius patefacit, cum quotquot sumus Christi membra, nihil agamus nisi dependenter a Christo; dependemus enim a Christo, sicuti membra a capite, sicuti vites a palmite, sicuti ædificium a petra angulari, sicut oves a pastore, discipuli a doctore, demum sicuti creaturæ a creatore, ipsius enim factura sumus creati in operibus bonis. *Neque enim*, ut inquit Trid, *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, & ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.*

Usus Sacramentorum nec in Christianis pigritiam fovet, nec Christi satisfactionem enervat.

Ergo in christiana religione non potest pietas solidior suaderi fidelibus, quam frequens sed sancta sacramentorum acceptio, inculcando tamen semper quam pias & sanctas dispositiones quodlibet Sacramentum exigat, & ita quæcumque fiunt in ecclesia, eo tendant oportet, ut plebs christiana ad frequentem, sed sanctum Sacramentorum usum excitetur. Eo fine dantur indulgentiæ a summis Pontificibus, eodem fine fiunt frequentes missiones in urbibus & in pagis, nec aliam ob causam creatæ sunt a piis & religiosis hominibus confraternitates Rosarii, Scapularii, nisi ut fideles & frequentius & sanctius Sacramenta reciperent, ut gratias sibi necessarias ab his sacris fontibus haurirent.

Alia Consectaria ejusdem principii.

Sacramentum est signum sensibile usu suo gratiam Christi conferens.

Ergo si inquiratur quæ sit causa gratiæ in collatione & receptione sacramentorum, sic respondendum est: causa principalis Deus est, juxta illud: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Humanitas Christi est instrumentum conjunctum Divinitati, quia Deus utitur humanitate Christi verbo hypostatice unita ad producendam gratiam, juxta illud: *Gratia per Jesum Christum facta est*. Sacramentum est instrumentum separatum supposito a Divinitate, quia Deus utitur Sacramentis ad producendam gratiam, juxta illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Sicuti dum quæritur quæ sit causa scripturæ, respondetur, animam causam esse principalem, manum vero instrumentum conjunctum, & calamum instrumentum separatum.

In usu Sacramentorum Deus est causa principalis gratiæ, humanitas Christi instrumentum conjunctum, & Sacramentum instrumentum separatum.

Ergo sacramentum confert gratiam juxta intentionem Dei moventis, & juxta intentionem animæ Christi motæ a Deo & moventis sacramenta; quoties enim instrumentum plane subjicitur principali causæ, ut contingit in proposito, toties effectus producitur juxta intentionem causæ principalis: si enim calamus plane subjiceretur manui, & manus animæ, scriptio non aliter fieret, quam ut eam fieri vellet & intenderet anima.

Sacramentum confert gratiam juxta intentionem Dei moventis, & juxta intentionem animæ Christi motæ a Deo & moventis sacramentum.

Ergo sacramentum quodlibet non confert gratiam, nisi suppositis certis dispositionibus in adultis, & nullis suppositis in non adultis; talis enim est intentio Dei, & Christi in usu sacramentorum, ut adultis, qui liberum habent rationis usum, sicut libera voluntate a gratia recesserunt, ita libera electione ad gratiam redeant, & in ea crescant, & perseverent: e contra cum non adulti absque libertate personali in peccato sint, vult Deus sacramenta eis absque ulla dispositione prodesse, & sicut in Adamo geniti absque personali actu moriuntur, ita in Christo regenerati absque personali actu salvantur.

Sacramentum quodlibet non confert gratiam nisi suppositis certis dispositionibus in adultis, nullis suppositis in non adultis.

Ergo sacramenta possunt conferri non adultis, v. g. *parvulis & amentibus*, etiamsi nulla sit in eis dispositio v. g. sacramentum necessitatis, ut Baptismus, debet eis necessario conferri: Sacramentum non necessitatis, puta Confirmatio, posset valide & fructuose illis conferri: Deus enim ab illis utpote usu rationis carentibus non exigit dispositiones: adultis vero nulla sunt conferenda sacramenta, nisi dispositiones cuilibet sacramento congruas habeant: quia isti, utpote habentes usum rationis, debent cum debitis dispositionibus sacramenta recipere.

Sacramenta non sunt conferenda adultis, nisi dispositiones habeant convenientes Sacramento, quod intendunt recipere.

Ergo si velint baptismum accipere, debent habere fidem de baptismo, dolorem de peccato, & oportet, ut Deum *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*, inquit Trid. quia non aliter possunt, inquit Conc. justificari per Baptismum: si vero velint pœnitentiam recipere, easdem a fortiori dispositiones habeant necessum est; qui enim ab accepta per Baptismum justitia lapsi sunt, oportet, ut & fide ardentiori, & spe firmiori, & dolore acriori, & amore ferventiori, ad Deum offensum redeant, si vero velint sacramenta alia a Baptismo & a pœnitentia recipere, in statu gratiæ sint necessum est; hæc enim sacramenta, utpote destinata ad adaugendam gratiam, nonnisi jam habentibus gratiam conferuntur.

Si adulti velint baptismum & pœnitentiam recipere, debent habere eam fidem, spem, contritionem, & amorem initialem, qualem descripsimus ex Trid. & si velint recipere sacramenta diversa a baptismo, & pœnitentia, debent esse in statu gratiæ.

Ergo adulti, qui scienter sacramenta sine prædictis dispositionibus recipiunt, sacrilegium committunt, quia indigne rem sacram, scilicet sacramenta, sibi conferri permittunt. Idem sacrilegium incurrunt qui scienter sacramenta indignis conferunt, quia agunt contra illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus.*

Qui

Qui scienter recipiunt sacramenta sine debitis dispositionibus, sacrilegium committunt, & pariter qui ea scienter conferunt indignis.

Ergo quantumvis sanctus utilisque sit sacramentorum usus, non tamen passim & sine prudenti cautione est exercendus, ne bonum in malum, medicina in venenum, subsidium in nocumentum, demum causa salutis in occasionem damnationis ex pravo usu degeneret, de quolibet enim sacramento dici potest quod D. Th. de Eucharistia pronunciat: *Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.*

Alia Consectaria scholastica ex eodem principio educta.

Sacramentum est collativum gratiæ Christi.

Ergo ex vi præsentis decreti debuerunt esse sacramenta in lege naturæ, in lege Mosaica, & debent esse in lege Evangelica, quia in triplici illa duratione homines egent gratia Christi Salvatoris, quia Deus post peccatum Adami proposuit Christum propitiationem per fidem.

Fuerunt Sacramenta in lege natura, in lege Mosaica, & Evangelica.

Ergo ad minus fuerunt duo sacramenta in lege naturæ, scilicet oblatio puerorum tollens peccatum originale, & Sacrificium tollens peccatum actuale mortale, quia hæc duo sacramenta sunt absolute necessaria.

Ergo in lege Mosaica fuit circumcisio tollens peccatum originale in masculis, & oblatio adhiberi solita in lege naturæ tollens peccatum originale in feminis, expiationes tollentes peccata actualia, Agnus Paschalis figurans Eucharistiam, & Ordinatio Levitica figurans Sacerdotium Christi, quia duo priora sacramenta sunt absolute necessaria ut homo salvetur, duo posteriora fuerunt convenientia, ut homo manifestaret suam fidem in Christum venturum modo perfectiori, quam manifestabant homines in lege naturæ stantes.

In lege Mosaica nullum fuit sacramentum respondens confirmationi, quia lex Mosaica non poterat robur gratiæ producere.

Nullum fuit sacramentum respondens extremæ unctioni, quia lex vetus non disponebat proxime ad ingressum ad gloriam.

Matrimonium in lege Mosaica non fuit sacramentum, quia nondum facta fuerat unio hypostatica, quam significat matrimonium, quod proinde a solo Christo debuit ad dignitatem sacramenti evehi.

Ergo in lege Evangelica sunt septem sacramenta, ut dictum est, quia sunt necessaria ad vitam supernaturalem incipiendam, augendam, & reparandam, ut diximus ex Flor.

Alia Consectaria scholastica ex eodem principio.

Sacramentum est collativum gratiæ Christi.

Ergo ex vi præsentis decreti conferunt sacramenta gratiam, non qualemcumque, sed gratiam medicinalem, quia Christus venit ut Redemptor & Medicus.

Sacramentum confert tantum gratiam medicinalem.

Ergo in statu naturæ innocentis non futura fuissent sacramenta talia, qualia nunc habemus, in statu quippe naturæ innocentis nulla futura fuisset gratia medicinalis, nullus fuisset morbus spiritualis; natura enim fuisset perfecte sana: deinde quodlibet sacramentum vel legis naturæ, vel legis Mosaicæ, vel legis Evangelicæ includit aliquid repugnans statui innocentiæ, etenim *oblatio* puerorum, *Circumcisio*, *Baptismus* supponunt peccatum originale, quod tunc non fuisset. *Confirmatio* supponit hostes vel internos vel externos contra fidem nostram, quibus sufficienter per gratiam Conditoris potuissemus resistere. *Agnus Paschalis*, *Eucharistia*, significantes sacrificium Christi, supponunt Christum aut venturum, aut venisse, quod in tali statu non potest supponi. *Sacrificia expiatoria & Pœnitentia* supponunt peccata mortalia orta ex originali. *Extrema unctio* supponit pariter languores ex peccato originali provenientes. *Ordo* repræsentat Sacerdotium Christi. *Matrimonium* significat unionem Christi cum ecclesia. Quæ omnia non futura fuissent in statu innocentiæ: ergo nec futura fuissent sacramenta, qualia nunc habemus.

Homo tamen in tali statu non futurus fuisset impeccabilis, potuisset ergo a tali peccato liberari, & quidem per sacramenta, si Deus voluisset; sed per sacramenta diversa ab iis quæ nunc habemus, quæ gratiam medicinalem conferunt: illa vero gratiam Creatoris, non Salvatoris contulissent.

Imino loquendo de potentia ordinaria, incongruum videtur, quod natura perfecte sana, qualis futura fuisset in statu innocentiæ natura humana, perficeretur sensibilibus signis ab ipsis recipiendo gratiam; convenientius enim fuisset, ut eam immediate a Deo reciperet, & quamvis homo in statu innocentiæ potuisset perfici per res sensibiles accipiendo ab objectis species ad cognoscendum, non sequitur quod potuerit perfici per res sensibiles accipiendo ab illis gratiam. Natura enim sana, qualis erat natura innocens, debebat immediate subjici Deo, ut ab eo immediate gratiam reciperet, sed natura etiam innocens coalescens corpore & anima, qualis futura fuisset natura humana in statu innocentiæ, petit accipere species ab objectis sensibilibus. Et rursus licet durante statu innocentiæ futuræ fuissent herbæ medicinales in mundo, quamvis homo non futurus fuisset obnoxius morbis, non sequitur quod in eo statu futuræ fuissent medicinæ spirituales, scilicet sacramenta, quia herbæ medicinales sunt de integritate Universi: ergo debuerunt creari cum Universo, sed sacramenta non sunt de integritate Universi, & videntur repugnare in eo statu, in quo nullus fuisset morbus spiritualis, nullave inclinatio ad morbum ex peccato originali proveniens.

In statu naturæ innocentis non futura fuissent sacramenta.

Ergo a fortiori nulla futura fuissent in statu naturæ puræ, aut naturæ integræ integritate naturali, si de facto extitisset ille status, tunc enim natura non fuisset elevata ad ordinem gratiæ: ergo non potuissent esse sacramenta producentia gratiam.

Alia Consectaria scholastica ex eodem principio educta.

Sacramentum est collativum gratiæ Christi.

Ergo Deus est causa principalis, Christus est instru-

strumentum conjunctum cum divinitate, & sacramentum est instrumentum separatum: quia gratia, utpote participatio naturæ divinæ, non potest principaliter produci nisi a solo Deo: & si producatur ab humanitate Christi, producitur tamquam per instrumentum conjunctum; quia humanitas Christi est conjuncta personaliter cum Verbo divino: & si producatur per Sacramentum, producitur tamquam per instrumentum separatum; quia sacramentum est separatum a supposito a Divinitate.

Gratia sacramentalis producitur principaliter a Deo, & ab humanitate Christi tamquam per instrumentum conjunctum, & per sacramentum tamquam per instrumentum separatum.

Ergo Sacramenta tum legis naturæ, tum legis Mosaicæ, tum legis Evangelicæ, agebant in virtute Christi & moveri debuerunt a Christo; quia omne instrumentum separatum movetur ab instrumento conjuncto, sicut calamus movetur a manu.

Omne sacramentum legis naturæ, Mosaicæ, & Evangelicæ moveri debuit a Christo.

Ergo moveri debuit vel moraliter, vel physice; quia omne instrumentum separatum vel est physicum, vel morale, & ita moveri debet vel physice, vel moraliter.

Omne sacramentum legis naturæ, Mosaicæ, & Evangelicæ debuit moveri a Christo vel moraliter, vel physice.

Ergo sacramenta legis naturæ, vel legis Mosaicæ moveri tantum potuerunt a Christo moraliter; quia cum hæc sacramenta non supponerent Christum existentem, sed exiturum, non poterant moveri a Christo nisi ut venturo, & proinde moraliter objective.

Sacramenta vero legis evangelicæ, utpote supponentia Christum existentem & passum, possunt moveri physice.

Sacramenta legis Evangelicæ possunt a Christo moveri physice.

Ergo non male asseritur a Thomistis, sacramenta legis Evangelicæ esse instrumenta physica mota physice a Christo. 1. Quia non repugnat quod moveantur physice a Christo, utpote realiter existente, & elevante ea sacramenta per virtutem realem & physicam ipsi communicatam. Christus enim, licet in cælis existens, potest *physice* movere sacramenta collata in terris; quia instrumentum divinum potest agere in distans. 2. Causalitas physica maxime est conveniens ex parte Dei, & ex parte creaturæ: ex parte quidem Dei, eo quod ejus omnipotentia maxime enitescat *physice* elevando res tam debiles ad productionem gratiæ: ex parte creaturæ, quia creatura concipiendo sacramentis inesse vim spiritualem productivam gratiæ, fidem excitat, spem roborat, & caritatem accendit; *fidem* quidem, dum rebus tam debilibus divinam virtutem inesse credit; *spem* vero, dum rebus adeo infirmis se posse justificari confidit; *caritatem* vero quam maxime, dum rebus sensibilibus, quibus a divino amore sensim avertebatur, sensim e contra per eadem sensibilia ad divinum amorem se inflammari sentit. 3. Quia causalitas physica adscripta Sacramentis videtur esse conformior Scripturæ, Patribus, & Conciliis, quæ ubique clamant, Sacramenta legis Evangelicæ esse *causam* gratiæ, sicuti aqua calefacta est *causa* caloris &c. causa enim physica *absolute* est causa: moralis vero non est causa nisi *secundum quid*, ut dicunt.

Sacramenta legis Evangelicæ sunt instrumentu physica gratiæ.

Ergo oportet, ut recipiant virtutem physicam spiritualem productivam gratiæ, si enim Deus velit, ut creatura agat, debet illi dare virtutem agendi: v. g. si Deus velit, ut ignis calefaciat, debet illi dare virtutem calefaciendi, nec ad hoc sufficit concursus extrinsecus, quantumvis specialis, quia idem manent intrinsece idem, semper facit idem intrinsece & physice. Itaque virtus recepta in sacramento, qua fit potens ad producendam gratiam, debet continere effective gratiam vel secundum formam similem, ut ignis ignem, vel secundum formam eminentiorem, ut sol effectus sublunares, vel secundum formam instrumentariam, eo modo quo penicillus continet vim artificiosam dispergendi colores, & eo modo quo vox materialis continet vim excitantem animam ad intelligendum. Sacramenta non continent gratiam neque secundum formam similem, neque secundum formam eminentiorem; quia non sunt causæ principales gratiæ: ergo continent illam secundum virtutem instrumentariam: quæ virtus instrumentaria debet esse physica, si sacramenta producant gratiam physice, quod ut supponimus est possibile & congruum, & modo, quo sancti Patres efficientiam sacramentorum exponunt, conforme.

Sacramenta legis Evangelicæ recipiunt virtutem physicam gratiæ productivam.

Ergo illa virtus recipitur in sacramento tamquam in aliquo successivo; si enim sacramentum consideretur quatenus constat rebus, & verbis, est aliquid successivum; cum actio elementi sensibilis, v. g. ablutio in baptismo, chrismatio in confirmatione &c. sit aliquid successivum, & cum verba pariter non proferantur nisi successive.

Virtus productiva gratiæ, quæ recipitur in sacramentis, recipitur tamquam in aliquo successivo.

Ergo Sacramenta non producunt gratiam, nisi in ultimo instanti extrinsece terminativo, ut dicunt, idest quando verum est dicere: completum est sacramentum: hæc est enim natura entis successivi, ut effectum suum non producat, nisi postquam completum est. Deinde sacramenta non producunt gratiam, nisi media significatione; quia efficiunt quod significant: significatio autem sacramenti non est completa nisi postquam peractum est sacramentum.

Abstrusa isthæc sunt, quæ scire forte non est magnæ utilitatis, sed hæc ignorare aliquando ignominiæ vertitur, ideo libuit ea non omittere; sed ad utiliora veniamus. Ideo sit,

ARTICULUS VII.

De sacramento quatenus est causa characteris.

Propositio unica. *Sacramentum est signum religionem nutriens.*

Prob. 1. Quia nihil aliud intelligimus per sacramentum.

2. Patres vocant sacramenta, ritus adunantes homines in unam religionem, nempe Christianam,

3. *Rat.* Sacramenta sunt instrumenta Christi: ergo ad idem ordinantur, ad quod Christus ordinabatur; Christus autem venit, ut homines per Sacramenta sanctificaret, & ut eos suis Sacramentis in eadem religione vinciret.

4. Sacramenta sunt in lege Evangelica quod erant Sacramenta in lege Mosaica: ergo sicuti Sacramenta legis Mosaicæ Judæos in eadem religione adunabant; ita Sacramenta novæ legis adunant Christianos in religione Christiana.

Consectaria prædicti principii.

Sacramentum est signum Religionem nutriens.

Ergo per Sacramenta novæ legis Christiani deputantur ad exercendum valide ea, quæ pertinent ad cultum christianum; etenim Sacramentum non aliter fovet christianam religionem, quam deputando homines ad exercendum valide ea, quæ pertinent ad christianam religionem.

Per Sacramenta nova legis Christiani deputantur ad exercendum valide ea, quæ pertinent ad cultum christianum.

Ergo quædam Sacramenta novæ legis debent imprimere characterem spiritualem, idest entitatem positivam, indelebilem, distinctam realiter a gratia, qua Christiani deputantur ad exercendum valide cultum religiosum; deputatio enim veniens a Deo est effectiva ponens in creatura, quæ deputatur, entitatem positivam, per quam exercere possit valide id, ad quod deputatur, sicuti videmus, quod dum Deus ordinat causas naturales ad aliquem effectum, v. g. ignem ad calefaciendum, solem ad illuminandum, ponit in illis creaturis vim positivam, per quam possint producere effectus, ad quos ordinantur.

Deinde sicuti Sacramentum faciens nos amicos Dei speciales, imprimit in anima entitatem realem & positivam dilectionis, nempe gratiam; ita specialiter deputans nos ad cultum Dei, debet imprimere in anima entitatem positivam Dei, debet imprimere in anima entitatem positivam deputationis, nempe characterem; voluntas enim Dei deputans non est minus effectiva, quam voluntas Dei amans.

2. Sicuti in Republica civili deputatis a Rege datur quidam character exterior, quo exterius distinguuntur deputati a non deputatis; ita in Republica Christiana, cujus decor est magis internus quam externus, deputatis a Deo debet dari character specialis, qui totus internus sit, & soli Deo, qui deputat, cognitus.

Et sicuti circumcisio in veteri lege imprimebat characterem exteriorem, idemque faciebat deputatio ad sacerdotium Aaronicum; ita quædam Sacramenta legis Evangelicæ utpote perfectiora, & non in externa, & legali perfectione sita, debent imprimere characterem positivum & interiorem.

3. Quia ita docent Patres, nempe Dionysius citatus a Divo Thoma, Augustinus, qui contra Donatistas non aliter probat baptizatos ab infidelibus non esse rebaptizandos, nisi quia etsi non recepissent, inquit, gratiam, tamen receperant characterem: & in Psal. 39. sic loquitur: *Baptismus ille tam quam character infixus est; ornavit militem, convicit desertorem.* Idem docent Hieronymus, Cyrillus, &c.

Quædam Sacramenta nova legis producunt characterem, quo deputamur ad valide exercendum ea, quæ pertinent ad cultum Christianum.

Ergo Baptismus, Confirmatio, & Ordo tantum, imprimunt characterem; etenim per illa tantum tria Sacramenta deputamur specialiter ad cultum Dei; nam per Baptismum deputamur ut *domestici*, per Confirmationem ut *milites* ex officio decertaturi, & per Ordinem ut *Prælati* in Ecclesia præficiendi. Ita docet Tertul. de Baptis. cap. 12. & Hieronymus in cap. 4. ad Ephesios, & Trid. sess. 7. can. 9. ita habet: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Demum habemus ex praxi Ecclesiæ, quod illa tria Sacramenta non iterentur: ergo quod characterem imprimant indelebilem; non enim talis est deputatio veniens a Deo, qualis est deputatio veniens ab homine: hæc cessat & perit, quia officium ad quod homo deputatur in Republica civili, est temporale: illa vero numquam cessat; quia officium ad quod deputatur in Ecclesia, est perpetuum, sicuti Ecclesia.

ARTICULUS VIII.

DE NATURA CHARACTERIS.

Articulus iste continet solum quæstiones scholasticas: qui eas parvi faciunt, poterunt illum emittere; qui vero eas non dedignantur, poterunt hunc articulum, si ita libuerit, legere.

PRopositio unica. *Baptismus, Confirmatio, & Ordo producunt characterem, quo fideles designantur ut domestici, ut milites ex officio decertaturi, ut Prælati in Ecclesia, & hæc omnia ad exercendum valide cultum Dei.* Totum hoc patet ex supradictis.

Consectaria prædicti principii.

Ergo character sumptus generice est entitas designativa, sumptus specifice est potentia vel passiva, vel activa.

1. Sumptus *generice* est entitas designativa: quia designat nos ad cultum Dei exercendum valide.

Sumptus *specifice* est potentia vel passiva, vel activa, per characterem enim fimus capaces valide recipiendi & exercendi Sacramenta, quæ ad cultum Dei pertinent.

Sic character Baptismatis est potentia passiva efficiens nos capaces valide recipiendi Sacramenta.

Sic character Confirmationis est potentia activa efficiens nos milites in Christiana religione ex officio decertaturos.

Sic character Ordinis est potentia activa efficiens nos potentes conficiendi & ministrandi valide Sacramenta.

Character sumptus generice est entitas designans nos ad cultum Dei valide exercendum.

Ergo debet poni in prædicamento qualitatis in specie potentiæ: quia ad nullum aliud prædicamentum potest melius reduci, ut ista inductione patebit.

1. Non potest poni in prædicamentis continentibus

tibus res materiales, v. gr. prædicamento *quantitatis*, *situs*, *ubi*, *quando*, *tunicationis*, *actionis* & *passionis*; quia illa omnia sunt materialia, character vero est aliquid spirituale.

2. Non potest poni in prædicamento *substantiæ*; quia non datur substantia supernaturalis certa.

3. Non potest poni in prædicamento *relationis*; quia relatio neque est activa, neque passiva, sed solum ordinativa subjecti ad terminum correlatum: character vero est vel activus, vel passivus: ergo restat quod ponatur in prædicamento qualitatis.

In qualitate autem sunt quatuor species, *potentia* & *impotentia*, *habitus* & *dispositio*, *passio* & *patibilis qualitas*, *forma* & *figura*.

Character non est *passio* & *patibilis qualitas*; quia qualitas illa est materialis, utpote causans alterationem sensibilem, vel causata ab alteratione sensibili, character vero est spiritualis.

Character non est pariter *forma vel figura*: quia hæc qualitas, utpote sequens ex quantitate, est materialis & sensibilis; character vero est spiritualis.

Ergo sequitur, quod character sit *potentia vel impotentia*, *habitus vel dispositio*. Character autem,

1. Non est dispositio; quia *dispositio* est facile mobilis a subjecto, character vero est difficile mobilis utpote indelebilis. Nec dici potest, quod character sit *habitus*: quia habitus determinat ad bene vel male: v. gr. habitus bonus speculativus determinat intellectum ad infallibiliter cognoscendum: habitus malus speculativus, v.g. error, determinat ad erronee cognoscendum: habitus bonus practicus, v. gr. prudentia, determinat intellectum ad bene moraliter agendum; habitus malus, v. gr. imprudentia, determinat ad agendum male moraliter: habitus bonus voluntatis, v. g. justitia, determinat ad agendum bene moraliter, v. g. juste: habitus malus, v. gr. injustitia, determinat ad agendum male moraliter. Ast character non determinat ad bene vel male, licite vel illicite, quod pertinet ad *habitum*; sed determinat ad valide agendum, quod pertinet ad *potentiam*.

2. Habitus non est receptivus alterius habitus, bene tamen character, nam character Baptismatis recipit characterem confirmationis.

3. Habitus intenditur & remittitur: character vero nec intenditur, nec remittitur: character enim æque intensus est in subjecto, quod recenter informat, ac intensus fit in subjecto, quod informat a longo tempore. Sic Sacerdos recenter ordinatus, non est minus potens ad consecrandum, quam sit sacerdos a longo tempore ordinatus.

Ergo cum character in specie *qualitatis*, nec sit *passio* vel *patibilis qualitas*, *forma* vel *figura*, *habitus* vel *dispositio*, restat quod sit in specie *potentiæ*, vel *impotentiæ*; & quia non est debilis virtus uti *impotentia*, sequitur absolute quod sit *potentia*. Ideo videmus, quod habeat proprietates potentiæ: est enim principium simpliciter necessarium ad valide agendum, uti *potentia*: est etiam determinabilis ad bene vel male, licite vel illicite agendum, uti *potentia*: non habet contrarium, sed est susceptivus contrariorum, uti *potentia*.

Si autem character non resultet ab essentia, sicut solent resultare potentiæ naturales, hoc ideo fit, quia non datur substantia supernaturalis creata, sicut datur substantia naturalis creata.

Scholasticas illas quæstiones consulto nolui omittere, tum quia traduntur a gravioribus Auctoribus, tum quia circa eas non raro interrogantur Clerici ab Examinatoribus. Qui eas inutiles crediderit, dedignetur eas legere; qui vero scire voluerit quid circa hujusmodi quæsita dicant homines, cursim prædictum legat articulum.

ARTICULUS IX.

De Sacramento ut valido, ut fructuoso, ut informi, ut reviviscenti.

NOta. Tunc sacramentum est validum, quando habet omnia requisita ad essentiam & integritatem sacramenti. Quatuor autem requiruntur ad sacramentum constituendum, scilicet materia & forma, intentio in conferente, & intentio in recipiente adulto; sacramentum enim, quatenus compositum morale, constat essentialiter materia & forma moraliter unitis, sicuti compositum physicum constat materia & forma physice unitis: quatenus est exercitium cultus religiosi, requirit intentionem in conferente & in recipiente adulto: cultus enim religiosus non potest involuntarie, & sine intentione exerceri.

Tunc sacramentum est fructuosum recipienti, quando producit in recipiente gratiam, ad quam ordinatur: v. g. baptismus est fructuosus, quando regenerat baptizatum.

Tunc sacramentum est fructuosum conferenti, quando conferens non peccat, sed sancte operatur, & placet Deo per talem collationem.

Tunc sacramentum est validum & informe, quando habet omnia requisita ae constitutivum sacramenti, & tamen non producit gratiam in recipiente: vocatur *validum*; quia habet omnia requisita ut sit sacramentum: vocatur informe; quia caret gratia, quæ est forma extrinseca sacramenti, ut dicunt.

Tunc sacramentum est reviviscens, quando licet infructuosum recipienti ob indispositionem stantem in recipiente dum actualiter conferebatur sacramentum, tamen recedente illa indispositione incipit producere suum effectum in recipiente.

ARTICULUS X.

De requisitis ex parte recipientis ad hoc ut Sacramentum sit validum.

PRop. unica. *Sacramentum est signum sensibile, &c. conferendum soli homini viatori, seu solus homo viator potest recipere sacramentum.*

Prob. 1. Nihil aliud intelligimus per sacramentum nisi cæremoniam sensibilem, quæ solis hominibus viatoribus conferri debeat.

2. Ex praxi Ecclesiæ sacramentum confertur solis viatoribus.

3. Soli viatores possunt recipere gratiam medicinalem, & cultum exercere religiosum conducentem ad gloriam, ad quem duplicem effectum sacramenta ordinantur: ergo soli viatores possunt recipere sacramenta.

4. Christus auctor sacramentorum venit ad redimum-

mendos solos homines viatores: ergo solus homo viator potest recipere sacramenta.

Solus homo viator potest recipere sacramenta.

Ergo si recipiens sit adultus, debet libere consentire receptioni sacramenti, & non positive contradicere; viator enim quatenus viator, agit ex electione, cum agat supposita intentione tendendi in finem, si agat ex electione; ergo agit libere consentiendo sacramentis, quibus pervenitur ad gloriam.

2. Ex Ecclesiæ praxi constat, quod non dentur sacramenta nisi consentientibus, immo nisi ardenter, & perseveranter postulantibus, ut patet ex Catechumenis.

3. Receptio sacramenti est actio humana obligans ad vivendum conformiter ad finem sacramenti, & actio fidei protestativa: quæ omnia postulant necessarium actum positivum, & non negativum dumtaxat, quem sufficere falso putat Cajetanus; receptio enim sacramenti non est mera passio, sed voluntaria receptio.

4. Augustinus dicit, *Neminem renasci ex aqua, nisi volentem & petentem* per se baptismum, si sit adultus, vel per ecclesiam matrem, si non sit adultus, & proinde requiritur in recipiente positivus consensus. Ideo Innoc. III. cap. *Majores* ita habet: *Requiritur*, inquit, *ut sacramentum obicem voluntatis contrariæ non inveniat obsistentem.*

Si recipiens sit adultus, debet libere consentire receptioni sacramenti.

Ergo ex hoc duo sequuntur consectaria hic subjecta.

I. Si quis exterius simularet se velle recipere sacramentum, v. g. baptismum, confirmationem, &c. & interius nollet positive recipere sacramentum; coram Deo sacramentum nullum esset, quia recipiens non haberet intentionem necessariam ad sacramenti receptionem: exterius tamen in foro Ecclesiastico posset cogi ad observandam legem Christi & Ecclesiæ; quia Ecclesia non judicat contentiose nisi de exterioribus.

II. Si quis exteriua contradiceret collationi sacramenti, interius tamen vellet sacramentum positive recipere, sacramentum esset validum coram Deo; quia recipiens vere, ut supponitur, haberet intentionem recipiendi sacramentum: & sacramentum haberetur ut nullum coram ecclesia; quia Deus intuetur cor, ecclesia vero solum de exterioribus judicat.

Qui exterius simularet se velle recipere sacramentum, & interius dissentiret, revera sacramentum non reciperet: & e contra, qui interius consentiret, & exterius simularet se nolle recipere sacramentum, revera sacramentum susciperet. Ex duplici illo consectario sequitur, quod si intentio adulti recipientis sacramentum sit interna, & absoluta, sufficit ad valorem sacramenti; quia intentio interna & absoluta habet omnia requisita, ut dicatur vera intentio.

Si intentio recipientis sacramentum sit interna, & absoluta, sufficit ad valorem sacramenti.

Ergo qui ex metu recipit sacramentum, valide recipit; quia metus facit solum involuntarium secundum quid: quod enim ex metu volumus, absolute volumus.

Qui ex metu recipit sacramentum, valide recipit.

Ergo qui ex metu recipit sacramenta, potest cogi per pœnas ecclesiasticas, ut vivat conformiter ad finem sacramenti suscepti; quia simpliciter, & absolute libere voluit suscipere sacramentum, & proinde se obligare ad vivendum conformiter ad finem sacramenti.

Sic Judæi, qui olim ex metu incusso per edicta Regis Hispaniæ baptisma receperant, juste cogi poterant ad observandas leges ecclesiæ, ut determinavit Concilium Toletanum IV. relatum distinctione 45. can. de Judæis baptizatis.

Sic hæretici Calvinistæ, qui ex metu receperunt Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, possunt cogi, ut vivant conformiter ad illa Sacramenta.

Si qui ex humilitate videntur recusare recipere Ordines, tamen si ordinentur, censentur vere ordinati, & possunt & debent exercere munia Ordinis suscepti; quia omnibus pensatis absolute voluerunt se subjicere episcopo ordinanti.

Sic ordinati Subdiaconi ex metu, possunt cogi, ut vivant conformiter ad finem Sacramenti, non tamen tenentur ex vi voti annexi Subdiaconatui servare castitatem; quia votum Subdiaconi ex gravi metu elicitum est nullum. Cap. *Prelatum, de iis quæ ex vi metusve causa fiunt.* Etenim, ut ait Sotus, quamvis habeant libertatem, quæ sufficiat ad voluntarium simpliciter, non habent libertatem sufficientem ad eliciendum votum solemne; ecclesia enim, quæ ut ministra Dei jus habet limitandi formas vovendi saltem solemniter, non acceptat votum solemne illius, qui vovet coactus ex metu gravi cadente in constantem virum.

ARTICULUS XI.

De requisitis ex parte Ministri ad hoc ut sacramentum sit validum.

PRop. unica. *Sacramentum est signum sensibile, &c. conferendum per ministrum ad hoc deputatum*, seu *sacramentum debet conferri per ministrum deputatum a Christo.*

Prob. 1. Quia nihil aliud intelligimus per sacramentum nisi cæremoniam, quæ conferri debeat per ministrum ad hoc deputatum a Christo.

2. Sicuti in Sacerdotio *nemo assumit sibi honorem* sacerdotii, nisi *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*; ita neque in collatione sacramentorum nemo potest administrare sacramenta, nisi deputetur a Christo.

3. Minister sacramentorum est instrumentum Dei & Christi, & delegatus Dei & Christi; ergo debet deputari a Deo, & a Christo; quia delegatus non potest agere, nisi deputetur.

4. Sicuti nemo adunat valide subditos in obsequium Regis, nisi qui deputatur a Rege; ita minister non potest per sacramenta adunare homines in christianam religionem, nisi deputetur a Deo & a Christo.

Minister sacramenti debet agere ut deputatus a Deo & a Christo.

Ergo ad valorem sacramenti necessarium est, ut minister conficiens, vel conferens sacramenta, habeat intentionem internam vel actualem, vel vir-

Digitized by Google

tualem, vel explicitam, vel implicitam faciendi actum sacramentalem, quatenus sacramentalem, id-est quatenus *sacrum in se*, vel *habitum ut sacrum apud Christianos*; minister enim sacramenti agit ut deputatus a Christo & Ecclesia; ergo debet habere intentionem faciendi quod facit ecclesia, sicut deputatus a Rege, & agens nomine Regis habet intentionem faciendi quod jussit Rex, alias Rex ejus acta non habet rata, sed annullaret & rescinderet. Deinde minister sacramenti agit ut instrumentum, non quidem inanimatum, qualis est aqua, sed ut instrumentum animatum, & intellectuale, qualis est substantia cogitans: ergo ut ait D. Th. debet agere libere, & se ipsum determinare per rationem, & proinde per intentionem, idest per propositum aliquid faciendi, quod propositum, si sit actu præsens, vocatur *intentio actualis*, si non sit actu præsens, sed remaneat in aliquo opere elicito ex vi prioris actionis, dicitur *intentio virtualis*. Quod propositum, si fuerit expressum, & reflexum, dicitur *intentio explicita*; si non fuerit expressum, sed tantum conjunctum cum opere, quod conducit ad id, quod intenditur, dicitur *intentio implicita*; v. g. ego propono celebrare Missam; en *intentio actualis*, ego proposui Missam celebrare, & non cogitans de Missa dico Breviarium, paro ornamenta, *en intentio virtualis*; ego actu expresso & reflexo dico volo celebrare Missam, *en intentio explicita*, ego intendens celebrare Missam confiteor mea peccata, facio pœnitentiam injunctam, sumo vestes sacerdotales, &c. nihil exprese cogitans de Missa, *en intentio implicita*.

Minister Sacramenti debet habere intentionem internam vel actualem, vel virtualem, vel explicitam, vel implicitam faciendi actum sacramentalem quatenus sacramentalem, idest, quatenus *est ritus sacer*, vel *habetur ut sacer* apud Christianos.

Ergo ex hac illatione quinque consectaria hic subjecta inferri possunt.

Consect. 1. Ut minister valide conferat aut conficiat sacramentum, debet ritum sacramentalem exercere ut sacramentalem, idest, debet eam cæremoniam exercere, vel quia Christus instituit talem, vel quia Ecclesia eam proponit ut talem, vel quia Apostoli usi sunt tali cæremonia, vel demum quia hæc cæremonia est sacra, aut saltem habetur ut sacra apud christianos. Cum enim actio sacramentalis in se spectata sit indifferens, ad multosque fines referri valeat, v. g. ablutio potest fieri causa recreationis, ut qui ludendo abluunt se se, item potest fieri causa sanitatis, ut qui in balneis lavant se, vel potest fieri idololatriæ exercendæ causa, ut qui apud paganos aquis lustralibus aspergebantur: ergo, ut actio illa restringatur ad esse sacramenti, debet exerceri vel quatenus instituta a Christo, qui est auctor sacramentorum, vel quatenus exercita ab Apostolis, qui illum ritum receperunt a Christo, vel quatenus cæremonia proposita ab Ecclesia Christi, vel demum quatenus ritus, qui habetur ut sacer apud christianos.

Consect. 2. Ut minister valide sacramentum conferat, aut conficiat, non sufficit, quod actio sacramentalis fiat solum *physice*, idest quod adhibeatur materia & forma sine ulla intentione interna voluntatis, qualis esset actio amentis, vel dormientis, vel ebrii, qui projiciens aquam supra puerum diceret, *ego te baptizo &c.* quia actio *physica*, præcise ut *physica*, nullam includit intentionem internam, alias esset *moralis*, & non *physica* solum. Deinde Christus eligendo ministros sacramentorum, elegit non amentes, non ebrios, non dormientes, sed Apostolos, quos voluit in conferendis sacramentis humano modo agere, proinde actiones sacramentales non *physice* solum, sed etiam *moraliter* exercere.

Consect. 3. Ad valorem sacramenti non sufficit, quod actio sacramentalis fiat moraliter *derisorie*, qualis esset intentio illius, qui non serio, sed *jocose* actiones sacramentales perageret in theatro aut alibi; quia intentio jocularis & derisoria non est intentio interna exercendi cæremoniam institutam a Christo, & ab ecclesia usurpatam, sed est intentio ridendi cæremonias Christi & ecclesiæ; deinde Christus eligens Apostolos tanquam ministros suorum sacramentorum, ait illis, loquens de baptismo: *Euntes docete omnes gentes*: loquens de pœnitentia: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; loquens de Eucharistia: *Hoc facite in meam commemorationem*: docere autem ignaros, judicare peccatores, recolere Christi mortem, sunt actiones non joculares, sed maxime graves & seriæ.

Et sicut in forensibus causis actus publicus *derisorie* & *jculariter* factus, v. g. testamentum quod testator *derisorie* in theatro dictaret, aut quod tabellio in eodem theatro *derisorie* scriberet, haberetur ut nullum & invalidum; ita & nullum censeri debet sacramentum *derisorie* & *jculariter* confectum.

Nec obstat exemplum Genesii comici *derisorie* & *jculariter* petentis baptismum in theatro, ut rideret cæremonias Christianorum; nam *jocose* baptismum petiit, & repente per gratiam mutatus *serio* recepit. Quod si constaret *jocose* recepisse baptismum, sacramentum esset nullum, & Genesius justificatus fuisset non per baptismum *jocose* collatum vel receptum, sed per martyrium, quod Sanctus ille pro Christiana religione sustinuit.

Nec obstat etiam actio Athanasii pueri baptizantis pueros, cum quibus colludebat: tum quia, juxta Chronologiam Eusebii & Hieronymi, tunc Athanasius ad minus decimum ætatis annum attigerat, & proinde non *pueriliter* & ludendo, sed *serio* infantes illos baptizaverat: tum quia interrogatus ab Alexandro respondit, se voluisse facere quod fiebat in ecclesia: tum quia sollicitudo Alexandri inquirentis, an Athanasius, vel *joco*, vel *serio* infantes baptizasset, denotat necessarium esse ad valorem sacramenti, ut actio fiat non *jocose*, sed *serio*, quorsum enim sollicita illa inquisitio, si perinde se haberet collatio sacramenti, sive jocularis, sive seria?

Consect. 4. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio operis, ut dicunt, seu non sufficit, ut actio sacramentalis fiat solum exterius serio & graviter, qualis esset actio illius ministri, qui ob motiva politica conferret sacramentum serio & graviter, metuens privari redditibus Ecclesiasticis, si localiter actionem sacramentalem perageret, ideo exterius graviter se gereret; privata tamen intentione vellet actionem illam fieri, non quatenus sacramentalem,

talem, sed præcise quatenus externam: quippe non sufficit ad valorem Sacramenti, ut opus sacramentale fiat uti opus qualecumque serium, sed ut fiat quatenus fieri consuevit in Ecclesia; quia intentio terminata ad opus præcise externum non est intentio faciendi cæremoniam a Christo institutam & ab ecclesia usurpatam. Deinde ex Florentino & Trid. requiritur *intentio faciendi quod facit Ecclesia*. Et ex Trident. requiritur *intentio serio & vere absolvendi*. Ecclesia autem non facit opus sacramentale quatenus externum præcise, sed quatenus est cæremonia a Christo instituta. Deinde Alexander VIII. damnavit sequentem propositionem: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia.*

Nec obstat, quod Divus Thomas hic ad 2. ait, sufficere intentionem ecclesiæ, quæ in verbis ministri exprimitur, modo contrarium exterius exprimatur; hoc enim dicit, ut notat P. Nicolay, ut ostendat non requiri in ministro specialem intentionem, sed sufficere generalem intentionem conformandi se ecclesiæ.

Consect. 5. Ad valorem sacramenti non est necesse, quod minister intendat effectum sacramenti, v. g. productionem gratiæ, vel characteris; quia quantumvis perversa sit hæc intentio, si adsit intentio faciendi quod facit ecclesia, sacramentum est validum & producit suum effectum, si recipiens sit bene dispositus; quia intentio terminata ad sacramentum est quidem necessaria ad valorem sacramenti, ut dicit Florentinum, sacramentum enim perficitur ex materia & forma & persona ministri: intentio vero terminata ad effectum sacramenti non est necessaria ut producatur effectus sacramenti; talis enim intentio supponit sacramentum jam constitutum.

Et sic intentio Sacerdotis, qui vellet vere baptizare puerum, ut postea consecraret illum Diabolo, vel qui vellet consecrare hostiam, ut ea hostia uteretur ad magiam; in utroque casu vere sacramentum conficeret.

Sic Hæreticus Calvinista, qui confert baptismum, credens, quod baptismus non conferat neque gratiam, neque characterem, immo optans, ut non producat tales effectus, immo paratus non conficere sacramentum, si sacramentum tales effectus esset producturum; vere conficit sacramentum, & sacramentum habet suos effectus: etenim perversa illa intentio non terminatur ad entitatem sacramenti, sed supervenit sacramento jam constituto in suo esse.

Alia Consectaria ejusdem principii.

Minister Sacramenti debet esse deputatus a Deo & a Christo, & habere intentionem faciendi quod jussit Christus, & quod facit Ecclesia.

Consect. 1. Ergo omnis creatura intellectualis potest valide administrare Sacramenta; quia, quatenus creatura subdita Deo & Christo, potest deputari a Deo & a Christo, & quatenus intellectualis potest habere intentionem faciendi quod jussit Christus, & quod facit Ecclesia, mens enim est principium intentionis.

Et ita Angeli, & homines possunt esse ministri sacramentorum; quia sunt creaturæ intellectuales, qui possunt deputari a Deo.

Angeli tamen sunt ministri extraordinarii, homines vero ministri ordinarii, quia convenientius est homines esse ministros ordinarios quam Angelos.

1. Convenientius ex parte Christi, quia Christus utpote homo, & non Angelus, petit influere in homines utendo potius hominibus, quam Angelis.

2. Convenientius ex parte hominum; quia homines petunt potius habere commercium cum hominibus, quam cum Angelis. Ideo dicit Paul. ad Hebræos: *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquitur*, id est ecclesiam. Chrysost. hom. 88. de Petro & Elia: *Non posuit verbum reconciliationis in Angelis, sed in hominibus*. 2. ad Cor. 5. *Episcopi potestatem acceperunt, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis dedit. non enim ad eos dictum est: Quodcumque alligaveritis &c.* Chrysost. 3. de Sacerd. cap. 5.

3. Convenientius ex parte gratiæ sacramentalis; quia congruum est, ut sacramenta, quæ sunt vasa continentia gratiam non Conditoris, sed Redemptoris, conferantur ab hominibus qui habent gratiam Redemptoris, potius quam ab Angelis qui non habent nisi gratiam Conditoris.

4. Convenientius ex parte etiam sacramentorum legis Evangelicæ; lex enim Mosaica fuit quidem in dispositione Angelorum, Act. 8. minime vero Evangelium.

Consect. 2. Homines sunt ministri ordinarii sacramentorum.

Ergo congruum est, quod effectus sacramentorum non suspendatur nec per infidelitatem ministri, nec per ejus malitiam, modo minister intendat facere quod facit ecclesia; quia cum homo, qui est minister ordinarius sacramentorum, sit longe proclivior ad vitium, quam ad virtutem, decuit ut Deus optimus non permitteret effectum sacramentorum per malitiam ministri retardari. Ideo dicit Aug. *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?* Et nos ab omni eo timore liberat Paulus dicens: *Non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Deinde virtus productiva gratiæ, quæ est in ministro, est ab agente infinito, nimirum Deo: ergo per malitiam ministri non suspenditur; quia etsi minister malus non conjungatur cum Deo vitaliter per gratiam, conjungitur tamen cum Deo causaliter per motionem, quam accipit a Deo.

Sicuti enim ager fructificat, modo terra sit disposita, sive lotis, sive sordidis manibus grana projiciantur; ita sacramenta recepta in subjecto bene disposito producunt gratiam, sive minister sit bonus, sive malus.

Et sicuti aquæ transeuntes per canalem æqualiter irrigant terram, sive canalis sit plumbeus, sive aureus; ita aqua gratiæ sacramentalis æque pura defertur ad fidelem bene dispositum, sive transeat per bonum ministrum, sive per malum.

Sicuti sigillus, sive argenteus sive ferreus, æqualem figuram imprimit in cera bene disposita; ita minister, sive bonus sive malus, æqualiter imprimit gratiam in subjecto bene disposito. Et sicuti medicus, sive sanus sive æger, æqualiter sanat, si sequa-

Digitized by Google

sequatur regulas artis; ita minister, sive bonus sive malus, æqualiter sanctificat per Sacramenta, si servet quæ sunt de necessitate sacramenti.

ARTICULUS XII.

De Sacramento valido, & informi, & reviviscenti.

PRop. unica. *Sacramentum potest esse validum, & informe*. Explicatur propositio. Ut sacramentum sit validum, quatuor requiruntur, materia, forma, intentio in recipiente, intentio in conferente, ut patet ex dictis.

Ut sacramentum sit fructuosum recipienti, ultra prædicta requiritur debita dispositio supernaturalis in recipiente, ut patet etiam ex dictis.

Ergo sacramentum potest esse validum, & informe, seu integrum in se, & infructuosum recipienti; sacramentum enim poterit habere quatuor prædicta, quæ concurrunt ad integritatem sacramenti, & tamen non producere gratiam in recipiente ob indispositionem recipientis: causam enim producere effectum dicit plura, quam esse integram in se v. g. Sol est in se integer, & tamen ob indispositionem subjecti non semper producit suum effectum, ita sacramentum poterit esse integrum, & tamen erit informe, quando non producit gratiam, quæ est ejus forma extrinseca. Uti enim virtutes dicuntur informes, quando scilicet non conjunguntur cum caritate; ita sacramentum dicitur informe, quando non conjungitur cum gratia.

Et sicuti pauciora requiruntur ad *esse* essentiale, quam ad *esse* proprie tale, & accidentale; ita pauciora requiruntur ad hoc, ut sacramentum sit validum, quam ad hoc, ut sacramentum sit fructuosum, seu sacramentum poterit esse validum & infructuosum, seu informe.

Sacramentum potest esse validum in se, & infructuosum recipienti, ob indispositionem recipientis.

Ergo recedente tali fictione, seu indispositione, sacramentum producere potest gratiam, ad quam producendam ordinabatur. Sacramentum enim, ut pote ordinatum ad producendam gratiam, recedente indispositione impediente illius productionem, potest illam producere: causa enim per se ordinata ad producendum effectum, si impediatur per obicem, recedente obice producit effectum. Sic aqua retenta remoto repagulo fluit: sic Sol obscuratus per nubem, dissoluta nube illuminat: ita sacramentum recedente fictione poterit suum effectum habere. Id expresse docet Aug. de Bap. quam doctrinam ad alia sacramenta quidam Theologi extendunt, sacramentum enim, inquiunt, secundum se est opus *vivificum*, cum sit opus Christi, *mortificatum* per indispositionem recipientis: ergo potest reviviscere sublato peccato, per quod mortificabatur; opus enim vivificum mortificatum reviviscit. Si opus sacramentale possit reviviscere: ergo recedente fictione seu indispositione poterit suum producere effectum in subjecto.

Sacramentum recedente fictione producit gratiam in recipiente.

Ergo producit illam per virtualem permanentiam: causa enim, quæ non existit actu, & tamen producit effectum, operatur per virtualem sui permanentiam, quia res in tantum operatur, in quantum existit: existentia enim est conditio necessaria ad operandum.

Sacramentum recedente fictione producit gratiam in recipiente juxta virtualem sui permanentiam.

Ergo potest dici, quod sacramentum imprimens characterem producat physice gratiam, dum reviviscit; sacramentum vero non imprimens characterem producit solum moraliter gratiam, dum reviviscit, quia sacramentum imprimens characterem remanet virtualiter per aliquid physicum, nimirum per characterem.

Sacramentum vero non imprimens characterem, non remanet virtualiter in aliquo physico, sed solum in aliquo morali, nimirum in aliqua designatione, per quam verum est dicere, quod fidelis receperit sacramentum, & non receperit gratiam.

Sacramentum sive imprimens characterem, sive non imprimens, reviviscit recedente fictione, idest, dum fidelis removet obicem, qui impediebat productionem gratiæ.

Ergo omne sacramentum validum, & informe reviviscit, quia reviviscere est proprium sacramento, quatenus est sacramentum. Excipitur tamen Eucharistia, cujus dignitas exigit, ut sacrilege recepta non reviviscat, sed reddat nos magis reos. Excipitur etiam pœnitentia, quia eadem contritionis privatio, quæ reddit sacramentum pœnitentiæ informe, reddit sacramentum nullum, cum contritio sit materia sacramenti pœnitentiæ. Sed alia sacramenta ficte recepta possunt juxta multos Theologos reviviscere: quippe, inquiunt, sacramentum ficte receptum, vel simpliciter iterari non potest, quale est sacramentum conferens characterem, vel secundum quid iterari non potest, qualis est Extrema unctio durante eodem morbo, & matrimonium altero vivente conjuge, & ita congruum est, ut sublato obice impediente productionem gratiæ, sacramentum reviviscat, & gratiam producat.

ARTICULUS XIII.

In quo singula, quæ diximus de Sacramentis in communi, applicantur cuilibet Sacramento in particulari.

PRop. unica. Nullum est Sacramentum in particulari, cui non conveniant quæ diximus de sacramentis in communi: nullum pariter est sacramentum in particulari, cui non repugnent ea, quæ diximus repugnare sacramento in communi.

Prob. Sacramentum in particulari constituitur per easdem formalitates, per quas constituitur sacramentum in communi: ergo sacramento in particulari conveniunt ea, quæ conveniunt sacramentis in communi: disconveniunt pariter sacramento in particulari, quæ disconveniunt sacramento in communi.

Sic nullum est sacramentum, quod non sit signum divinitus institutum, practicum gratiæ, &c. Sic nullum est sacramentum, quod sit insensibile, quod sit institutum ab hominibus, quod sit non stabile, &c.

Demum quæcumque diximus de sacramentis, possunt cuilibet sacramento applicari: sed insuper quodlibet sacramentum habet aliquid speciale; ideo de quolibet sacramento agendum in particulari.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Baptismo in particulari.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Baptismi.

Baptismus varia habet nomina apud auctores Ecclesiasticos, Primo dicitur *Sacramentum fidei*, quia in eo profitemur fidem. Secundo dicitur *Janua Sacramentorum*; quia per baptismum initiamur in Christianа Religione. Tertio vocatur sacramentum *Regenerationis & Illuminationis*; quia per illud sacramentum regeneramur in Christo, & in eo, qui est vera lux, illuminamur. Quarto vocatur sacramentum aquæ: eo quod in aqua confertur: ideo Baptismus sic potest definiri.

Baptismus *est caeremonia sensibilis conferens gratiam, in qua per ablutionem factam in aqua elementari sub hac forma*: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: *homo baptizatus mundatur a peccato originali & actuali, & in Christiana religione initiatur.*

1. Baptismus dicitur *caeremonia*: quia certo ritu, qui sanctitatem denotat, administratur; est enim ritus sacer receptus a Christo, exercitus ab Apostolis, & in Ecclesia continua traditione conservatus. 2. Dicitur *sensibilis*; quia in elemento sensibili, & in verbis sensibiliter expressis confertur. 3. Dicitur *conferens gratiam*; quia non ob alium finem datus est a Christo, receptus est ab Apostolis, & conservatur in ecclesia, quam ut per eam cæremoniam gratia communicetur. Additur *in qua per ablutionem factam in aqua sub hac forma*: *ego te baptizo*, &c. quia Christus voluit materiam baptismi a se instituti esse aquam elementarem, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in Regnum Cælorum*; formam vero ejusdem baptismi voluit eam, quam ipsemet tradidit dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. 5. Dicitur, *quo homo baptizatus mundatur a peccato originali & actuali*: quia baptismus ordinatur primario ad remittendum peccatum originale, secundario vero peccata actualia; juxta illud Petri adultos alloquentis, *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, & indicantis per hoc, omnia peccata remitti per baptismum. Denique concluditur, quod *per baptismum baptizatus initiatur in Christiana Religione*; quippe per baptismum homo fit Christianus, sicuti per circumcisionem homo fiebat Judæus.

ARTICULUS II.

De Baptismo quatenus est caeremonia sensibilis conferens gratiam.

Prop. unica. *Baptismus est caeremonia sensibilis conferens gratiam*. 1. Quia nihil aliud intelligimus per baptismum, quem in Ecclesia recipimus. 2. Quia huic cæremoniæ Deus promisit gratiam, juxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. 3. Quia Patres baptismo attribuunt vim specialem producendi gratiam, etenim de baptismo ita loquitur Origenes homil. 4. in Cantica. *In baptisme*, inquit, *donatur remissio peccatorum*. Tertullianus vero lib. de resurrect. *Caro abluitur*, inquit, *ut anima emaculetur*. Cyprianus autem lib. 4. Epistolarum Epist. 7. *In aqua baptismo*, ait, *percipitur remissio peccatorum*. Demum Basilius exhortatione ad baptismum hæc habet: *Baptismus est .... peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, character irreprehensibilis, Ecclesiæ iter, Regni cælestis conciliatio, adoptionis gratia*: ergo ex illis omnibus constat, quod baptismus sit cæremonia sensibilis conferens gratiam.

Baptismus est caeremonia sensibilis conferens gratiam.

Ergo baptismus est novæ legis sacramentum; quia cæremonia sensibilis, cui Christus alligavit vim conferendi gratiam, est sacramentum novæ legis: Ideo dicit Florentinum in instruct. ad Armenos: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ.*

Baptismus Christi est verum novæ legis Sacramentum.

Ergo baptismus distinguitur ab omnibus figuris baptismum præcedentibus, & ab omnibus ritibus Judaicis baptismum Christi præfigurantibus. Primo, quia omnes istæ figuræ, & omnes isti ritus ad legem Mosaicam pertinebant; baptismus vero pertinet ad legem Evangelicam. Secundo, quia figura quantumcumque perfecta sit, debet distingui a figurato: ergo figura baptismi debet distingui a baptismo. Tertio demum, quia baptismus est verum novæ legis sacramentum; minime vero ea, per quæ figurabatur.

Baptismus distinguitur a figuris ipsum prædicentibus, & a ritibus ipsum adumbrantibus.

Ergo baptismus distinguitur ab Arca familiam Noe conservante, ab unda maris rubri Ægyptios absorbentis, ab aqua Jordanis Naaman leprosum mundantis: differt etiam baptismus ab aqua lustrali, a circumcisione, a baptismo Joannis; licet enim isthæc omnia quamdam cum baptismo Christi habeant convenientiam, maxime tamen a baptismo differunt: Arca quippe liberavit ab aquarum diluvio, baptismus vero Christi a vitiorum cœno: Mare rubrum Ægyptios absorpsit, baptismus vero omnia sepelit peccata: flumen Jordanis lepram corporalem mundavit, baptismus vero omnem mentis lepram penitus abolet: aqua lustralis exterius solum abstergit, baptismus vero interius sanctificat: circumcisio præputium carnale tantum aufert, baptismus vero omnes tum peccati originalis, tum peccati actualis maculas omnino abluit: baptismus Joannis erat tantum *in aqua in pœnitentiam* prædicandam, baptismus vero Christi erat *in spiritu Sancto & igni* in sanctificationem producendam: baptismus Joannis præparabat ad remissionem peccatorum, baptismus Christi eam ipsam sanctificationem conferebat, inquit Theophilactus in 1. cap. Joan.

Baptismus Christi distinguitur ab Arca Noe, ab aqua maris rubri, ab unda Jordanis, ab aqua lustrali, a circumsisione, a baptismo Joannis.

Ergo male dicitur ab hæreticis, isthæc omnia, & præcipue baptismum Joannis esse idem cum baptismo Christi; siquidem isthæc omnia sunt infirma & egena elementa: baptismus vero Christi sacramen-

mentum est plenum roboris & efficaciæ; & ut adstringamur ad solum baptismum Joannis, uti se huic cæremoniæ adstringunt hæretici, Baptismus Joannis juxta Justinum Martyrem, *Proœmium erat Evangelii gratiæ;* baptisma vero Christi est id quo in Christiana religione initiamur, juxta illud *quotquot baptizati estis, Christum induistis;* ideo baptizati baptismo Joannis rebaptizandi erant baptismo Christi. Baptismus Joannis, juxta Origenem, erat *expletio veterum, non inchoatio novorum.* Ex Basilio exhortatione ad bapt. *Joannes ... pœnitentiæ baptisma prædicavit; Dominus autem adoptionis filiorum baptisma longe præclarius annuntiat.* August. lib. 2. contra Petil. cap. 34. ubi hæc habet: *Petilianus dixit non alium fuisse baptismum Joannis, alium Christi;* sed cap. 36. sic refellit illum errorem: *baptismus Joannis alius fuit, & Christi baptismus alius,* sicut alius fuit ille baptismus, in quo Patres nostros Apostolus dicit baptizatos; quo circa sic concludit Trid. sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Conveniunt ergo baptismus Joannis & baptismus Christi, in materia, quia uterque fuit in aqua, sed differunt *quoad auctorem, quoad formam; quoad effectum. Quoad auctorem,* quia baptismus Joannis fuit institutus ab homine puro, scilicet Joan. baptismus vero Christi fuit institutus ab homine simul & Deo, scilicet *a Christo. Quoad formam,* quippe baptismus Joannis sub nulla certorum verborum forma conferebatur, baptismus vero Christi sub expressa Trinitatis Confessione administratur. *Quoad effectum,* quia baptismus Joannis nullum habebat interiorem effectum, baptismus vero Christi duplicem interiorem effectum producit, gratiam scilicet, & characterem.

ARTICULUS III.

De baptismo Christi quatenus est ablutio facta in aqua sub hac forma: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

PRop. unica. *Baptismus est ablutio facta in aqua sub hac forma:* ego te baptizo, &c.

1. Quia nihil aliud intelligimus per baptismum Christi. 2. Quia Christus suum baptismum instituens, pro materia elegit aquam, pro forma hæc verba. *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* juxta illud Matth. 28. *Baptizantes eos,* scilicet in aqua, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* aqua enim usus est Christus dum juxta Aug. baptizavit Apostolos, quod Pater ille educit ex istis verbis; *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Aqua usus est Petrus, dum baptizavit Judæos. Aqua usus est Philippus, dum baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis. Et quotquot baptizarunt, tres Personas Trinitatis expresserunt; quia juxta Zachariam Papam *qui vel unam de Trinitate personam non nominaret, illud baptisma verum esse non posset.* De Consec. dist. 4. can. *In Synodo.* Demum Florentinum & Trid. tradunt, materiam baptismi esse aquam, formam vero esse expressionem Trinitatis. Cur autem Christus voluerit materiam baptismi esse aquam communem, formam vero esse simplicia verba, id ideo voluit, ut superbiam incredulorum humiliaret. *Nam incredulitas,* inquit Tertul. *miratur simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia.*

Baptismus est ablutio.

Ergo baptismus potest conferri vel *per effusionem,* uti creditur fecisse Philippus, dum descendens de curru in aquam Eunuchum baptizavit, Act. 8. v. 38. vel per *aspersionem,* ut baptizasse creditur Petrus, dum simul tria & postea quinque circiter millia baptizavit. Act. 2. & 4. vel per *immersionem,* sicut fiebat tempore D. Th. 3. p. q. 66. art. 17. Etenim aqua, quæ est materia remota baptismi, potest vel per effusionem, vel per aspersionem, vel per immersionem applicari, eaque ablutio potest esse vel unica, vel trina juxta usum Ecclesiæ, in qua confertur baptismus. Unica ablutio denotat unitatem essentiæ divinæ, trina vero Trinitatem personarum distincte exprimit. Ideo Can. 6. Conc. Toletani IV. vetat trinam ablutionem, ne videatur favere rebaptizantibus: & can. 49. Apostolorum, jubet trinam ablutionem, ne unitatem personarum videatur in Divinis admittere, & Sabellianis favere.

Baptismus est ablutio facta in aqua.

Ergo quando dicitur in Scriptura: *nisi quis renatus fuerit ex aqua,* hæc vox *aqua* intelligitur de aqua propria & non metaphorica, qualis est fides, mortificatio, &c. quia Scriptura debet sumi in proprio sensu, quoties ex ea non sequitur absurdum: unde Trid. anathema pronunciat contra eum, qui ea verba ad metaphoram aliquam detorserit.

Baptismus est ablutio facta in aqua sub hac forma: ego te baptizo in nomine Patris &c.

Ergo quando Scriptura dicit, quod Apostoli baptizabant in *nomine Christi,* illud non debet ita intelligi, quod nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti fuerit suppressum, sed quod nomen Christi fuerit additum. Ita explicat Cypr. Ep. ad Jubajanum: *Non quasi,* inquit, *Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filii nomen adjungeretur.* Ita pariter explicat Aug. contra Maxim.... vel *in nomine Christi,* idest Apostoli baptizabant *Baptismo Christi,* & non Joannis: vel *in nomine Christi,* idest auctoritate Christi; sicuti quando dixerunt paralytico: *In nomine Christi surge, & ambula,* idest auctoritate Christi: vel *in nomine Christi,* per attributionem Christi personæ, & non per exclusionem aliarum personarum. Sicuti enim opera ab extra licet toti Trinitati communia, ita tamen dividuntur a nobis, ut creatio attribuatur Patri, redemptio Filio, sanctificatio Spiritui sancto; ita licet baptismus conferatur in uno simul nomine trium personarum, tamen attribuitur Christo, qui sacramentum illud instituit. Ita locum prædictum Scripturæ explicat Amb.

Sola aqua est materia baptismi, & sola expressio explicita trium personarum est forma.

Ergo male dicunt hæretici baptismum conferri posse in quocumque liquore, & in quocumque nomine, modo non conferatur in nomine hominis; quia numquam legitur baptismum collatum esse valide, nisi in aqua: nam responsio Stephani II. relata tom. 2. Conc. Galliæ, ubi videtur asseri baptismum collatum in vino esse validum, non approbatur

batur ab Ecclesia; non legitur pariter suppressam esse aliquam personam Trinitatis in valida collatione baptismi.

ARTICULUS IV.

De baptismo quatenus regenerante.

PRop. unica. *Baptismus regenerat nos in Christo.* 1. Quia nihil aliud intelligimus per baptismum. 2. Quia sicut Adamus per generationem carnalem infundit peccatum originale, ita Christus per regenerationem spiritualem infundit gratiam regenerantem, ut *regeneratione mundetur quod generatione contractum est.*

Baptismus regenerat nos in Christo.

Ergo remittit omne peccatum, scilicet originale & actuale, & quoad culpam, & quoad pœnam, nihil relinquens de priori statu peccati: sicuti generatio carnalis dat novum esse carnale, nihil relinquens de priori esse Adami; ideo de baptismo promisso per Ezechielem dicitur; *Effundam super vos aquam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Petrus baptismum collaturus adultis ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, Tert. loquente de effectu baptismi, *Felix*, inquit, *Sacramentum aquæ nostræ, quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur*. Lib. de Baptis. Et Ambr. expressius loquens ait: *In baptismate omnibus peccatis depositis abluitur credens*: in 1. ad Cor. cap. 6. Demum Florentinum ita de effectu baptismatis loquitur: *Hujus*, inquit, *Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnisque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis, pro peccatis præteritis nulla injungenda est pœnitentia satisfactio, sed morientes antequam culpam committant, statim ad Regnum Cælorum, & Dei visionem perveniant.*

Baptismus remittit omne peccatum & originale & actuale & quoad culpam, & quoad pœnam.

Ergo nihil post baptismum remanet in renatis, quod veram peccati rationem habeat, Primo, quia Christus plenam facit in renato infiniti sui meriti applicationem, imprimens veram mortis suæ similitudinem: *quotquot enim baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus.* Et optime dicit Concilium Valentinum III. in Gallia an. 875. *Non vera esset regeneratio, nisi fieret vera redemptio.*

Nihil post baptismum remanet in renatis, quod veram & propriam peccati rationem habeat.

Ergo concupiscentia & pœnalitates, quæ remanent post baptismum, v. gr. necessitas patiendi, moriendi, pugna contra rationem, &c. non sunt proprie peccatum; sed ideo appellantur peccatum, non quod proprie peccatum sint, sed quod a peccato sint, & ad peccatum inclinent, ut dicit Conc. Trid. de peccato originali. Ideo autem hæ pœnalitates relinquuntur. 1. Ut sint occasio pugnæ, & materia victoriæ. 2. Ut conformemur Christo, qui eas pœnalitates, excepta concupiscentia, assumere dignatus est. 3. Ne forte sperantes nos liberandos esse a talibus pœnalitatibus per baptismum, hoc susciperemus sacramentum potius, ut eam immunitatem assequeremur, quam ut gratiam Christi obtineremus: qua gratia Christi fit, *Ut nos ipsi primitias Spiritus habentes, ipsi in nobis ingemiscimus, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis nostri.*

Concupiscentia & pœnalitas, quæ remanet in nobis post baptismum, non est vere peccatum.

Ergo male dicitur ab hæreticis concupiscentiam esse proprie peccatum, & peccatum originale post baptismum vel sopiri tantum, ut voluerunt quidam Origenistæ, vel radi tantum, ut volunt Calvinistæ & Lutherani; nam juxta Paulum Christus mundat animas nostras *in lavacro aquæ, & verbo vitæ*: ergo post baptismum non est peccatum in baptizato. 2. Peccata sepeliuntur in baptismo, sicut sepulti sunt Ægyptii in mari rubro. *Qui ergo*, inquit Gregorius, *dicit peccata in baptismo funditus non remitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* lib. 1. Epist 36.

ARTICULUS V.

De Baptismo quatenus initiante in Christiana religione.

PRop. unica. *Baptismus initiat & introducit in Christianam Religionem.* 1. Quia nihil aliud intelligimus per baptismum. 2. Quia baptisma dicitur janua aliorum sacramentorum; ergo introducit nos in Ecclesiam. 3. Quia sicut in lege naturali oblatio puerorum, & circumcisio in lege Mosaica introducebant in Religionem Judæorum; ita in lege Evangelica baptismus introducit in Religionem Christianorum.

Baptismus introducit in Christianorum Religionem.

Ergo baptismus producit characterem internum, quo simus domestici Dei, & subditi Ecclesiæ; sicut enim circumcisio externum characterem producebat, quo Judæi in Synagogam introducebantur; ita baptismus producit internum characterem, quo homines in Ecclesiam introducuntur: & sicuti Judæi a gentibus per circumcisionem distinguebantur, ita Christiani per characterem baptismalem a non baptizatis distinguuntur.

Baptismus producit internum characterem, quo baptizati distinguuntur a non baptizatis, & quo introducuntur in Ecclesiam.

Ergo baptismus est necessarius his etiam qui vel ex speciali privilegio sunt immunes a peccato originali, ut Virgo, aut sanctificati sunt vel in utero, vel extra uterum, necessarius est, inquam, baptismus, non ut mundentur a peccato, qui supponuntur mundati, sed ut initientur in Christiana Religione: siquidem sicuti incircumcisus erat extra Synagogam; ita non baptizatus est extra Ecclesiam: & sicuti incircumcisus non poterat participare Mosaicis sacramentis; ita non baptizatus non potest valide recipere Ecclesiæ sacramenta.

Baptismus est necessarius his etiam, qui sunt vel immunes, vel mundati a peccato originali.

Ergo non male asseritur Beatam Mariam Virginem, licet immunem a peccato originali, Apostolos licet

licet mundatos a peccatis, tamen recepisse baptismum; non quidem ut mundarentur, sed ut initiarentur; non ut primam gratiam Christi reciperent, sed ut charactere Christi insignirentur.

ARTICULUS VI.

De Baptismo quatenus regenerante & initiante.

PRop. unica. *Baptismus est regenerans in Christo, & initians in Christiana Religione.* Hinc isthæc educta consectaria.

Consect. 1. Debet dari in Ecclesia baptismus, quo & regeneremur in Christo, & initiemur in Christiana Religione; alias Christus non sufficienter providisset & Ecclesiæ, & saluti hominum; sicuti enim homo non potest carnaliter produci sine carnali generatione, ita non potest spiritualiter renasci sine spirituali regeneratione; quia, ut dicit Christus Joan. 3. v. 6. *quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est*: ergo sicuti datur generatio carnalis omnes inficiens, ita debet dari regeneratio spiritualis omnes vivificans: *Quia sicuti in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Et sicut diabolus sectatores suos certis cæremoniis initiat, ita debet a fortiori dari in Ecclesia sacra aliqua cæremonia, scilicet baptismus, quo in Christiana Religione initiemur; & proinde cum nullus sit homo, qui citra speciale privilegium non sit infectus peccato originali, *quia omnes in Adam peccaverunt*, vel qui mundatus a peccato originali non egeat introduci in Ecclesiam; sicuti enim omnes, qui erant extra arcam Noe, perierunt, ita omnes, qui sunt extra Ecclesiam, pereunt: ergo absolute baptismus est omnibus necessarius vel ut regenerentur in Christo, vel ut introducantur in Ecclesiam.

Consect. 2. Unicum datur tantum baptisma, ut dicitur in Symbolo: *Confiteor unum Baptisma*; sicuti enim semel nascimur corporaliter, ita semel renascimur spiritualiter: & sicuti semel initiabantur Circumcisione Judæi, ita semel initiantur baptismate Christiani: & sicut semel contrahitur peccatum originale, plures vero committuntur peccata actualia: unicum ergo est & non iterabile baptisma remittens peccatum originale, sæpius vero iterabilis pœnitentia, remittens peccata actualia: unde Paulus loquens de pœnitentia baptismali hæc habet, ad Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, in baptismo ... *& prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, scilicet baptismalem; pœnitentia enim baptismalis est imitatio mortis Christi: ergo sicut Christus semel mortuus est, ita semel nobis potest per baptismum applicari imago mortis Christi, ut ait idem Paulus ibidem, dicit enim, quod qui volunt bis baptismum recipere, *sunt rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Et ita quando dicitur, quod datur triplex baptismus, scilicet *fluminis* seu aquæ, *flaminis* seu desiderii, *sanguinis* seu martyrii, solus baptismus aquæ est proprie baptismus. Votum baptismi, & martyrium non sunt baptismi, nisi nomine tenus. Baptismus aquæ producit gratiam, characterem, remittit culpam & pœnam, quia plene nobis applicat passionem Christi: Baptismus sanguinis seu martyrium remittit culpam & pœnam, quia injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, inquit Aug. sed non producit characterem. Baptismus flaminis seu desiderii culpam remittit, minime vero omnem pœnam, sed solum juxta proportionem caritatis, qua desideratur baptismus aquæ.

Consect. 3. Baptismus confert singulis pueris æqualem omnino gratiam, & æqualem omnino characterem: quia sicut omnes carnaliter geniti ab Adamo habent æqualem naturam humanam, ita regenerati in Christo & per illum initiati debent æqualem omnino gratiam & æqualem characterem recipere, præcipue cum nulla sit dispositio in infantibus, quæ eos distinguat in receptione baptismi. Adulti vero, utpote disponentes se ad baptismum, possunt diversam accidentaliter gratiam recipere, scilicet magis, vel minus intensam juxta proportionem dispositionum ad quas se excitant recipiendo sacramentum. Characterem vero omnes tam adulti quam non adulti æqualem omnino recipiunt; quia 1. Character non est qualitas, ut diximus, quæ suscipiat magis & minus. 2. Quia character non exigit dispositiones, cum & a bene & a male dispositis recipiatur.

Consect. 4. *De subjecto baptismi.* Baptismus aquæ potest absolute conferri omnibus: quia omnes vel regenerari possunt, vel initiari in Christiana Religione: tamen dari non debet pueris in utero matrum existentibus: bene tamen omnibus hominibus jam ex utero effusis, sive infantibus, sive adultis, sive amentibus, sive ratione utentibus, modo isti nutu aut voce initiari petant, aut olim petierint. Non potest conferri baptismus pueris in utero existentibus: quia *nemo potest renasci, nisi natus*, ut dicit Aug. Epist. ad Dardanum. Baptismus autem conferri potest & pueris, & adultis a nativitate amentibus, etiamsi nullum actum eliciant; sicuti enim infecti sunt sine actu proprio personali, ita sine actu proprio mundari possunt: & sicut aliena voluntate regenerantur infecti, ita aliena voluntate regenerantur immaculati. Adulti vero ratione utentes, aut amentes, qui olim ratione usi sunt, baptizari non possunt, nisi aut nutu, aut voce sacramentum, vel petant, vel petierint: sicuti enim voluntate personali permanserunt in statu peccati originalis, ita voluntate personali debent ab illo statu liberari: ideo dicit Augustinus lib. de modo pœnit. c. 2. *Quod ut homo moriatur veteri vitæ*, quod utique fit in baptismo, *requiritur* in adultis ratione utentibus *voluntas*, qua veteris vitæ eos pœniteat, *& vitæ novitatem intendant.*

Consect. 5. *De ministro baptismi.* Quilibet homo, sive vir, sive femina, sive clericus, sive laicus, sive fidelis, sive infidelis, sive sacerdos proprius, sive alienus, potest esse Minister baptismi, in necessitate: sicuti enim baptismus omnibus necessarius est, ita congruum est, ut ab omnibus conferri possit. Quemadmodum enim aqua ejus materia communis est, & passim obvia: ita æquum est, ut communis sit & ubique obvius Minister baptismi: ideo juxta Tertul. *Laicis in necessitate baptizare licet*, lib. de bapt. c. 17. Et Illiber. Concil. can. 38. ait: *Laicus baptismum suum integrum habeat.* Feminis baptizare prohibitum est, juxta Tertul. Lib. de Bapt. cap. 17. & juxta Concil. Carthag. VI. can. 100. sed hoc intelligi debet extra necessitatem; nullus

Digitized by Google

lus enim hactenus dixit iterandum esse baptisma collatum a femina. De Hæreticorum baptismo olim dubium fuit in ecclesia tempore Cyp. sed validum esse baptismum in forma ecclesiæ collatum determinavit Concil. Nicænum.

CAPUT VI.

De Confirmatione.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Confirmationis.

CONfirmatio apud auctores ecclesiasticos varia habet nomina. Primum nomen a materia desumptum, est *impositio manuum*, *chrismatio*: ita Aug. lib. 3. de bapt. contr. Donat ft. c. 16. *Per manus*, inquit, *impositionem modo datur Spiritus sanctus*. Et lib. 2. cont. litteras Petiliani c. 103. *In hoc unguento*, inquit, *Sacramentum chrismatis vultis interpretari*. Secundum nomen desumptum est a fronte, in qua confirmatus ungitur. Vocatur *unguenti Mysterium* a Dionys. de eccles. Hierarch. c. 4. *Signaculum spiritale* a Leon. serm. 4. de Pass. Dom. cap. 5. & signaculum Dominicum; & a recentioribus Theologis *unctio frontalis*. Tertium nomen est ratione effectus. Vocatur *perfectio* a Concil. Illib. can. 38. & *confirmatio* a Tridentino, quatenus dat firmitatem in gratia, & contra hostes nostræ salutis nos corroborat. Atque ideo confirmatio definiri potest.

Confirmatio est cæremonia sensibilis conferens gratiam per chrismationem factam in fronte ab episcopo sub hac forma: signo te signo Crucis, &c. per quam gratiam baptizatus roboratur, perfectusque Christianus efficitur, & miles Chr. sti designatur

2. Dicitur *cæremonia*, quia confirmatio certo ritu, qui sanctitatem denotat, administratur. 2. Dicitur *sensibilis*, quia chrisma confectum ex oleo & balsamo est sensibile, actio episcopi ungentis est sensibilis. 3. Dicitur *conferens gratiam*, ut constat ex Samaritanis, quibus cum per impositionem manuum conferretur hoc sacramentum ab Apostolis, ipsi Samaritani *accipiebant Spiritum sanctum*. Act. 8. v. 4. Ad dicitur, *quo baptizatus roboratur*, & *perfectus Christianus efficitur*, quia per confirmationem baptizatus accipit dona Spiritus sancti. Demum dicitur, quo *baptizatus miles Christi designatur*, quia confirmatio confert characterem, quo tamquam Christi milites designamur. Nihil aliud intelligimus per confirmationem: si quid aliud intelligant adversarii, quæstio erit de nomine, & non de re.

ARTICULUS II.

De confirmatione quatenus est caremonia sensibilis conferens gratiam.

PRop. unica. *Confirmatio est cæremonia sensibilis producens gratiam*. 1. Quia nihil aliud intelligimus per confirmationem. 2. Quia huic cæremoniæ sensibili assignata est promissio gratiæ, cum confirmati ab Apostolis *acciperent Spiritum sanctum*. 3. Quia Patres confirmationi vim producendi gratiam affingunt. Tertul. lib. de baptis. c. 7. *In nobis*, inquit, *currit carnaliter unctio, sed spiritualiter proficit*, producendo scilicet gratiam. Cyprianus vero ita habet: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut habere in se Christi gratiam possit*. Lib. 1. Epist. 12. Demum August nus docet Tract. 6. in Joan. confirmatos suo tempore recipere Spiritum sanctum, licet non loquerentur variis linguis, uti loquebantur initio Christiani, dum eis manus imponerentur. Vide Sanctobovium de confirmatione.

Confirmatio est caremonia sensibilis conferens gratiam.

Ergo est verum novæ legis sacramentum; quia cæremonia sensibilis, cui alligata est promissio gratiæ, est verum sacramentum: ideo Patres & Concilia confirmationem sacramentum vocant. Aug. cont. Pet. c. 104. *In hoc unguento*, inquit, *Sacramentum chrismatis vultis intelligi, quod quidem in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis*. Tertullianus vero, ut jamjam dixi, lib. de baptis. c. 7. *In nobis* inquit, *carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur, spiritualis effectus, quo delictis liberamur*. D. Cyrillus catech. 3. comparat confirmationem cum Eucharistia, dicens, quod sicut Eucharistia non est panis nudus: ita chrisma non est unguentum nudum. *Sed est chrisma, quod Christi & Spiritus sancti, idest divinitatis ejus præsentiam efficit*. Concilium Toletanum IV. c. 47. confirmationem inter sacramenta recenset. *Constat*, inquit, *eos sacramentis divinis associatos & baptismi gratiam percepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini & sanguinis extitisse participes*. Instructio Eugenii ad Armenos ita habet: *secundum sacramentum est confirmatio*. Item decernit expresse Tridentinum, determinans septem esse sacramenta, videlicet *baptismum*, *confirmationem*, &c.

Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum.

Ergo confirmatio fuit instituta a Christo, & permanenter in Ecclesia conservata; quia nullum est sacramentum novæ legis, quod non sit institutum a Christo, & in ecclesia perenniter conservatum. Confirmationem autem a Christo institutam probat ea promissio sæpius iterata, qua Christus spondet se daturum Spiritum sanctum; quod quidem fit per confirmationem. *Paraclitus*, inquit, *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Joan. 14. vers. 26. *Cum venerit*, inquit, *Paraclitus, quem mittam vobis a Patre... ille testimonium perhibebit de me*. Joan. 15. v. 26. *Expedit vobis, ut ego vadam*, ait, *si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Joan. 6. Rursus: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*. Act. 1. vers. 4. quæ singula confirmationem promittunt fidelibus in persona Apostolorum. Inde est, quod Apostoli post acceptum Spiritum sanctum in die Pentecostes, cum ipsimet per manuum impositionem Samaritanis recenter baptizatis communicabant, teste Scriptura; *imponebant enim manus* super baptizatos, & *accipiebant Spiritum sanctum*. Act. 8. Iidemque Apostoli sacram illam cæremoniam tradiderunt Ecclesiæ observandam, & custodiendam: *descendit enim hac observatio*, inquit Pacianus Ep. st. 1. *ex traditione Apostolorum*. Idemque habet Basilius de Spiritu sancto c. 270. *Ipsam*, inquit, *olei unctionem* serme

Digitized by Google

sermo scriptus docuit; insinuans, quod traditione magis nobis innotescat confirmatio, quam Scriptura.

Confirmatio fuit a Christo instituta & ab Apostolis Ecclesiæ communicata.

Ergo male dicitur ab hæreticis confirmationem esse otiosam cæremoniam, & non potius verum & proprium sacramentum. 1. Quia hunc errorem anathemate percutit Trid. sess. 7. de confirm. can. 1. 2. Quia vidimus ex Patribus confirmationem baptismo & Eucharistiæ comparari: ergo nequaquam haberi debet tanquam otiosa cæremonia. 3. Quia Patres docent baptizatos recipere confirmationem, *ut Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Domini consummentur*: ita Cyprianus Epist. ad Jubajanum. Ut *consignentur & spiritum Paracletum* accipiant: ita Innoc. I. ad Decentium c. 3. 4. Quia Paulus ad Hebr. cap. 6. Doctrinam *baptismatum, impositionisque manuum* simul conjungit: quam *impositionem* Patres Græci & Latini interpretantes Paulum, ad sacramentum confirmationis referunt: ergo si Baptismus non sit otiosa cæremonia, neque confirmatio.

ARTICULUS III.

De Confirmatione, quatenus est chrismatio, facta in fronte ab Episcopo sub hac forma: signo te &c.

PRop. unica. *Confirmatio est chrismatio facta in fronte per Episcopum sub hac forma, signo te &c.*

Prob. 1. Nihil aliud intelligimus per confirmationem. 2. Concilia vocant confirmationem CHRISMATIONEM. Concilium enim Araufic. I. ita loquitur Can. 1. *Inter nos Chrismatis nonnisi una benedictio est .... ut non necessaria habeatur repetita CHRISMATIO*. Et Innoc. III. cap. *Cum venisset*, de Sacra unctione dicit, quod per frontis CHRISMATIONEM designatur manus impositio Apostolorum. 3. Habemus insuper quod in hoc Sacramento unctio fieri debeat in FRONTE, quæ sedes ruboris est, ut non erubescamus profiteri fidem. Illud docet Aug. in Ps. *Multa*, inquit, *Sacram ea aliter atque aliter recipimus: quædam, sicut nostis, ore accipimus; quædam, per totum corpus, quædam in FRONTE per signum Crucis*. Unde Tertullianus lib. de præscript. docens, diabolum Christianæ Religionis imitari mysteria, dicit: *Tingit & ipse diabolus, quosdam utique credentes, & fideles suos, signat illic in FRONTIBUS milites suos*. Quod vero confirmatio per solum episcopum conferri debeat patet 1. per solos enim Apostolos, quibus soli succedunt episcopi, fiebat ea impositio manuum, quæ conferebat Spiritum sanctum. Act. 8. v. 14. propterea pluribus in Conciliis prohibitum simplicibus presbyteris baptizatos chrismare in fronte, ut habetur d. sp. 6. Can. *Manus quoque*, ubi sic legitur: *Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus*. Demum id expresse definiunt Concilia, siquidem Florent. ita loquitur: *Ordinarius Minister hujus sacramenti est Episcopus*. Et Trid. sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit*. Forma autem hujus sacramenti apud Latinos hæc est, juxta Florentinum: *Signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*. Apud Græcos est hæc: *Signaculum donationis Spiritus sancti*.

Confirmatio est Chrismatio.

Ergo adæquata materia hujus Sacramenti, est & chrisma & impositio manuum. Chrisma quidem, ut significetur vis gratiæ roborantis ex chrismate recepto; impositio vero manuum, ut significetur descensus Spiritus sancti. Utriusque actionis, scilicet unctionis & impositionis manuum, meminit Tertul. lib. de baptis. cap. 8. *Egressi*, inquit, *de baptismo perungimur benedicta unctione ... deinde manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum*. Cui concinit Rupertus lib. 3. de operibus Spiritus sancti cap. 9. *Per manus impositionem*, inquit, *sacrique chrismatis unctionem, secundam qui renatus est accipit gratiam*.

Materia adæquata confirmationis est chrisma, & impositio manuum.

Ergo in collatione confirmationis utrumque adhiberi debet, scilicet & chrisma & impositio manuum; quia sacramentum nequit esse sine adæquata sua materia: & ideo Patres confirmationem modo impositionem manuum, modo chrisma nuncupant, alii ad unam, alii ad aliam materiæ partem attendentes.

In collatione Confirmationis, adhiberi debet & impositio manuum, & chrisma.

Ergo ab Apostolis usque ad nos in utraque ecclesia Græca & Latina utraque illa materia adhibita est, quamvis id forte scriptum non reperiatur, quia multa sunt in ecclesia, quæ scripta non sunt, & aliunde vix credi potest ecclesiam omisisse partem essentialem confirmationis: Ideo legimus in Euchologio Græcorum, quod Dominus de Marca in notis Concilii Claromontani adjecit, quod dum hæretici, non rite confirmati per sacramentum confirmationis, in ecclesia recipiebantur, iste observabantur cæremoniæ. *Postea*, inquit illud rituale, *Sacerdos manum IMPONENS super caput conversi inclinati hanc fundit orationem, &c.* post hæc ungit UNGUENTO. Ecclesiæ vero Latinæ ritus circa confirmationem explicatur in Concil. Arelaten. II. can. 17. *Cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit* eos, scilicet qui conversi redeunt ad unitatem ecclesiæ.

Ab Apostolis usque ad nos in conferendo sacramento Confirmationis adhibita fuit & impositio manuum, & chrismatio.

Ergo licet Scriptura non dicat exprese Apostolos adhibuisse chrismationem, dum imponebant manus super baptizatos, & illi accipiebant Spiritum sanctum, tamen conjici potest Apostolos vero chrismate usos fuisse, tum quia, quæ semper in ecclesia observata sunt, ab Apostolis aut a Christo descendisse necessum est, tum quia Scriptura de unctione loquitur, quam Sancti Patres ad confirmationis chrismationem referunt: sic enim habet Paul. 2. ad Cor. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in*

in Christo, & qui UNXIT nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris: quamvis hæc unctio intelligi possit de gratia, tamen de CHRISMATE confirmationis intelligunt Chrysost. in hunc locum, Theodoretus etiam, & Ambros. lib. de his, qui mysteriis initiantur. Et verba ista Joan. 1. *UNCTIONEM quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, interpretantur de chrismate confirmationis, Cyrillus Catech. 3. & Aug. in Joan.

Confirmatio est chrismatio facta in FRONTE.

Ergo unctio, quæ adhibetur in hoc sacramento, distinguitur ab unctione verticis, & scapularum, quæ fit a simplici Sacerdote in baptismo, & quæ tantum sacramentalis est, & non sacramentum. Item distinguitur etiam ab unctione frontis, quæ fiebat a simplici Sacerdote super energumenos: ut docet Innoc. I. Ep. 1. c. 6. quæ unctio pariter non erat sacramentum. Distinguitur quoque ab unctione sensuum, quæ fit a simplici Sacerdote, dum oleo infirmorum ungitur ille, qui periculoso morbo laborat. Demum distinguitur ab unctione manuum, quæ fit in ordinatione, quæ duplex unctio verum est sacramentum.

Unctio, quæ adhibetur in hoc sacramento Confirmationis, distinguitur a quacumque alia unctione, quæ vel est sacramentalis, vel est sacramentum.

Ergo male dicitur ab Hæreticis, quod confirmatio non sit speciale sacramentum, cum specialem habeat materiam, specialem formam, specialem ministrum, specialem partem in corpore, cui applicatur, & specialem effectum, quem producat.

Confirmatio est chrismatio facta in fronte ab EPISCOPO.

Ergo solus episcopus est minister ordinarius hujus sacramenti, ut probavimus ex Florentino & Trid. Ille enim solus potest roborare fideles, qui habet plenitudinem roboris, quæ plenitudo habetur solum per characterem episcopalem. Deinde sicuti soli duces designant milites ad militiam corporalem, ita soli episcopi, qui sunt duces in Ecclesia, debent designare fideles ad militiam spiritualem, conferendo eis characterem confirmationis. Inde est quod Cyprianus jubet Ep. 73. ad Jubajanum, ut qui in Ecclesia baptizantur, PRÆPOSITIS Ecclesiæ offerantur, scilicet ut confirmentur. Et Chrysost. ad c. 8. Act. ait: *PRÆCIPUOS & NON alios vidimus hoc facere*, idest, confirmare. Et Aug. l b. 15. de Trin. cap. 19. *quem morem*, scilicet confirmandi, *in suis PRÆPOSITIS servat Ecclesia.*

Solus Episcopus est minister ordinarius confirmationis.

Ergo non repugnat, quod ex delegatione Papæ simplex Sacerdos fit minister extraordinarius confirmationis; quia habemus ex Concilio Flor. quod simplex sacerdos illud sacramentum contulerit; sic enim habet Eugenius ad Armenos: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.*

Sunt tamen insignes Theologi, qui putant simplicem Sacerdotem non posse esse ministrum extraordinarium confirmationis; quia, inquiunt, quoties Patres loquuntur de ministro hujus sacramenti, episcopum semper nominant, numquam vero sacerdotem. Innocent. I. Epist. 1. c. 3. loquens de consignandis infantibus: *Manifestum est*, inquit, *non ab alio quam ab Episcopo fieri licere; nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent*. Chrys. hom. 18. in Acta, dicit Philippum non contulisse confirmationem; *hoc quippe donum solorum duodecim erat* Apostolorum. Unde Latini temporibus Photii confirmatos a sacerdotibus Græcis iterum confirmare non dubitarunt, nullamque Photius afferre potuit rationem, quam affingeret auctoritatem sacerdotibus conferendi confirmationem. Sacerdotes autem, qui tempore Gregorii dicuntur chrismasse fideles, vel fuerunt, inquiunt, ordinati episcopi, vel chrismationem adhibuerunt, non frontalem, quæ fuerit sacramentum, sed frontalem, quæ fuerit cæremonialis, supplens unctionem vel verticis, vel scapularum: sic explicant locum Epist. 26. Gregorii, ubi videtur permittere sacerdotibus Calaritanis in Sardinia, ut baptizatos, aut baptizandos in fronte ungant.

Confirmatio confertur sub hac forma apud Latinos: signo te signo Crucis &c. sub hac forma apud Græcos: hoc est signaculum donationis Spiritus sancti.

Ergo hæc forma est maxime conveniens: quippe hæc vox *signo te* denotat confirmatum esse designatum militem Christi. Ideo, ut optime ait D. Th. 4. cont. Gen. c. 6. *Qui confirmationis sacramentum suscipiunt, signo Christi insigniuntur, videlicet signo Crucis, quo pugnavit & vicit*. Hæc vox, *confirmo te*, designat baptizatum specialiter hoc sacramento roborari; quia, ut ait ibid. D. Th. *sacramentum istud, quod spirituale robur regenitis confertur, eum quodam modo instituit pro fide Christi propugnatorem*. Hæ voces, *in nomine Patris, &c.* denotant causam præcipuam hujus roboris esse Trinitatem, illudque Mysterium objectum esse præcipuum fidei, quam confirmatus debet defendere, & sanguine suo, si oporteat, obsignare. Forma etiam, qua utuntur Græci, suam habet convenientiam; his enim, quibus utuntur, verbis denotatur Spiritum sanctum in baptizatum descendere cum septiformi gratia, quam secum affert.

ARTICULUS IV.

De confirmatione, quatenus confert gratiam roborantem.

PROP. unica. *Confirmatio confert gratiam roborantem.*

Prob. Nihil aliud intelligimus per confirmationem. 2. Juxta Scripturam & Patres confirmatio confert Spiritum sanctum: ergo confirmatio dat robur contra omnes diabolicos incursus. Illud patet primo exemplo Apostolorum, de quibus scriptum est, quod dum fidelibus manus imponerent, ipsi accipiebant Spiritum sanctum. Secundo exemplo Novatiani, de quo scribit Cornelius Ep. ad Fabium Antioch. quod Spiritum sanctum accipere non potuit, *hoc signaculo confirmationis minime percepto*.

Cum.

Confirmatio confert Spiritum sanctum.

Ergo confert septiforme donum Spiritus sancti; quia septem dona Spiritus sancti sunt perfectiones supernaturales, quæ Spiritu sancto descendente infunduntur. Ideo Remigius dicit in suo Testamento: *Baptizavi Clodoveum, a sancto fonte suscepi, donoque septiformis Spiritus consignavi*, apud Flodoardum lib. 1. c. 17. Et auctor Sermonis de Chrismate sic loquitur: *Hujus unctionis beneficio & sapientia nobis, & intellectus divinitus datur, consilium & fortitudo celitus illabitur, scientia & pietas & timor inspirationibus supernis infunditur.*

Confirmatio confert septiforme donum Spiritus sancti.

Ergo confert ea dona & auxilia actualia, quæ sunt necessaria ad applicanda ea dona Spiritus sancti; quippe sine illis auxiliis actualibus alia dona essent inutilia.

Confirmatio confert 1. Spiritum sanctum speciali modo descendentem, 2. Confert septem dona Spiritus sancti permanentia. Confert demum gratias actuales, quibus hæc dona habitualia applicantur.

Ergo non incongrue illud sacramentum robur, & perfectio, & consummatio baptizati nuncupatur, ut docet Jo: Papa VIII. Ep. 232. *In Chrismate*, inquit, *salus est, & perfectio christianitatis*. Quæ perfectio in eo sita est, juxta Tertullianum, quod anima nostra sit contra omnes diabolicos incursus munita. *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima muniatur*. Est enim hoc Sacramentum, inquit Paulinus ep. 15. ad Delph. *Maceria, qua ab incursu sylvestris apri, & depastione ferocis onagri munimur*. Et Cypr. ep. 73. Baptizati *signaculo Dominico consummantur*. Et auctor lib. de sacram. apud Ambros. lib. 3. c. 2. *Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

Confirmatio non incongrue vocatur a Patribus rubur, perfectio, & consummatio *baptizati.*

Ergo gratia roborans, perficiens, & consummans, quæ est specialis confirmationi, non potest saltem *per se* suppleri nec per aliam cæremoniam, nec per aliud Sacramentum; quia effectus specialis alicui Sacramento non potest per aliud Sacramentum suppleri. Et ita gratia confirmationis non suppletur neque per *unctionem verticalem*, neque per *Eucharistiæ sumptionem*. Primo quidem unctio verticalis non est sacramentum institutum a Christo, sed aliquid Sacramentale institutum ab Ecclesia: ergo non potest supplere effectum confirmationis. Deinde ex D. Th. 3. p. q. 62. art. 11. ad 3. Unctio *frontalis* habet potiorem effectum, quem non habet unctio *verticalis*: *non ergo*, inquit, *propter dignitatem partem, sed propter potiorem effectum hac unctio*, frontalis scilicet, *Episcopis reservatur*: ergo hæc unctio *verticalis* non potest supplere effectum unctionis *frontalis*. 2. Eucharistia non potest supplere effectum confirmationis, ut docet idem Doctor 3. p. q. 73. a. 1. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod duplex est PERFECTIO: una, qua est in ipso homine, ad quam pervenitur per AUGMENTUM, & talis perfectio competit CONFIRMATIONI; alia autem est perfectio, quam homo consequitur ab ADJUNCTIONE alicujus EXTRINSECI hominem conservantis, puta ex adjunctione, cibi vel indumenti, vel alicujus hujusmodi, & talis perfectio competit Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.*

Gratia roborans, perficiens, & consummans, qua est specialis Confirmationi, non potest suppleri neque per Eucharistiam, neque per aliam quamcumque unctionem.

Ergo, ut optime docet Hugo Victor. L. 2. de Sacram. p. 7. c. 3. *Timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur; quia festinare debuerunt, dum potuerunt*, quia negligunt recipere Spiritum sanctum, *qui est tutor & custos baptizatorum*, ut docet idem auctor. Vide dicta de oblatione recipiendi confirmationem.

ARTICULUS. V.

De Confirmatione quatenus producit characterem. Principium, ex quo educuntur illationes.

Confirmatio producit characterem, per quem baptizatus designatur tamquam miles Christi. 1. Quia nihil aliud intelligimus per confirmationem. 2. Quia Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Cor. id expresse docet. *Quemadmodum*, inquit, *nota quadam militibus, fidelibus quoque Spiritus imponitur, quo fit, ut si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias; Judæi enim signi loco circumcisionem habebant; nos autem pignus Spiritus*. 3. Quia Innoc. epist. ad Decentium, Cypr. ep. st. 73. & Theodoret. lib. 4. in Cantica, Leo Mag. ser. 4. de Nativit. vocant confirmationem *Sigillum & signaculum Domini*: ergo supponunt quod producat characterem. 4. Sicut voluntas designans nos, ut domesticos Ecclesiæ per baptismum, producit in nobis characterem; ita designans nos, ut milites Ecclesiæ per confirmationem, debet in nobis characterem producere.

Confirmatio confert characterem, quo designamur milites Christi.

Ergo confirmatio iterari non potest; quia character est indelebilis. Ideo dicitur in conc. Cabilloensi II. *Visum est nobis eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime deberi*. Can. 27. Et Eugenius ad Armenos hæc habet: *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctum imprimunt, unde non iterantur; reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt*. Idem definit Trid. Sicut enim Ecclesia semel consecrata iterum non consecratur: ita nec baptizatus semel consecratus Dei miles per confirmationem, iterum consecrari non potest; perpetua enim est militia, quam pro Deo oportet nos exercere: unde ait Tolet. VIII. can. 7. *Sanctum Chrisma collatum, & Altaris honor avelli nequeunt.*

Confirmatio iterari non potest.

Ergo ea cæremonia, qua olim hæretici venientes ad Ecclesiam recipiebantur, erat aliquando verum Sacramentum confirmationis, aliquando mera

Digitized by Google

mera cæremonia; erat verum Sacramentum in his qui non fuerant confirmati, erat mera cæremonia in his, qui fuerant confirmati. Quippe cum confirmatio iterari non possit, verum Sacramentum confirmationis iis, qui jam sunt confirmati, adhiberi non potest, ut docet Optatus lib. 7. contra Donatistas. *Numquid nos*, inquit, *exterminamus oleum vestrum ... Et si a vobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic a nobis servatur, quemodo a vobis dimittitur:* quod non faciebant Donatistæ; ideo eos tamquam reos grandis sacrilegii insectatur ib. *Seduxistis*, inquit, *homines, rebaptizastis, iterum UNXISTIS. Proh dolor! non sine morte vestra exterminastis quod fuerat de nomine Christi confectum.*

Cæremonia, qua recipiebantur heretici redeuntes ad Ecclesiam, erat mera cæremonia in his, qui fuerant confirmati, & verum Sacramentum confirmationis in his, qui non fuerant confirmati.

Ergo hinc duo sequuntur. *Primum*. Qui hic subjiciuntur, venientes ad ecclesiam non confirmabantur, scilicet 1. Hi qui in ecclesia Catholica vere fuerant baptizati, & confirmati: *recipiebantur* enim, inquit Cypr. ep. 71. *per manus impositionem in pœnitentiam*, quæ pœnitentia aliquando erat longa, ut docet Innoc. I. ep. 1. cap. 8. *Longa*, inquit, *pœnitentia actione admittendi sunt:* quandoque vero sita erat in sola erroris detestatione, ut docet Morinus lib. 9. de pœnit. cap. 8. 2. Hi qui apud hæreticos valide baptizati & confirmati fuerant, ut vidimus ex Optato Milevitano, non baptizabantur, non confirmabantur, inquit Hieronymus contra Lucifer. cap. 8. *quin potius eis dicebatur, age pœnitentiam.*

Secundum. Qui hic subjiciuntur, lapsi in hæresim & reduces in ecclesiam confirmabantur. 1. Hi qui in ecclesia Catholica baptizati quidem fuerant, sed non confirmati, vel quia dum baptizabantur, nullus aderat proximus episcopus, qui frontalem chrismationem adhiberet, quod aliquando contingebat, vel ob alias causas impedientes, ne statim post baptismum conferretur confirmatio, ut solebat fieri primis ecclesiæ temporibus. 2. Hi qui valide quidem apud hæreticos baptizati, confirmati non fuerant ab hæreticis, vel quia hæretici non admittebant confirmationem ut Sacramentum: quales erant Novatiani, qui negantes Spiritum Sanctum esse Deum, confirmationem negligebant, per quam confertur Spiritus Sanctus: ita docet Pacianus epist. 5. *Vestra plebi de est Spiritus sanctus, quam non consignat unctus Sacerdos:* tales sunt etiam modo apud nos Calvinistæ, quos venientes ad ecclesiam confirmamus; quia Calvinistæ baptizatis non conferunt confirmationem.

Cæremonia qua lapsi in heresim recipiebantur, dum ad Ecclesiam redibant, erat verum Sacramentum confirmationis in his, qui non fuerant valide confirmati, & mera cæremonia in his, qui fuerant confirmati.

Ergo ea cæremonia erat ritus mere cæremonialis erga Donatistas, Nestorianos, Arianos, Eutychianos, Monothelitas, Iconoclastas, Pelagianos; quia hi omnes vere & valide confirmationis Sacramentum conferebant, ut docet Morinus lib. 9. c. 12. sed non erat verum Sacramentum erga Montanistas aut alios, qui non admittebant confirmationem tamquam Sacramentum. Veram confirmationem apud Donatistas agnoscit Aug. lib. cont. Petilianum c. 14. dum dicit, quod eorum chrismatio non iterata est; idem docet Optatus.

Cæremonia, qua recipiebantur in Ecclesiam Donatistæ, Nestoriani, Ariani, &c. erat ritus mere cæremonialis.

Ergo quando aliqua Concilia, v. g. Concil. Constant. II. Can. 7. quando sancti Patres, v. g. D. Greg. lib. 9. indic. 4. ep. 61. quando aliqui auctores, v. g. Morinus lib. 9. de pœnit. c. 10. n. 11. 12. & 13. docent Arianos aut alios ex prædictis hæretiris esse receptos per impositionem manuum cum chrismatione, & cum ista oratione, *signaculum donationis Spiritus sancti*, quæ omnia videntur significare collatum eis vere fuisse Sacramentum confirmationis: respondendum, factum esse verum; sed cur id factum sit penitus latere. Forte Ariani, aliique hæretici, apud quos nihil est constans & firmum, suos non chrismabant, & ideo ecclesia judicavit eos esse chrismandos cum recipiebantur in ecclesia. Forte hæc chrismatio erat tantum cæremonia, licet eædem funderentur preces, quæ funduntur in collatione confirmationis, sicuti ea cæremonia ordinationis, quæ solebat exerceri, dum restituebantur hi, qui fuerant injuste depositi, non erat Sacramentum, sed merus ritus cæremonialis. Nec obstat, quod in hac cæremonia fieret impositio manuum per manus episcopi, tum quia non omnis impositio manuum est Sacramentum, ut constat ex illa impositione manuum facta super Paulum, quando missus est prædicare gentibus, ut constat pariter ex illa impositione manuum facta etiam per episcopos, per quam hi, qui mero coacti fuerant ad iterandum baptisma, in ecclesia recipiebantur per solam impositionem manuum factam ab episcopo, ut docet Leo ep. 79. cap. 6. Demum ideo cum solemni manuum impositione, & forte cum aliqua chrismatione hæretici in ecclesiam edeuntes recipiebantur, ut si confirmati non fuissent, verum Sacramentum reciperent; si vero fuissent, aut confirmati aut baptizati apud hæreticos, ea sacramenta *ficte*, ut dicunt Theologi scholastici, recepta, recedente fictione, per solemnem illam cæremoniam reviviscerent, ut videtur innuere Aug. lib. 1. de Bapt. cont. Donat. c. 12. & D. Th. 3. p. qu. 69. art. 10. ad 2. Si vero illi Apostatæ baptizati, & confirmati fuissent in ecclesia Catholica, & utrumque Sacramentum cum debitis dispositionibus fuisset receptum, utriusque sacramenti fructus per Apostasiam omnino ablatus, solemni illa cæremonia compunctionem operante, pristinum vigorem recuperabat. Vide Dominum de Sainte Beuve Tract. de confirm. pag. 8.

CAPUT VII.

De Eucharistia Sacramento.

EUcharistia potest considerari quatenus Sacramentum, & quatenus Sacrificium. Agemus primo de Eucharistia quatenus Sacramentum, deinde de Eucharistia quatenus est Sacrificium.

Digitized by Google

De Eucharistia, quatenus est Sacramentum.

ARTICULUS I.

In quo traditur, & explicatur definitio Eucharistiæ, quatenus est Sacramentum.

EUcharistia, quatenus est Sacramentum, multa habet nomina. Primo dicitur *Cœna Dominica*. 1. Cor. cap. 11. quia instituta est post Cœnam, & quia est cœna spiritualis, in qua Christus sumitur. Secundo dicitur *Communio*; quia fons est Christianæ unitatis & communionis, in qua Christiani omnes uniuntur inter se, eamdem escam manducantes, & uniuntur cum Christo, ejus carnem, & sanguinem sumentes. Tertio dicitur *Synaxis*, idest, conventus; quia præcipua causa, cur fideles congregentur in Ecclesia, est, ut ibi vel spiritualiter, vel realiter Christi Corpore, & Sanguine nutriantur. Quarto dicitur *Sancta Mysteria*, quia Mysterium est infidelibus occultandum. Quinto dicitur *Eucharistia*, idest gratiarum actio; quia per eam gratiæ redduntur Deo, & a Christo pro nobis, & a nobis per Christum. Sexto dicitur *Viaticum*; quia est quasi commeatus transituris ex hoc mundo in alium: ideo Eucharistia potest sic definiri.

Eucharistia est *Sacramentum, in quo sub speciebus panis & vini significatur & continetur verum Corpus & Sanguis Christi ad alimoniam spiritualem vitæ per baptismum acceptæ*.

Primo est *Sacramentum*, & per hoc convenit cum aliis Sacramentis. 2. Dicitur, *in quo sub speciebus panis & vini, &c.* & per hoc ostenditur, quod panis & vinum sunt materia hujus sacramenti. 3. Dicitur, quod *verum Corpus Christi significatur & continetur in eo Sacramento*, & per hoc ostenditur ejus dignitas supra alia Sacramenta. 4. Additur, *ad alimoniam spiritualem*, quo indicatur illud Sacramentum destinatum esse ad spiritualem animarum nostrarum nutritionem.

ARTICULUS II.

De Eucharistia, quatenus significat Corpus & Sanguinem Christi.

PRop. unica. *Eucharistia est Sacramentum, in quo sub speciebus panis & vini significatur Corpus & Sanguis Christi.*

Primo, quia nihil aliud intelligimus per Eucharistiam. 2. Quia sicuti per aquam significatur gratia regenerans, per impositionem manuum, vel chrismationem significatur gratia roborans; ita per species panis & vini significantur caro & Sanguis Christi, quibus specialiter nutrimur.

Eucharistia est Sacramentum significans Corpus & Sanguinem Christi.

Ergo Eucharistia est signum *rememorativum* passionis Christi jam perfectæ; signum *demonstrativum* Christi realiter præsentis, & signum *prognosticum* futuræ nostræ beatitudinis in Christo. Etenim Sacramentum illud revocat in mentem Christum, qui passus est pro nobis in Cruce, qui nutrit nos suo Corpore & suo Sanguine, & qui glorificabit nos in cælis sui ipsius possessione: quocirca de eo Sacramento canit Ecclesia: *Recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Eucharistia est signum rememorativum Christi pro nobis olim passi, demonstrativum Christi realiter præsentis & nutrientis, & prognosticum Christi nos in gloria beatificantis.

Ergo Eucharistia continet Christum figurative & realiter: *figurative*, quatenus figurat ejus passionem perfectam, & præsagit ejus gloriam nobis communicandam: *realiter* vero, quatenus demonstrat ejus carnem & sanguinem, tamquam *spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur* qui debite illud Sacramentum recipiunt, ut dicit Trid.

Eucharistia continet Christum & figurative, & realiter.

Ergo veræ sunt propositiones, quæ dicunt Christum esse in Eucharistia *figurative*; quia Eucharistia figurat passionem Christi pro nobis toleratam, & gloriam Christi nobis in cælis communicandam: & *realiter*, quia Eucharistia continet Christum nobis *realiter* per modum alimoniæ spiritualis communicatum. Et falsæ sunt illæ propositiones, quæ negant Christum esse in Eucharistia & *realiter* & *figurative*: quia Christus est in hoc Sacramento utroque modo. Ideo Conc. Trid. sess. 13. can. 1. sic habet: *Si quis negaverit, in Sanctissima Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem una cum anima & Divinitate D. N. Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Unde Concilium non damnat eos, qui dicunt, Christum esse in Eucharistia, tamquam in signo, tamquam in figura: sed solum eos, qui asserunt, Christum esse in Eucharistia *tantummodo*, tamquam in signo, figura, vel virtute.

Vera sunt propositiones, quibus dicitur, Christum esse in Eucharistia & figurative, & realiter: falsa vero illa, quibus asseritur, Christum esse in Eucharistia tantummodo figurative.

Ergo Catholicæ sunt propositiones, quibus Christus dicitur esse in Eucharistia *figurative*, modo non excludant *realitas*; quia figura non excludit realitatem: verb. grat. verbum æternum est figura substantiæ Patris, & pariter est ejusdem substantiæ. Hæreticæ e contra sunt omnes propositiones, quibus negatur, Christum esse in Eucharistia *realiter* Sacramentaliter: quia tunc excluditur realis præsentia Christi in Eucharistia.

Sic Catholica est hæc propositio Tertulliani, lib. 4. cont. Marc. *Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum dicendo, idest figura Corporis mei.* Catholica est pariter hæc propositio Aug. lib. cont. Adimantum c. 12. *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est Corpus meum, cum signum daret corporis sui*: & aliæ hujusmodi propositiones. Primo, quia nulla ibi apponitur particula excludens realitatem: non enim ibi dicitur, Christus dedit *solum, tantummodo, dumtaxat, signum* corporis sui. Secundo, Corpus Christi in Eucharistia realiter præsens est signum

signum ejusdem corporis in Cruce affixi, & in cælis glorificati. Tertio, totum Sacramentum sensibile est *signum* Christi præsentis in Eucharistia, sed modo insensibili existentis. Sic catholica est etiam ea Aug. propositio, qua dicit: *crede & manducasti;* quia spiritualis manducatio non excludit semper realem & Sacramentalem sumptionem, sicut præsentia figurativa non excludit semper realem præsentiam: sed falsæ & hæreticæ sunt eæ propositiones, quibus indicatur, Christum esse tantum in Eucharistia sicut in *signo*, sicut in *figura*, sicut in *virtute*. Unde hoc ipso quod Berengarius incepit novam eam Doctrinam tradere, statim damnatus est ab Ecclesia, quasi docens aliquid antiquæ fidei & traditioni contrarium. Unde Paschasius Ratbertus an. 818. hæc habet: *Nec ita dixit, cum fregit, & dedit eis panem: hoc est, vel in hoc Mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei; sed ait non ficte: hoc est Corpus meum; & ideo hoc est, quod dixit, non quod quisque fingit. Non dixit, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum.*

Catholicæ sunt propositiones, quibus asseritur Christum esse in Eucharistia & figurative, & realiter: *hæreticæ autem sunt illæ propositiones, quibus negatur Christum esse in Eucharistia* realiter.

Ergo, si quando in Scriptura, vel Patribus reperiantur propositiones, quæ videantur negare realem Christi præsentiam in Eucharistia, hæ propositiones intelligendæ sunt de Christo secundum statum naturalem spectato, minime vero de Christo secundum esse Sacramentale considerato, ut ait Trid. Sic juxta Scripturam Christus est in cælis & in terra: in cælis secundum statum naturalem, in terra sub speciebus Eucharisticis secundum esse Sacramentale. Sic Christus a nobis est absens, & nobis præsens: absens secundum staturam localem, quam habuit in Cruce, quamque modo habet in cælis: præsens vero secundum modum Sacramentalem, quem habet in Eucharistia. Sic Christus modo dicitur realiter manducari a fidelibus, modo non manducari: manducatur realiter, quatenus sumitur ut cibus, quo saginamur, ut loquitur Tertullianus: non manducatur realiter, quatenus non laceratur dentibus, uti caro, quæ venditur in macello, ut credebant Capharnaitæ, qui putabant carnem Christi dentibus dilaniandam esse.

ARTICULUS III.

De reali præsentia Christi in Eucharistia.

PRep. un. Christus non est solum præsens in Eucharistia *figurative*, eo modo, quo est præsens in imagine eum repræsentante; nec solum *memorialiter*, eo modo quo est præsens in pura cæremonia, factum aliquod Christi exhibente, v. g. in ablutione pedum recolente eam ablutionem, qua Christus lavit pedes discipulorum; nec solum *effective*, eo modo, quo Christus est præsens in illis, in quibus producit gratiam: sed est præsens sub speciebus panis & vini *realiter*, & *substantialiter*, ita ut ejus substantia sit vere sub speciebus panis & vini, modo quidem vero, sed qui vix verbis exprimi potest.

Primo, quia nihil aliud intelligimus per realem Christi præsentiam in Eucharistia. 2. Quia Christus promittendo Eucharistiam, testatus est ejus carnem dandam esse in cibum, & ejus sanguinem in potum. *Caro*, inquit, *mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Joan. 6. v. 56. Instituendo vero Eucharistiam, absolute dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est Calix, novum Testamentum in meo sanguine.* Luc. 22. v. 19. 3. Quia Patres realem Christi præsentiam in Eucharistia aperte exprimunt, dum dicunt, Christum in Eucharistia nobiscum uniri eo modo, quo duplex cera simul liquefacta conjungitur, & eo modo, quo fermentum cum massa farinacea permiscetur: ita Cyrillus: dum asserunt Christum non minus vere, quamvis non secundum eumdem modum existendi, residere in Eucharistia, quam vere fuerit in præsepio, & jam existat in Cælis: ita Chrysost. 4. Christus in Eucharistia est cibus animæ: cibus autem debet realiter uniri eum eo, qui alitur: ergo Christus in Eucharistia debet realiter uniri cum anima, & quidem excellentiori modo, quam unitus fuerit cum Judæis: ergo sicut illi realiter manducabant victimas, Christum repræsentantes, ita nos realiter sumimus species Eucharisticas, Christum realiter continentes. 5. Demum ita definitum est ab Ecclesia contra Berengarium in pluribus Conciliis particularibus, contra VVicleffum in Concilio Constantiensi, & contra Calvinistas in Concil. Trid. Immo, quod mirum est, Græci Schismatici arguunt Ecclesiam Romanam, quod consecret in azymo, & non eam arguunt, quod credat realem Christi præsentiam, immo anathemate percutiunt, qui contrarie sentiunt: ergo signum est a Christo usque ad nos in omni Ecclesia, tam Græca quam Latina, semper viguisse Doctrinam de reali Christi præsentia in Eucharistia.

Christus est in Eucharistia realiter & substantialiter præsens.

Ergo quantumvis captu difficilis sit realis Christi præsentia in hoc Sacramento, debet admitti a Calvinistis; quia post Christi verba non ratiocinandum, sed credendum, & Mysterium ab Ecclesia propositum non scrutandum, sed adorandum: & præcipue a Calvinistis qui alia Mysteria admittunt, quæ cum isto magnam habent analogiam. Calvinistæ credunt naturam Divinam esse realiter unam substantialiter in essentia, & trinam in personis; quia Scriptura dicit: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo ... Et hi tres unum sunt*: ergo & debent credere corpus Christi esse realiter in Eucharistia, quia Christus dicit: *Hoc est corpus meum.*

Calvinistæ rejiciunt hanc interpretationem: tres personæ sunt unum unitate morali; quia Scriptura dicit simpliciter: *Et hi tres unum sunt*: & quia aliunde non implicat Deum esse unum in essentia, & trinum in personis: ergo debent similiter rejicere hanc interpretationem: hoc significat corpus meum: quia Scriptura dicit simpliciter: *hoc est corpus meum*: & quia aliunde non implicat panem & vinum converti in corpus & sanguinem Christi; minus enim est panem mutabilem, jam existentem, converti in Christum per verba consecratoria, quam verbo Domini res non existentes educi ex nihilo.

Calvinistæ admittunt naturam Divinam remanere unam, quamvis terminetur tribus personalitatibus sub-

substantialibus inter se realiter distinctis: ergo & debent admittere Corpus Christi remanere unum, licet sit in pluribus locis Sacramentaliter; quia præsentia Sacramentalis, utpote accidentalis, & distincta a corpore, facilius potest multiplicari, immultiplicato corpore, quam persona substantialis, indistincta a natura, possit realiter multiplicari immultiplicata natura.

Calvinistæ admittunt, quod totum sit majus sua parte: tamen in Divinis tres personæ, collective sumptæ, non sunt quid majus in perfectione, quam una sola persona, disjunctive sumpta; quia perfectio intrinseca & absoluta, & communis tribus personis, reperitur tota in una persona: ergo & debent admittere, quod Christus consideratus in Eucharistia, ut non habens quantitatem extensam per ordinem ad locum, ita se habeat, quod totum corpus non sit magis extensum localiter, quam aliquod membrum, disjunctive sumptum, v. g. caput sit æque extensum, ac totum corpus.

Calvinistæ credunt, Filium Dei esse conjunctum humanitati realiter, substantialiter; quia Script. dicit: *Verbum caro factum est*: ergo & debent credere, Christum esse præsentem realiter substantialiter in Eucharistia; quia Scriptura dicit: *Hoc est corpus meum*.

Calvinistæ rejiciunt alibi interpretationem Nestorii, scilicet, Christum conjunctum esse humanitati moraliter tantum: quia Scriptura dicit simpliciter: *Verbum caro factum est*: ergo debent rejicere alibi interpretationem illam; hoc est Corpus meum tantum figurative: quia Scriptura dicit simpliciter: *Hoc est corpus meum*.

Calvinistæ admittunt substantiam creatam, v. g. humanitatem, posse divinitus subsistere sine propria personalitate. ergo & debent admittere, accidentia posse divinitus existere sine subjecto actuali; quia natura completa non minus dependet a personalitate, quam accidens completum a subjecto subsistente.

Quantumvis captu difficilis sit realis Christi præsentia in Eucharistia, debet admitti a Calvinistis, præcipue admittentibus Mysterium Trinitatis & Incarnationis.

Ergo ad infirmandam fidem hujus Sacramenti, non debent hunc Scripturæ locum, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, in sensum figurativum & tropicum detorquere. 1. Quia juxta regulam Augustini, Scriptura est in sensu proprio accipienda quoties ex illa non sequitur absurdum; nullum autem sequitur absurdum dicere, Christum esse realiter in Eucharistia. Deinde sensus litteralis, utpote magis naturalis & magis vulgaris, est quasi trita via, quam sequi oportet, nisi causa subsit, quæ nos divertat a significatione litterali: ergo, cum hic nulla occurrat causa, quæ nos a sensu litterali divertat, prædicta verba litteraliter debemus intelligere, & non figurative. Et sicuti hæc verba, *Hic est Filius meus dilectus*, de vero & naturali filio litteraliter intelligimus, & non in filium mere adoptivum per figuram detorquemus: ita hæc verba, *Hoc est corpus meum*, litteraliter, & non figurative debemus sumere. 2. Christus tunc alloquebatur Apostolos, qui futuri erant totius orbis doctores: ergo simplicibus verbis & non parabolicis utebatur; aut si usus fuisset figura, aut parabola, eam haud dubie aut Christus explicuisset, aut aliquis ex Evangelistis, qui hanc institutionem scripserunt, aut Paulus, qui eam retulit, figurativum illum sensum ind cassent. 3. Circumstantiæ, in quibus Christus loquebatur, litteralem &propriam significationem exigebant, & figurativam penitus excludebant: nam Christus instituebat Sacramentum, institutio autem Sacramenti debet declarari nitide & non obscure. Condebat testamentum: testamentum autem clarum nitidumque sit, & non amphibologicum oportet, præcipue si testator sit infinite sciens, qualis erat Christus. Christus legem præscribebat: verba autem legis debent esse perspicua, præcipue si legislator sit summe sapiens, qualis Christus erat: alias & Apostolos, & omnem Ecclesiam idololatriæ exposuisset. Demum si voluisset Christus realem sui præsentiam in Eucharistia stabilire, quibus aliis verbis intentionem suam expressisset? Nec clarius, nec expressius loqui potuisset. Immo cum Capharnaitæ scandalizati essent; si Christus locutus fuisset de spirituali tantum manducatione carnis suæ, facta non ore, sed fide, unico verbo potuisset illud scandalum lenire & difficultatem omnem tollere, dicendo: cur vobis videtur hic sermo meus durus? carnem meam non realiter manducabitis, sed figurative, sicuti patres vestri manna manducantes, Messiam per manna figuratum manducarunt: quin & e contra non hoc dicit: sed ubi explicuit illam manducationem non futuram sensibilem, qualis est manducatio carnis, quæ in macello venit, statim subjungit: *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: & discipulis remanentibus dicit: *Numquid & vos vultis abire?* quasi diceret: si non vultis credere Mysterium, quod vobis propono, abite.

Hæc verba: hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus, *non possunt in sensum mere figurativum detorqueri.*

Ergo licet hæc verba Christi: *Ego sum ostium, ego sum vitis, ego sum via, ego sum lapis, ego sum leo*: item licet hæc verba: *Propagines tres, sunt tres dies, vaccæ septem, sunt septem anni*: licet, inquam, hæc verba sint in sensu tropico accipienda, non sequitur, quod hæc verba, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, tropice accipienda sint. 1. Quia nullum est inconveniens panem mutari in Corpus Christi, & vinum in ejus Sanguinem; sed absurdum est omnino, Christum esse ostium, vitem, leonem, &c. cum Christus vivat vita intellectuali, minime vero prædicta omnia. 2. Quia Christus ex circumstantiis, in quibus se ostium, aut vitem, &c. nuncupat, satis indicat se loqui figurative: asserit enim se esse ostium, idest, medium, per quod itur ad Patrem; se esse vitem, quatenus influit gratiam in fideles, sicuti vitis influit succum in palmites: at nullibi indicat, se figurative loqui, dum ait: *Hoc est Corpus meum*, quin immo aperte innuit, se loqui in sensu proprio, cum Mysterium explicet, Testamentum condat, & legem statuat: item cum tres propagines vocantur tres dies, & septem vaccæ vocantur septem anni,

anni, cum ibi explicetur somnium, ex ipso contextu satis intelligitur, tribus propaginibus tres dies, septem vaccis septem annos significari; res enim in somnio exhibitæ, figuræ sunt futurorum eventuum, qui in somniis repræsentantur.

ARTICULUS IV.

De reali Christi præsentia in Eucharistia per transubstantiationem.

PRop. *unica*. Christus est realiter in Eucharistia per conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, & per conversionem substantiæ vini in ejus Sanguinem.

1. Quia nihil aliud intelligimus per realem Christi præsentiam in Eucharistia. 2. Si Corpus Christi, & Sanguis ipsius essent in Eucharistia, una cum substantia panis & vini, Christus non dixisset absolute: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*; sed dixisset potius: *Hic latet Corpus meum: Hic latet Sanguis meus*. Sicuti si ego inclusissem aurum in pomo non possem dicere: hoc pomum est aurum; sed possem tantum dicere: hic latet aurum; quia propositio demonstrativa non denotat nisi substantiam, quæ enuntiatur: atqui Christus absolute & sine æquivocatione dixit: *Hoc est Corpus meum*; minime vero: *Hic latet Corpus meum*: ergo Christus est in Eucharistia per conversionem panis in ejus Corpus, & per conversionem vini in ejus Sanguinem. 3. Verba Sacramentorum habent hoc proprium, quod prolata in nomine Dei efficiunt quod significant: ergo sicuti hæc verba, *Ego te baptizo*, veram efficiunt ablutionem in anima; ita hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, vere transmutant panem in Corpus, & vinum in Sanguinem, non enim minus efficacia sunt hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum*; quam effectricia sint hæc verba: *Fiat lux, & facta est lux*. 4. Patres mirabilem illam conversionem sic explicant. Consecratio, inquiunt, mutat panem & vinum in Corpus Christi, sicuti aqua mutata est in vinum in Cana Galilææ: ita Cyprianus. Sicuti virga Moysis mutata est in serpentem, & mundus factus est ex nihilo: ita Ambrosius. 5. Ita definierunt Concilia Generalia, Constantiense contra VViclefum, & Tridentinum contra Lutherum. Demum Christus est realiter in Eucharistia; non est ibi per immensitatem, sicuti Deus est ubique; quia humanitas Christi, utpote finita, non potest esse ubique præsens, sicuti Deus; non est ibi per informationem, sicuti anima rationalis est in corpore; quia humanitas Christi, utpote totum completum, non potest esse forma panis; non potest esse ibi præcise per operationem, sicuti Angelus est in loco; quia corpus non est in loco per operationem, sed per quantitatem; non est ibi circumscriptive, sicuti fuit in præsepio, in cruce, & modo est in Cælis; ergo superest, quod Christus sit ibi per conversionem substantiæ panis in Corpus ipsius, & per conversionem substantiæ vini in ejus Sanguinem, quæ conversio immutat solam substantiam panis & vini, non attingendo accidentia panis, & vini, sed ea sine subjecto effective conservando.

CONSECTARIA

Quæ immediate sequuntur ex hac propositione.

Christus est in Eucharistia per transubstantiationem.

COnsect. 1. Ergo Christus potest esse in Cælis circumscriptive, idest, extensus in loco, & in pluribus locis Sacramentaliter; quia quantitas extensa, per quam est in Cælo, non multiplicatur; actio vero consecratoria, per quam est sacramentaliter in Eucharistia, toties multiplicatur, quoties Sacerdos diversum panem & vinum consecrat. *Nec enim*, inquit Trid. *hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cælis assideat juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus*. Sess. 13. c. 1.

Consect. 2. Ergo Christus in Eucharistia est modo localiter inextenso, totus in toto, & totus in qualibet parte; quia ibi est loco substantiæ panis, quæ sola propria quantitate privata transit in substantiam Corporis Christi. Ideo dicit Trident. sess. 13. can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie & sub singulis cujuscumque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit*. Ideo qui sumit vel unam speciem, vel minimam alterius speciei particulam, vere sumit totum Christum. Et ita Ecclesia nullum præjudicium facit Laicis, dum justis causis & rationibus adducta, jubet eos sub una panis specie communicare; quia sub una specie totum Christum suscipiunt. *Si quis*, inquit Trident. *negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur, anathema sit*. Sess. 21. can. 3.

Consect. 3. Ergo Christus tamdiu remanet speciebus Eucharisticis, quamdiu remansisset substantia panis, cum ibi sit loco substantiæ panis: & ita tunc tantum desinit esse in Eucharistia, quando desineret esse substantia panis, si adesset: & sic vere remanet in minima parte physica, in qua maneret substantia panis, nequaquam vero in minima parte mathematica, sub qua non remaneret substantia panis: sic etiam vere remanet Christus in hostia consecrata, sive sumatur ab homine, sive a bruto, sive a justo, sive a peccatore. Ad veritatem hujus Sacramenti pertinet, inquit D. Thom. *quod manentibus speciebus Corpus Christi sub eis esse non desinat*. 3. p. q 70. a. 3. in corp. & ad 3. ait: *Dicendum, quod etiamsi mus vel canis Hostiam consecratam manducet, substantia Corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent, hoc est, quamdiu substantia panis maneret, sicut etiam si projiceretur in lutum*.

Consect. 4. Ergo materia consecrata, v. g. panis consecratus, & vinum consecratum, dici potest panis, & vinum, *præsuppositive, effective, & apparenter*; minime vero *formaliter*. *præsuppositive*, qua-

Digitized by Google

quatenus panis & vinum est materia, quæ conversa fuit in Corpus Christi; vulgo autem in conversionibus res per conversionem producta denominatur a termino, ex quo facta est. Sic serpens factus ex virga Moysis, vocatur virga, & vinum factum ex aqua, vocatur aqua. 2. Eucharistia vocatur etiam panis & vinum *effective*; quia accidentia panis, & vini, quæ remanent, utpote victures substantiæ panis & vini, idem efficiunt, quod faceret substantia panis, & vini, si adesset, v. g. nutriunt, ponderant, &c. 3. Eucharistia dicitur panis & vinum *apparenter*; quia easdem habet externas species & apparentias, quas habebat substantia panis & vini: sed Eucharistia non potest dici *formaliter* substantia panis & vini, quia hæc substantia conversa est in Christum. Ideo dicit Trid. *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine D. N. J. Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.*

Confect. 5. Ergo terminus *a quo*, ut dicunt, transsubstantiationis, est substantia panis & vini, non ut annihilata, sed ut convertenda in Christum: terminus autem *ad quem*, ut loquuntur, est substantia Christi: cetera vero, quæ concomitantur Christum in Eucharistia, sunt terminus quasi secundarius; quia terminus *a quo* actionis conversivæ, est ille qui desinit, & terminus ad quem, est ille qui producitur, sicuti in motu locali, locus derelictus est terminus *a quo*, locus acquisitus est terminus ad *quem*; in consecratione autem desinit substantia panis & vini: ergo est terminus *a quo*; & convertitur in substantiam Christi; ergo est terminus *ad quem*; cetera vero, cum Christo connexa, sunt terminus secundarius, seu concomitans. Quæ omnia ita explicat Trident. *sess.* 3. c. 3. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem, sub panis & vini specie una cum ipsius anima & Divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum Corpore & Anima hypostaticam unionem.*

Confect. 6. Ergo post Consecrationem nihil remanet de pane, & vino, nisi *species, manentibus dumtaxat speciebus*, inquit Tridentinum. Quid autem sint illæ species, non convenit apud omnes. Juxta D. Th. tum in sua Summa, tum in Officio de Sacramento Altaris, species Eucharisticæ sunt accidentia panis & vini existentia miraculose sine subjecto. Idem tenet Concilium Constantiense damnans propositionem VVicleffi: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento*, scilicet Eucharistiæ. Recentiores quidam Philosophi varios modos excogitant, quibus explicent species Eucharisticas non esse *accidentia*, quæ erant, quandoquidem volunt nihil esse in pane præter *substantiam* panis, quæ substantia ex fide non amplius remanet. Sed varios illos modos explicandi ex ipsa novitate suspectos esse in Theologia arbitror.

DE EUCHARISTIA

Quatenus est Sacrificium.

ARTICULUS UNICUS.

De Sacrificio Missæ.

PRop. un. Missa est sacrificium stricte sumptum, in quo Christus non tantum datur populo manducandus, sed vere offertur Deo & sacrificatur.

1. Quia nihil aliud intelligimus per illam cæremoniam exteriorem, quam Missam vocamus. 2. quia apud Malachiam c. 10. v. 11. dicitur: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quæ autem potest esse illa oblatio digna Deo, nisi Christus ipse; qui alloquens Patrem ait: *Hostiam & oblationem noluisti; Corpus autem aptasti mihi.* Ad Hebr. 10. v. 5. 3. In omni religione debet esse Sacrificium sensibile, ut docet Aug. lib. 10. de civ. Dei cap. 2. quia homines non possunt nisi Sacrificiis sensibilibus cum Deo conjungi, ejusque supremum dominium agnoscere, res sensibiles in ejus honorem destruendo; ideo in lege naturæ & lege Mosaica viguit semper victimarum immolatio: Atqui in religione Christiana non potest aliud reperiri Sacrificium sensibile, quam Missa, ut patet, percurrendo omnes cæremonias, quæ in Ecclesia exercentur: Ergo Missa est Sacrificium stricte sumptum. 4. Sacrificium stricte sumptum est oblatio externa facta soli Deo, qua res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur in professionem summi dominii, quod habet Deus supra creaturas. Ideo victimæ viventes in lege Mosaica occidebantur, victimæ vero inanimata, v. g. thus & thymiama, comburebantur; victimæ liquidæ, v. g. oleum & vinum, effundebantur: Christus autem in Missa, quæ incruentum est Sacrificium, non occiditur physice, quia jam non moritur; sed occiditur mystice, quatenus Christus in Eucharistia, utpote carens extensione in ordine ad locum, caret exercitio vitæ sensitivæ, quæ necessario exigit quantitatem extensam in ordine ad locum: nihil videt oculo corporeo, nihil audit aure corporea, & in gratia nostri privat se omni sensuum externorum exercitio, quatenus est in hoc Sacramento. Demum occiditur Christus, non lancea separante sanguinem a corpore, sed consecratione quodammodo dividente corpus & sanguinem ex vi istorum verborum: Hoc est corpus meum, ponitur Corpus Christi, idest substantia Christi, quatenus habet partes solidas aptas ad manducationem Sacramentalem; & ex vi istorum verborum, Hic est calix, ponitur Sanguis Christi, idest substantia Christi, quatenus habet partes fluidas aptas ad potum Sacramentalem.

Digitized by Google

Consectaria, quæ sequuntur immediate ex prædicta propositione: Missa est Sacrificium.

Consect. 1. Eucharistia quatenus sacramentum, differt a seipsa quatenus est Sacrificium, quippe quatenus est Sacrificium, respicit Deum, ut ei offeratur; quatenus Sacramentum, respicit populum vel ut ab eo adoretur, vel ut ei distribuatur.

Consect. 2. Sacrificium Eucharistiæ non differt a Sacrificio Crucis, nisi ratione modi offerendi; quia Christus, qui seipsum obtulit in cruce modo cruento, ille idem offertur in Altari modo incruento, ut docet Trident. sess. 22. cap. 2.

Consect. 3. Minister Eucharistiæ, quatenus est Sacrificium, est triplex: Christus, Sacerdos, & populus. Primus est Christus, qui est Sacerdos in æternum, qui seipsum ab initio mundi in singulis Sacrificiis obtulit in figura; realiter autem & cruente in cruce, incruente & mystice se offert in Missa, perpetuo vero & absque velamine se offert in patria. Secundus est Sacerdos ad hoc ordinatus. Tertius est populus, qui una cum Presbytero offert eo modo, quo & ipse offertur: ut docet Aug. lib. 10. de civ. Dei cap. 4.

Consect. 4. Sacrificium Missæ offerri potest pro his omnibus, pro quibus Ecclesia offerri permittit. 1. Pro omnibus. 2. Pro Catechumenis. 3. Pro infidelibus & Hæreticis. 4. Pro mortuis in Purgatorio existentibus.

Consect. 5. Missæ Sacrificium est Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium. Latreuticum, quatenus offertur Deo in protestationem adorationis latriæ ei debitæ. Eucharisticum, quatenus offertur Deo, ut gratiæ agantur de beneficiis tot Ecclesiæ præstitis. Propitiatorium, quatenus offertur Deo in propitiationem & satisfactionem pro peccatis. Impetratorium, quatenus offertur Deo ad impetrandas gratias, quæ sunt Ecclesiæ ad fidelium salutem necessariæ.

CAPUT VIII.

De Pœnitentia.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Pœnitentiæ.

POEnitentia est duplex: pœnitentia ut virtus, seu interior: pœnitentia ut Sacramentum, seu exterior.

Pœnitentia ut virtus, seu interior, *est species justitiæ commutativa, emendatoria peccati præteriti, in quantum est offensa Dei.* D. Th. 3. p. q. 85. Dicitur *virtus*, ut distinguatur ab ea pœnitentia, quæ non est voluntaria, qualis reperitur in damnatis de quibus dicit Sap. 5. v. 3. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis justorum, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes:* vel ut distinguatur ab ea pœnitentia, quæ non ex amore virtutis, sed ex turbata conscientia provenit: qualis fuit pœnitentia Judæ, de quo dicitur: *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos ... dicens, peccavi tradens sanguinem justum.* 2. Dicitur *virtus justitiæ commutativa:* quia pœnitentia cessationem & recompensationem exigit: cessationem quidem, ut distinguatur ab ea pœnitentia, quæ est in quibusdam peccatoribus, *in quibus*, inquit Clymacus grad. 15. n. 31. *est accusatio & condemnatio suorum peccatorum, sed non est cessatio.* Includit enim recompensationem; quia per pœnitentiam Deo offenso satisfacere intendimus, non quidem rigide, sed uti potest filius satisfacere patri, dicendo cum filio prodigo: *Pater peccavi in cælum & coram te: non sum dignus vocari filius tuus.* 3. Additur *emendatoria peccati*, ut distinguatur a caritate, qua de quocumque peccato sive nostro, sive alieno contristamur, quatenus est offensa Dei; per pœnitentiam vero peccata nostra emendamus, & pro eis satisfacere intendimus.

Pœnitentia ut Sacramentum, *est cæremonia sensibilis a Christo Domino instituta, in qua baptizatis lapsis, iisque vere contritis, sincere confessis, & pro virili satisfacere proponentibus a Sacerdote jurisdictionem habente, & per modum actus judicialis impenditur absolutio a quibuscumque peccatis, & confertur gratia resuscitans a peccato, & virtutes per peccatum amissas restituens.*

Explicatur tradita definitio.

1. *Est cæremonia sensibilis;* quia quatenus est a sacerdote, sensibiliter apparet; tum per hæc verba, *ego te absolvo*, tum per alias actiones sensibiles, quas sacerdos tamquam judex exercet, v. g. interrogando pœnitentem, eique pœnitentias salutares imponendo: quatenus est a pœnitente est etiam sensibilis per confessionem, & per alios actus, quibus pœnitens manifestat se interius dolere de peccatis. 2. Dicitur *a Christo Domino instituta;* sacramenti enim pœnitentiæ auctor Christus est: habebat quippe potestatem dimittendi, & retinendi peccata, non solum prædicando, sed etiam remissionem impendendo, aut denegando; fuerat enim hæc vis Christo promissa, Isa. 22. v. 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat;* quæ etiam ei data est, ut dicitur Apocal. 3. v. 7. *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David, & qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Ea quoque usus est Matth. 9. v. 6. *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* Tandem potestatem dimittendi & retinendi peccata, quam habebat, promisit Ecclesiæ in persona Petri, Matt. 16. *Tibi dabo*, inquit, *claves regni cælorum: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Eam demum tradidit Ecclesiæ, Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Eaque potestate usi sunt Apostoli, totaque Ecclesia, 1. Cor. 5. *Judicavi*, inquit Paulus, *ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere satanæ in interitum carnis*, & 2. ad Cor. 2. *Cui donasti, & ego... donavi in persona Christi.* 3. Dicitur *quod per modum actus judicialis impendatur absolutio a quibuscumque peccatis*, &c. quia pœnitentia est tribunal judiciale, in quo, inquit Trid. sess. 14. cap. 2. lapsi post baptismum sacerdotibus sistunt se, *ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari.* 4. Dicitur quod

quod *absolutio impenditur a Sacerdotibus jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam habentibus*; quia, ut ait Trid. sess. 14. cap. 7. *Natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur... unde nullius momenti absolutio ea debet esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. 5. Dicitur, quod *absolutio impendatur vere contritis, sincere confessis, & satisfacere quantum in ipsis est proponentibus*; quia ut ait Florentinum, & Trident. hi actus pœnitentis non solum sunt dispositiones necessariæ ad consequendam gratiam, sed etiam quasi *materia* sacramenti pœnitentiæ; & proinde sine illis actibus stare nequaquam potest sacramentum illud, sicuti dari nequit baptismus sine sua materia; scilicet aqua. 6. Dicitur, quod per pœnitentiam *confertur gratia resuscitans a peccato, & virtutes per peccatum ablatas restituens*: quippe ut docet Trid. cap. 1. vis & efficacia hujus sacramenti *est reconciliatio cum Deo*. Et alibi, ut docet idem Concilium loquens de justificatione, transimus a statu peccati ad statum gratiæ, & surgimus a statu mortis ad statum vitæ. Demum *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo... fidem, spem, & caritatem...& primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit*. Sess. 4. c. 7.

ARTICULUS II.

De pœnitentia quatenus est ceremonia sensibilis.

PRop. un. *Pœnitentia est cæremonia sensibilis conferens gratiam*. 1. Quia nihil aliud intelligimus per eam pœnitentiam, quam in Ecclesia exercemus, dum ad pedes Sacerdotum provolvimur, & ab illis absolutionem accipimus. 2. Quia huic cæremoniæ sensibili Deus promisit remissionem peccatorum juxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & proinde huic eidem cæremoniæ promisit gratiæ collationem. 3. Quia, ut ait Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, *Apostolis data est potestas, quæ neque Judæorum Sacerdotibus data est; nam corpores lepram probabant, non purgabant*... ut enim, inquit idem Doctor, demonstraret Christus Ecclesiam non esse inventum diaboli... *sicut eam ornavit Deus Virginitatis splendore, Martyrum patientia, luce prophetia, spirituum potestate, gloria miraculorum; ita donavit eam remittendorum peccatorum potestate*: unde Joannes ait: *Majora horum faciet*. 4. Quia, ut ait Ambr. l. 1. de Pœnitentia c. 6. *Dedit* Christus *Discipulis, ut mortuos suscitarent, & cum ipse Saulo reddere posset usum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit*. Et 2. de pœnit. cap. 2. *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum Officia transmissum est*. Ergo pœnitentia est cæremonia sensibilis conferens gratiam.

Pœnitentia est ceremonia sensibilis conferens gratiam.

Ergo pœnitentia est verum novæ legis sacramentum; cæremonia enim sensibilis, cujus exercitio alligata est promissio gratiæ, est verum Sacramentum, ut patet ex definitione sacramenti in superiori parte tradita.

Pœnitentia est verum novæ legis Sacramentum.

Ergo est Sacramentum distinctum a baptismo, sicuti enim specialis est cæremonia, & diversa a baptismo, ita & speciale Sacramentum diversum a baptismo. *Et quidem multis rationibus a baptismo differre dignoscitur*, ut ait Trid. sess. 14. cap. 2. Primo materia & forma; cum materia baptismi sit aqua elementaris, forma vero hæc verba: *Ego te baptizo*, &c. materia vero pœnitentiæ sint actus pœnitentis, forma vero in his verbis sita sit *Ego te absolvo*, &c. Secundo ratione subjecti, cum subjectum baptismi sit homo quilibet ab Adamo procedens, subjectum vero pœnitentiæ sit solus homo baptizatus, & in peccatum relapsus, qui enim baptizatus non est, quantumvis peccator, Sacramento pœnitentiæ absolvi non potest: *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de his qui foris sunt, judicare?* & qui post baptismum in peccatum, tum mortale, tum veniale lapsus non esset, ut constat de Virgine, pœnitentiæ Sacramento non egeret. Tertio pœnitentia differt a baptismo ratione Ministri, cum quilibet homo baptizare valeat, solus vero sacerdos approbatus valide queat absolvere. Quarto ratione effectus, cum baptismus novam penitus creaturam baptizatum efficiat; *ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit*. Ideo can. 2. dicitur: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non rite secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Pœnitentia est Sacramentum distinctum a baptismo.

Ergo male dicitur ab hæreticis, pœnitentiam nihil aliud esse, quam memoriam suscepti baptismi; sola enim baptismi memoria non solvuntur peccata commissa post baptismum, sed remittuntur per verum aliquod Sacramentum diversum a baptismo, ut expresse docet Aug. Epist. 23. ubi sic habet: *Si infans*, inquit, *inciplat propria habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur*. Et Pacianus Epistol. 3. sic distinguit pœnitentiam a memoria baptismi, *Baptismus est*, inquit, *Sacramentum Dominicæ Passionis, pœnitentium venia, meritum confitentis: illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ donum est, idest gratuita donatio. Labor vero iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur*. Rursus Aug. lib. 2. de adulterinis conjugiis hæc habet: *Si a Catechumeno factum est homicidium baptismate abluitur: si a baptizato, pœnitentia, & reconciliatione sanatur.*

Male dicitur ab hæreticis, pœnitentiam nihil aliud esse, quam memoriam suscepti baptismi.

Ergo quando adulti baptizati labuntur in peccatum, non ita sunt revocandi in suscepti baptismi memo-

Digitized by Google

mi memoriam, ut sola recordatione suscepti baptismi peccata omnia, quæ post baptismum sunt, vel dimitti, vel venialia fieri crederent, ut expresse monet Tridentinum; sed hortandi sunt, ut ad aliud Sacramentum, scilicet pœnitentiam recurrant, ea enim fuit, ut testatur Aug. fidelium omnium sæculorum pia consuetudo, ut peccatores non regenerati baptismum, regenerati vero lapsi sacramentum pœnitentiæ a Ministris enixe postularent. Ita enim habet Epist. 180. „ In civitatis obsidione alii „ baptismum postulant, alii reconciliationem, alii „ pœnitentiæ ipsius actionem, omnes consolationem „ & sacramentorum confectionem, & erogationem, „ ubi si ministri desint, magnum exitium sequitur „ his, qui de hoc sæculo exeunt, vel non regene- „ rati, vel ligati, magnumque luctum fidelium, qui „ eos secum in vitæ requie non habebunt. Quod haud dubie non dixisset, si ad peccatorum remissionem sola sufficeret baptismi suscepti recordatio.

ARTICULUS III.

De pœnitentia sacramento, quatenus instituto a Christo.

PRop. un. *Pœnitentia est sacramentum institutum a Christo ad remittendum peccata commissa post baptismum.* 1. Quia nihil aliud per pœnitentiam intelligimus. 2. Quia sicuti Christus providit ecclesiæ Sacramentum baptismi ad remittendum peccatum originale, ut colligimus ex istis verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti;* ita & providit Sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata commissa post baptismum, ut possumus colligere ex istis verbis: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* peccata enim mortalia commissa post baptismum non minus arcent nos a gloria consequenda, quam ipsummet peccatum originale. 3. Quia quamvis per contritionem perfectam ab adulto elicitam peccatum originale remitti possit; tamen voluit Christus instituere sacramentum sensibile, scilicet baptismum, quo & certius, & facilius & efficacius tolleretur peccatum originale: ita licet peccata, tum mortalia, tum venialia commissa post baptismum possint per perfectam contritionem aboleri; tamen voluit Christus instituere sacramentum; quo & certius & facilius & efficacius singula peccata saltem mortalia remitterentur. Ideo dicit Trid. sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit*, inquit, *in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labantur, ipsis Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit.*

Pœnitentia est sacramentum institutum a Christo ad remittenda peccata commissa post baptismum.

Ergo nullum est peccatum commissum post baptismum, quantumvis fuerit enorme, quod per sacramentum pœnitentiæ, nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo vere remitti non valeat: etenim cum pœnitentiæ sacramentum conferat gratiam Christi, & gratia Christi quodcumque peccatum deleat; pœnitentia instituta a Christo quodcumque peccatum delere poterit. Et si juxta Scripturam contritio quodcumque peccatum abstergat, ut constat istis verbis: *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius;* illud idem præstare poterit pœnitentia, cum pœnitentia ut sacramentum sit majoris efficaciæ, quam pœnitentia ut virtus.

Nullum est peccatum commissum post baptismum, quantumvis fuerit enorme, quod per sacramentum pœnitentiæ, nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo vere remitti non valeat.

Ergo si in Scriptura, in Patribus, & Conciliis reperiantur phrases aliquæ, quibus asseri videtur esse quædam peccata irremissibilia, expressiones non debent sumi *absolute*, sed in benigniorem sensum sunt explicandæ, v. g. si dicatur, quod dentur peccata irremissibilia, qualia sunt peccata recidivæ, peccata in Spiritum sanctum, sic distingui possunt illæ propositiones.

Moraliter. C. Quia difficulter remittuntur, cum ponant obicem gratiæ. *Physice* N. Quia si attendatur efficacia Sacramenti pœnitentiæ, nullum peccatum est irremissibile. *Ficte dolentibus*. C. Quia retinent affectum peccandi, tales fuerunt Cain, Saul, Antiochus, Judas, *Sincere dolentibus*. N. Quia sincere dolentes Deus non rejicit: sic Davidem, Manassen, Petrum Deus non rejecit. *Per gratiam regenerantem*. C. Quia semel tantum baptisma potest conferri, sicut Christus semel mortuus est. *Per gratiam resuscitantem*. N. Quia pluries potest pœnitentia conferri, sicut possumus pluries peccare. *Per pœnitentiam solemnem*. C. Quia hæc pœnitentia semel tantum conferebatur in ecclesia. *Per pœnitentiam non solemnem*. N. Quia pœnitentia non solemnis conferebatur sæpius, & nulli negabatur.

Nullum datur absolute peccatum irremissibile in Ecclesia, modo sincere doleamus.

Ergo sacramentum pœnitentiæ potest sæpius iterari, imo toties iterari debet, quoties peccator sincere dolet de suis peccatis, alias esset aliquod peccatum, quod omnino esset irremissibile, quod tamen falsum est; dicit enim Scriptura absolute & sine restrictione, loquens de pœnitentia prout virtus: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Et loquens de pœnitentia prout est sacramentum: *Quodcumque solveris &c.* de quo ita loquitur Pacianus Ep. 3. *Quæcumque solveritis*, inquit, *vel magna vel modica*. Et sicuti voluit Deus his, a quibus lædimur, veniam nos concedere, non solum semel, aut bis, aut ter, aut septies, sed septuagies septies, idest quoties petierint, ita sentiamus Deum nobis toties veniam impertiturum, quoties ad eum pœnitendo accesserimus, quia dixit: *Estote misericordes, sicut pater vester cælestis misericors est*. Et cum Christus sit propitiatio, non tantum pro peccatis nostris, sed etiam pro peccatis totius mundi, cum pro omnibus mortuus sit; cum ecclesia pro omnibus peccatoribus preces effundat, nullus est peccator, modo sincere pœniteat, quem a beneficio Sacramenti pœnitentiæ excludere debeamus. Et sicuti quamdiu hic in terris est, malitia sua potest a gratia excidere; ita misericordia Salvatoris potest a peccato ad gratiam redire.

Se-

Sacramentum pœnitentiæ potest & debet sæpius iterari, immo toties quoties sincere doluerit peccator, quantumvis flagitiosus fuerit.

Ergo nulla umquam fuit vel lex, vel consuetudo universalis in Ecclesia denegandi absolutionem Sacramentalem peccatoribus etiam insignioribus in mortis articulo, si vel per seipsos, vel per alios signa darent pœnitentiæ. Ecclesia enim, utpote sponsa Christi, & a Spiritu sancto directa, non potuit denegare pœnitentibus rite dispositis illud remedium, quod Christus pro peccatis post baptismum commissis instituerat: immo in Concilio Niceno can. 12. hanc plenam consolationis regulam constituit. *De his vero*, inquit, *qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam nunc; ita ut si forte quis recedat ex corpore, necessario via sua viatico non defraudetur.* Per viaticum autem juxta multos non intelligitur Eucharistia, sed absolutio. Et can. 51. adscriptus Apostolis ita habet. *Si quis Episcopus aut Presbyter, eum qui a peccato revertitur, non recipit, sed rejicit, deponitur, eo quod Christum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui resipiscat, gaudium oberiri in cælo.*

Nulla umquam fuit vel lex, vel consuetudo universalis denegandi absolutionem sacramentalem peccatoribus in mortis articulo constitutis, si signa darent pœnitentiæ vel per seipsos, vel per alios.

Ergo si Ecclesia aliquando etiam in mortis articulo denegaverit absolutionem sacramentalem reis idololatriæ, homicidii, & mœchiæ, ut innuit Cypr. Epistol. data ad Antonianum, ea consuetudo non viguit in Ecclesia universali; sed solum in quibusdam Ecclesiis particularibus, v. g. in Africa: immo & in Gallia viguit diu consuetudo denegandi absolutionem reis damnatis ad mortis supplicium, quam abrogavit Carolus VI. motus precibus Cleri Gallicani: immo Ecclesiæ illæ particulares diversimode omnino a Novatianis absolutionem insignioribus sceleratis in mortis articulo negabant; etenim Montanistæ & Novatiani id faciebant desperatione veniæ, quod crederent peccata mortalia a solo Deo posse remitti, minime vero ab Ecclesia: ut non obscure docet Tertul. jam factus Montanista lib. de pudic. in fine cap. 18. *Pœnitentia*, inquit, *sed fidem aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus & irremissibilibus a solo Deo.* Ecclesia vero id faciebat *non desperatione veniæ, sed vigore disciplinæ*, ut dicit August.

ARTICULUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ, quatenus est actus judicialis.

PRop. un. *Pœnitentia Sacramentum est tribunal judiciale, in quo pœnitens sistit se Sacerdoti tamquam judici, ut ab eo absolutionem peccati sui obtineat*: seu in illo sacramento Sacerdos est judex, & pœnitens est reus. 1. Quia nihil aliud intelligimus per sacramentum pœnitentiæ. Quia verba illa, *quorum remiseritis peccata*, &c. intelligenda sunt de potestate, quam habent Sacerdotes remittendi peccata, ut docet Trid. sess. 14. cap. 3. remittendi, inquam, per modum judicii. Ideo idem Concil. anathema dicit illi, qui *dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis, non esse actum judicialem.* Can. 9. 3. In pœnitentiæ sacramento remittuntur peccata juxta illud: *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Non remittuntur per simplicem condonationem; quia Deus ex vi præsentis decreti exigit sibi rependi condignam satisfactionem per Christum: non remittuntur per plenam satisfactionem Christi nobis applicatam per modum regenerationis, qua efficiamur novæ creaturæ; hoc enim fit solum in baptismo: Ergo remittuntur per modum judicii, in quo contriti, confessi, & parati satisfacere, judicamur, & cum onere reparandi offensam Deo illatam absolvimur.

In collatione & receptione pœnitentiæ pœnitens est reus, & Sacerdos est judex.

Ergo in collatione & receptione sacramenti pœnitentiæ requiruntur quædam ex parte pœnitentis, qui judicatur, & quædam ex parte Sacerdotis, qui judicat; in omni quippe processu judiciali requiruntur quædam ex parte illius, qui judicat & quædam ex parte illius, qui judicatur.

In collatione & receptione Sacramenti pœnitentiæ requiruntur quædam ex parte Sacerdotis, qui judicat, & quædam ex parte rei, qui judicatur.

Ergo ex parte Sacerdotis, qui judicat, requiruntur hæc tria, scilicet auctoritas judicandi, scientia discernendi, & absolutio his verbis concepta: *Ego te absolvo*, &c. Requiritur pariter ex parte pœnitentis contritio, qua de peccatis doleat, confessio qua peccata sacerdoti patefaciat, & satisfactio, qua Deum offensum placare proponat: uti enim in forensibus causis non exercetur valide judicium, nisi in judice sit auctoritas judicandi, scientia discernendi, & sententia qua reum vel damnet, vel absolvat, & nisi pariter sit reus, qui vel propria confessione, vel accusatorum testimonio convincatur, quique voluntaria, vel involuntaria pœna parti læsæ satisfaciat; ita pariter cum pœnitentia sit actus judicialis, non valide confertur, nisi in ministro pœnitentiæ sit auctoritas judicandi, scientia discernendi peccata, & actio qua pœnitentem vel liget, vel absolvat, ejusque peccata vel remittat, vel retineat; & nisi sit in pœnitente voluntaria contritio, qua de peccatis commissis doleat, confessio, qua Sacerdoti statum suum sincere patefaciat, & voluntaria satisfactio qua offensam Deo illatam reparare studeat.

In collatione & receptione sacramenti pœnitentiæ requiritur necessario ex parte pœnitentis contritio, confessio, & satisfactio, & ex parte Sacerdotis auctoritas judicandi, scientia discernendi, & absolutio.

Ergo non male dicitur, quod prædicti actus pœnitentis habeant rationem materiæ, & absolutio sacerdotis habeat rationem formæ; in omni enim actu judiciali processus contra reum habet rationem materiæ, & actio judicis habet rationem formæ, sententia enim judicis est quasi forma determinans singula, quæ in processu judiciali peraguntur, cui concordat Trid. sess. 14. c. 3. *Docet præterea sancta Syno-*

Digitized by Google

Synodus sacramenti pœnitentiæ formam ... in illis ministri verbis positum esse: ego te absolvo ... sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio. Idemque antea dixerat Eugenius in instr. ad Armenos iis verbis: *Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis ... forma hujus sacramenti est: ego te absolvo:* ergo actus pœnitentis habent rationem materiæ, & legitima absolutio habet rationem formæ.

In sacramento pœnitentiæ actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio habent rationem materiæ, & absolutio legitima sacerdotis habet rationem formæ.

Ergo si desint vel actus pœnitentis, qui sunt materia, vel actus sacerdotis, qui sunt forma non erit sacramentum pœnitentiæ, quia sicuti compositum physicum stare nequit sine sua materia & sua forma, ita neque sacramentum.

Si desint vel actus pœnitentis, qui sunt materia, vel actus sacerdotis, qui sunt forma, non erit sacramentum pœnitentiæ.

Ergo in sequentibus casibus non est sacramentum pœnitentiæ, quamvis interveniant aliquæ cæremoniæ, quæ ad sacramentum pœnitentiæ videntur pertinere. 1. Quando pœnitens accedit ad sacerdotem vel neque attritus, neque contritus, vel nullatenus confessus, vel nullatenus volens Deo satisfacere; quia tres illi actus sunt materia sacramenti pœnitentiæ; ergo sicuti sine aqua, quæ est materia Baptismi, nullum est sacramentum Baptismi, ita sine prædictis actibus nullum est sacramentum pœnitentiæ. 2. Quando pœnitens accedit contritus, confessus, & satisfacere proponens, & non est sacerdos, qui habeat auctoritatem absolvendi, vel si habeat, non proferat hæc verba: *ego te absolvo*, sicut enim non est baptismus, si non sit minister legitimus, vel si minister legitimus non proferat hæc verba: *ego te baptizo*, ita non est pœnitentia, si non sit minister legitimus, qui legitime proferat hæc verba: *ego te absolvo*. 3. Quando contritio, confessio, satisfactio, & absolutio est omnino interior & insensibilis, sicuti enim materia & forma cujuslibet sacramenti debet esse sensibilis, ita materia & forma sacramenti pœnitentiæ, & ita absolutio data moribundo etiam interius contrito, qui nulla dat aut dedit saltem per vitam anteactam signa pœnitentiæ, non est sacramentalis, quia cadit supra materiam indebitam, scilicet omnino insensibilem, sicuti & nulla esset pariter absolutio, quam sacerdos optaret interius impendere, quam tamen nullatenus exterius promeret. 4. Quando contritio, confessio, satisfactio, & absolutio non est talis, qualis ab Eugenio concise his verbis exprimitur: *Tres sunt*, inquit, *pœnitentiæ partes: quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem fit præcipue per orationem, jejunium, & eleemosynam. Forma hujus sacramenti est: ego te absolvo, &c.*

ARTICULUS V.

De pœnitentia, quatenus est actus judicialis per solos Episcopos vel sacerdotes jurisdictionem habentes exercendus.

PRop. un. *Absolutio sacramentalis potest solum impendi ab Episcopis & sacerdotibus jurisdictionem ordinariam vel subdelegatam habentibus.*

1. Quia nihil aliud intelligimus per absolutionem sacramentalem. 2. Quia Conc. Trid. damnat eos, qui dicunt, quod *quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factum.* Sess. 14. c. 6. 3. Quia actus judicialis exercetur ab eis qui habent jurisdictionem, ut patet in judiciis forensibus, soli autem Episcopi & sacerdotes utpote habentes potestatem consecrandi Corpus Christi naturale, possunt habere veram jurisdictionem internam supra Corpus Christi mysticum, seu fideles.

Absolutio sacramentalis potest solum impendi ab Episcopis & sacerdotibus habentibus jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam.

Ergo ad conferendam absolutionem a peccatis in foro interiori duplex potestas requiritur: potestas ordinis, & potestas jurisdictionis. Potestas ordinis est potestas collata in ordinatione, per quam qui sacerdos ordinatur, potest consecrare corpus Christi; potestas jurisdictionis est deputatio sacerdotis ad audiendas confessiones collata vel per beneficium, cui annexa est cura animarum, vel per approbationem factam a legitimo superiore, v.g. a Papa circa omnes fideles, ab Episcopo circa suos Diœcesanos, ab Abbate circa regulares sibi subditos.

Ad conferendam valide absolutionem duplex requiritur potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas jurisdictionis.

Ergo potestas ordinis, qua consecrari potest corpus Christi per ecclesiæ ordinationem, nec limitari, nec suspendi potest, bene tamen potestas jurisdictionis, qua scilicet judicari possunt fideles in foro interiori. Potestas enim ordinis sita est in charactere collato in ordinatione, qui character nec amitti potest, nec suspendi: potestas vero jurisdictionis sita est in deputatione ad judicandos fideles, qui fideles possunt a jurisdictione nostra per ecclesiam subtrahi, sicuti a judice forensi subtrahuntur interdum subditi, qui ab illo judicari possent.

Potestas ordinis nec amitti potest, nec suspendi, bene tamen potestas jurisdictionis.

Ergo diversum potest esse in ecclesia jurisdictionis exercitium, prout ecclesia utilius judicat ad fidelium salutem, sicuti in forensibus diversum est in judicandis causis exercitium, prout Princeps utilius judicat ad subditorum bonum & tranquillitatem.

Diversum potest esse in ecclesia jurisdictionis exercitium.

Ergo, si consulatur historia ecclesiastica, diver-

sum

Digitized by Google

fum reperiemus exercitium ejus jurisdictionis, quæ in conferendo sacramento pœnitentiæ exerceretur. Initio ecclesiæ quilibet sacerdos, qui habebat potestatem ordinis, habebat & potestatem jurisdictionis circa fideles illius ecclesiæ cui per ordinationem alligabatur, nullæ enim tunc erant ordinationes vagæ, sed quilibet Clericus alicujus ecclesiæ ministerio addicebatur.

Post exortam hæresim Montanistarum non singulis sacerdotibus fas fuit confessiones audire, sed constituti sunt pœnitentiarii, ut docet Socrates l. 5. c. 19. *Ecclesiarum*, inquit, *Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quo qui post baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.* Idem tradit Sozomenus 7. hist. 17. additque deputatum esse Presbyterum, cujus conversatio esset optima, tenacem etiam secretorum, & prudentem, ad quem, qui deliquerant accederent, quæ gessissent, confiterentur. Nectarii tempore abrogatus est ille pœnitentiarius in ecclesia Constantinopolitana, eo quod mulier in confessione publica, quæ ei injuncta fuerat, ultra mandatum progressa, complicem sui criminis Diaconum prodidisset, licitumque fuit cuilibet, ut pro sua conscientia ad communionem Eucharistiæ eam accederet, non tamen propterea sublatus est confessionis usus, ut quidam conjiciunt ex isto loco Sozomeni, sed sublatus est usus confessionis publicæ, & licitum fuit ad quemlibet Sacerdotem accedere, sublato pœnitentiario, & cuilibet sacerdoti fas fuit absolutionem impendere. Sed postea admissis vagis ordinationibus, divisisque in varios titulos beneficiis, hi soli sacerdotes cœperunt in ecclesia jurisdictionem habere qui vel habuerunt beneficia, quibus annexa est cura animarum, vel qui fuerunt delegati & approbati ab Episcopo, & talis est præsens ecclesiæ disciplina a Conc. Trid. explicata sess. 14. c. 6.

ARTICULUS VI.

De sacramentali absolutione, quatenus impenditur solum vere contritis, sincere confessis, & pro virili satisfacere proponentibus.

PROP. un. *Absolutio sacramentalis non debet impendi nisi vere contritis, sincere confessis, & pro virili satisfacere proponentibus.*

1. Quia nihil aliud intelligimus per sacramentalem absolutionem legitime impensam. 2. Quia Concilia & Patres eas dispositiones exigunt in his, qui absolvuntur. Ideo legimus in omnibus indulgentiarum Bullis, quod Indulgentiæ non dentur nisi vere contritis, & sincere confessis, si absolutione egeant. 3. Quia Sacramentum pœnitentiæ transfert a statu peccati propria voluntate commissi ad statum gratiæ voluntarie acceptæ: Ergo exigit actus a nobis elicitos, quibus ad eam gratiam disponamur, & proinde exigit contritionem qua vere doleamus de peccato, confessionem qua sincere peccatum nostrum patefaciamus & animum quo pro eodem peccato satisfacere intendamus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I. *De necessitate contritionis in sacramento Pœnitentiæ.*

Contritio vere sufficiens ad impetrandam veniam in Sacramento pœnitentiæ est animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, cum spe veniæ, & voto rite suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ. Ita Trid. sess. 14. cap. 4.

Contritio sic descripta est necessaria ad absolutionem percipiendam, necessaria, inquam, non solum per modum dispositionis ad gratiam assequendam, sed etiam per modum materiæ constituentis sacramentum pœnitentiæ.

Ergo toties sacramentum pœnitentiæ est nullum, quoties deest contritio, vel attritio, quæ est materia pœnitentiæ: sicuti enim sacramentum Baptismi est nullum, quoties non adhibetur aqua, quæ est illius materia, ita toties Sacramentum pœnitentiæ est nullum, quoties non adest contritio, vel attritio, quæ est ejus materia.

Toties Sacramentum pœnitentiæ est nullum, quoties deest attritio, vel contritio.

Ergo nullus est casus, in quo Sacramentum possit esse validum & informe, quia ea carentia contritionis, quæ sacramentum reddit informe, eadem reddit sacramentum invalidum & nullum, cum attritio vel contritio sint non solum dispositio ad gratiam consequendam, sed insuper materia constituens sacramentum pœnitentiæ.

Nullus est casus, in quo sacramentum pœnitentiæ possit esse validum & informe.

Ergo singuli casus, qui circa hanc quæstionem afferri solent, ostendunt, sacramentum pœnitentiæ numquam posse esse validum & informe, ut patebit hac inductione. *Primus casus.* Si quis confiteatur omnia & singula peccata sine dolore, tunc sacramentum pœnitentiæ est nullum, quia dolor est materia sacramenti pœnitentiæ. *Secundus casus.* Si quis confiteatur singula peccata cum dolore naturali, quem bona fide putat supernaturalem, sacramentum pœnitentiæ tunc etiam est nullum: sicuti baptismus est nullus, si quis bona fide baptizaret cum aqua artificiali, v. g. cum aqua rosacea, quam crederet esse aquam elementarem, bona enim fides excusat quidem a peccato, sed efficere non potest, quod ea materia, quæ non est debita materia sacramenti, fiat vera materia sacramenti. *Tertius casus.* Si quis confiteatur peccata solum venialia sine ullo dolore ad aliquod ex illis peccatis terminato, sacramentum pœnitentiæ est nullum, si enim desit dolor, deest & materia sacramenti. *Quartus casus.* Si quis confiteatur tria peccata mortalia cum attritione terminata solum ad duo, & sine attritione terminata ad tertium peccatum mortale, cujus non recordatur, tunc etiam sacramentum pœnitentiæ est nullum, quia attritio, quæ est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, debet esse universalis, includens *voluntatem non peccandi de cetero.*

§. II.

Digitized by Google

clesiam Dei confessæ sunt. Sic secundo sæculo juxta Tert. lib. de pœnit. *in Exomologesi Presbyteris advolvimur*, & de bapt. c. 1. vituperat eos, qui peccata occultabant ex verecundia, *quasi melius esset damnatum latere, quam palam absolvi*. Sic tertio sæculo juxta Origenem Hom. in Levit. *Remedium certum & præsens contra peccata est, cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam*. Sic juxta Lactantium: *Ea est vera Ecclesia, in qua confessio pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat*. Lib. 4. inst. c. ult. Sic juxta Hier. in c. 16. Matth. *Alligat, vel solvit Episcopus, non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, quisve solvendus*. Sic Aug. hom. 49. c. 3. ait: *Nemo sibi dicat, occulte ago ... Ergo frustra data sunt claves Ecclesiæ, frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ille negat; nonne vos decipimus?* Sic demum ex praxi universali antiquitatis ecclesiæ habemus in usu fuisse confessionem; nam distinguebantur peccata non canonica a canonicis. Ipsimet Montanistæ distinguebant ea peccata, quæ vocabant irremissibilia ab his, quæ vocabant remissibilia. Demum mitius agebatur cum eo qui sponte peccatum suum fatebatur, quam cum eo cujus peccatum ab aliis detegebatur. Quæ singula sine confessione facta sacerdotibus stare non possunt.

A Christo usque ad nos quicumque volunt peccati mortalis veniam consequi, debent illud sacerdoti declarare.

Ergo quicumque peccati mortalis veniam consequi vult, debet primo juxta antiquam & præsentem ecclesiæ praxim sacerdotem approbatum quærere; nam, ut optime ait Basilius Reg. brev. 228. *Si quis*, inquit, *confiteri velit, necessario hic peccata aperiri debeat, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei*. Secundo, quærendus ex approbatis qui sit fidelis minister, & sapiens medicus, ut prudenter monet Origenes, hom. 2. in Ps. 37. *Circumspice*, inquit, *diligentius, cui debeas peccatum tuum confiteri, proba prius medicum, cui debeas causas languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam*. Tertio, observanda exacte quæcumque Confessarius ad salutem animæ nostræ præcipit, ut idem monet Origenes ibid. *Demum*, inquit, *si quid ille dixerit .... facias & sequaris*. Quo pacto autem se gerere debeat & Confessarius & pœnitens, diximus in superiori ejusdem tractatus parte, ubi plures casus conscientiæ circa eam materiam resolvimus.

Quicumque vult consequi veniam peccati mortalis, debet sacerdotem approbatum quærere, eique tamquam medico prudenti peccata sua aperire, &c.

Ergo ex ea cautione, quam ecclesia jam adhibet, semperque adhibuit in eligendis Confessariis, colligi potest confessionem non debere esse publicam, sed secretam: de quo ita Trid. sess. 14. c. 5. *Caeterum*, inquit, *quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda*. Quod ea semper fuerit ecclesiæ mens, ex eo patet, quod Patres semper secretum in confessione exegerint. Chrys. vocat Tribunal pœnitentiæ *amarturon*, idest Tribunal testium expers. Hier. loquens de confessionibus publicis Monachorum monet, quod non debent secreta crimina prodere nisi soli sacerdoti. Et Sozomenus exigit pœnitentiarium secretorum tenacem. Demum Leo ep. 8. Episcopis Campaniæ publicam confessionem introducere nitentibus apprime restitit, & ne id facerent, prohibuit.

§. III. *De satisfactionis necessitate.*

Prop. un. *Satisfactio est voluntaria castigatio, qua injuria Deo per peccatum illata compensatur.*

Ex hac definitione colligitur, quod præter veram contritionem, & confessionem sinceram, ad obtinendam remissionem totius pœnæ debitæ peccatis, necessaria est satisfactio; quia habemus ex Scriptura, quod Deus a peccatoribus vere pœnitentibus pœnas aliquas exigat. Nam Adamus vere doluit de peccato, ut testatur Sapiens, & tamen Deus pœnam temporalem illi inflixit juxta illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Populo Judaico remissum fuit peccatum idololatriæ, & tamen Deus dixit Moysi: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum*. Moyses & Aaron vere doluerunt de peccato incredulitatis, & tamen in pœnam illius peccati etiam remissi nec Moyses, nec Aaron in terram promissam ingressi sunt. Maria soror Moysis deprecante Moyse veniam consecuta est illius murmuris, quo contra fratrem insurrexerat, & tamen septem diebus a castris separatur. David vere doluit de homicidio, de adulterio, & utrumque peccatum transtulit Deus, sed tamen in pœnam illius ejusdem peccati varie afflictus est, ut confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Et hoc videtur indicare locus ille Pauli ad Hebr. 10. v. 26. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis Hostia*, qualis fuit in Baptismo: *terribilis autem quædam expectatio judicii*, quo nosmetipsos castigamus. Ita vulgo Interpretes. Cujus dimidiatæ, ut ita dicam, reconciliationis non alia potest reddi ratio, quam beneplacitum divinæ voluntatis, quæ in hac reconciliatione non vult omnem pœnam relaxare, sicut in Baptismo, sed ex misericordia pœnam æternam peccatis debitam remittit, & ex justitia remittendo pœnam æternam, exigit temporalem, ut in hac reconciliatione elucescat misericordia & justitia ex parte Dei. Ex parte vero nostri per conversionem ad Deum tollitur ea adversio a Deo, quæ est in peccato, & punitur temporaliter ea nimia complacentia erga creaturas, quæ fuit in peccato. Sic homo agnoscit Deum ut patrem cum parcit, ut judicem dum punit, ut misericordem dum pœnas æternas non exigit, & justum dum

temporales pœnas imponit. Sic pœnitentia *baptismus* est, quia abstergit culpam, sed *laboriosus*, quia pœnam temporalem relinquit subeundam. Deus baptizatum eximit a culpa, quia ignorans fecit, baptizatum relapsum subjicit pœnæ, quia post agnitam veritatem peccaverit, &c.

Præter veram contritionem, & sinceram confessionem ad obtinendam remissionem totius pœna debita peccatis requiritur satisfactio.

Ergo quoties condonatur nobis a Deo culpa, toties non condonatur omnis pœna, non quidem defectu Sacramenti pœnitentiæ, quod de se est remissivum totius pœnæ, sed defectu pęnitentium qui non omnia præstant ad suas culpas plena satisfactione purgandas, quod quidem multa indulgentia toleratur a Deo. Sed tota pęna tunc solum remittitur, cum pęnitens intensissimam contritionem affert, qualis fuit contritio Pauli, Petri, Magdalenæ, &c.

Quoties condonatur a Deo culpa, toties non remittitur pœna, sed id solum evenit, cum ardentissima est nostra caritas erga Deum, qualis est v. g. in Martyribus, qualis fuit in conversione Magdalena, &c.

Ergo in justificatis manet ut plurimum aliquis reatus pęnæ temporalis exsolvendus vel in hoc sæculo, vel in Purgatorio. *Hac enim est justissima lex*, inquit Aug. *ut pœna aliqua peccatum quodlibet puniatur:* atqui peccatum a nobis commissum, & in justificatione quoad culpam remissum, non puniri potest in inferno, quia pęna æterna ei debita mutata est in temporalem, ergo puniri debet vel in hoc sæculo, vel in Purgatorio, Quod ita determinat Trid. sess. 6. can. 30. *Si quis*, inquit, *post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pęna deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœna temporalis exsolvenda vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna Calorum aditus patere possit, anathema sit.*

In justificatis manet ut plurimum aliquis reatus pęna temporalis, absolvendus vel in hoc saculo, vel in Purgatorio.

Ergo peccatores etiam justificati debent maxime insistere orationi, jejunio, & eleemosynæ, quia ut docet Catech. p. 2. de operibus satisfact. nu. 75. nihil triplici hoc exercitio *aptius & convenientius ad exstirpandas omnium peccatorum radices;* nam concupiscentiam carnis per jejunium, concupiscentiam oculorum per eleemosynam, superbiam vitæ per orationem debellamus. Idem Catech. *oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero jejunio castigamus.*

Peccatores etiam justificati debent maxime insistere orationi, jejunio, & eleemosyna, ut exsolvant pœnas temporales peccatis remissis debitas.

Ergo, cum pia illa opera ut plurimum pęnis singulis a nobis necessario exsolvendis non sufficiant, misericorditer providit Deus Missæ sacrificium & indulgentiarum thesaurum, quo sacrificio pie oblato infinitam Christi satisfactionem nobis applicamus, ex quo etiam indulgentiarum thesauro, quasi ex publico ecclesiæ ærario, sumimus quidquid ad solvenda debita nostra deesse potest. De utroque remedio nostræ insufficientiæ ad satisfaciendum Deo loquitur disertis verbis Trid. sic enim habet de sacr. Missæ. *Et quoniam*, inquit, *in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus sacrificium vere propitiatorium esse ... Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pęnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur*, Sess. 22. c. 2. De thesauro autem indulgentiarum sic habet: *Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit S. Synodus, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*. Sess. 25. c. 1. de indulg. *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur:* ut ibid. addit Conc.

ARTICULUS VII.

De Sacramento pœnitentia, quatenus remittit peccata, gratiam confert, & virtutes amissas restituit.

PRop. un. *Pœnitentia sacramentum peccata commissa post Baptismum remittit absolute & non conditionate.*

I. Quia nihil aliud intelligimus per pęnitentiam. 2. Ex D. Paulo *sine pęnitentia sunt dona Dei & vocatio:* ad Rom. 11. Et ex Ezech. 18. *Si impius egerit pęnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Et ex Nah. c. 1. *Non consurget duplex tribulatio*, idest, ut septuaginta habent, *non vindicabit Deus bis in idipsum*: Ergo, ut dixit Gelasius apud Gratian. dist. 4. de pęn. *Divina clementia admissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*. 3. Pęnitentia efficit quod significat, Sacramenta enim efficiunt quod significant: Hæc autem verba, *Ego te absolvo*, significant peccata remitti absolute: ergo pęnitentia remittit peccata absolute, & non conditionate, & proinde peccata remissa non redeunt post recidivam. Quod si peccata dimissa dicantur redire, hoc intelligitur, inquit D. Th. quod per recidivam redeant in aliquo simili, quatenus recidivæ peccatum adjunctam habeat privationem gratiæ sicuti peccata dimissa, & quatenus ingratitudinis enormitas, cujus conscius est qui in peccatum relabitur, longe gravior est quibuscumque peccatis dimissis.

Pęnitentia sacramentum peccata commissa post Baptismum remittit absolute & non conditionate.

Ergo confert gratiam justificantem a peccato; quia justificatio a peccato, & remissio peccati non fit sine infusione gratiæ, ut docet Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit*, inquit, *homines justificari vel sola imputatione justitia Christi, vel sola peccatorum remissione*

misissent, exclusa gratia & caritate, qua in cordibus eorum per spiritum S. diffundatur, atque illis inhareat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

Pœnitentia sacramentum confert gratiam justificantem.

Ergo pœnitentia restituit omnes virtutes supernaturales Theologicas & Morales per peccatum amissas, v. g. restituit fidem vivam, spem vivam, caritatem, prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam, singulæ enim prædictæ virtutes sunt connexæ cum gratia, sunt quippe vel organa, quibus gratia operatur in justificato, vel ornamenta, quibus eum adornant.

Pœnitentia restituit omnes virtutes supernaturales amissas sive Theologicas, sive Morales.

Ergo pœnitentia restituit bona opera, quæ fuerant mortificata per peccatum, & merita, quæ fuerant interrupta per idem peccatum, etenim & bona opera mortificata, & merita interrupta erant quasi appendices gratiæ & virtutum, quæ conjunguntur cum gratia, quibus restitutis debent & eædem appendices restitui, merita enim illa, sicuti & bona opera, erant quasi suspensa per peccatum, sicuti illuminatio solis opposita nube suspenditur: ergo remoto peccato opera illa bona suam vitam & suum meritum incipiunt habere, sicut illuminatio solis remota nube lucem incipit diffundere, & hoc est, quod dicit Joel 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta & bruchus*, idest restituam merita, quæ peccatum abstulerat, & vitam reddam operibus, quæ peccatum quasi mortua reddiderat.

Pœnitentia restituit bona opera, quæ fuerant mortificata per peccatum, & restituit merita etiam interrupta per peccatum.

Ergo pœnitentia constituit hominem peccatorem in eodem jure, quod habebat ante lapsum, jus enim omne, quod habet homo ad gloriam, est dependenter a gratia, a virtutibus infusis, a bonis operibus, & a meritis, & ita illis omnibus restitutis homo in eo jure statuitur, quod habebat ante lapsum.

Pœnitentia sacramentum constituit peccatorem in eo jure, quod habebat ante lapsum.

Ergo post pœnitentiæ sacramentum, immo post actum perfectæ contritionis, homo habet & jus, quod ei competebat ante lapsum, & jus quod meruit per conversionem, quia Deus ita benignus est & justus, ut nihil velit deperdi eorum, quæ peccator habebat ante lapsum, & eorum, quæ meruit per conversionem, & ita si ante lapsum haberet sex gradus meriti ad gloriam, & in conversione duos gradus meruerit, post conversionem habebit jus ad octo gradus meriti obtinendos in gloria.

Pœnitens post sacramentum pœnitentiæ, immo post actum perfectæ contritionis habet & jus quod ei competebat ante lapsum, & jus quod meruit per conversionem.

Ergo juxta Thomistas, licet pœnitens non obtineat gratiam & virtutes in esse *qualitatis* & *physice* spectatas, nisi juxta dispositionem physicam, quam præhabet contritio, quia forma physica, qualis est gratia, non datur nisi juxta proportionem physicæ dispositionis, qua præceditur, tamen pœnitens obtinebit gratiam & virtutes in esse *moris & meriti*, juxta quantitatem & meritorum, quæ ei competebant ante lapsum, & meritorum, quæ ei debentur ex vi conversionis, v. g. si ante lapsum haberet sex gradus meriti, & ex vi conversionis ei deberentur duo gradus meriti, accipiet gratiam & virtutes *physice* & in esse qualitatis in gradu *ut duo*, in esse vero moris & meriti in gradu *ut octo*, quia inquiunt, gratia in esse qualitatis infunditur juxta dispositionem physicam, in esse vero moris & meriti infunditur juxta merita debita.

CAPUT IX.

De Extrema-Unctione.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Extremæ Unctionis.

Extrema Unctio sortitur varia nomina apud auctores ecclesiasticos. 1. Ratione materiæ, ex qua constat, vocatur *Oleum sanctum*, ita in Euchologiis Græcorum. 2. Ratione materiæ & formæ vocatur oratio cum oleo: ita etiam in Euchologiis Græcorum. 3. Ratione subjecti, cui confertur, vocatur unctio infirmorum. 4. Ratione ordinis, quem habet ad ceteras unctiones, vocatur extrema Unctio, seu Sacramentum exeuntium. 5. Ratione effectus vocatur animæ & corporis medicina. 6. Ratione ordinis, quem dicit ad pœnitentiam, vocatur consummativum pœnitentiæ. Unde extrema Unctio potest sic definiri: *Extrema unctio est cæremonia sensibilis per sacerdotem in oleo ab episcopo benedicto collata ægroto periclitanti ad conferendam sanitatem animæ, immo & sanitatem corporis, si expediat.*

1. Dicitur *cæremonia sensibilis*, quia ritus est, qui non solet nisi cum solemni apparatu conferri, ut patet ex cæremoniis in rituali contentis. 2. Dicitur *collata per sacerdotem*; quia minister illius Sacramenti non est Laicus, sed sacerdos. 3. Additur *collata infirmo*; quia subjectum hujus Sacramenti non est quilibet, sed tantum homo in infirmitate decumbens. 4. Adjungitur *in oleo per episcopum benedicto*, quia hæc est materia hujus Sacramenti. Demum asseritur, *quod conferat sanitatem animæ & corporis, si expediat*, quia primus effectus hujus Sacramenti est gratia, secundus vero est corporis sanitas, cum expedit ad salutem animæ.

ARTICULUS II.

De Extrema Unctione quatenus est cæremonia sensibilis.

Prop. un. Extrema Unctio est cæremonia sensibilis conferens gratiam. 1. Quia nihil aliud intelligimus per extremam unctionem. 2. Quia id denotant nomina, quibus nuncupatur. 3. Quia id expresse asserit Jacobus in sua ep. 5. v. 15. ubi loquens de hac cæremonia ait: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* 4. Quia traditio in Ecclesia perenniter conservata hanc cæremoniam ut

ut gratiæ effectricem semper retinuit, ut videere est apud Estium de extrema unctione, & apud Dominum de Saint.-Beuve.

Extrema unctio est ceremonia sensibilis conferens gratiam.

Ergo extrema unctio est verum, & proprie dictum sacramentum, quia cæremonia, cui alligata est promissio gratiæ, est verum Sacramentum, quippe Baptismus & Eucharistia non alia ratione dicuntur Sacramenta, nisi quia sunt cæremonia sensibilis, cui alligata est promissio gratiæ, ideo Trid. vocat extremam unctionem Sacramentum, a Marco quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum commendatum & promulgatum.

Extrema unctio est verum & proprie dictum sacramentum.

Ergo nulla est ratio sufficiens, qua hæretici possint extremam unctionem e numero Sacramentorum expungere, quia nulla potest esse ratio sufficiens contra expressam Scripturæ traditionem, & ecclesiæ determinationem.

Nulla est ratio sufficiens, qua extrema unctio possit expungi e numero sacramentorum.

Ergo nullæ sunt rationes, quibus Dalæus vult probare extremam unctionem non esse Sacramentum. Et primo quidem diversæ catholicorum sententiæ circa institutorem, materiam, & formam extremæ unctionis nihil probant contra veritatem hujus Sacramenti; quippe Theologi catholici consentiunt omnes, extremam unctionem esse Sacramentum, licet dissentiant circa aliqua, quæ spectant vel auctorem, vel materiam, vel formam hujus Sacramenti; ideo hic dici potest contra Dalæum quod Aug. dicebat l. 1. contra Julianum c.6. *Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius: hoc autem, de quo nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.* 2. Non aptius ratiocinatur Dalæus, cum negat, extremam unctionem esse Sacramentum, eo quod non legatur eam cæremoniam adhibitam fuisse multis piis hominibus ex hoc sæculo exeuntibus, puta, Constantino, matri Constantini, Chrysostomo, Augustino, &c. Quippe non omnia scripta sunt, quæ fuerunt facta. Deinde, ubi dicitur collata fuisse Sacramenta his hominibus e sæculo exeuntibus, præcipue viaticum aut pœnitentiam, statim collatam esse extremam unctionem colligere possumus, cum extrema unctio olim daretur ante viaticum, nisi forte sacra communio a clerico non sacerdote conferretur; & in ipsa collatione pœnitentiæ sufficienter exprimitur collatio extremæ unctionis, cum extrema unctio sit consummativum pœnitentiæ. Demum non conferri solebat extrema unctio recenter baptizatis, nec his, qui absolutione pœnitentiæ non censebantur indigere, eo quod extrema unctio quasi appendix & signaculum pœnitentiæ haberetur: Ergo non mirum, si non legatur collata tot piis hominibus, aut recenter baptizatis, qualis fuit Constantinus, aut pœnitentia Sacramentali non egentibus. Immo multi sunt primis etiam sæculis sanctissimi homines, qui ex hac vita exeuntes sacro infirmorum oleo uncti sunt, ut multis exemplis probat Dominus de Sainte-Beuve loco citato.

De materia & forma, ministro & subjecto hujus Sacramenti sufficienter diximus in superiori parte. Ideo sit

ATICULUS III.

De effectibus extremæ unctionis.

Prop. un. Effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum, & sanitas corporis, si expediat. 1. Quia nihil aliud intelligimus per hoc Sacramentum. 2. Quia utrumque effectum huic cæremoniæ adscribit Jacobus, dum ait: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Prius autem dixerat: *Oratio fidei salvabit infirmum.* 3. Quia Concilia & Patres duplicem illum effectum huic Sacramento adscribunt.

Consectaria sequentia immediate ex prædicta propositione.

Consect. 1. Extrema unctio non *per se primo* ordinatur ad remittenda peccata, sicuti baptismus, & pœnitentia, quia non est Sacramentum mortuorum; *neque per accidens*, quia non est sicuti alia Sacramenta vivorum; *sed per se secundo*, quatenus est complementum pœnitentiæ, supplens illius defectum in ægroto contrito, qui vel ex vi morbi, vel ex alio casu absolutionem Sacramentalem accipere non potest; ita videtur docere D.Th. contra gentes c.73. *Contingit*, inquit, *quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare: sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum* extremæ unctionis *emundari.* Notandum tamen, quod, ut aie Ferrariensis explicans illum locum D. Th. homo, in extremo positus, non recipit remissionem peccatorum, *nisi adsit dolor generalis eorum, quorum per incuriam fuit oblitus*: ut enim dicitur in Elucidario apud Anselmum, extrema unctio non prodest ei, qui pœnitentiam agere contempsit, vel neglexit. *Si*, inquit, *de peccato pœnitentiam non egit, ista unctio non solum ei nihil prodest, sed etiam multum obest.*

Consect. 2. Extrema unctio remittit peccatorum reliquias, quibus tria possunt intelligi. 1. Reatus pœnæ temporalis. 2. Pravæ dispositiones ad peccandum. 3. Debilitas & languor ad operandum bonum; tria enim hæc ex peccato sequuntur, proinde debent per hoc Sacramentum tolli; quia, ut inquit D. Th. 4. contra gentes c.73. *Hoc Sacramentum est ultimum & quodammodo consummativum totius spiritualis curationis*: Ergo debet reliquias peccatorum tollere.

Consect. 3. Extrema unctio alleviat animam, idest dat ei firmitatem quamdam, qua fiducia in Deum augetur, & vis ad resistendum dæmoni & quibuscumque aliis tentationibus, roboratur: ideo vocatur istud Sacramentum a Victore Antiocheno, *oleum quod molestias mitigat, lumen fovet, & hilaritatem conciliat.* In c.6. Marc.

Consect. 4. Extrema unctio confert sanitatem corpo-

poralem, si expediat; de quo ita D. Th. *Ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* In 4. dist. 23. q. 1. a. 2. Nec obstat, quod aliqui ex recuperata sanitate fiant pejores: qui enim recuperant sanitatem per unctionem, & non per remedia naturalia, sunt in duplici differentia: vel enim pertinent ad numerum *electorum*, & illis recuperatio sanitatis proficit in ordine ad *salutem æternam*: vel pertinent ad numerum *reproborum*; & his restitutio sanitatis proficit ad *salutem temporalem* Qui vero pejores evadunt pro omni tempore, post acceptam sanitatem, ii, inquam, sanantur non per unctionem, & ex vi Sacramenti, sed post unctionem, & ex vi remediorum naturalium.

CAPUT X.

De Ordine.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Ordinis.

ORdo plura habet nomina. 1. Dicitur *Ordo Sacer*; Quia qui sunt in aliquo ordine Ecclesiastico constituti, hi omnes sunt speciali aliqua consecratione Deo dedicati. 2. Dicitur *impositio manuum*, ut denotetur cæremonia, per quam ordo confertur.

Unde ordo definiri potest, Sacramentum novæ legis a Christo institutum, quo potestas spiritualis traditur, & gratia confertur ordinatis ad obeunda ministeria Ecclesiastica.

ARTICULUS II.

De existentia Ordinis in Ecclesia.

PRop. unica. Ecclesia est sacra Respublica, in qua est potestas ferendi leges, judicandi legis infractores, & offerendi Sacrificium.

Prob. Prima ratio. In omni Republica bene ordinata debet esse potestas ea exercendi, ad quæ Respublica destinatur, alias perperam instituta esset Respublica. Sic in Republica civili est potestas ferendi leges, & judicandi infractores legis, & bellandi seu tuendi subditos contra hostium incursus: Ergo in Sacra Republica, qualis est Ecclesia, debet esse 1. Potestas ferendi leges sacras. 2. Judicandi legis infractores. 3. Demum potestas offerendi Sacrificium; quia ad istud ultimum præcipue ordinatur in Ecclesia.

Secunda ratio. Ecclesia non est inferior Synagoga; in Synagoga autem erat potestas statuendi leges, & judicandi infractores legis, & offerendi Sacrificia: ergo eadem potestas debet esse in Ecclesia.

Tertia ratio. Semper Ecclesia illa triplici potestate usa est, constituit leges, legis infractores judicavit, & Sacrificia obtulit: ergo habet triplicem illam potestatem. De potestate ferendi leges egimus ubi de lege. De potestate judicandi in foro exteriori egimus ubi de censuris. De potestate judicandi in foro interiori egimus ubi de pœnitentia. Jam de potestate sacrificandi agendum, quam quidem potestatem Christus Ecclesiæ contulit, dum dixit Apostolis, eorumque successoribus: *Hoc facite in meam commemorationem*: quam potestatem sic exponit Trid. sess. 23. c. 1. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi; sed officium tantum & nudum ministerium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.*

Ecclesia habet potestatem Sacrificium offerendi:

Ergo in Ecclesia debet esse ordo, seu Sacramentum, quo ministri destinentur ad consecrandum Corpus Christi, & ad obeunda cetera Ecclesiæ munia. Si enim in Synagoga fuerit cæremonia sensibilis qua Levitæ & Sacerdotes consecrarentur, & offerrent Sacrificia, ut habetur Numerorum 8. a fortiori in Ecclesia, in qua est Sacrificium excellentius, scilicet Eucharistia, debet esse cæremonia sensibilis, seu Sacramentum consecrans Ministros Eccl. Unde Aug. lib. 2. contra Parmenianum comparat baptismum cum ordine, & dicit utrumque esse Sacramentum, quod iterari non possit. Idem docet Hieronymus contra Vigilantium, & auctor de septem gradibus Ecclesiæ inter opera Hieron. Ideo in Trid. sess. 23. cap. 3. sic habetur: *Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.... anathema sit.*

In Ecclesia debet esse Ordo, sive Sacramentum, quo Ministri destinentur ad consecrandum Corpus Christi, & ad obeunda cetera Ecclesiæ munia.

Ergo tot debent esse ordines, quot sunt necessarii ad decentem tanti Sacrificii consecrationem; quia in Ecclesia nihil deesse debet eorum, quæ conducunt ad cultum Dei.

In Ecclesia tot debent esse Ordines, quot conducunt ad decentem Eucharistiæ consecrationem.

Ergo præter Episcopatum debent esse in Ecclesia septem ordines; quia hi omnes necessarii sunt ad decentem Eucharistiæ consecrationem. 1. Quidem necessarius est Episcopatus, ut per Episcopum consecrentur Sacerdotes, & alii inferiores Ministri. 2. Necessarium est Sacerdotium, ut per Sacerdotem consecretur Eucharistia; ideo Sacerdoti in ejus ordinatione datur calix cum vino & patena cum pane, eique dicitur: *accipe potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi.* 3. Necessarius est Diaconatus, ut per Diaconum Sacerdoti ministretur materia consecranda. 4. Necessarius est Subdiaconatus, ut per Subdiaconum præparentur Vasa sacra ad Sacrificium necessaria; ideo Subdiacono datur calix vacuus & patena vacua. 5. Necessarius est Acolythatus, ut remote præparetur materia ad Eucharistiam; ideo ei dantur urceoli vacui. 6. Necessarius est Ostiariatus, ut Ostiarius fores Ecclesiæ claudat infidelibus, qui ob infidelitatem digni non sunt, qui adsint sacrificio. 7. Necessarius est Lector, qui instruat Catechumenos, ut cum instructi fuerint, possint interesse Sacrificio. 8. Necessarius est Exorcista, ut excludat Energumenos.

Præter Episcopatum necessarii sunt septem Ordines ad decentem Eucharistiæ consecrationem.

Ergo præter episcopatum, qui est complementum Sacerdotii, septem illi ordines dici possunt Sacramenta; quia sunt cæremonia sensibilis conferens gratiam. Et quidem Scriptura facit expressam mentionem de singulis illis gradibus. De episcopis enim dicitur: *Spiritus sanctus posuit vos episcopos regere Ecclesiam Dei.* De Sacerdotibus dicit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad Co. c. 11. De Diaconis vero agitur Actorum 6. ubi narratur, quod per impositionem manuum septem Diaconi fuerunt ordinati. De Subdiaconis vero & aliis inferioribus Ministris agitur in Canonibus Apostolorum, & in Concilio Carthaginensi IV. Quamvis ego fatear, quod in omni Ecclesia non fuerit circa id eadem disciplina: quia Græci nec Ostiarios habent, nec Exorcistas, nec Acolytos, sed in omni Ecclesia sive Græca, sive Latina sunt inferiores Ministri, & inferiores ordines, quibus ad Sacerdotium tenditur: de quibus ita Trid. sess. 23. c. 2. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Septem illi Ordines possunt dici Sacramenta.

Ergo prædicti omnes gradus sive ordines nec recipi debent, nec solemniter exerceri in statu peccati. Quia juxta probabiliorem, & communiorem, & tutiorem sententiam prædicti omnes ordines sunt vere & proprie dicta Sacramenta, cum juxta instructionem Eugenii ad Armenos, quilibet ordo habeat propriam materiam & propriam formam. 2. Quia juxta Trid. ordo est Sacramentum, & quilibet ex prædictis ritibus est verus ordo. 3. Demum quia juxta Aug. lib. de bono conjug. c. 29. in omnibus ordinatis remanet Sacramentum. De hoc jam actum est ubi de dispositione ad recipienda Sacramenta.

CAPUT VI.

De Matrimonio.

ARTICULUS I.

In quo traditur & explicatur definitio Matrimonii.

Matrimonium potest considerari quatenus contractus, & quatenus Sacramentum.

Matrimonium, quatenus contractus, est contractus naturalis, civilis, Ecclesiasticus, quo vir & mulier sibi mutuo legitimo tradunt corpus suum ad generandam & educandam prolem.

Matrimonium, quatenus Sacramentum, est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per legitimum & indissolubilem contractum inter virum & feminam, tradita & accepta mutua corporum potestate, celebratum, gratia confertur ad generandam & educandam prolem propter Regnum Cælorum, & ad sustinenda omnia status conjugalis onera.

1. Dicitur *Contractus Naturalis*: quia Matrimonium quatenus officium naturæ, est conventio, qua vir & mulier corporum suorum dominium ad usum conjugalem sibi invicem tradunt; ex qua conventione sequitur jus exigendi debiti, & obligatio viro & uxori sibi mutuo providendi, & providendi filiis: talis erat conjunctio Agar cum Abraham, & Jacob cum suis ancillis: talis est conjunctio matrimonialis apud gentiles populos. Inde est, quod etiam apud Christianos conjunctio cum concubinis matrimonii nomen obtineat, ut videre est in Conc. Tolet. I. can. 17. Constitut. Clement. lib. 8. cap. 32. & apud Aug. de fide & operibus, & de bono conjugali c. 5.

2. Dicitur *Contractus Civilis*, quia Matrimonium, quatenus conjunctio facta secundum leges civiles, privilegiis & honoribus gaudet: quale est jus communitatis bonorum, jus dotis, jus successionis; quippe juxta jus civile conjugati bona habent communia, maritus jus habet exigendi dotem, filii procreati jus succedendi: ut docet Leo Ep. 62. cap. 3. & Justin. Novel. 13. c. 15.

3. Dicitur *Contractus Ecclesiasticus*, & *Christianus*; quia Matrimonium, quatenus est conjunctio facta inter baptizatos juxta regulas Ecclesiæ, est verum novæ legis Sacramentum. Auctor quippe sacramenti hujus, quatenus est contractus naturalis, est Deus, qui adduxit Evam ad Adam, eamque huic dedit sociam. Auctor contractus civilis est legitimus legislator; quare varia sunt jura civilia nuptiarum secundum varias leges & consuetudines. Auctor vero Matrimonii, quatenus est Sacramentum, est Christus; ut enim Matrimonium ad originalem perfectionem reduceret, vim gratiæ conferendæ ei superaddidit, qua gratia libido temperaretur, conjuges sanctificarentur, & filii nascerentur non tam amore libidinis, quam desiderio sanctæ posteritatis, quæ dum orbem terrestrem incoleret, Ecclesiam augeret, & cælestem Patriam repleret.

4. Additur: *Quo legitime sua corpora tradunt sibi mutuo vir & mulier.* Hac voce *legitime*, excluduntur conjunctiones illegitimæ, fornicariæ, adulterinæ & incestuosæ, & quælibet, quæ cum impedimento aliquo *dirimente*, vel *prohibente* fiunt. Hæ voces, *sua corpora tradunt*, denotant Matrimonium non esse solum animorum unionem, qualis est simplex amicitia, sed potest etiam esse unio corporum, ut dicit Scriptura: *Erunt duo in carne una.* Matth. 19. v. 5. Non est tamen necesse ut sit carnalis copula; nam juxta Chrysost. Hom. 32. in Matth. & juxta Aug. serm. 33. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Hæ voces *vir & mulier*, excludunt impudicitiæ monstra: quales sunt sodomia, bestialitas, &c. Dum superadditur, *ad perpetuam vitæ societatem*, hæ voces denotant Matrimonium junctionem esse ad vitam, neutram partem esse liberam donec altera moriatur. Subsequentes hæ voces *ad usum copulæ carnalis & remedium concupiscentiæ*, significant, jus esse in qualibet parte exigendi debitum in remedium concupiscentiæ: *Melius est enim nubere, quam uri.* 1. ad Cor. cap. 7. v. 9.

ARTICULUS II.

De Matrimonio quatenus est contractus naturalis.

Prop. unica. Matrimonium est contractus naturalis, 1. Quia nihil aliud intelligimus per Matri-

Matrimonium. 2. Quia juxta Justinianum conjunctio maris & feminæ ad jus naturale pertinet. 3. Quia, cum hæc conventio quoad certas conditiones apud omnes peræque custodiatur, signum est contractum esse naturalem.

Matrimonium est contractus naturalis.

Ergo quidquid impedit contractum naturalem, impedit Matrimonium: sicut etiam quod tollit materiam Matrimonii, scilicet contractum naturalem; tollit Matrimonium.

Quod impedit contractum naturalem, impedit Matrimonium.

Ergo quidquid impedit consensum, tollit Matrimonium; quia consensus est de intrinseca ratione contractus.

Quod impedit consensum, impedit Matrimonium.

Ergo quidquid tollit vel rationem, vel libertatem, impedit Matrimonium, quia consensus seperiri non potest ubi non est ratio, & libertas.

Quidquid tollit vel rationem, vel libertatem, impedit Matrimonium.

Ergo amentia, pueritia, ignorantia, error, fraus, dolus circa substantiam rei, quæ est materia contractus, passio absorbens usum rationis, vis, metus impediunt Matrimonium; quia priora impediunt cognitionem, posteriora liberam electionem. Et ita amentes, phrenetici, pueri, decepti errore, dolo, fraude circa substantiam personæ, excæcati passione, non valide contrahunt; quia agunt sine cognitione: coacti vi, vel metu cadente in constantem virum, non valide contrahunt; quia agunt sine plena libertate.

ARTICULUS III.

De Matrimonio, quatenus est contractus civilis.

PRop. un. Matrimonium est contractus civilis. 1. Quia nihil aliud intelligimus. 2. Quia, si ad Rempublicam spectat eos contractus dirigere, quibus res exigui momenti aut donantur, aut venduntur, aut commutantur; a fortiori ad Rempublicam pertinebit matrimonialem contractum omnium maximum, & Reipublicæ magis utilem dirigere.

Matrimonium est contractus civilis.

Ergo debent in eo servari omnes solemnitates jure civili requisitæ: quia oportet, ut contrahentes legibus Reipublicæ subsint, & non dominentur.

Debent in Matrimonio observari omnes solemnitates jure civili requisita.

Ergo, si desint aliquæ ex illis solemnitatibus, Matrimonium erit vel illicitum, vel nullum; nullum quidem, si omissio sit irritans; illicitum, si omissio sit tantum impediens.

Matrimonium erit nullum, si omissio solemnitatis civilis sit irritans, illicitum vero, si sit tantum impediens.

Ergo videndum, quid irritum, quid vero illicitum reddat Matrimonium, juxta jus civile perscriptum, vel traditum; quia non aliunde, quam ex jure scripto & ex consuetudine possumus addiscere quid dirimat Matrimonium, & quid non dirimat: quæ singula in priore parte explicuimus.

ARTICULUS IV.

De Matrimonio quatenus est Sacramentum.

PRop. un. Matrimonium nedum est contractus naturalis & civilis, sed etiam Ecclesiasticus, & proinde Sacramentum. 1. Quia per Matrimonium nihil aliud intelligimus. 2. Ecclesia est in possessione septem Sacramentorum proprie dictorum. Nulla autem ratio est, cur Matrimonium a reliquis secernatur: & Patres indicant, gratiam eo Sacramento contineri & conferri, cum dicant: Primo Christum venisse ad nuptias, ut eas constitueret, benediceret, & sanctificaret; uti enim, dum baptizatus est, vim regenerandi contulit aquis, ita dum nuptiis interfuit in Cana Galilææ, vim spiritualem sanctificandi contulit nuptiis. Secundo dicunt nuptias sanctificari per verbum Sacerdotis, uti sanctificantur baptisma & ordines; etenim uti sacris cæremoniis baptizati & ordinati sanctificantur, ita Sacerdotum precibus conjugati benedicuntur. Tertio asserunt fidelium, infideliumque nuptias distingui Sanctitate Sacramenti.

Matrimonium est contractus Ecclesiasticus, & Sacramentum.

Ergo non est res mere naturalis & politica, sed signum rei sacræ. 1. Est signum unionis Christi cum Ecclesia; ut docet Paulus ad Ephes. c. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*; uti enim conjugati sunt unum in carne juxta illud Matth. 19. v. 5. *Erunt duo in carne una*; ita Christus & Ecclesia sunt unus spiritus: & sicut homo relinquit patrem & matrem, & adhæret uxori suæ; ita Christus quasi reliquit sinum Patris æterni, ut copularet sibi Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea: & sicut mulier infidelis sanctificatur per virum fidelem; ita Ecclesia sanctificatur per Christum totius sanctitatis principium juxta illud: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ad Ephes. 5. verb. 26. 2. Matrimonium est signum gratiæ sanctificantis conjugatos: ut enim baptismus sanctificat rite baptizatum, confirmatio rite confirmatum; ita Matrimonium sanctificat legitime conjugatos.

Matrimonium est signum gratiæ sanctificantis conjugatos.

Ergo, licet Matrimonium non sit comparabile neque cum sacra virginitate quæ expedita est ad sequendum agnum quocumque ierit; neque cum castitate viduali, quæ libera est, ut non cogitet, nisi quæ Dei sunt, ut docet Aug. de bono viduitatis, neque cum Sanctorum Patriarcharum nuptiis, jam enim filiorum desiderium carnale est, tunc autem sanctum & spirituale, Aug. de bono conjugii cap. 13. & 17. tamen, ut idem Sanctus dicit, in multis honorabile est connubium: siquidem per Matrimonium 1. Numerus prædestinatorum hominum impletur. Aug. 1. de civ. c. 13. 2. Casus Ance-

lorum reproborum suppletur. Aug. l. 22. de civ. 5. Hominum mortalitati successione prolis succurritur. 4. Sanctorum societas carnali generatione propagatur. Aug. de bono conjug. c. 9. 5. Libidinis morbo remedium adhibetur, ad eam cadentem velut lectulo excipiendum, ne in mortem ruat. Aug. lib. de Genesi c. 7. non ita ut omnino non cadant in conjugio qui voluptatem venantur, sed ita ut plerumque mortaliter non cadant. Greg. 32. moral. 17. Demum tria bona Matrimonium includit, quæ actum conjugalem excusant: quæ tria bona sunt proles, fides, & Sacramentum: desiderio etenim prolis fit non expetita, sed tolerata libido: custodia fidei libido fit nedum tolerata, sed etiam expetita: Sacramento vero lapsa quoque castitas usu conjugii ad figurandam unionem Christi cum Ecclesia, & conferendam Christi gratiam, elevatur.

Matrimonium non preferendum cælibatui, est tamen in multis honorabile.

Ergo Matrimonium nulli per se prohibitum, nulli per se imperatum in particulari. Matrimonium nulli per se prohibitum; quia, quod est ex multiplici capite bonum, non potest esse prohibitum. Et Paulus ait ei, qui non potest se continere: *Melius est nubere, quam uri*. 1. ad Cor. cap. 7. v. 9. Matrimonium nulli per se imperatum; quia cælibatus, utpote majus bonum, potest præeligi Matrimonio; ideo tempore Evangelii omnes ad virginitatem invitantur a Christo dicente. *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Cælorum*. Matt. 16. v. 12. ab Apostolo dicente: *Bonum est homini mulierem non tangere*. 1. ad Cor. c. 7. v. 1.

Matrimonium nulli per se prohibitum, nulli per se imperatum.

Ergo excedunt utriumque hæretici, & illi qui Matrimonium singulis prohibitum volunt, & hi qui Matrimonium singulis imperatum mentiuntur. Matrimonium non esse *per se* prohibitum testatur Apostolus, dum dicit: *Si acceperis uxorem, non peccasti*: & rursus: *Si nupserit virgo, non peccavit*. Matrimonium nulli esse per se imperatum testatur idem Apostolus, dum dicit: *Qui non jungit virginem suam* Matrimonio, *melius facit*.

PROOEMIUM.

IN sequentibus quatuor tractatibus agemus de vero usu eorum librorum, qui ad resolvendos casus conscientiæ inservire possunt. In primo agetur de vero usu Scripturæ. In secundo de vero usu Conciliorum. In tertio de vero usu Juris civilis, & Canonici. In quarto de vero usu Patrum, Theologorum, & Casuistarum. Loquentes itaque de vero usu Scripturæ, Conciliorum, Juris Canonici, & civilis, Patrum, & Theologorum, ad solos casus conscientiæ, quod est instituti nostri, perceptiones nostras restringemus; & si quid forte dixerimus, quod ad casus conscientiæ non videatur pertinere, eos nos trahet ea, quæ est inter moralem & alias scientias connexio. Sed ad propositum veniamus.

Quicumque proprio studio casus conscientiæ resolvere voluerit, eorumque decisionem ex ipsis, ut dicunt, fontibus haurire, his præcipue libris uti debet primo Scriptura, secundo summa Conciliorum, tertio corpore Juris Civilis, & Canonici, quarto summa aliqua *Morali Theologica*, in qua collectæ reperiantur Patrum, Theologorum, & Casuistarum sententiæ; quippe in Scriptura reperiet revelationem scriptam: in summa Conciliorum, revelationem traditam, Ecclesiæ praxim, & unanimem Sanctorum Patrum consensum: in corpore Juris Civilis, & Canonici habebit leges utriusque juris: in summa vero Theologica deprehendet quæ sit Patrum, Casuistarum, & Theologorum sententia; & ita his præsidiis præmunitus, poterit in resolvendis casibus ab errandi periculo liberari. Ut ergo eum, qui huic studio vacare voluerit ad hunc laborem accendamus, eumque, quantum in nobis est, adjuvemus, de his quatuor libris, quibus usurus est, aliquid sequentibus tractatibus prælibabimus.

TRACTATUS NONUS.

De Scriptura Sacra.

CAPUT I.

In quo per varios paragraphos explicantur quædam ad Scripturam Sacram pertinentia.

§. I. *Quid sit Scriptura, & quæ ejus certitudo.*

QUilibet homo conscius est se cogitare & conscius pariter est, se alteri homini cogitata vel verbo, vel scripto manifestare. Si autem homo cogitet, a fortiori Deus: sed sicut homo alteri homini, quæ interius concipit, verbo, & scripto exterius prodit; ita Deus, quia summa ejus est bonitas, voluit hominibus ea, quæ in ipso sunt, scripto publico manifestare, & in libro, quem omnes legerent, interiores cogitatus exarare, & liber ille per antonomasiam Biblia, idest liber librorum, seu scriptura nuncupatur. Scriptura ergo est verbum Dei scriptum, quo Deus Ecclesiæ revelavit quæ judicavit revelanda. In Scriptura sancta non potest esse falsitas neque quantum ad ea, quæ proponit, ut credenda, neque quantum ad ea, quæ narrat, ut facta, neque quantum ad ea, quæ prædicit, ut futura, neque quantum ad ea, quæ præscribit, ut a nobis facienda; quia Deus est auctor principalis Scripturæ, qui, utpote prima veritas, non potest mentiri; quique pariter non potest fallere ex malitia, quia est infinite bonus; nec fallere ex inscitia, quia est infinite sciens.

§. II. *Quid circa Scripturam scire debeat moralis Theologus.*

Qui resolvendis casibus incumbit, & ad hoc munus Scriptura uti vult, non debet insistere his quæstionibus, quibus occupantur Critici; illæ enim quæstiones ad resolvendos casus conscientiæ nihil inserviunt. Sufficit ergo, ut moralis Theologus vulgatæ versionis nitatur assequi intelligentiam, hæc enim versio juxta Trid. sess. 4. est authentica; sic enim habet: *Statuit, & declarat sancta Synodus; ut & ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expo-*

expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.

§. III. *Quotuplex sit sensus Scripturae.*

Duplex est sensus Scripturae: sensus litteralis seu verbalis, & sensus allegoricus, seu realis. Sensus litteralis seu verbalis est ille, qui exprimitur per verba in sensu vel proprio, vel figurativo accepta, quibus auctor Scripturae intentionem suam vel proprie vel figurative loquendo nititur exprimere: v. g. *Deus creavit caelum & terram*; quibus verbis Moyses indicare voluit mundum istum a Deo factum, & non ab alio. Sensus allegoricus, seu realis est ille, qui exprimitur vel verba simul, & res: v. gr. *plantaverat Deus Paradisum voluptatis*: per haec enim verba Moyses litteraliter indicat Deum plantasse hortum deliciosum, qui futurus esset habitatio Adami innocentis; significat vero allegorice Paradisum, qui est Regnum caelorum a Beatis possidendum.

Sed quia solus sensus litteralis est regula fidei, & nullum Mysterium proponitur, ut credendum, nisi sit supernaturaliter revelatum vel in Scriptura, vel in traditione; ideo moralis Theologus decisiones suas debet firmare sensu litterali potius, quam allegorico, & primo sensu litteralis intelligentiam indagare, qui exprimitur per verba, vel in sensu proprio, vel in sensu figurativo accepta.

§. IV. *Quae scitu sint necessaria ad assequendam intelligentiam sensus litteralis expressi per verba accepta in sensu proprio.*

Auctor vulgatae editionis textui primaevo inhaerens, pluribus in locis hebraizat, & graecizat; idest latine loquens, hebraeum, vel graecum idioma imitatur, & quasdam habet loquendi formulas, quas si ignoraveris, vix textum vulgatae editionis poteris intelligere, & sensum litteralem ab illo auctore primario intentum assequi; quod ut facilius praestes, sequentes forte annotationes non erunt inutiles.

§. V. *Referuntur variae mutationes circa nomen, pronomen, verbum, &c. quae inservire possunt ad intelligendum sensum Scripturae, expressum per verba propria, & non figurativa.*

De nomine proprio. Impositio nominis proprii apud auctorem vulgatae editionis, sicut & apud Hebraeos, non est omnino arbitraria, sed nomen proprium denotat semper aliquem eventum, qui rei denominatae conveniat; adeo ut nomen proprium sit quasi compendiosa rei denominatae historia. Sic Christus vocatur Jesus, idest Salvator; quia salvum faciet populum a peccatis eorum. Sic Simon vocatur Petrus, idest Petra, supra quam Ecclesiam suam fundavit Christus. Sic Adam idem sonat ac extractus de terra rubra; quia re ipsa primus homo de terra rubra sumptus est. Sic Abel idem sonat, ac luctus; quia futurus erat primus, qui plangendus esset in terra ob praematuram mortem ei inferendam. Jacob idem sonat ac supplantator. Aliquando nomen ex duabus dictionibus componitur, & tunc significat juxta sensum utriusque dictionis: v. g. Abram componitur ex *ab* significans pater, & *ram* significans elevatus; ita ut sensus sit: Abram est elevatus pater, aut pater credentium. Catalogum nominum hebraicorum in Bibliis consulere potes, ut nominum hebraicorum habeas intelligentiam.

De nomine appellativo tam substantivo, quam adjectivo. Nomen appellativum apud Hebraeos, sicut & apud nos, est arbitrarium; ideo solus usus est consulendus: quia tamen idioma sequitur genium nationis, inde est quod auctor vulgatae editionis, sicut & Hebraei, non juxta morem nostrum loquatur, sed juxta morem Hebraeorum. Sic quia Hebraei incolebant Palaestinam, eamque fere solam regionem cognitam habebant, de rebus omnibus loquuntur, comparando eas ad Palaestinam: v. gr. mare Mediterraneum est mare magnum apud Hebraeos: quia non aliud cognoscebant, quamvis mare Oceanum sit longe magis extensum: mons Carmeli apud Hebraeos est cunctis montibus altior: quia montem altiorem non cognoscebant, quamvis absolute sint alii montes altiores. Sic quia Hebraei praecipue agrorum cultui, & pecoribus nutriendis vacabant, suas loquendi formulas a rebus pastoritiis, & agrestibus accipiunt, uti fit in carmine bucolico. Idem praestat auctor vulgatae editionis: v. g. pastor idem est ac Rex: ovis idem est ac subditus: leones, tigres, serpentes, idem sonant ac ferocissimi populi. Rursus, quia Hebraei expectabant divitias ab agris, a pecudibus, a filiis & mancipiis, rebus agrestibus, & pastoritiis incumbentibus, apud illos dives erat homo ille, qui non habebat ingens pondus auri, & argenti, sed qui multos habebat filios, aut servos, rebus pastoritiis & agrestibus occupatos.

De nomine substantivo. Apud Hebraeos propter exiguum numerum radicum, quae non sunt nisi 1024, a quibus omnia nomina derivantur, unum idemque nomen substantivum, unum idemque verbum, plura, immo opposita significant. Sic Amen significat haec omnia: credo, confiteor, expecto, opto, ut ea firma sint, quae dicta sunt, & eveniant. Sic vas quodcumque instrumentum significat; unde vasa mortis sunt instrumenta inferentia mortem. Sic vox ista, verbum, idem sonat ac quaecumque res; unde haec phrasis: *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, idem sonat ac nulla res erit apud Deum impossibilis. Sic peccatum significat aliquando offensam contra Deum, aliquando poenam peccatori debitam, aliquando hostiam pro peccato oblatam: unde illud Pauli 2. ad Corinth. c. 5. v. 21. *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, idest hostiam pro peccato. Et illud... *Peccata populi comedetis*, idest comedetis hostias oblatas pro peccatis. Sic prophetare, multi significat diversa a communi notione, quae est *futura praedicere*; etenim aliquando significat Prophetiam confirmare: v. gr. *ossa Joseph post mortem prophetaverunt*, idest, prophetias confirmarunt. Aliquando significat ex afflatu daemonis insana loqui. Sic 1. Regum c. 18. dicitur de Saul: *invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suae*. Aliquando significat Scripturas interpretari, juxta illud Pauli 1. ad Cor. c. 14. v. 3. *qui prophetat*, idest explicat scripturas, *hominibus loquitur ad aedificationem & exhortationem, & consolationem*.

Digitized by Google

Aliquando significat miraculum patrare, juxta illud Ecclesiast. 48. v. 14. ubi de corpore Elisæi dicitur: *Mortuum prophetavit corpus ejus*, idest, miraculum patravit. Immo eadem phrasis opposita significat, v. g. portare iniquitatem, modo significat puniri, modo significat veniam impetrare. Sic Exodi 28. *Portabit Aaron iniquitatem eorum*: idest, impetrabit veniam pro impietatibus eorum. Et e contra textus iste: *Filius non portabit iniquitatem patris*, idem est, ac non punietur filius pro patris iniquitate. Quoties ergo phrasis aliqua Scripturæ obscura est ob varias ejusdem vocis significationes, consulendum est dictionarium biblicum, vel in defectum illius, dictionarium Calepini, & videndum, quæ significatio voci, cujus sensus quæritur, conveniat.

De pronomine. Author vulgatæ, sicut & Hebræi, loco pronominis nomen ipsum principale repetit, ut multis exemplis constat. Sic *pluit Dominus sulphur, & ignem a Domino*, idest, a se; ita ut sensus sit: Dominus emisit ignem, & sulphur. Sic *divisi sunt alterutrum a fratre suo*, idest, divisi sunt a se ipsis. Pronomen Ego vel authoritatem imperandi, vel affectum obediendi, ut plurimum significat: *Ego Dominus*. Isaias 45. *Ego autem dico vobis*. Matth. 5. ver. 22. *Ecce ego mitto vos*. Matth. 10. v. 16. *Dixisti in corde tuo, Ego sum*. Isa. 47. v. 8. *Ecce ego Domine*. Act. 9. v. 10. Ego affectum, & promptitudinem obediendi importat. Pronomen Meus, & Tuus, aliquando active, aliquando passive, ut dicunt, sumitur in Scriptura. *Judicia tua*. Osee 6. v. 5. idest, judicia contra te exercenda. *Occidi virum in vulnus meum*, Gen. 4. v. 23. idest, per vulnus a me inflictum. *Et adolescentulum in livorem meum*, idest, per livorem a me illatum. *Violenta sagitta mea absque ullo peccato*, Job. 34. v. 6. idest, sagitta mihi inflicta.

De nomine adjectivo. Hebræi non abundant nominibus adjectivis; ideo loco nominis adjectivi utuntur nomine substantivo vel in genitivo, vel in alio casu. Idem præstat & auctor vulgatæ, scilicet quoties latine loquens hebraizat: unde natæ sunt frequentes hæ locutiones: *custodia in nocte*, pro custodia nocturna: *conventicula de sanguinibus*, pro sanguinea: *loquens prepositiones ab initio*, idest, antiquas: *in potestate erat sermo ipsius*, idest, potentissimus erat & efficax sermo illius: *spiritus sanctificationis*, idest, spiritus sanctificans: *lex mortis*, idest, lex mortifera: *filius perditionis*, idest, perditioni addicendus: *Dominus gloriæ*, *Dominus virtutum*, *Dominus ultionum*, *potentiarum*, *misericordiarum*, &c. idest, Dominus gloriosus, virtuosus, ulciscens, omnipotens, misericors: *Deus salutis meæ*, idest, salutaris mihi, *fallacia divitiarum*, idem sonat, ac fallaces divitiæ: *villicus iniquitatis*, idest, villicus iniquissimus: *vas electionis*: idest, vas electum.

Substantivum nomen sæpe pro adjectivo usurpatur: v. g. *quod altum est hominibus, abominatio est coram Deo*, pro abominabile: *quod natum est ex carne, caro est*, pro carnale: *quod natum est ex spiritu, spiritus est*, pro spirituale: *qui facit veritatem*, idest, qui facit rem justam & veram legi conformem: *caro, & sanguis*, idest, homo carnalis, & sanguineus: *circumcisio*, idem est, ac circumcisus: *præputium*, idem est, ac præputiatus: *tenebræ*, idem sonat, ac gentes in tenebris positæ: *lux*, idem sonat, ac fideles illuminati per doctrinam Christi.

De comparativo. Hebræi non abundant comparativis; ideo ad comparationem utuntur primo, positivo simplici, adjuncta particula, quam: secundo, comparatione, in qua affirmatur quod proponitur, & negatur quod postponitur: tertio, nomine substantivo significante aliquam excellentiam in ea re, in qua fit comparatio: quarto, dictione vehementiore vel mitiore, quam exigat res, quæ exprimi debet per gradum comparativum: quinto, præpositione comparativum indicante. Sic si hebraizando vellem dicere: Petrus est mihi carior Paulo, dicerem primo, per simplex positivum cum particula quam: Petrus est mihi carus, quam Paulus. Secundo, per comparationem affirmantem quod præpono, & negantem quod postpono, dicerem: Petrus est mihi carus, & Paulus non carus. Tertio, per substantivum importans excellentiam, & comparationem in ea re, de qua est sermo: Petrus est mihi vita, & non Paulus: in Petro sunt deliciæ meæ, & non in Paulo. Quarto, per dictionem vehementiorem, vel mitiorem, quam res exprimenda exigat, dicerem: Petrus est mihi carus, Paulus odiosus: vel Petrus non est mihi odiosus, bene tamen Paulus. Quinto, per præpositionem: Petrus est mihi carus præ Paulo, a Paulo, supra Paulum; quas loquendi formulas apud authores purioris latinitatis reperies. Hinc natæ sunt istæ phrases, in Vulgata frequentissimæ, quibus author ille sacer, adjectivum comparativum supprimens, comparationem tamen exprimit: cujus locutionis hic exempla subjicio.

Exempla, in quibus simplex positivum pro comparativo ponitur: *Bonum est tibi in vitam intrare debilem, vel claudum, quam duas manus habentem* ire in gehennam idest, melius est tibi. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*. Psal. 117. v. 8. idest, melius est. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti*. Ps. 118. v. 72. idest, melior lex tua, o Deus, est mihi quocumque auro. *Quam bonum est arguere, quam irasci*... idest, melius est arguere, quam irasci. *Utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios*, Eccles. c. 16. v. 4. quod & apud authores profanos invenitur. Plautus ait: „ Tacita mulier est bona semper, quam loquens " idest longe est melior. Et Seneca. „ Vir ingenii magni quam probi. " Lib. 1. de ira.

Exempla, in quibus comparatio exprimitur affirmando quod præponitur, & negando quod postponitur. *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Osee 6. v. 6. idest, malo misericordiam quam Sacrificium. *Ego sum vermis, & non homo*. Ps. 21. idest, sum vermis potius, quam homo. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. 1. Cor. 3. v. idest, non tam ego, quam gratia Dei.

Exempla, in quibus exprimitur comparatio per nomen substantivum, excellentiam rei significandæ importans, vel comparationem implicitam continens. *Favus mellis composita verba*. Prov. 16. v. 14. idest, verba composita magis placent quam favus mellis. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum*. Ps. 67. v. 33. idest, increpa tyrannos, qui sunt ferociores feris habitan-

tibus

Digitized by Google

tibus deserta, & qui sunt magis tremendi, quam tauri excitantes strepitum inter vaccas.

Exempla, in quibus loco comparativi ponitur terminus vehementior, vel mitior. *Jacob dilexi, Esau odio habui.* Malach. c. 1. id est, Esau minus amavi. *Nolite declinare post vana idola, quæ non proderunt vobis*, 1. Reg 12. v. 24. idest, quæ magis oberunt, quam proderunt. *Non est utile nobis relinquere legem*, 1. Mach. 2. v. 22. idest, perniciosius nobis esset, quam possem dicere.

Exempla, in quibus comparativus exprimitur per præpositiones comparantes. *Descendit hic justificatus ab illo*, idest, præ illo. *Abundavit cogitatio ejus, & consilium eius ab abysso magna*, Eccles. 24. 39. idest, cogitatio ejus longe latior quam mare, & cogitatio profundior quam abyssus.

De superlativo. Hebræi non abundant superlativis; ideo ad exprimendum superlativum utuntur. 1. Adverbiis amplificantibus. 2. Repetitione. 3. Synonimatione. 4. Nominis abstractione. 5. Nominis Dei additione. 6. Nomine adjectivo in neutro genere. Sic si hebraizando vellem exprimere maximum peccatorem, dicerem per adverbia, hominem valde, & maxime scelestum: vel repetitione, peccatorem nuncuparem: vel synonimatione, sceleratum, & scelestum: per nominis abstractionem dicerem, homo ille peccatum ipsum est: vel per nominis Dei additionem, peccatorem coram Domino appellarem: vel usurpando adjectivum in neutro genere vel in plurali, vel singulari, homo ille scelestum est, vel homo est, in quo sunt scelestissima: quas loquendi formulas apud puriores latinitatis authores aliquando reperies. Sic apud Phædrum, improbus leo vocatur improbitas. Apud Terentium, homo sceleratus vocatur scelus. Apud Horatium, amara curarum, pro rebus amarissimis.

Exempla, in quibus per adverbia, vel per nomen *omnis* exprimitur gradus superlativus. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, Gen. 1. v. 3. idest optima. *Gavisi sunt gaudio magno valde*. Mat. 2. v. 10. idest, Maximo. *Multiplicabo te vehementer nimis*, Gen. 17. v. 2. idest, quam maxime. *Omnem escam abominata est anima eorum*, Ps. 106. idest, nobilissimam escam, scilicet manna repudiarunt. *Universa vanitas omnis homo vivens*, Ps. 28. idest, homo est maxima vanitas. *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*, idest, qui hoc facit, est præstantissimus homo. Eccl. 12. v. 13. *Hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto*. 1. Reg. 4. v. 8. idest, durissimis plagis.

Exempla, in quibus gradus superlativus exprimitur per ejusdem nominis repetitionem. *Morte morieris*, Gen. 2. 17. idest, certa vel severa morte morieris. *Ficus bonas & bonas valde*, Jerem. 24. 3. idest, plusquam optimas. *Ficus, & ficus malas, malas valde*, idest plusquam pessimas. *Multiplicans multiplicabo semen tuum*, Gen. 17. v. 1. idest, maxime multiplicabo. *Facite alvum torrentis hujus fossas & fossas*, 4. Reg. 3. 15. idest, multas fossas effodite. *Homo & homo natus est in ea*, Ps. 86. idest, multi homines nati sunt in ea, scilicet Ecclesia. *Generatio & generatio laudabit opera tua*. Ps. 144. idest, generationes sibi succedentes laudabunt Dei opera. *Illuc ascenderunt Tribus, Tribus Domini*, Ps. 121. idest, omnes Tribus. Quando ter repetitur idem nomen, tunc maxime crescit expressio: *Terra, terra, terra, audi vocem Domini*, Jerem. 22. v. 2. idest, omnis terra audiat. Eumdem gradum superlativum exprimunt istæ phrases: *Faciens faciet*, 1. Reg. 26. 26: idest, promptissime faciet. *Potens poteris*, 1. Reg. 26. 15. ... idest potentissimus eris. *Castigans castigavit me Dominus*, Ps. 117. v. 18. idest maxime castigavit. *Plorans ploravit in nocte*, Thren. 1. 2. idest continuo ploravit.

Exempla, in quibus gradus superlativus exprimitur per synonimationem, idest per plura nomina idem significantia, vel per duplicem comparativum gradum. *Morieris & non vives*, Is. 38. v. 1. idest certo morieris. *Destruxit, & non pepercit*, Thr. 2. v. 17. idest integre destruxit. *In flamma ignis*, 2. Thess. 1. v. 6. in flamma ignicula, ut dicunt, seu maxime ardente. *Vita vivet, & non morietur*, Ezech. 16. v. 21. idest omnino vivet. *Confessus est, & non negavit, quia non sum ego Christus*. Jo: 12. 20. idest apertissime confessus est. *Nonne magis pluris estis illis?* Matth. 6. v. 3. idest nonne vos longissime illis præstatis? *Beatius est magis dare, quam accipere*, Act. 20. v. 35. idest longe præstantius est, vel præstantissimum. *Veniens veniet, & non tardabit*, Habacuc 2. idest citissime veniet.

Exempla, in quibus exprimitur gradus superlativus per additionem genitivi, & præcipue pluralis. *Rex Regum*, idest Rex potentissimus. *Servus servorum*, idest vilissimum mancipium. *Princeps Principum Levitarum*, idest supremus omnium Levitarum. *Cœli Cælorum*, idest amplissimum Cælorum. *Sancta Sanctorum*, idest locus Sanctissimus. *Vanitas vanitatum*, idest res vanissima. *Canticum Canticorum*, idest Canticum excellentissimum.

Exempla, in quibus exprimitur gradus superlativus per nominis Dei additionem; quia Hebræi ob cultum, quem habebant erga Deum, nihil Deo majus concipiebant, superlativum per nominis Dei additionem exprimebant: inde natæ sunt istæ phrases: *Filius Dei*, idest homo sanctus. *Filius hominis*, idest homo impius. *Princeps Dei est apud nos*, idest maxime Princeps. *Mons Dei*, idest mons altissimus. *Cedrus Dei*, idest cedrus altissima. *Sodomita peccatores coram Domino*, idest maximi peccatores. *Nemroth venator robustus coram Domino*, idest venator robustissimus.

Exempla, in quibus gradus superlativus exprimitur per nominis abstractionem. *Ego sum VERITAS*, idest veracissimus. *Omnis INIQUITAS oppilabit os suum*. Ps. 106. idest omnis homo licet iniquissimus oppilabit os suum. *Et congregavit CAPTIVITATEM multam*, 1. Mach. 14. v. 7. idest congregavit quam plurimos captivos dura captivitate oppressos. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur JUSTITIA Dei in ipso*, 1. ad Cor. 5. v. 21. idest Christus fecit hostiam pro peccato, ut efficeremur justissimi. *Donec destruatur homo PECCATI*, idest homo scelestissimus, seu antichristus.

Exempla, in quibus gradus superlativus exprimitur per positivum in neutro genere. *SANCTUM Domino vocabitur*. idest res sanctissima erit Deo. *Quod stultum est Dei*, idest quod est stultissimum coram Deo. Eodem vergit hæc phrasis: *contra*

SPIRITUALIA nequitiæ, ideſt contra ſpiritus ne quiſſimos.

DE VERBO. Verbum apud auctorem vulgatæ, ſicut & apud Hebræos, quos imitatus eſt, poteſt ſumi vel quoad ſignificationem, vel quoad tem, porum variationem.

DE VERBO ſumpto quoad ſignificationem. Verbum apud Hebræos, ſicut & apud Latinos, ſignificat, vel *eſſe*, vel *agere*, vel *pati*. Subſtantivum ſignificat *eſſe*, activum ſignificat *agere*, paſſivum ſignificat *pati*.

Verbum ſubſtantivum Sum, ſumptum in Scriptura in proprio ſenſu, ſignificat aut unionem extremorum, aut mutationem unius in aliud, niſi ex ea mutatione ſequatur implicantia: v. gr. *Hoc eſt corpus meum*, ideſt Hoc, ſcilicet panis, mutatur in Corpus meum. *Vites in ſpinas, & vepres erunt*, Iſ. 7. v. 23. ideſt vites in ſpinas, & vepres mutabuntur. *Erit deſertum in Charmel*. Iſ. 32. v. 15.

Verbum activum, aut paſſivum, non ſemper ſignificat actuale exercitium actionis, vel paſſionis, ſed ſignificat aliquid, quod præcedit actionem; modo enim vim agendi ſignificat; modo diſpoſitionem, & præparationem ad actionem importat; aliquando jus, aut officium exercendi actum exprimit; modo tantum conatum, aut deſiderium agendi indicat; demum interdum aut conſuetudinem, aut occaſionem, aut promiſſionem circa actionem: quæ ſingula ſequentibus exemplis innoteſcent. Sic ſequentes phraſes non actionem, ſed vim agendi ſignificant. *Spiritualis homo omnia dijudicat*. 2. Cor. 2. v. 15. ideſt vim habet dijudicandi. *Qui commovet terram de loco ſuo*, Job 9. v. 6. ideſt vim habet commovendi. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. v. 9. ideſt, vim habet illuminandi. *Ecce qui tollit peccata mundi*, Jo. 1. verſ. 29. ideſt, vim habet tollendi omne peccatum: ideſt ſingula peccata. *Omne peccatum blaſphemia remittetur hominibus*, Matt. 12. verſ. 31. ideſt, poteſt remitti.

Sic ſequentes phraſes non actionem ſignificant, ſed præparationem & diſpoſitionem ad actionem. *Egreſſi ſunt Hebræi veſpere ex Ægypto*, Deuter. 16. verſ. 6. ideſt præparaverunt ſe ad egrediendum. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* ad Rom. 2. v. 4. ideſt, Deus paratus eſt ad te adducendum. Et iſtæ phraſes non inchoationem, ſed futuram actionem certo nuntiant. *Ne vagari incipiam*, Cant. 1. 6. ideſt, ne divager. *Incipiam te evomere ex ore meo*, Apoc. 3. v. 16. ideſt, certo evomam te.

Sic ſequentes phraſes non actionem ſignificant, ſed jus aut debitum ad exercendam actionem important. *Ipſi* ſuperiores *pervigilant quaſi rationem reddituri*, Heb. 13. v. 17. ideſt, jus, & debitum habent pervigilandi. *Quis enim plus diligit?* Luc. 7. verſ. 42. ideſt, jus, & debitum habet diligendi. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matt. 26. v. 51. ideſt, jus, & debitum exigunt, ut pereant.

Sic ſequentes phraſes non ſignificant actionem, ſed ſolum conatum, aut voluntatem, aut deſiderium exercendi actionem exprimunt. *Per omnia omnibus placeo*, 1. Cor. 10. v. 33. ideſt, nitor placere. *Ne vocemini Magiſtri*, Mat. 23. v. 10. ideſt ne conemini vocari Magiſtri. *Ego ab homine teſtimonium non accipio*, Jo. 5. v. 34. ideſt, non tanto, non enitor accipere. *Si offers munus tuum ad altare*, Mat. 5. v. 23. ideſt, ſi deſideres offerre. *Qui major eſt in vobis*, Luc. 22. v. 26. ideſt, qui vult eſſe major.

Sic ſequentes phraſes non actionem, ſed permiſſionem, conſuetudinem, aut occaſionem, aut juſſionem ad actionem enuntiant. *Indurabo cor Pharaonis*, ideſt permittam, ut induretur. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*, Iſ. 6. 10. ideſt, permittas, ut excæcentur, & ut obſurdeſcant. *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*, Jo. 6. v. 39. ideſt, non ſinam perdere. *Tradidit in reprobum ſenſum*, ideſt, permiſit labi in reprobum ſenſum. *Et, ne nos inducas in tentationem*, Mat. 6. v. 13. ideſt, non ſinas induci: *Non coutuntur Judæi Samaritanis*, Jo. 4. v. 9. ideſt, non habent conſuetudinem contendi. *Quare nos, & Phariſæi jejunamus frequenter, Diſcipuli autem tui non jejunant?* Mat. 9. v. 14. ideſt, quare nos ſolemus jejunare. & tui diſcipuli ſolent non jejunare? *Et hic*, ideſt, *Judas, poſſedit agrum iniquitatis*, Act. 1. v. 16. Judas non poſſedit, ſed dedit occaſionem, ut a Judæis poſſideretur. *Virum cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi*, Act. 21. v. 11. Judæi non alligarunt, ſed dederunt occaſionem, ut alligaretur. *Joannem ego decollavi*, Luc. 9. v. 9. ideſt juſſi, ut decollaretur. *Acceſſit ad eum Centurio*, Mat. 8. v. 5. ideſt, juſſit, ut aliquis ſuo nomine ad Chriſtum accederet.

Aliquando uni, & eidem verbo duplex affingitur actio, v. g. *Spiritus poſtulat pro nobis*, ideſt, poſtulantes facit. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, ideſt cognoſcere feci. *Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei*, ad Rom. 1. v. 5. ideſt, ad faciendum ut obediant. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ideſt, ut exponunt multi Interpretes, Deus inſpirat Prædicatoribus, & Paſtoribus voluntatem ſalvandi omnes homines.

De verbo ſumpto quoad temporum mutationem.

Hebræi utuntur tribus tantum temporibus, ſcilicet præſenti, præterito, & futuro. Et reipſa non aliud eſt tempus, niſi præſens, præteritum & futurum: nam imperfectum, & pluſquam perfectum, imperativus, & optativus modus ad tria prædicta tempora reducuntur. Cum autem auctor Vulgatæ ſæpius Hebræos imitetur, ſæpius ad eorum imitationem præteritum, & futurum tempus immutat.

De variatione temporis præteriti apud Hebræos.

Præteritum tempus immutatur aliquando per præſens, ſicut & apud Latinos immutatur elegantiæ cauſa. Inde ortæ ſunt iſtæ phraſes. *Dormiens*, inquit Job, *ſilerem... cum Regibus, qui ædificant*, ideſt ædificarunt, *ſibi ſolitudinem*. *Hieruſalem*, inquit David, *quæ ædificatur*, ideſt ædificata eſt, *ut civitas*, Pſal. 121. 3. *Diſperſi eos*, ideſt, Judæos, *per Regna, quæ neſciunt*, ideſt, quæ neſcierunt, Zach. 7. v. 14. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum qui a ſæculo ſunt*, ideſt fuerunt, *Prophetarum ejus*, Luc. 1. v. 7. *Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt*, ideſt, *factæ fuerunt mundi.... quanto magis plenitudo illorum?* Ad Rom. 11. v. 12.

De variatione temporis futuri apud Hebræos.

Futurum variatur apud Hebræos quadrupliciter ſci-

Digitized by Google

scilicet, per præsens, per præteritum, per modum optativi, & per modum imperativi.

Futurum aliquando exprimitur per præsens tum apud Hebræos, tum apud auctorem vulgatæ editionis; quia præsens hebraicum forte non est diversum a futuro: & hæc potest esse ratio Grammaticalis hujus mutationis; ratio vero Theologica hæc esse potest, quod quidquid Scriptura dicit, ita certum est, ut quæ pronuntiantur futura, non minus certa sint, quam si jam essent præsentia.

Exempla, in quibus præsens ponitur pro futuro.

Accedite ad eum, & illuminamini, pro illuminabimini. Ps. 23. v. 6. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum a primogenito Pharaonis, qui sedet*, pro sedebit, *in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, qui est ad molam* pro erit, Exod. 19. v. 5. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum*, pro qui accedent, *sanctificentur*, pro sanctificabuntur. Exod. 19. v. 22. Futurum apud Hebræos exprimitur aliquando per præteritum: ratio Grammaticalis esse potest, quia præteritum hebraicum non est diversum a futuro: ratio vero Theologica esse potest, quia Scriptura ita est firma, ut quæ in ea pronuntiantur ut futura, non minus certa sint, quam si jam evenissent.

Exempla, in quibus præteritum ponitur pro futuro.

Dux fuisti, pro eris, *in misericordia tua populo tuo ... portasti eum in fortitudine tua*, pro portabis. Exod. 15. v. 13. *Audivi orationem tuam .. & ecce sanabo te: die tertio ascendes templum Domini*, sanavi te, pro sanabo te. 4. Reg. 20. v. 5. *Sapientia, & scientia data sunt tibi*, pro dabuntur tibi. 2. Par. 1. v. 12. *Propterea captivus ductus est populus meus*, pro captivus ducetur. *Quia non habuit scientiam*, pro non habebit. Is. 5. v. 13. Futurum aliquando exprimitur per imperativum: ratio est, quia imperativus est quasi quoddam futurum.

Exempla, in quibus imperativus modus ponitur pro futuro.

Quod facis, fac cito, idest, facies citoquod proponis, hæc enim vox non est hortantis, sed prædicentis. *Tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israel*, pro propitiaberis, *& reduc eos in terram*, pro reduces. 2. Par. 6. v. 25. & v. 30. ibid. *Tu exaudies de cælo, & propitiare*, idest, propitiaberis.

Futurum exprimitur per præsens optativi modi, quia modus optativus est quasi quoddam futurum.

Exempla, in quibus optativus ponitur pro futuro.

Deleantur de libro viventium, pro delebuntur, vel futurum est ut deleantur: hæc enim verba non sunt optantis, sed prophetantis. *Fiat Dan coluber in via*, pro fiet, Gen. 49. v. 17. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, pro intrabit. Ps. 36. v. 19. *Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego. Paveant illi, & non paveam ego. Induc super eos diem afflictionis*, ubi optativus ponitur pro futuro. *Et dixit Dominus ad satan, increpet Dominus in te satan, & increpet Dominus in te*, pro increpabit. Zach. 3. v. 2.

De Syntaxi Bibliis vulgatæ editionis propria.

Syntaxis est congrua vocum unio. Consistit vel in CONVENIENTIA vel in REGIMINE Syntaxis. Quæ sita est in CONVENIENTIA, est naturalis eademque in singulis idiomatibus; nam natura ipsa exigit, ut substantivum nomen regat adjectivum, nominativus antecedens relativum, verbum interrogativum responsivum. Inde fit, quod numquam sit nomen adjectivum sine substantivo vel expresso, vel subintellecto, numquam relativum nomen sine antecedenti, numquam responsivum sine interrogativo, numquam verbum sine nominativo.

Syntaxis, quæ sita in REGIMINE, est omnino arbitraria, ideo diversa est juxta diversum idioma. Et quia vulgata translatio & Hebræam, & Græcam linguam æmulatur; ideo utriusque regimen usurpat, & a regimine linguæ Latinæ recedit. Unde reperies in Vulgata plures loquendi modos a pura Latinitate discrepantes, & ad Hebræam vel Græcam linguam accedentes. Inde est, quod aliquando contra regulas Latinæ Grammatices verbum passivum usurpatur pro activo, aut vice versa, masculeum genus pro feminino aut neutro, & numerus pluralis pro singulari, & vice versa. Casum pro casu sæpe usurpat. Sic auctor Vulgatæ affingit verbo passivo, aut neutri regimen verbi activi. Dicit v. g. *Emigrabit te*, Ps. 51. v. 7. pro educet te. *Exultabit lingua mea justitiam tuam*, Ps. 50. v. 16. pro cantabit. *Jubilate montes laudem*, idest, conclamate. Affingit pariter verbo activo, aut deponenti regimen verbi passivi. Dicit v. g. ad Rom. 1. v. 12. *Consolari in vobis*, pro consolationem accipere. Sic idem auctor ponit genus pro genere, v. g. *Spiritus*, seu pneuma, *Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia*, pro hic spiritus, qui continet omnia. Sap. 1. 7. *Ager venundatus erat in tua potestate*. Act. 5. v. 4. pro ager venundatus erat in tua potestate. Sic idem auctor ponit singulare pro plurali, vel plurale pro singulari, ut mos est apud Hebræos, v. g. dicit: *Abscondit se Adam & uxor ejus in medio ligni Paradisi*. Gen. 3. v. 8. pro absconderunt; sic Gen. 49. v. 6. *Occiderunt virum*, pro viros. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum*, idest peccata. Item dicit: *Portavit te Dominus Deus in omni via, per quam ambulasti*. Deut. 1. v. 31. *Ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, Jo. 17. 2. pro det ei. Sic idem auctor casum pro casu usurpat, uti mos est apud Hebræos, quorum nomina sunt indeclinabilia. Dicit v. g. *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini ejus*. Luc. 1. v. 55. idest, ad semen ejus. *Quousque irruitis in hominem ... tamquam parieti inclinato, & maceria depulsæ?* P. 61. v. 4 pro in parietem inclinatum, & maceriam depulsam. *Ut producat illum ad vos tamquam aliquid certius cogniturі de eo*. Act. 23. v. 15. pro cognituros. Item idem auctor usurpat in lingua Latina casum, qui usurpatur in Græco, v. g. utitur sæpius genitivo, loco ablativi: sed quia hæc casuum inversio frequentissima est apud auctorem Vulgatæ, ideo sit hæc specialis annotatio.

De

De vario casuum regimine Bibliis vulgata editionis proprio.

Nomen, ut notat auctor de *la Grammaire raisonnée*, non solum rem significat, sed per casus, quibus flectitur, aut per articulos, quibus praeceditur, enuntiat varios ejusdem rei respectus, v. g. Rectus, seu nominativus, exprimit respectum identitatis; v. g. Deus est bonus, idest, Deus idem est, ac habens bonitatem. Genitivus exprimit respectum possessionis, v. g. creatura Dei, idest pertinens ad Deum. Dativus dicit respectum acquisitionis, v. g. placere alicui. Accusativus enuntiat respectum actionis ad subjectum, vel objectum, v. g. aro terram, colo Deum. Vocativus dicit respectum ad eum, quem vocamus, o Domine, o Caelum. Ablativus dicit respectum a quo res fit, vel modum, quo res fit, v. g. homo creatus a Deo, lis suscepta bono animo. Sed praeter illos respectus auctor Vulgatae alios speciales quibuslibet casibus affingit.

NOMINATIVUS aliquando in Vulgata absolute ponitur, v. g. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo*. Matt. 12. v. 30. ubi nominativus a nullo regitur. *Dominus in caelo sedes ejus*. Ps. 10. v. 6. *Deus meus, impolluta viae ejus*. Ps. 18. v. 31. Nominativus saepe in vulgata exprimitur per accusativum cum praepositione. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem*. 1. Cor. 15. v. 45. idest, factus est homo anima, & spiritus vivificans. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, Heb. 1. 5. idest, ero illi Pater, & ipse erit mihi Filius. *Factus est in caput anguli*, Matt. 21. v. 42 idest, factus est caput anguli.

GENITIVUS in vulgata exprimit respectum causae efficientis, finalis, formalis, & materialis, immo exemplaris. Primo quidem per genitivum exprimitur respectus causae efficientis, v. g. *Venite benedicti Patris mei*, Matt. 25. v. 34. idest, benedicti a Patre. *Erunt omnes docibiles Dei*, Joan. 16. v. 4. idest, docti a Deo. *Domini est salus*. Ps. 3. v. 9. idest, a Domino est salus. Secundo exprimitur respectus causae finalis: *Hoc est opus Dei*, Jo. 6. v. 29. idest, opus propter Deum. *Oves occisionis*, Rom. 8. v. 36. idest, destinatae ad occisionem. *Populus interfectionis meae*, Is. 33. 2. 5. quem destinavi ad interfectionem. *Filius perditionis*, Jo. 17 v. 11. quem destinavi ad perditionem. Aliquando genitivus dicit respectum causae quasi materialis: *Occurret vobis homo lagenam aquae bajulans*. Marc. 14. v. 2. idest, plenam aquae. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi*, Matt 16. v. 6. Genitivus item dicit respectum causae quasi formalis, v. g. *Vir sanguinum*, idest vir sanguineus. 2. Reg. 76. v. 7. *Filius olei*, Is. 5. v. 1. idest, vir pinguis. Genitivus dicit saepius respectum ad causam exemplarem. *Praecedet illum in spiritu, & virtute Eliae*. Luc. 1. v. idest, in spiritu imitante Eliam. *Sepultura asini sepelietur*. Jer. 22. v. 19. idest, sepultura imitante sepulturam asini. Demum genitivus, quo Vulgata utitur, potest exprimi per alium casum addendo praepositionem, *in*, *circa*, &c. *Evangelium Regni*, Matt. 5. idest circa Regnum. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum*. Mat. 10. v. 1. idest, in spiritus immundos. *Habeto fidem Dei*, Marc. 11. v. 21. idest, in Deum. Exprimitur adhuc genitivus in vulgata per ablativum, ut moris est apud Graecos, qui loco ablativi utuntur genitivo.

Quae necessaria sint ad assequendum Scripturarum sensum latentem sub figuralibus locutionibus.

Nullus est auctor, qui aliquando figurativis locutionibus non utatur, sed Hebraei toti sunt in tropis; ideo auctor Vulgatae eos imitatus, tropis ita frequenter utitur, ut eadem locutio, quae apud nos esset figuralis, & tropica, in Scriptura ob frequentem usum fiat vulgaris, & propria, quare ut facilius Textus sacer intelligatur, percurrendae hic sunt figurae, quae frequentius in Bibliis usurpantur.

Figurae frequentiores in Scriptura sunt Metonymia, Synecdoche, Metaphora &c.

Metonymia est figura, in qua nomen alicui proprium tribuitur alteri, cui non est proprium, & hoc sine analogia, aut comparatione. Sic genus sumitur pro specie, species pro genere, vel una species pro alia specie, causa sumitur pro effectu, effectus pro causa, abstractum pro concreto, concretum pro abstracto, signum pro significato, significatum pro signo, &c.

Exempla, in quibus species sumitur pro genere, aut genus pro specie. Sic Gen. 1. v. 21. Monstrum marinum vocatur cetum, seu balena, alibi vocatur sirene. Sic arbor glandifera vocatur aliquando quercus, aliquando ilex, aliquando terebinthus. Sic arbor fructifera vocatur lignum pomiferum.

Exempla, in quibus species sumitur pro specie. Mensurae Hebraeis propriae, v. g. hin, gomer, satum, ephi, per mensuras aliis populis proprias exprimuntur a Vulgata, v. g. per modicum, sextarium, congium, &c. Unus sensus ponitur pro alio; v. g. Visus pro tactu, *quia vidisti me Thoma*, pro quia tetigisti me Th. *credidisti*, Jo. 20. v. 29. Visus ponitur pro auditu: *cunctus autem populus videbat voces, &c*. Exod. 20. v. 18. idest audiebat. Oculi ponuntur pro naribus, *foetere fecistis odorem nostrum in oculis*, idest naribus, *Pharaonis*, Exod. 5. v. 21. Videre ponitur pro gustare, & sapere: *gustate & videte*, idest sapore probate, *quoniam suavis est Dominus*.

Exempla, in quibus effectus ponitur pro causa, vel causa pro effectu. Peccatum, quod proprie denotat culpam contra Deum, sumitur pro effectibus emanantibus a peccato, v. g. pro poena debita peccato, pro hostia immolanda pro peccato; pro immunditia legali similitudinem aliquam habente cum peccato.

Exempla in quibus abstractum ponitur pro concreto, vel concretum pro abstracto. Praeputium ponitur pro praeputiato, circumcisio pro circumciso. *Si praeputium*, idest praeputiatus, seu Gentilis, justitias legis custodiat. Ad Rom. 2. v. 24. *Beatitudo ergo an in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio?* Ad Rom. 4. v. 9. idest haec promissio pertinet ne tantum ad circumcisos, seu Judaeos, nonne etiam ad praeputiatos, seu Gentiles? Sanctificatio ponitur pro sanctificatore, & redemptio pro redemptore. *Ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est vobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*, 1. ad Cor. 1.

v. 30. ideſt Chriſtus eſt ille, qui vos docet, juſtificat, redimit, & ſanctificat. Dominationes ponuntur pro dominationibus, viſitationes ponuntur pro viſitatoribus, pax ponitur pro pacifico, juſtitia pro juſto. Iſ. 60. v. 17. *Ponam viſitationem tuam*, ideſt viſitatores tuos, *pacem*, ideſt pacificos, *& præpoſitos tuos juſtitiam*, ideſt juſtiſſimos. Sic fides, ideſt, fideles dicuntur futuri comites Chriſti: *Et erit fides cinctorium renum ejus*, ideſt Chriſtus cingetur fidelibus. Captivitas ponitur pro captivis, tranſmigratio pro his, qui tranſmigrarunt; *reducam captivitatem veſtram*, ideſt captivos Iſraelitas. Jer. 29. v. 14. *Audite verbum Domini omnis tranſmigratio*, ideſt vos omnes Iſraelitæ, qui tranſmigraſtis. Jer. 29. v. 20.

Exempla, in quibus potentia ponitur pro objecto, vel objectum pro potentia. Viſio idem eſt ac res viſa. *Viſo Iſaia filii Amos, quam vidit*. Iſ. 1. v. 1. Aſpectus ſumitur pro colore, qui aſpicitur. *Cum malum capillorum mutaverit aſpectum*, ideſt colorem, *lepra vetuſtiſſima judicabitur*. Lev. 13. v. 10. Auditus pro re audita ſumitur. *Quis credidit auditui noſtro?* ideſt rebus auditis a nobis. Iſ. 53. v. 1. Spes ſumitur pro re ſperata. *Spes*, ideſt ſperata, *quæ differtur, affligit animam*. Pr. 14. v. 12. Timor ſumitur pro re, quæ timetur, *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac*, ideſt per eum, quem timebat Iſaac. Gen. 31. v. 53.

Exempla, in quibus nomen figuræ ſumitur pro ſignato, & figuratum pro figura, & aliquando ſtemma pro eo qui defert ſtemma. Chriſtus vocatur David Ezech. 34. v. 23. quia figuratur per Davidem: *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David*. Item quæ de Chriſto dicuntur, non ſemper ei in perſona conveniunt, ſed ſubinde ei conveniunt tamquam capiti, ſubinde ejus corpori myſtico, quod eſt eccleſia, ſubinde utique, v. g. Chriſtus dicitur miſſus ad gentes Zach. 2. v. 8. & tamen non per ſe, ſed per Apoſtolos gentibus prædicabit. Babylon ſumitur pro civitate, in qua regnat diabolus. Jeruſalem vero pro civitate ſancta, ſeu eccleſia in qua regnat Chriſtus; quia Babylon ſignificat Regnum diaboli, & Jeruſalem Regnum Chriſti. Item excidium, & vaſtitas Jeruſalem, Samariæ, Babylonis exprimunt excidium Univerſi futurum ante judicium univerſale, quæ ſunt præludium & figura vaſtitatis inducendæ ante univerſale judicium. Stemmata, aut idola, aliquibus gentibus propria, ſumuntur pro ipſis gentibus: ſicuti modo Germanos per aquilam quam in ſtemmate gerunt, & Hiſpanos per leonem denominamus, & ita ira columbæ, gladius columbæ, arma Chaldæorum ſignificant, quia quaſi pro ſtemmate deferebant columbam argenteam, Semiramidem repræſentantem.

Synecdoche eſt figura, in qua pars ſumitur pro toto, vel totum pro parte, v. g. caput pro toto homine, aliqui populi pro toto mundo, numerus rotundus pro numero majore, vel minore.

Exempla Synecdoches. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, ideſt ſuper nos. Pſ. 55. v. 12. *Congeres carbones ſuper caput ejus*, ideſt ſuper eum. Ad Rom. 12. v. 20. *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum*, ideſt ſuper eos. *Et verbum caro factum eſt*, ideſt Filius Dei homo factus. *Omnis caro fœnum*, ideſt omnis homo eſt fœnum. Per Philiſthæos, Arabes, Ægyptios, &c. vincendos a Chriſto, totum mundum ad eum convertendum debemus intelligere, inquit Hieronymus, Iſa. 60. v. 9. Septuaginta Interpretes dicuntur tranſtuliſſe Scripturam ex Hebræo in Græcum, quamvis eſſent ſeptuaginta duo. Septuaginta Filii Jeroboam dicuntur ab Abimelech interfecti, quamvis deeſſet unus, ſcilicet Jonathan, qui evaſit. Sic Chriſtus dicitur ſtetiſſe in medio undecim diſcipulorum, quamvis Thomas non eſſet cum eis. Sic etiam Chriſtus dicitur manſiſſe in monumento per tres dies, quamvis non remanſerit, niſi die veneris deſinente, die Sabbati completo, & die Paſchæ incipiente.

Metaphora eſt figura, in qua nomen alicui proprium transfertur ad aliam rem analogice convenientem, faciendo aliquam comparationem, ut cum dicitur, quod Rex eſt caput Regni, iſta fit implicite comparatio; quod ſicut caput proprie dictum in animali v. g. in homine, eminet ceteris membris, influit in cetera membra, & totum dirigit hominem, ita Rex eminet ſubditis, influit in ſubditos, & dirigit ſubditos. Sed cavendum quod metaphora ſumi debet ſecundum ea, in quibus fit comparatio, & non ſecundum alia v. gr. Chriſtus metaphorice dicitur leo, ſcilicet quoad fortitudinem juxta illud: *Vicit leo de tribu Juda*, non ſequitur quod Chriſtus ſit ferox, & crudelis, ſicuti leo: vincit enim, non ut victos perdat, ſed ut eos ſalvet, non ut eos devoret, ſed ut eis vitam æternam conferat. Totuplex poteſt eſſe metaphora, quotuplex fieri poteſt comparatio rei magis notæ cum alia, quæ nobis ſit magis incognita: cum autem nulla res ſit, quæ cum alia in aliquo non conveniat; vix rem aliquam reperies, a qua metaphora educi non poſſit: frequentiores tamen metaphoræ ſunt, cum res ſpirituales nobis incognitas exprimimus per res materiales a nobis magis cognitas; aut cum res divinas nobis omnino occultas, per res creatas nobis ubique obvias explicamus; aut demum cum per res nobis magis familiares in cognitionem aliarum rerum occultarum devenimus. Scripturæ autem, utpote propter homines etiam rudiores tradita, res ſpirituales tum divinas, tum creatas per res materiales nobis proponit, ut ex eis quæ cognoſcimus, ad ea, quæ non cognoſcimus, aſſurgamus.

§. I. *Quibus modis explicet Scriptura Deum, ejuſque attributa.*

Scriptura divinitatem explicat quadruplici via, ſcilicet via *cauſalitatis*, via *exceſſus*, via *poſitionis*, & *negationis*, ut dicunt, voces quidem barbaræ, ſed conciſæ.

Deus exprimitur in Scripturis *via cauſalitatis*, cum exhibetur tamquam auctor creaturarum, Deoque attribuuntur perfectiones, quas in Creaturis relucere advertimus: *inviſibilia enim ipſius per ea, quæ facta ſunt, a creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, & divinitas*. Ad Rom. 1. v. 20. Sic Deus dicitur conſervator, motor omnium; *in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*. Act. 17. v. 28. Deus exprimitur in Scripturis *via exceſſus*, cum rebus quibuſcum-

cumque creatis longe sublimior depingitur. *Elevata est*, inquit David, *magnificentia sua super celos ... Deus habitat lucem inaccessibilem*, inquit Paulus. Deus exprimitur in Scriptura *via positionis*, cum ei affinguntur omnes perfectiones, quæ vel in mentem nostram veniunt, vel in rebus creatis conspiciuntur. *Magnus Dominus*, inquit David, *& laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis*: & Moysi dicitur: *Ostendam tibi omne bonum*. Exodi 33.

Deus exprimitur in Script. *via negationis*, cum a Deo removetur quidquid aliquam imperfectionem sapit; de Deo enim magis scimus quid non sit, quam quid sit. Scriptura constantem Dei permanentiam nominibus negativis exprimit. *Ego Deus & non mutor*. Malac. 3. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Jac. 1.

§. II. *Quibus modis Scriptura explicet perfectiones divinas per res materiales.*

Cum homines vulgo ducantur sensibus, res spirituales nonnisi per sensibiles exprimuntur: proinde Scripturæ sacræ, utpote hominibus traditæ, divinas perfectiones per res sensibiles exprimunt, ideoque debemus primo inspicere, quid proprie significet res materialis, & servata analogia, similem perfectionem Deo possumus adscribere. Sic quantitas mathematica Deo adscripta metaphorice exprimit quantitatem virtutis spiritualis, quæ proprie reperitur in Deo: v. g. profunditas designat virtutem, quam habet Deus cognoscendi omnia, vel incomprehensibilitatem ejus. Altitudo designat excellentiam virtutis divinæ super omnia, vel ejus, ut dicunt, inassequibilitatem. Longitudo denotat vel durationem Dei æternam, vel extensionem virtutis suæ omnia penetrantis. Latitudo denotat vel affectum dilectionis Dei omnem amorem superantis, vel extensionem divinæ protectionis omnia continentis.

Sic membra corporea Deo afficta eam significant perfectionem spiritualem in Deo, quæ per materialem membrorum situm, & configurationem analogice adumbratur in homine. *Sic caput* significat auctoritatem, & vim regendi; quippe caput dirigit nos: ideo istud Pauli: *Caput vero Christi Deus*, 1. ad Cor. c. 11. v. 3. significat, quod Deus dirigit Christum. Sic *capilli* denotant ornatum Dei, quia caput humanum capillis ornatur; unde *capilli capitis ejus quasi lana munda*, Dan. 7. v. 9. denotant Spiritus Deo assistentes, Angelos scilicet, purissimas esse substantias. Sic *oculi*, *palpebræ*, *nares*, *facies*, *os*, *lingua*, *brachia*, *manus*, *digiti*, *pedes*, *vestigia*, diverse significant juxta diversam actionem, quæ ipsis affingitur: quæ singula infra explicabimus.

Sic anima una cum suis affectibus, dum Deo adscribitur, ea significat sine ulla imperfectione, quæ nobis conveniunt ratione animæ, & quæ in nobis ab hujusmodi affectibus solent emanare. Sic *anima* idem est ac voluntas, juxta illud: *Impius non placebit animæ meæ*, idest voluntati meæ, ad Heb. 10. *Videre* idem est ac approbare juxta illud: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat*, idest approbavit. Gen. 1. v. 13. *Nescire* idem est ac reprobare, juxta illud, Matt. 25. v. 12. *Nescio vos*, idest, respuo, reprobo. *Pœnitere* idem est ac effectum jam productum immutare. Sic *si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam & ego pœnitentiam super malum*. Jer. 18. v. 8. idest, immutabo punitionem, si ipsa immutet peccatum. Sic *non pœnitere* denotat immobile Dei consilium, juxta illud: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum*, Ps. 109. v. 5. idest, consilium Dei immobile permanebit. Sic *irasci* idem est ac punire, juxta illud: *Dimitte me ut irascatur furor meus*, Exod. 32. v. 10. idest, sine ut puniam.

§. III. *Quibus modis explicet Scriptura Christum, ejusque proprietates.*

Perfectiones spirituales Christo convenientes solet Scriptura exprimere rebus sensibilibus, ideoque vocatur *sol*, *germen*, *fons*, *mons*, *ostium*, *via*, *agnus*, *leo*, *caput*, *&c.* Vocatur *sol*, quia spiritualiter illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ideo dicitur apud Isa. 60. v. 20. *Non occidet ultra sol tuus*. Vocatur *germen*, quia vitis est, & palmes, cui innectuntur omnes justi, juxta illud; *Ego sum vitis, & vos palmites*. Joan. 15. & juxta illud Is. 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*. Vocatur *fons*; quia factus est fons aquæ salientis in vitam æternam, ideo dicitur Is. 44. v. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluentem super aridam*. Dicitur *mons*, *lapis*, *fundamentum*; quia *fundamentum* nostræ salutis *aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. 1. ad Cor. 3. v. 11. ideo dicitur apud Is. 27. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum*. Dicitur *ostium*, *clavis*; quia ostium est, *per quod si quis introierit, salvabitur*. Jo. 10. v. 1. & quia habet *clavem domus David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*. Apoc. 3. v. 7. ideo dicitur Ps. 17. *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam*. *Via* est, qua ducimur ad cælum, juxta illud: *Ego sum via, veritas, & vita*. Joan. 14. v. 5. ideo dictum est ab Isa. 30. v. 21. *Hæc est via, ambulate in ea*. *Leo* dicitur, juxta illud: *Vicit leo de Tribu Juda*, ideo dicitur Gen. 49. v. 9. *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti*? quia scilicet Messias oriturus de Tribu Juda homines erepturus erat de Dæmonis imperio. *Agnus* est; quia morte sua peccatum a mundo debebat auferre juxta illud Joan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: ideo legitur apud Isa. 16. *Emitte agnum tuum dominatorem terræ*. Demum *caput* dicitur. *Omnis viri caput est Christus*. 1. ad Cor. 11. v. 3. & de eo dicitur apud Davidem Psalm. 17. *Constitues me in caput gentium*.

§. IV. *Quibus modis explicet Scriptura dona spiritualia; eorumque proprietates.*

Quando Scriptura loquitur de donis spiritualibus, vulgo ea exprimit per res sensibiles. Sic gratia in Scriptura modo aqua, modo semen Dei nuncupatur: *aqua* quidem; quia animam a peccatis lavat, sitim, & ignem concupiscentiæ extinguit: *semen* vero Dei, quia filios Dei nos efficit. Sic fides dicitur sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: *substantia* quidem, quippe sicut substantia basis est, & fundamentum omnium

nium perfectionum, quæ sunt in re qualibet, ita fides est totius spiritualis ædificii fulcimentum, argumentum vero non apparentium fides vocatur; quia sicut argumentis convincimur, ita per fidem intellectus noster certus efficitur. Spes anchora salutis nostræ dicitur; quia sicut navis agitata ventis, de fluctibus concussa, immunis est ab omni naufragii periculo, si eam anchora in portu teneat alligatam, ita & anima nostra ab omni naufragandi periculo erit prorsus libera, si anchoram spei in Deo posuerit. Sic caritas vocatur *lux*, *ignis*: *lux* quidem, quia illuminat: *ignis* vero, quia ad exercitium virtutis inflammat.

§. V. *De variis gestibus & actionibus corporeis, quibus Scriptura utitur ad exprimendum res tum spirituales, tum corporeas.*

Hebræi mentem suam non modo verbis, sed etiam situ, & gestu corporis significant, & varia, multiplicique actione exterius proferunt; quod non parum conducit ad Scripturæ intelligentiam. Situs autem, & gestus corporis multiplex est: alius simplex, alius est compositus. Simplex v. g. jacere, stare, simplicem habent significationem: *stare* signum est fortitudinis, *jacere* signum est mœroris. Situs compositus compositam habet significationem, v. g. stare aut sedere judicantis exprimit officium; jacere in cinere, mœrentis exprimit luctum.

Rursus situs alius est naturalis, alius voluntarius.

Situs naturalis idem est apud omnes, & affectum vi naturæ elicitum promit exterius. Sic, *oculi sublimes* apud omnes superbiam denotant, *remissi* vero modestiam significant.

Situs voluntarius diversus est pro arbitrio, & affectum mentis ex electione elicitum significat. Sic usus unguentorum hilaritatem portendit; usus vero cinerum luctum significat.

Situs ex electione elicitus alius est ex perenni consuetudine observatus, alius vero aliquo casu obiter assumptus. Gestus, habitus, & situs ex consuetudine proveniens diversus est juxta diversas nationes. Sic apud Hebræos sedere, magistrorum docentium erat, stare vero ad pedes, discipulorum discentium erat officii. Gestus vero obiter assumptus ad eum solum pertinebat, qui gestum illum elegerat, v. g. talis fuit gestus Eliæ caput suum inter genua conjicientis.

Actiones aliæ sunt solitæ, aliæ insolitæ. Solitæ actiones eæ sunt, quæ ut plurimum solent fieri, sic arridere, amicitiam denotat; naso adunco ludere, irrisionem significat.

Insolitæ actiones eæ sunt, quæ nonnisi raro solent fieri, v. g. pulverem ex pedibus excutere, arma, hastas, sagittas in urbem conjicere.

Actiones insolitæ juxta intentionem elicientis significant. Sic v. g. Moyses velatus incessit coram Judæis, quo indicaret eis aliquando Scripturas velatum iri. Sic Ezech. vasa captivi emptione sibi comparavit, ut indicaret Israeliticam transmigrationem. Sic Jesus puero ostenso simplicitatem puerorum præcipit. Sic Angelus molarem lapidem in mare projiciens habitatores Babylonis simili impetu in infernum projiciendos prænunciavit. His prænotatis.

§. VI. *Referuntur varia exempla, quibus Scriptura situm, gestum, aut habitum variarum rerum significat.*

Caput, vel decalvatum, vel opertum cinere, vel velatum, vel demissum in terram dolorem & luctum significat. Sic Jer. 48. v. 37. captivitatem describit: *Omne enim, inquit, caput calvitium, & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium.* Sic ubi Aman damnatus fuit morte, velatum est caput ejus. Sic Mardochæus lugens eam, quam timebat gentis suæ internecionem, velavit caput suum. Sic amici Job lugentes miserum ejus statum, operierunt caput cinere. Sic virgines lugentes casum Jerusalem, *abjecerunt*, inquit Jerem. *in terram caput suum.*

Caput ornatum capillis, coronatum rosis, unctum oleo, modeste erectum, lætitiam significat. Sic Is. 61. v. 3. lætitiam significat his verbis: *Et darem eis coronam pro cinere, & oleum gaudii pro luctu.*

Manus positæ super caput, animi perturbationem produnt, ut patet exemplo Thamar violatæ a fratre suo, quæ manibus super caput positis dolorem suum exprimebat. Sic desolationem Judæorum describit Jer. 2. v. 37. *Manus tuæ erunt super caput tuum ... Et nihil habebis prosperum in ea.*

Frons dura obstinationem significat. Frons modeste contra docilitatem portendit. *Israel*, inquit Ezec. 3. v. 7. *attrita fronte est, & duro corde.*

Cervix inclinata, & supposita laborem susceptum significat. *Salutate*, inquit Paulus, *Priscam, & Aquilam, qui pro anima mea cervices suas supposuerunt.* Ad Rom. 16.

Capillorum avulsio indignationem prodit. *Cum audissem verbum istud*, inquit Esd. *evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens.* Esd. c. 9. v. 3.

Aures apertæ docilitatem significant, obturatæ indocilitatem ostendunt. Sic docilitatem suam erga Deum refert Isaias his verbis: *Et mane erigit mihi aurem, ut audiam, quasi magistrum.* 50. v. 4. Indocilitatem vero populi Judaici his verbis describit idem Is. 33. v. 15. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos, ut videat malum.* Oculi pro diversitate motuum diversa significant; v. g. oculi sublimes superbiam, humiles modestiam significant; oculi ad Deum erecti attentam orationem produnt; oculi aversi negantis gestum ostendunt, conversi concedentis favorem significant, oculos aperire explicat attentionem, claudere vero prodit neglectum; hæc ita clara sunt, ut exemplis non egeant.

Os apertum aliquando eloquentiam, & gratiarum actionem significat. *Aperiam in parabolis os meum.* Ps. 77. v. 1. Os obseratum e contra silentium portendit juxta illud. *Posui ori meo custodiam.* Ps. 38. v. 2.

Osculum signum est benignæ salutationis. *Osculum*, inquit Christus, *mihi non dedisti.*

Lingua palato inhærens silentium exprimit: linguam mordere vehementissimum dolorem exprimit, unde apud Job 29. v. 10. vocem suam cohibent Duces, & in Apoc. damnati linguam suam mordere describuntur.

Faciem convertere favorem significat. *Faciem tuam illumina super servum tuum.* Ps. 118. contra, faciem

Digitized by

ciem avertere odium indicat juxta illud: *Quare faciem tuam avertis?* Faciem demittere conscientiam accusantem exprimit. *Cur concidit facies tua?* inquit Deus ad Cain Gen. 49. v. 6. Faciem tollere importat conscientiam sui facti bene consciam juxta illud: *Elevabis ad Deum faciem manus.* Job 22. v. 26. Facies lota lætitiam, facies sordida mœrorem exprimit. Sic apud Matt. dicitur: *Cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,* scilicet ut lætus appareas.

Vultus attonitus miseriam, hilaris e contra prosperum statum significat.

Collum ornatum auro libertatem, ligatum ferro captivitatem portendit. Sic Joseph collo alligata est torquis aurea in signum libertatis.

Collum erectum arrogantiæ signum est, sic Job loquens de peccatore ait. *Tetendit adversus Deum erecto collo.* Collum demissum obedientiæ signum est.

Humerus attritus significat assiduitatem laboris: Ezec. 29. v. 18. *Omnis humerus,* inquit, *depilatus est,* humerus e contra recedens habitus est hominis adversantis obedientiam, *Et dederunt,* inquit Nehemias, *humerum recedentem.* 9. v. 29.

Brachium extentum fortitudinem exprimit: *Redimam vos,* inquit Deus, *in brachio extento.* Exod. 6. v. 6. brachium lapsum e contra infirmitatem denotat. Manus extenta vim, robur, & protectionem ostendit aliquando juxta illud. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua.* Ps. 10. 12. aliquando juramentum significat. *Levabo manum meam ad gentes.* Ezec. 36. v. 7. Manum porrigere signum est dantis auxilium; manum e contra retrovertere signum est denegantis auxilium.

Manus in sinu tenere, aut remissas habere, habitus est hominis otiosi, ideo dicit Paulus, ut hortetur ad laborem. *Remissas manus erigite.* ad Heb. 12. v. 12. Manus extendere ad Deum, est orare: extendere ad opus, est laborare.

Manus alteri dare, aut tangendas præbere, est signum societatis ineundæ. *Ægypto dedimus manum, & Assyriis, ut saturaremur pane.* Th. 5. v. 6.

Digitus ori admotus silentium indicat juxta illud: *Tace, & pone digitum super os tuum,* Jud. 18. vers. 20.

Post tergum projicere, est negligere, & oblivisci juxta illud: *Projecisti post tergum peccata mea.* Isa. 38. 17. Ire post tergum est obedire, juxta illud: *Nolite recedere a tergo Domini.* 1. Reg. 12. v. 20. vertere tergum e contra non obedire juxta illud. *Verterunt ad me tergum & non faciem.* Jer. 2. 27.

Genua curvare, significat vel obedientiam juxta illud, Rom. 11. v. 4. Non omnes *curvaverunt genua ante Baal,* vel infirmitatem juxta illud. *Genua mea infirmata sunt a jejunio;* Ps. 108. v. 24.

Pedes loti hilaritatem; pedes non loti tristitiam significant. Sic Miphiboseth filius Saulis, ut suam proderet tristitiam, venit coram Davide illotis pedibus. 2. Reg. 19. v. 24. Pes constans firmum propositum ostendit; pes inconstans vagam mentem significat juxta illud. *Pes meus stetit in directo.* Ps. 25. 12. & rursus: *Mei autem pene moti sunt pedes.* Ps. 72. v. 2. Pedum festinatio velocitatem ad malum vulgo exprimit juxta illud. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Ps. 13. v. 3.

Jacere in terra, præsertim super dextrum latus, mœrorem, imbecillitatem, & subjectionem exhibet. *Dormiemus in confusione nostra,* inquit Jer. 3. v. 25. Inclinari ministerium servitutis prodit. Sic Joannes, ut suam subjectionem erga Christum clarius patefaciat, dicit se non esse dignum, qui inclinatus solvat corrigiam calceamentorum.

Stare in templo, habitus est sacerdotum orantium; ideo ait Is. 49. *Consurgent Principes, & adorabunt.* Stare, aliquando significat habitum concionantis. Sic Petrus verba facturus, stare describitur. Act. 2. Stare aliquando situm vigilantis denotat. *Super custodiam meam stabo.* Abac. 2. v. 1. Sedere, juxta diversum locorum diversa significat. Sedere in excelso securitatem significat juxta illud: Is. 33. v. 16. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Sedere in terra mœrorem exprimit juxta illud. *Desolata in terra sedebit.* Is. 3. v. 26. Sedere in cinere pœnitentiam prodit. *Sedit in cinere.* Jo. 3. v. 6. Sedere in horto, in vinea pacem significat juxta illud Mic. 4. v. 4. *Et sedebit vir subtus vineam suam.* Sed in cathedra habitum docentis exprimit juxta illud Matt. 23. 2. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.*

Equo sedere dignitatem quamdam exprimit; sic Joseph & Mardochæus equo impositi per urbem honoris causa ducti sunt. E contra ex equo descendere, signum est observantiæ; sic Rebecca conspecto Isaac descendit de Camelo.

Motus varii varia significant. Sic ambulare, studium & sollicitudinem significant juxta illud: *Si in viis meis ambulaveritis.* Zac. 3. v. 7. Claudicare idem sonat, se deviare juxta illud. *Usquequo claudicatis in duas vias.* Currere, studium & diligentiam ostendit, sic suam diligentiam exprimit David: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum,* Ps. 118. Labi fere semper periculum arguit juxta illud. *Ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum.* Deut. 32. v. 35.

Dormire, aliquando securitatem significat, aliquando negligentiam. *Ego dormivi & soporatus sum, quia Dominus suscepit me.* Ps. 3. v. 6. securitatem exprimit. Dum vero dicitur. *Ne inveniat vos dormientes.* Mar. 13. v. 36. negligentiam arguit. Et sicut dormire negligentiam prodit, ita vigilare diligentiam ostendit: *Vigilate & state in fide.* 1. ad Cor. 16. v. 13.

Multa sunt alia, quæ ex ipso usu dignoscuntur, v. g. vox afflicta mœrorem, vox alta lætitiam, vox conjuncta tubæ signum est aut lætantis, aut hortantis ad pugnam, vox sibillantis actus est hominis irridentis. Sic sudare laborem exprimit, fatigare anxietatem, esurire & sitire desiderium aliquod significant.

§. VII. *Quid præstandum sit morali Theologo, ut assequatur sensum litteralem Scripturæ.*

Qui verum & genuinum Scripturæ sensum penetrare voluerit, comparet sibi Biblia, legat attente eorum præfationes, & prologos. In his statim videbit, quid sit Scriptura, quæ ejus partes, quis ordo librorum tum veteris, tum novi Testamenti. Istud unum præmoneo, diutius immoretur in legendo textu, quam in legendis commentariis, tempus enim, quod in legendis longioribus commen-

tariis

tariis insumitur, utilius in legendo solo textu occupitur: immo si quis pluries universa Biblia legerit, experimento comperiet faciliorem in dies eis Scripturam evadere, & unum librum esse quasi alterius commentarium: novum, v. gr. Testamentum est veteris Testamenti simul & executio & explicatio: vetus vero Testamentum posterioris illius Testamenti, quod execut oni mandatum cernimus, est prom ssio & confirmatio & expositio. Sufficit ergo ad Scripturæ intelligentiam, quod in locis difficilibus, & phrasibus paulo obscurioribus, legantur breves annotationes probati alicujus Auctoris, quales sunt, v. g. annotationes Emmanuelis Sà, Menochii, Tyrini, Duhamelis, &c. Et si quis forte aliquem ex prædictis Auctoribus habere nequeat, legat librum Domini de Fleury, cujus titulus est *Les meurs des Israelites*; Auctor enim ille describendo mores Judæorum, brevem & facilem instituit ad intelligendam Scripturam manuductionem. Legat etiam Scripturæ Sacræ R. P. Milhet Sacerdotis Doctrinæ Christianæ. Item legat apparatum Theologicum R. Patris Annat ejusdem Congreg. Præpositi Generalis, apud quem libro de Scriptura sacra reperiet quidquid scitu necessarium est ad assequendum verum & genuinum Bibliorum sensum, methodumque brevem & facilem ad intelligendam Scripturam sacram. Quod si quis adhuc prædictos libros non habeat, saltem quæ hic subjicio exacte & scrupulose exequatur. Comparet sibi Dictionarium latinum, v. g. Calepinum, vocis cujuscumque sibi incognitæ significationem inquirat, phrasim quamlibet aut difficilem, aut obscuriorem construat, & sic clarum ei videbitur quod prima fronte ei obscurum apparebat.

Observet demum istas sequentes regulas. Primo quandocumque verba Scripturæ sine aliquo incommodo possunt proprie, ut sonant & jacent accipi, ita accipienda sunt; neque ad metaphoras, aut alios tropos, aut sensus improprios inflectenda, nisi quando ex iisdem, proprie acceptis, absurdus aliquis sensus vel contra fidem, vel contra mores eliceretur: ita Aug. lib. 5. de doctr. Christ. c. 29. & lib. 3. de catechizandis rudibus. Secundo; si locus aliquis Scripturæ subinde obscurior occurrat, & alibi per verba clariora proponatur, quod patet ex locis ad marginem citatis, ad hæc loca recurrendum est, ut unus textus explicetur per alium. Tertio, attendi debet quæ fuerit mens Scriptoris canonici: quippe ex scopo & intentione Scribentis sæpe colligitur mens & sensus scripturæ: v. g. inspiciendum est, quorsum, quibus, contra quos, vel ex cujus persona scripserit Auctor canonicus. Quarto oportet conferre antecedentia & consequentia cum loco, cujus sensus est obscurus, ut ea collatione tota, si fieri potest, obscuritas elucidetur. Quinto, scire oportet varios idiotismos Græcos & Hebraicos, qui sæpius in Vulgata occurrunt, quos nos in hac nostra ad Scripturam Sacram introductione explicuimus, aut saltem indicavimus.

Sexto, oportet apparentes Scripturæ contradictiones solvere, non disputando, sed verum Scripturæ sensum inquirendo; non ad nuda verba attendendo, sed veram Scriptoris canonici intentionem penetrando. Id autem facile assequeris, si isthæc attendas. Eamdem ideam diversa phrasi exprimere non est *contradictio*, sed *diversa expressio*: quocirca Matthæus, & Lucas loquentes de Joanne Baptista, non sibi contradicunt, licet Matthæus dicat, *cujus non sum dignus calceamenta portare*, 3. v. 11. Lucas vero dicat, *cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. 3. v. 16. sed uterque Evangelista diversimode Joannis humilitatem exprimunt. Item eamdem personam aut locum diversis nominibus exprimere non est *contradictio*, sed *binominatio*. Sic uxor Abrahami vocatur *Sarai*, Gen. 16. v. 1. *Sara* 17. v. 15. *Jescha* 11. v. 29. Sic uxor Esau vocatur *Judith filia Beeri Hethæi*: Gen. 26. v. 34. & vocatur *Ada filia Elon Hethæi*: Gen. 36. vers. 2. Altera uxor Esau; Gen. 26. v. 34. dicitur *Basemath filia Elon*. Gen. 36. vers. 2. vocatur *Olibama filia Ana*. Sic *Esther* dicitur etiam *Edissa*, Esth. 2. v. 7. Sic *Abimelech* dicitur *Achimelech*, *Jethro* vocatur etiam *Raguel*, *Matthæus* dicitur etiam *Levi*, *Paulus* dicitur etiam *Saulus*.

Item eamdem historiam modo concise, modo diffuse enarrare non est *contradictio*, sed *enarratio* vel concisior, vel prolixior. Quocirca Matthæus, & Marcus non sibi contradicunt, licet uterque historiam mulieris, quæ sanguinis fluxum patiebatur, enarrent diverso aliquatenus modo narrandi. Matthæus factum illud enunciat quidem concise c. 9. Marcus vero illud paulo fusius extendit c. 5. Demum usurpatio ejusdem nominis secundum diversum sensum, aut ejusdem rei secundum diversam proprietatem, non est *contradictio*, sed *varia significatio*. Sic Christus Joannem Eliam vocat, scilicet virtute, zelo, spiritu; Joannes vero negat se esse Eliam re & persona: ubi non est contradictio, sed diversa ejusdem nominis usurpatio. Sic Christus ait: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum*: & Paulus ait 1. ad Cor. c. 14. v. 20. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote*: nulla ibi contradictio, sed ejusdem rei secundum diversas proprietates assumptio, Christus vult nos esse infantium instar absque malitia; Paulus vetat nos esse instar infantium absque scientia. Christus vult nos esse humiles sicuti infantes. Paulus vetat non puerilia consectari, qualia erant loqui sine ullo fructu.

Septimo demum verus & genuinus Scripturæ sensus erui debet ex traditione, ex interpretatione Ecclesiæ, ex decretis Conciliorum, ex consensu Patrum, & horum vel multorum, vel paucorum sanctitate & eruditione perillustrium, ex unanimi consensu Doctorum & Interpretum, ut ipsemet fatetur VValtonus in suis prolegomenis ad Scripturam Sacram. Hujus auctoritas non est spernenda, cum sit de secta illorum, qui & traditionem rejiciunt, & Ecclesiæ auctoritatem spernunt. Victus ergo auctor ille veritatis viribus, necessum putat ad traditionem Ecclesiæ esse recurrendum, ut verus habeatur Scripturæ sensus.

Quod si cum prædictis adminiculis sint aliqui textus Scripturæ, qui adhuc lateant, qualis est v. gr. locus iste psalmi 67. *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, posteriora dorsi ejus in pallore auri*: & alii multi, quos extra rem esset percurrere; non diu immoretur moralis Theologus in penetrando loci obscurioris sensu: sciat

sciat multa esse in Scripturis, quæ adoranda sunt, non penetranda.

CAPUT II.

ARTICULUS UNICUS.

Quando utendum sit Scriptura in resolvendis casibus conscientiæ.

Resp. *unica*. Quando utimur Scriptura Sacra ad resolvendos casus conscientiæ, debemus eos solum textus adhibere, quibus Deus manifestare voluit vel ea, quæ vetat, vel ea, quæ imperat: seu, Scriptura Sacra eatenus est propria regula resolvendorum casuum, quatenus exhibet nobis quid Deus vetet, vel quid jubeat.

Probatur 1. Scriptura. *Non facietis singuli quod sibi rectum videtur .... quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.* Deut. 12. Idem enim est, ac si diceretur: Sume Scripturam quasi regulam agendorum, quoties tibi annuntiabit ea, quæ aut agenda jubeo, aut facienda interdico. Et Paulus 2. ad Timot. 3. ait: *Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: ergo Scriptura est regula resolvendorum casuum, quatenus docet, arguit, corrigit, erudit circa ea, quæ sunt justa, vel injusta, seu quatenus præscribit quæ sunt vel agenda, vel fugienda.

Ex Greg. XIII. Litteris Apostolicis ad Regem Catholicum datis, quæ Bibliis Regulis præfixæ sunt, ubi inter alia hæc habentur: *Scripturarum Beneficium permagnum esset, nam quod ad Theologiam attinet, quæ est summa Philosophia, hic libris omnia nostræ Religionis & divinitatis mysteria explicantur: quod vero ad partim attinet, quæ MORALIS nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur; quibus quidem duabus partibus omnis nostra salutis, & felicitatis ratio continetur, ut nihil ipsis possit horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina & sapientia refertius*: ergo sicut Pontifex vult, Scripturam regulam esse fidei, quatenus proponit quæ sunt credenda; ita est regula morum, quatenus præscribit quæ sunt agenda.

2. *Rat.* Voluntas Dei est & causa rerum, & regula nostrarum operationum. Quatenus est causa rerum, est adoranda; nihil enim facit, aut permittit, nisi cum maxima sapientia juxta illud Scripturæ: *Omnia in sapientia fecisti*: Quatenus vero est regula nostrarum operationum, est observanda, eique obtemperandum juxta illud Davidis: *Lex Domini immaculata convertens animas*: & rursus: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*: ergo Scriptura non est regula resolvendorum casuum, quatenus exhibet voluntatem Dei ut causam; sed solum quatenus enunciat voluntatem Dei ut regulam, seu quatenus proponit quæ Deus vetat, aut præcipit. Eo forte alludit August. dum dicit: *De illa civitate, unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt: ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Historiæ, in quibus Scriptura Sacra exhibet viros justos præstitisse aliquid, quod vel sit malum, vel quod speciem mali habeat, illæ, inquam, historiæ non sunt afferendæ tanquam regulæ pro resolvendis casibus conscientiæ: *non enim*, ut ait Aug. contra mendacium c. 8. in fine, *omnia, quæ à sanctis, vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores*: quippe sunt quædam facta historica, quæ proponuntur, non ut imitanda, sed magis ut miranda: quæ manifestant nobis Dei voluntatem, quæ est causa rerum; non eam vero voluntatem, quæ est nobis agendi regula.

Sic licet Noe posteris Cham maledixerit his verbis: *maledictus Chanaam*, ut ea pœna plecteret filium, qui ei illuserat, cum indecore nudatus, & sepultus vino dormiret; non tamen sequitur, licitum esse patribus ob quamcunque acceptam injuriam filiis suis maledicere; tum quia hæc verba *maledictus Chanaam*, verba sunt non optantis, sed prophetantis; tum quia scripta sunt, ut scirent posteri, quid à Noe factum sit, minime vero quid ab illis sit faciendum.

Sic licet laudetur Abraham in Scriptura, quod filium unigenitum Isaac Deo immolare voluerit; nulli tamen licet parenti ex quocumque zelo filios suos occidere, & eorum mortem sacrificium Deo offerre; quia Abraham speciali jussu Dei id tentavit: quo præcepto fit licitum quod apparebat illicitum, ut enim dicit D. Th. Deus est auctor vitæ & mortis, potens pœnam mortis justis & injustis infligere in pœnam peccati primi parentis, *cujus sententiæ si homo sit executor auctoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus*. 2. 2. q. 100. a. 8. in corp. tum quia factum illud Abrahami est de genere illorum, quæ sunt admiranda, non imitanda.

Sic etsi, ut quidam volunt, Abraham mentitus fuerit, dicens, quod Sarai soror esset; etsi pariter Jacob juxta aliquos mentitus fuerit, dicens patri Isaac, *Ego sum primogenitus tuus Esau*; etsi etiam juxta non paucos Judith mentita fuerit, dicens Holoferni: *Ego adducam te per mediam Jerusalem*: & si denique dato, quod Angelus Raphael mentitus fuerit dicens: *Ego sum Azaria, Azariæ magni filius*, &c. non licet tamen mentiri, nec illis historiis concludere, licitum esse aliquando mendacium: tum quia ex Aug. lib. de mendacio, hæc facta non erant mendacia, sed mysteria: quod si mendacia fuerint, non imitanda sunt, sed fugienda: nec Scriptura eas historias commemorat in exemplum, quod imitemur, sed in argumentum sinceritatis sacræ Historiæ, cujus tanta est fidelitas, ut nec sanctorum virorum vitia taceat.

Sic licet Hebræus populus, vel jussu, vel permissu Dei Ægyptum expoliaverit, usuras ab extraneis acceperit, matrimonia dato libello repudii dissolverit, Samson seipsum interfecerit; non sequitur licitum esse compensatione uti auctoritate propria, usuras exigere, matrimonia dissolvere, sibi ipsi mortem procurare: tum quia non debemus in nobis præsumere speciale Spiritus Sancti instinctum, quo ducebatur Samson, nec habemus specialem Dei jussum, vel permissum, qualem habebant Judæi Ægyptum spoliantes, usuras ab

extraneis exigentes, & matrimonia dissolventes; præceptum enim Dei novam & superiorem statuit legem quæ excusit ea facta, quæ lex inferior accusat: tum quia Scriptura ibi commemorat actiones aliquas, quas Deus noluit nobis esse incognitas, sed quas imitari prohibuit, ut patet ex Decalogi præceptis.

Confect. 2. Præcepta cæremonialia in veteri testamento expressa, quibus cultus erga Deum in lege Mosaica dirigebatur, nunc non obligant quantum ad ritus exteriores, quibus declarabatur Christus venturus; sed obligant solum quantum ad intentionem interiorem, quæ in eo sita est, ut adoremus Deum per Christum: juxta enim diversum statum, in quo sunt homines, diversus est cultus exterior erga Deum. In Cælo, ubi Deus clare videbitur, & Christus possidebitur, cultus exterior consistet in laude attestante claram Dei & Christi præsentiam. *In statu Beatorum*, inquit D. Th. 1. 2. q. 103. a. 3. in corp. *nihil erit figurale ad divinum cultum pertinens, sed solum gratiarum actio & vox laudis; & ideo dicitur de Civitate Beatorum: Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus*. Apocalyp. 21. In lege Mosaica, ubi Christus sperabatur venturus, cultus exterior consistebat in cæremoniis Christum venturum protestantibus, quæ vocantur ab Apostolo ad Colos. 2. vers. 17. *umbra futurorum*, idest figuræ Christi venturi, quæ tamdiu debuerunt durare, quamdiu Christus expectabatur venturus. In lege Evangelica, ubi Christus creditur venisse, cultus exterior debet consistere in cæremoniis, quibus Christum jam advenisse conteftemur; minime in ritibus quibus venturum Christum declarabant: quia veniente veritate cessat figura, & confecto novo Testamento antiquatur, & veterascit vetus, ut dicit Paulus ad Hebr. 8.

Confect. 3. Præcepta judicialia, quæ leguntur in veteri Testamento, quibus dirigebantur Judæi erga alios homines, non obligant modo quantum ad particulares determinationes in Scriptura expressas; quia determinationes debent esse diversæ juxta diversas nationes, apud quas vivimus: sed præcepta judicialia obligant modo quantum ad regulas æquitatis, quas ratio inspirat, & quas in Scriptura videmus expressas in præceptis judicialibus; hæc enim æquitas æqualiter debet apud omnes vigere, & apud omnes æqualiter custodiri.

Sic non est necesse, quod apud nos instituantur Reges, dividantur possessiones, tractentur domestici, & extranei, uti Judæis Scriptura præscribebat in præceptis judicialibus: quia status ille Judæorum non viget amplius apud Christianos; sed servanda sunt erga illas omnes personas ea æquitatis officia, quæ justitia præscribit, & quæ Scriptura in illis præceptis judicialibus judicat: v. g. ubique gentium observanda est subjectio erga Rempublicam, & politicos Principes, pietas erga parentes, cura erga domesticos, æquitas erga omnes.

Confect. 4. Præcepta moralia, v. g. Decalogi, in veteri Testamento expressa, non sunt sumenda in ea restrictione, qua videntur in Exodo exprimi, nec juxta falsam Scribarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem; sed sumenda sunt juxta eam additionem, quam vel Moyses, vel alii Scriptores canonici apposuerunt, maxime vero juxta eam interpretationem, quam Christus in Evangelio adhibuit: Moyses enim & Prophetæ uberius explicant id, quod Decalogus strictim, & concise proponit; Christus vero venit, ut genuinum Scripturarum sensum aperiret.

Sic primum præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me*, non debet ad solam idololatriæ prohibitionem coarctari, nec juxta Hebræorum sensum sumi, qui solas exteriores cæremonias idolatrici cultus prohibebant; sed sumi debet juxta additionem Moysis qui omnia, quæ ad idolorum cultum ordinantur, prohibuit, ut habetur Deut. 18. *Nec inveniatur*, inquit, *in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divines, aut quærat a mortuis veritatem*. Maxime vero sumi debet primum præceptum juxta Christi interpretationem, qua non modo cultus exterior præcipitur, sed cultus interior præcipue exigitur, ut habetur Jo. 4. *Venit*, inquit, *hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*.

Sic secundum præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*; non debet ad solum perjurium restringi, nec sumi juxta Judæorum Glossam, qui juramentum quodcumque permittebant, immo appetendum esse tamquam bonum contendebant; sed oportet, ut præceptum illud intelligatur juxta additionem Moysis, qua omnis blasphemia seu omne verbum injuriosum contra Deum prohibetur, & omnis falsa contra Deum Doctrina interdicitur, & fides falsis Prophetis abnegatur, Deut. 13. Sed maxime sumi debet secundum præceptum juxta interpretationem Christi, qui perjurium in omni casu declarat illicitum, docetque juramentum non esse appetendum tamquam bonum, sed melius esse absque juramento loqui, nisi ad juramentum necessitas cogat. *Audistis*, inquit Matt. 5. *quia dictum est antiquis: non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, idest nisi necessitas coegerit.

Sic tertium præceptum: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, non debet coarctari ad solam operum servilium cessationem, nec sumi juxta stultam Judæorum Glossam, qua sibi caritatis officia erga proximum interdicebant, ut patet ex Jo. c. 7. *Mihi indignamini*, inquit Christus ad Judæos, *quia totum hominem salvum feci in Sabbato*. Sed sumi debet juxta additionem Moysis permittentis in Sabbato exercitium bonorum operum. *Non videbis*, inquit Deut. 22. *bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo*.

Maxime vero intelligendum est illud præceptum juxta Christi interpretationem, Apostolorum doctrinam, & Ecclesiæ usum, quibus fit, ut non Sabbata, nec Neomenias, uti Judæi celebremus; sed dies festos vel a Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia institutos solemnes habeamus, & Deum his diebus non per solam cessationem a servilibus, sed maxime per virtutis exercitium colamus;

Digitized by Google

Deo sacrificemus, non per esum Agni Paschalis, non per taurorum, aliorumve animalium cruentam occisionem, sed per incruentam Christi immolationem, & Sacramentalem spiritualis illius Agni sumptionem.

Sic quartum mandatum: *Honora patrem tuum & matrem tuam*, non arctandum est ad solos parentes carnales, nec sumendum juxta crudelem Scribarum expositionem, qua debitum patribus subsidium, modo templo offerretur, in sui commodum transferebant, ut habetur Matth. 15. v. 5. Sed præceptum istud sumatur oportet juxta Moysis additionem, qui non modo parentibus carnalibus reverentiam præcepit exhiberi, sed etiam omnibus majoribus, ut habetur Lev. 9. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis*. Sed maxime præceptum istud accipi debet juxta Christi sensum, qui vult parentibus obedientiam impendi, dum ea imperant, quæ non nos a salute removent; denegari vero, dum ea præcipere attentant, quæ nos a Christo disjungunt: *Non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis, domestici ejus*. Mat. 10. vers. 35.

Sic quintum præceptum: *Non occides*, non ad prohibitionem solam externi homicidii limitandum est, nec juxta Judæorum sensum accipiendum; hi enim læsi a proximo oculum pro oculo, dentem pro dente exigebant; sed intelligendum est juxta Moysis additionem, qua & odium prohibetur, & durior ultionis etiam coram judice exactio interdicitur, ut habetur Lev. 19 *Non stabit*, inquit, *contra sanguinem proximi tui... Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*. Maxime vero interpretandum est juxta mentem Christi, quæ exprimitur apud Matt. 5. *Audistis*, inquit, *quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Et superius dixerat: *Audistis quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*.

Sic sextum præceptum: *Non mœchaberis*, non ad solum adulterium restringendum est, nec ad solos actus exteriores, ut faciebant Judæi, sed juxta additionem Moysis ad quascumque illegitimas carnis conjunctiones extendendum, ut habetur Deuter. 24. *Non erit*, inquit, *meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*: & iterum: *Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coibis*, Levit. 18. Sed maxime istud præceptum interpretari debemus juxta illam, quam Christus nobis dedit, expositionem: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*.

Sic septimum præceptum: *Non furtum facies*, non solam ablationem vel occultam, vel violentam rei alienæ interdicit, sed juxta additionem Moysis ad omnem usuram, ad omnem fraudem eliminandam extenditur. Sic enim habetur Deut. 18. *Non fænerabéris fratri tuo ad usuram*: & ad tollendam omnem fraudem dicitur Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera*: Sed præceptum istud sumi debet maxime juxta glossam Christi, qui non modo vetat usuras a fratribus exigendas; sed eas interdicit Christianis generaliter erga omnes: quia omnes homines & nobis proximi, & nobis fratres in Christo sunt, aut esse possunt. *Mutuum*, inquit, *date, nihil inde sperantes*: Lucæ 6. Rursus non vetat, ne sumamus vel retineamus aliena; sed insuper jubet, ut simus in ea animi præparatione, ut nostris etiam rebus, cum honor Dei & utilitas proximi exigunt, renunciemus. *Qui non renunciaverit*, inquit, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: rursus. *Qui petit a te, da ei, & volenti a te mutuari ne avertaris... Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. 15. 1.

Sic octavum præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, non coarctandum est ad falsam solum accusationem coram judice, ut putabant Judæi; sed juxta additionem Moysis generaliter ad omne mendacium, ad omne falsum contra proximum judicium, ad detractionem, & calumniam extenditur. Sic enim falsum judicium prohibet Exod. 23. *Nec in judicio plurimorum requiesces sententiæ, ut a veritate devies*. Mendacium vero quodcumque prohibet dicens: *Mendacium fugies*. Detractionem vero & calumniam his verbis interdicit Levit. 19. *Non eris criminator & susurro in populis*. Sed quantum pateat illud præceptum, explicat Christi interpretatio, dum dicit: *Nolite judicare, ut non judicemini*.

Duo ultima præcepta: *Non concupisces domum proximi tui, non desiderabis uxorem ejus*, ita sumenda sunt, ut concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ illicitam credamus. Concupiscentiam carnis seu libidinem refrænat Christus, dum jubet, ut oculos libidinosos nobis eruamus, & manus ad libidinem promptas abscindamus, quoties vel oculi, vel manus sunt nobis occasio peccandi. *Quod si*, inquit, *oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Concupiscentiam divitiarum sic refrenat, dum dicit: *Væ vobis divitibus*: Luc. 6. 24. Superbiam vero vitæ, seu concupiscentiam honorum penitus extinguit, dum ait: *Nisi efficiamini ut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum*: Matth. 18. 3.

Consect. 5. Scriptura ita sumenda est, etiam ubi de moribus loquitur, ut credamus non omnia, quæ de moribus dicuntur in Scripturis, esse de præcepto, sed alia esse de præcepto, alia vero de consilio. Quæ de consilio, sunt libertatis; quæ de præcepto, sunt necessitatis, ut diximus in primo tomo, ubi de lege.

Ea autem sunt de præcepto, quæ lege aliqua vel naturali, vel divina, vel Ecclesiastica, vel civili aut vetantur, aut jubentur: ea vero sunt de consilio, quæ licet bona in se, nulla ex prædictis legibus præcipiuntur.

Sic omissio actus mali lege prohibiti est de præcepto: v. g. omissio odii contra Deum, contra proximum, &c.

Sic exercitium actus virtutis lege imperatæ est de præ-

præcepto : v. g. exercitium caritatis erga Deum & proximum, cum instat præceptum, &c.

Sic bonum opus, quod citra ullam legem exercemus, est de consilio : v. g. eleemosyna, jejunium, oratio, cum non urget præceptum, &c.

Juxta D. Th. 1. 3. q. 108. art. 4. in corp. Ea sunt de præcepto, quæ sunt necessaria ad salutem : ea vero de consilio, sine quibus salus obtineri potest. *Oportet*, inquit, *quod præcepta novæ legis intelligantur esse data de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in quem lex nova immediate introducit. Consilia vero oportet esse de illis, per quæ melius & expeditius potest homo consequi finem prædictum.* Itaque juxta doctrinam sancti Doctoris, præceptum negativum est, quod homo numquam ita adhæreat creaturis ut in eis ultimum finem statuat: licitum, quod eisdem creaturis moderate utatur: consilium vero, ut bonis temporalibus renunciet, ut sic expeditius ad beatitudinem æternam tendat.

Sic in communi præceptum est, ut divitiis non inhæreamus : licentia, ut eis moderate utamur : consilium, ut eis totaliter renunciemus per votum paupertatis. Quare dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

Sic in communi præceptum est, ut carnis voluptatibus non inhæreamus : licentia, ut eis moderate utamur : consilium, ut eis renunciemus per votum castitatis. Ideo Christus dans consilium castitatis ait : *Sunt Eunuchi qui castraverunt se ipsos propter Regnum cælorum*: & statim subdit : *Qui potest capere capiat*: & Apostolus 1. ad Cor. 7. præmisso consilio virginitatis, dicit : *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum*, id est præceptum, *vobis injiciam* : & rursus, *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Sic in communi præceptum est, ut honoribus sæculi non inhæreamur : licentia, ut eis moderate utamur : consilium, ut eis per votum obedientiæ totaliter renunciemus. *Consilium autem obedientiæ*, inquit D. Th. ibid. ad 3 : *Dominus intelligitur dedisse in hoc quod dixit* : & sequatur me : *quem sequimur, non solum imitando opere, sed etiam obediendo mandatis secundum illud Joan.* 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.

Sic in particulari, inquit idem D. Th. ibid. in corp. *Cum homo dat eleemosynam pauperi, quando dare non tenetur, consilium sequitur quantum ad factum illud : similiter etiam quando aliquo tempore determinato a delectationibus carnis abstinet, ut orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo : similiter, quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quod licite posset facere, consilium sequitur in illo casu, puta, si benefaciat inimicis suis quando non tenetur, vel si offensam remittat, cujus juste posset exigere vindictam : & sic omnia particularia consilia ad illa tria generalia & perfecta reducuntur*, scilicet ad votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis.

TRACTATUS DECIMUS.

De vero usu Conciliorum in resolvendis casibus conscientiæ.

PROOEMIUM.

QUI in resolvendis casibus conscientiæ Conciliis uti voluerit, duo præstet necessarium est. Primum quidem legat Concilia tum generalia, tum particularia, & advertat quid in eis fuerit determinatum circa fidem, circa mores, circa disciplinam. Secundum vero, ne tantarum rerum multitudine memoria obruatur, quæ legerit certa ordinis methodo, scribat in codice, ut ad manum habeat quod Concilia tum generalia, tum particularia, circa quamcumque materiam determinaverint. Sed quia non est penes omnes aut omnia Concilia habere, aut habita legere, aut lecta certo ordine dirigere; ideo nos tractatum istum in sex capita dividimus. In primo quid & quotuplex sit Concilium recensebimus. In secundo subjiciemus brevem synopsim historicam Conciliorum generalium & particularium, referendo historice quid in Conciliis gestum sit. In tertio dabimus synopsim dogmaticam Conciliorum generalium Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, referendo non quidem verba, sed solum sensum Canonum. In quarto addemus synopsim Conciliorum præcipuorum particularium. In quinto proponemus methodum aliquam, qua tot Concilia, tot Canones facilius retineamus. In sexto, statutis quibusdam regulis, & explicatis quibusdam difficilioribus terminis, ostendemus, quomodo utendum sit Conciliis in resolvendis casibus conscientiæ.

CAPUT I.

De Conciliis tum generalibus, tum particularibus.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex Concilium.

CONcilium est Congregatio Prælatorum Ecclesiæ, qui in unum & eumdem locum congregantur ad definiendas controversias circa fidem exortas, ad reformandos mores, & ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam.

Ex hac definitione sequitur primo, triplicis speciei posse esse Concilium : siquidem aliud est Provinciale, aliud Nationale, aliud Generale. Concilium est Provinciale, cum a Metropolitano convocantur omnes unius Provinciæ Prælati. Concilium est Nationale, cum a Primate convocantur omnes alicujus nationis Episcopi. Concilium est Generale, cum totius Orbis Christiani Episcopi legitime convocantur.

Ex eadem definitione sequitur secundo, tria posse in quolibet Concilio pertractari, scilicet ea, quæ pertinent ad fidem, quæ spectant mores, & quæ disciplinam respicere possunt. Canones fidei docent quæ credenda sunt, & quæ non credenda, seu discredenda, ut dicunt. Canones morum determi-

nant quæ agenda, & quæ fugienda. Statuta vero disciplinæ præscribunt modum, secundum quem in Christiana Republica & hi qui sunt superiores, & hi qui sunt inferiores, vivere debeant; sive quo pacto se gerere debeant tam hi qui præsunt, quam hi qui subsunt spiritualiter.

Rursus ex eadem definitione sequitur, quod ut distinctior habeatur notitia decisionis in aliquo Concilio definitæ, inspiciendum sit quo loco, quo tempore, quo motivo, sub quo Papa, contra quem hæreticum congregatum est Concilium, ut, singulis examinatis circumstantiis, mens Ecclesiæ clarius appareat; ideoque in sequentibus articulis, quæ ad hoc conducunt, explicabimus.

ARTICULUS II.

Datur brevis idea Chronologiæ & Geographiæ, quatenus conducunt ad Conciliorum notitiam.

Chronologia est cognitio, qua varias temporis durationes distinguimus, ut actum quodlibet suo tempori adaptemus. Tempus autem dividitur in dies, menses, annos, sæcula, & milliaria. Dies est ea duratio, quæ ab ortu solis usque ad alium ortum solis extenditur, & vices diei & noctis complectitur. Mensis est triginta aut circiter dierum revolutio. Annus est duodecim mensium duratio. Sæculum centum annos complectitur. Milliare mille annorum spatium continet.

Qui volunt a Chronologiæ salebris se liberare, & tempora non confundere, abstinent a minutissimis computationibus, in quibus multum est laboris, parum vero utilitatis. Omnem durationem, quæ ab initio Mundi usque ad Christum effluxit, distinguunt in milliaria: eam vero quæ a Christo usque ad nos descendit, partiuntur in sæcula. A mundo condito usque ad Christum quatuor fluxere milliaria. Primum milliare est Adami, secundum Noemi, tertium Abrahami, quartum Salomonis.

Primum milliare incipit ab initio Mundi, & finit anno quinquagesimo sexto Noemi, & complectitur quidquid gestum est ab initio Mundi usque ad an. 56. ætatis Noe.

Secundum milliare incipit an. quinquagesimosexto Noe, & finit an. octavo ætatis Abrahami, & complectitur quidquid gestum est a Noe usque ad Abrahamum.

Tertium milliare incipit an. octavo ætatis Abrahami, & extenditur usque ad annum, quo Salomon complevit ædificium Templi & continet quidquid gestum est ab Abrahamo usque ad Salomonem; vel usque ad consummatum Templi ædificium.

Quartum milliare incipit a Templo ædificato, & finit ad Nativitatem Christi, & complectitur singula, quæ toto illo tempore gesta sunt.

A tempore Christi usque ad nos effluxerunt septem supra decem sæcula, & 44. anni.

Qui ergo voluerit advertere, An Concilium aliquod longe a nobis remotum sit, videat quo sæculo sit habitum, an primo, an secundo, an tertio sæculo, sub quo Papa, &c. Sed quia locus potest conducere ad Concilii notitiam, brevem hic subjicio Geographiæ ideam.

Geographia est terræ, quam homines incolunt, delineatio. Terra, quam homines incolunt, in duo hemisphæria dividitur, scilicet in hemisphærium superius, & hemisphærium inferius. Hemisphærium inferius est illud quod infra nos est, & antipodas complectitur. Hemisphærium superius est illud quod nos incolimus. Hemisphærium superius dividitur in tres partes, Europam, Asiam & Africam.

Hemisphærium inferius continet Americam: & hæc America potest dividi in Americam Orientalem, Occidentalem, Meridionalem, & Septentrionalem.

Qui ergo voluerit scire, quo in loco habitum est aliquod Concilium, quærat, an in Europa, an in Asia, an in Africa, & legat Catalogum Geographicum Conciliorum infra delineatum. Diximus, quod ad intelligentiam Concilii inservire queat, si sciatur quo Papa sedente habitum sit; ideo hic subjicimus Catalogum Chronologicum Summorum Pontificum, rem quidem vulgatam, sed tamen necessariam.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

In quo scribitur Catalogus Romanorum Pontificum, indicando 1. Nomen Pontificis. 2. Quo anno inceperit. 3. Quot annis Pontificatum tenuerit.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Petrus	43	an. 24 menf. 3 dies 10
Linus	67	a. 11 m. 2 d. 23
Cletus	78	a. 12 m. 7 d. 2
Clemens	91	a. 9 m. 6 d. 6
Anacletus	101	a. 9 m. 6 d. 10
Evaristus	110	a. 9 m. 3 d.
Alexander I.	119	a. 10 m. 5 d. 20
Systus I.	130	a. 9 m. 10 d. 8
Telesphorus	140	a. 11 m. 8 d. 29
Hyginus	152	a. 3 m. d. 28
Pius I.	156	a. 9 m. 5 d. 27
Anicetus	165	a. 7 m. 8 d. 24
Soter	123	a. 2 m. 11 d. 21
Eleutherius	177	a. 15 m. d. 23
Victor I.	192	a. 9 m. 1. d. 28
Zephyrinus	201	a. 18 m. d. 18
Callistus I.	219	a. 5 m. 1 d. 12
Urbanus I.	224	a. 6 m. 7 d. 4
Pontianus	231	a. 4 m. d. 6
Anterus	235	a. m. 1 d.
Fabianus	236	a. 23 m. d. 5
Cornelius	251	a. 2 m. 4 d. 17

Primus Antipapa Novatianus hereticus.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Lucius I.	253	a. 1 m. 4 d.
Stephanus I.	255	a. 2 m. 5 d. 22
Systus II.	257	a. m. 11 d. 13
Dionysius	258	a. 12 m. 3 d. 14
Felix I.	270	a. 4 m. 4 d. 29
Eutychianus	275	a. 8 m. 6 d. 4
Cajus	283	a. 12 m. 4 d. 15
Marcellinus	296	a. 7 m. 11 d. 26
Marcellus I.	304	a. 4 m. 1 d. 25
Eusebius	309	a. 2 m. 8 d. 21
Melchiades	311	a. 2 m. 2 d. 7
Sylvester I.	314	a. 21 m. 11 d.
Marius	337	a. m. 8 d. 22
Julius	336	a. 15 m. 5 d. 17
Liberius	352	a. 15 m. 5 d. 2
Felix II. *a quibusdam dictus*	366	a. 1 m. 3 d. 3
Damasus I.	367	a. 17 m. 2 d. 27

Secundus Antipapa Ursicinus, qui & Ursinus.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Siricius	395	a. 13 m. 1 d. 14
Anastasius I.	398	a. 4 m. 1 d. 13
Innocentius I.	402	a. 15 m. 2 d. 10
Zosimus	417	a. 1 m. 4 d 7
Bonifacius I.	418	a. 4 m. 9 d. 28

Tertius Antipapa Eulalius Archidiaconus.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Cælestinus I.	423	a. 8 m. 5 d. 3
Systus III.	432	a. 7 m. 11 d.
Leo I.	440	a. 10 m. 11 d.
Hilarius	461	a. 5 m. 9 d. 29
Simplicius	467	a. 15 m. 5 d. 10
Felix II. al. III.	483	a. 8 m. 11 d. 22
Gelasius I.	483	a. 8 m. 11 d. 22
Anastasius II.	496	a. 1 m. 11 d. 23
Symmachus	498	a. 15 m. 7 d. 27

Quartus Antipapa Laurentius Archidiaconus.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Hormisdas	514	a. 9 m. d. 10
Joannes I.	523	a. 2 m. 9 d. 14
Felix III. al. IV.	527	a. 3 m. 2 d. 14
Bonifacius II.	530	a. 2 m. d. 2

Quintus Antipapa Dioscorus adversus Bonifacium.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Joannes II. Mercurius	532	a. 2 m. 8 d.
Agapetus I.	535	a. m. 10. e. 14. aut 18
Silverius	536	a. 4 m. d.
Vigilius	540	a. 15 m. d. 18
Pelagius I.	555	a. 3 m. 10 d. 18
Joannes III. Catellinus.	359	a. 12 m. 21 d. 16
Benedictus I. Bonosius	573	a. 4 m. 2 d. 15
Pelagius II.	537	a. 12 m. 2 d. 27
Gregorius I. Magnus	890	a. 13 m. 6 d. 10
Sabinianus	604	a. m. 3 d. 19
Bonifacius III.	606	a. m. 8 d. 23
Bonifacius IV.	607	a. 6 m. 8 d. 20
Deusdedit	614	a. 2 m. 11 d. 26
Bonifacius V.	617	a. 7 m. 10 d. 31
Honorius I.	626	a. 12 m. 4 d. 27
Severinus	639	a. m. 2 d. 4
Joannes IV.	639	a. 1 m. 9 d. 6
Theodorus	639	a. 1 m. 9 d. 6
Martinus I.	649	a. 5 m. 4 d. 10
Eugenius I.	655	a. m. 5. vel 6 & d. 23
Vitalianus	655	a. 13 m. 4 d. 29
Adeodatus	669	a. 7 m. 2 d. 27
Donus I.	676	a. 1 m. 5 d. 10
Agatho	688	a. 3 m. 6 d. 25
Leo II.	683	a. m. 10 d. 14
Benedictus II.	684	a. m. 8 d. 17
Joannes V.	685	a. 1 m. d. 11
Conon	686	a. m. 11 d. 23

Schisma electis Petro & Theodoro.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Sergius I.	687	a. 13 m. 8 d. 14

Schisma electis Theodoro & Paschale.

Pontifex	Incepit an.	Pontificatum tenuit.
Joannes VI.	701	a. 3 m. 2 d. 12
Joannes VII.	705	a. 2 m. 7 d. 17
Sisinus	708	a. m. d. 20
Constantinus	708	a. 6 m. 1 d. 2
Gregorius II.	744	a. 16 m. 8 d. 20
Gregorius III.	731	a. 10 m. 9 d. 12

Zacharia 741 a. 10 m. 3 d. 10
Stephanus II. 742 a. m. d. 4
Stephanus III. 752 a. 3 m. d. 20
Paulus I. 757 a. 10 m. 1 d.

Schisma ob Theophylactum Archipresbyterum.

Stephanus IV. 768 a. 3 m. 5 d. 28

Constantinus Antipapa Frater Totonis Nepesini Ducis.

Hadrianus I. 772 a. 23 m. 10 d. 17
Leo III. 795 a. 20 m. 5 d. 17
Stephanus V. 816 a. 1 m. 7 d. 3
Paschalis I. 817 a. 7 m. 3 d. 16
Eugenius II. 724 a. 3 m. 2 d. 13

Zinzimus schismati occasionem dedit.

Valentinus 827 a. m. d. 40
Gregorius IV. 829 a. 15 m. 4 d.
Sergius II. 844 a. 3 m. 1 d. 2

Joannes Diaconus turbas concitavit adversus Sergium.

Leo IV. 847 a 8 m. 1 d. 5

Hic insulse inseritur a quibusdam Joanna Papissa.

Benedictus III. 955 a. 2 m. 6 d. 10
Nicolaus I. M. 858. a. 9 m. 6 d. 20
Hadrianus II. 867 a. 4 m. 10 d. 17
Joannes VIII. 872 a. 10 m. d. 1
Marinus I. seu II. 882 a. 1 m. d. 20
Hadrianus III. 884 a. 1 m. d. 19
Stephanus V. 885 a. 6 m. d. aliquot.
Formosus 890 a. 6 m. 6 d.

Sergius & Bonifacius VI. turbas cient.

Stephanus VI. 896 a. 3 aut 4 m. d.

Romanus Gallesinus per vim intrusus.

Theodorus II. 901 a. m. d. 20
Joannes IX. 901 a. 4 m. d. 15
Benedictus IV. 905 a. per aliquot mens.
Leo V. 906 a. m. d. 40
Christophorus 906 a. m. septem.
Sergius III. 907 a. 3 m. 4 d.
Anastasius III. 910 a. 1 m. d. 20
Lando 912 a. aliquot menses.
Joannes X. 913 a. 15 m. d.
Leo VI. 928 a. m. 6 d. 15
Stephanus VII. 929 a. 1 m. d. 15
Joannes XI. 931 a. 4 m. 10 d.
Leo VII. 936 a. 3 m. 6 d.
Stephanus VIII. 939 a. 3 m. 4 d. 5
Martinus II. seu III. 943 a. 3 m. 4 d. 13
Agapitus II. 946 a. 9 m. 7 d. 19
Joannes XII. 955 a. 9 aut 10 m. d.

Leo VIII, Antipapa ab Othone subrogatus.

Benedictus V. 964 a. unum circiter.
Joannes XIII. 965 a. 6 m. 11 d. 5
Donus II. 972 a. m. 3 d.
Benedictus VI. 972 a. m. 3 d.

Bonifacius VII. sive Franco Antipapa.

Benedictus VII. 975 a. 9 m. d.
Joannes XIV. 984 a. 1 & alio m. d.
Joannes XV. 985 a. 10 m. 4 d. 12
Gregorius V. 996 a. 2 m. 8 d. 6

Joannes XVI. Antipapa functione Crescentii.

Sylvester II. 999 a. 4 m. 2 aut 3
Joannes XVII. 1003 a. m. 5 d.
Joannes XVIII 1003 a. 5 m. 7 d. 18
Sergius IV. 1009 a. 2 m. 8 d. 13
Benedictus VIII. 1012 a. fere 12 m. d.

Gregorius Antipapa ab Imp. ejicitur.

Joannes XIX. 1024 a. 9 m. 8 d.
Benedictus IX. 1034 a. 10 m. d.

Sylvester III. & Joannes XX. Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ, Antipapa.

Gregorius VI. 1044 a. 2 m. 8 d.
Clemens II. 1046 a. m. 9 d.
Damasus II. 1048 a. m. d. 23
Leo IX. 1049 a. 5 m. 2 d. 7
Victor II. 1054 a. 2 m. 6 d.
Stephanus IX. 1057 octo ferme menses.
Nicolaus II. 1059 a. 2 m. 6 d.

Joannes Mincius dictus Benedictus X. Antipapa.

Alexander II. Anselmus. 1061 a. 11 m. 6 d. 22

Cadaleus Antipapa dictus Honorius II.

Gregorius VII. 1073 a. 12 m. 1 d 3

Clemens III. Guibertus Ravennas, Antipapa.

Victor III. 1086 a. m. fere 10
Urbanus II. Odo 1087 a. 11 m. 4 d. 18
Paschalis II. 1099 a. 18 m. 5 d. 4

Mortuo Guiberto tres Antipapa brevi tempore.

Gelasius II. 1118 a. 1 m. d. 4

Mauritius Burdinus Archiep. Bracarensis, Antipapa.

Callistus II. 1119 a. 5 m. 10 d. 23
Honorius II. 1124 a. 5 m. 2 d. 17

Callistus III. Theobaldus cedit Honorio.

Innocentius II. 1130 a. 13 m. 7 d. 10

Petrus Leonis, Anacletus II. Antipapa.

Gregorius dictus Victor III. Antipapa.

Cælestinus II. 1143 a. m. 5 d. 13
Lucius II. 1144 a. m. 11 d. 14

Eu-

Digitized by Google

Eugenius III. 1145 a. 8 m. 4 d. 13
Anastasius IV. 1153 a. 1 m. 4 d. 24
Hadrianus IV. 1154 a. 4 m. 8 d. 29
Alexander III. 1159 a. 21 m. 11 d. 21

Octavianus dictus Victor IV. Antipapa.

Guido Cremensis dictus Paschalis III. Antipapa.

Joannes Abbas dictus Callistus III. Antipapa.

Lucius III. 1181 a. 4 m. 2 d. 18
Urbanus III. 1185 a. 1 m. 10 d. 25
Gregorius VIII. 1187 a. duos fere mens.
Clemens III. 1188 a. 3 m. 2 d. 10
Cælestinus III. 1191 a. 6 m. 8. d. 28
Innocentius III. 1199 a. 18 m. 6 d. 9
Honorius III. 1216 a. 10 m. 8 d.
Gregorius IX. 1227 a. 14 m. 5 d. 3
Cælestinus IV. 1242 a. m. d. 18
Innocentius IV. 1243 a. 12 m. 5 d. 14
Alexander IV. 1254 a. 6 m. 5. d. 4
Urbanus IV. 1161 a. 3 m. 1 d. 4
Clemens IV. 1265 a. 3 m. 9 d. 25

Vacavit Sedes annos duos m. 9. d. 2. seu menses 30.

Gregorius X. 1271 a. 4 m. 4 d. 10
Innocentius V. 1726 a. m. 5 d. 3
Hadrianus V. 1276 a. m. d. 29
Joannes XXI. 1276 a. m. 8 d. 8
Nicolaus III. 1277 a. 2 m. 9 d. 2
Martinus IV. 1280 a. 4 m. 1 d. 7
Honorius IV. 1285 a. 2 m. d. 2
Nicolaus IV. 1287 a. 4 m. 1 d. 14

Vacat Sedes annos duos, mens. 3. d. 2.

Cælestinus V. 1294 abdicat post 5 m. d. 8
Bonifacius VIII. 1294 a. 8 m. 9 d. 18
Benedictus XI. 1303 a. m. 8 d. 17
Clemens V. 1305 a. 8 m. 10 d. 16

Vacat Sedes annos duos, mens. 3. d. 17.

Joannes XXII. 1316 a. 18 m. 3 d. 28
Benedictus XII. 1334 a. 7 m. 4 d. 6
Clemens VI 1342 a. 10 m. 8 d. 29
Innocentius VI. 1352 a. 9 m. 8 d. 20
Urbanus V. 1362 a. 8 m. 1 d. 23
Gregorius XI. 1370 a. 7 m. 2 d. 24
Urbanus VI. 1378 a. 11 m. 6 d. 6

Robertus Gevevensis, dictus Clemens VII. Antipapa.

Bonifacius IX. 1389 a. 14 m. 11 d.

Benedictus XIII. Petrus de Luna Antipapa.

Innocentius VII. 1404 a. 2 m. d. 22
Gregorius XII. 1406 a. 2 m. 6 d. 14
Alexander V. 1409 a. m. 10 d. 8
Joannes XXIII. 1410 a. 5 m. d. 15

Vacat Sedes Romana annos 2. m. 5. d. 10.

Martinus V. 1417 a. 13 m. 3 d. 12

Ægidius Antipapa dictus Clemens VIII.

Eugenius IV. 1431 a. 15 m. 15 d. 20

Amadeus Subaudiæ Dux Felix V. Antipapa.

Nicolaus V. 1447 a. 8 m. d. 19
Callistus III. 1455 a. 3 m. 5 d. 29
Pius II. 1458 a. 5 m. 11 d 26
Paulus II. 1464 a. 6 m. 10 d. 25
Sixtus IV. 1471 a. 13 m. d.
Innocentius VIII. 1484 a. 7 m. 10 d. 27
Alexander VI. 1492 a. 11 m. d. 8
Pius III. 1503 a. m. d. 26
Julius II. 1503 a. 9 m. 2 d. 21
Leo X. 1513 a. 8 m. 8 d. 20
Hadrianus VI. 1522 a. 1 m. 8 d. 6
Clemens VII. 1623 a. 10 m. 10 d. 7
Paulus III. 1534 a. 14 m. d. 18
Julius III. 1550 a. 5 m. 1 d. 16
Marcellus II. 1555 a. m. d. 21
Paulus IV. 1555 a. 4 m. 2 d. 24
Pius IV. 1559 a. 5 m. 11 d. 15
Pius V. 1566 a. 6 m. 3 d. 24
Gregorius XIII. 1572 a. 12 m. 10 d. 29
Sixtus V. 1585 a. 5 m. 4 d. 3
Urbanus VII. 1590 a. m. d. 13
Gregorius XIV. 1590 a. m. 10 d. 10
Innocentius IX. 1591 a. m. 2 d.
Clemens VIII. 1592 a. 13 m. 1 d. 3
Leo XI. 1609 a. m. d. 27
Paulus V. 1605 a. 15 m. 8 d. 12
Gregorius XV. 1621 a. 2 m. 5 d.
Urbanus VIII. 1623. a. 20 m. 11 d. 22
Innocentius X. 1644 a. 10 m. 3 d. 22
Alexander VII. 1655 a. 12 m. 1 d. 15
Clemens IV. 1697 a. 2 m. 5 d. 19
Clemens X. 1670 a. 6 m. 2 d. 23
Innocent. XI. 1676 a. 12 m. 10 d. 12
Alexander VIII. 1689 a. 1 m. 3 d. 26
Innocent. XII. 1691 a. 9 m. d.
Clemens X. 1700 a. 20 m. 3 d. 24
Innocentius XIII. 1721 a. 2 m. 9 d. 28
Benedictus XIII. 1724 a. 5 m. 8 d. 23
Clemens XII. 1730 a. 9 m. 6 d. 25
Benedictus XIV. 1740 a. 18. m. d.
Clemens XIII. 1758 a. 11 m. 6 d. 28
Clemens XIV. 1769 a. 5 m. 4 d. 3

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

In quo scribuntur varia schemata Conciliorum.

Concilia generalia Græca.

Nomen & annus.	Papa & Imperat.	Causa.
1. Nicænum anno 325.	Sylvester. Constantinus.	Arius.
Sardicense appendix Nicæni anno 347.	Julius. Constans & Constantinus.	Eusebii factio.
2. Constantinopolitanum I. anno 381.	Damasus. Theodosius.	Macedonius & Apollinaris.
3. Ephesinum anno 431.	Cælestinus. Theodosius Junior. Valentinianus.	Nestorius.
4. Calcedonense an. 452	Leo. Marcianus.	Eutyches.
5. Constantinopolitanum II. anno 453.	Vigilius. Justinianus.	Tria capitula.
6. Constantinopolitanum III. anno 681.	Agatho. Constantius Pogonatus,	Monothelitæ.
Trullanum quini-sextum anno . . .	Justinianus.	Omissio conditorum canonum in 5. & 6. synodo.
7. Nicænum II. anno 789.	Adrianus I. Constantinus & ejus mater Irene.	Iconoclastæ.
8. Constantinopolitanum IV. anno 897.	Adrianus II. Basilius Augustus.	Photii schisma.

Concilia generalia Latina.

Nomen & annus.	Papa & Imperator.	Causa.
1. Lateranense I. anno 1122.	Callistus II. Henricus V.	Pax ineunda inter Ecclesiam & Imperium.
2. Lateranense II. anno 1139.	Innocentius II. Conradus.	Petrus de Brixia.
3. Lateranense III. anno 1179.	Alexander III. Fredericus I.	Cathari. Valdenses.
4. Lateranense IV. anno 1215.	Innocentius III. Fredericus.	Albigenses. Terra Sancta a Turcis recuperanda.
5. Lugdunense I. anno 1245.	Innocentius IV. Fredericus II.	Expeditio in Terram Sanctam.
6. Lugdunense II. anno 1274.	Gregorius X. Rodolphus.	Processio Spiritus Sancti a Patre & Filio.
7. Viennense anno 1311.	Clemens V. Henricus.	Templariorum destructio Begardorum & Beguinarum condemnatio.
8. Constantiense anno 1414.	Durante schismate Sigismundus.	Schisma tollendum. Hussitæ & VVicleffitæ.
9. Basileense ex parte reprobatum an. 1431.	Eugenius IV. Sigismundus.	Reformanda Ecclesia.
10. Florentinum anno 1438.	Eugenius Paleologus.	Unio Ecclesiæ Latinæ cum Græca.
11. Lateranense V. anno 1512.	Julius II. & Leo X. Maximilianus.	Reformatio & pacificatio Ecclesiæ.
12. Tridentinum anno 1545.	Paulus III. Carolus V.	Lutherani. Calvinistæ.

Digitized by Google

C A P U T V.

In quo Latine, & Italice describitur ordine alphabetico Index Geographicus omnium Conciliorum.

Per dare un'idea distinta de' luoghi, dove si sono tenuti i Concilj, io noto quattro cose: cioè il Continente, il Regno, la Provincia, e la Città, affinchè ognuno possa trovare più facilmente in qualsissia carta il luogo, dove s'è tenuto il Concilio. Per esempio *Concilium Abricense*, io dico Avranches, in Europa, in Francia, in Normandia. Bisogna cercare nel Mappamondo 1. l'Europa. 2. nell'Europa la Francia, 3. nella Francia la Normandia, 4. Nella Normandia Avranches, e così si sa dove s'è tenuto il Concilio chiamato *Abricense*. Io ho seguito la carta Geografica del Signor Duval; e per dare nel medesimo tempo una cognizione del numero de' Concilj, o Conciliaboli, che sono stati tenuti in qualunque luogo, ho aggiunto in fine quanti Concilj, e Conciliaboli sono stati tenuti in quella Città. Per esempio, se si vuol sapere quanti Concilj sono stati tenuti in Constantinopoli, basta cercare la lettera C, si troverà Costantinopoli, e in fine si vedrà che in Constantinopoli si tennero 4. Concilj Generali, 33. Provinciali, o Nazionali, 25. Conciliaboli. Per calcolare un tal numero ho seguito la collezione del P. Labbè Gesuita, ch'è la più ampia che abbiamo; e come il Signor Baluzio ci ha data una collezione de' Concilj che erano stati omessi, io mi sono servito anche dell'opera di questo. Quando poi nè il P. Labbè, nè il Baluzio non mi hanno dato nessuna notizia, io mi sono contentato di mettere in questo Catalogo il luogo che il Duval ha notato, senza dir niente del numero de' Concilj, perchè confesso liberamente che non lo so, e che mi farà un grandissimo favore chi me ne darà cognizione.

A

Abrinca, Avranches. in Europa, in Francia, in Normandia. *Conc. Abricense*... Vi si tenne 1. Concilio.

Aclea, Acleth, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Acleense*. Vi si tenne un Concilio.

Ad-quercum, Borgo della Città di Calcedonia, nell'Asia minore, nella Bitinia. *Conc. Ad quercum*. 2. Conc.

Adrumetum, Adrumeto nell' Africa, nel Regno di Tunisi, nella Provincia Bisacena. *Conc. Adrumetinum*. 2. Conc.

Ægyptus, Egitto, ovvero *Alexandria*, Alessandria, nell'Africa, nell'Egitto. *Conc. Alexandrinum*. 21. Conc. 6. conciliab.

AEdua, Autun, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. AEduense*. Conc. 1.

AEgidia, S. Gilles, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Conc. AEgidianum*. Conc. 2.

Africa, Africa, uno dei quattro Continenti. Questa parola si prende per la Diocesi, o una delle parti dell'Africa. *Conc. Africanum*. 20. Conc. 1. Conciliab.

Agatha, Agde, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Concil. Agathense*. 1. Conc.

Agaunum, S. Maurice, in Europa, vicino al Lago di Genevra. *Conc. Agaunense*. 2. Conc.

Albigia, Albi, in Europa, in Francia, nell' alta Linguadoca. *Conc. Albigense*. 1. Conc.

Albigaunum, Albenga, in Europa, in Italia, nel Genovesato. *Conc. Albigaunense*.

Aleria, Aleria, Città rovinata nell' Europa, in Italia, vicino all'Isola di Corsica. *Conc. Aleriaunum* secondo il Sansone.

Aginnum, ovvero *Agennium*: Agen in Europa in Francia, in Guascogna. *Conc. Agennense*.

Alexandria, Alessandria d'Egitto, nell' Africa, nell'Egitto. *Conc. Alexandrinum*.

Alna, Alna, in Europa, nell'Inghilterra. *Conc. Alnense*. 1. Conc.

Altheim, ovvero *Althemia*, Alteim in Europa, in Germania ne' Grigioni. *Conc. apud Altheim*, ovvero *Altheum*. 1. Conc.

Altinum, Altino, in Europa, in Italia, nella Marca Trivigiana. *Conc. Altinense*.

Amalphia, ovvero *Amalphis*, Amalfi in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Amalphitanum*. 1. Conc.

Ambresbyria, Ambresburì, in Inghilterra. *Conc. Ambresburiense*.

Ameria, luogo incerto secondo il Sansone.

Anagnia, Anagni, in Europa, in Italia, nella Campagna di Roma. *Conc. Ananiense*.

Ancira, Ancira, ovvero Angoura, nell' Asia, nella Galazia. *Conc. Anciranum*, ovvero *Anciritanum*, o corrottamente *Anquirense*, 3. Conc. 2. Conciliab.

Andegavum, Angers, in Europa, in Francia, in Angiò. *Conc. Andegavense*, ovvero *Andiavense*. 6. Conc.

Andelaum, ovvero *Andelaus*, Andelot, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. apud Andelaum*. 1. Conc.

Andria. Andria, in Europa, in Italia nel Regno di Napoli. *Conc. Andrianum*.

Angari, in Asia. *Conc. Angariense*.

Anglia, Inghilterra, Regno principale dell'Isole Britanniche. *Conc. Anglicanum*. 11. Conc. 1. Conciliabolo.

Anicium, ovvero *Alvicium*, o *Podium S. Mariæ*, Puy in Velay, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Conc. Aniciense*. 1. Conc.

Antiochia, Antiochia nell'Asia, e capitale della Siria. *Conc. Antioch*. 19. Conc. 6. Conciliab.

Antissiodorum, Auxerre, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. apud Antissiodorum*.

Antuerpia, Anversa, in Europa, nelle Fiandre, ne' Paesi Bassi. *Conc. Antuerpiense*.

Ansa, in Europa, in Francia, vicino a Lione. *Conc. Ansanum*. 2. Conc.

Apamia, Pamiers, in Europa, in Francia, nel paese di Foix. 1. Conc.

Aquileja, Aquileja, in Europa, in Italia, nel Friuli. *Conc. Aquilejense*. 6. Conc. 1. Conciliab.

Aqua, Aix, in Europa, in Francia, nella Provenza. *Conc. Aquense*. 2. Conc.

Aquisgranum, Aquisgrano, in Europa, nel Ducato di Juliers. *Conc. Aquisgranense*. 13. Conc.

Aquitania, Aquitania, o Guienna, in Europa, in Francia, nella Guascogna. 1. Conc.

Ara-

Arabia, l'Arabia, nell'Asia. *Concil. Arabicum*. 2. Concil.

Aragonia, Aragona, in Europa, nella Spagna. *Conc. Aragonense*. 1. Concil.

Aranda, Aranda, in Europa, in Spagna, nella Castiglia vecchia. *Conc. Arandense*.

Arausio, ovvero *Arausica civitas*, Oranges, in Europa, in Francia, in Provenza, nel Principato d'Oranges. *Conc. Arausicanum*. 5. Conc.

Arelate, Arles, in Europa, in Francia, nella Provenza. *Conc. Arelatense*. 8. Conc.

Aretium, Arezzo, in Europa, in Italia, nel Ducato di Fiorenza. *Conc. apud Aretium*.

Argentina, ovvero *Argentoratum*, Argentina, in Europa, in Alemagna, nell'Alsazia. *Conc. Argentinense*.

Ariminum, Rimini, in Europa, in Italia, sul golfo di Venezia. *Conc. Ariminense*. 2. Conciliab.

Armacha, Armach, in Europa, nella gran Bretagna, nell'Islanda alla Provincia d'Ultonia. *Conc. Armachense*.

Armenia, Armenia, Provincia d'Asia. *Conc. Armenicum*. 1. Conc.

Arvernus, ovvero, *Alarus mons*. Clermons, in Europa, in Francia, all'Avergna. *Conc. Arvernense*. 3. Conc.

Aschaffemburgum, Aschaffenburg, in Europa, nella Germania, nell'Arcivescovato di Magonza. *Conc. Aschaffemburgense*. 1. Conc.

Asculum, Ascoli, in Europa, in Italia, nella Marca d'Ancona. *Conc. Asculanense*.

Asia, l'Asia, uno de' quattro continenti del mondo. *Conc. Asianum*, ovvero *Asiaticum*. 2. Conc.

Asta, Aste, in Europa, in Italia, nel Piemonte. *Conc. Astense*.

Asturica, Astorga, in Europa, in Spagna, nel Regno di Lion. *Conc. Asturicense*.

Atrabates, Arras, in Europa, in Francia, nell'Artesia. *Conc. Atrebatense*.

Attiniacum, Attigni, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. Attiniacense*. 4. Conc.

Audomara, S. Omer, in Europa, in Francia, nell'Artesia. *Conc. Audomarense*. 2. Conc.

Avenio, Avignone, in Europa, in Francia, nel Contado Venesino, nella Provenza. *Conc. Avenionense*. 10. Conc.

Aversa, Aversa, in Europa, in Italia, nella Terra di Lavoro. *Conc. apud Aversam*.

Augusta Vindelicorum, Augusta, o Ausbourg, in Europa, in Germania, nella Suevia. *Conc. Augustanum*. 2. Conc.

Augustodunum, Autun, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. Augustodunense*. 5. Concil.

Aurelia, Orleans, in Europa, in Francia nell'Orleanese. *Conc. Aurelianense*. 11. Conc.

Ausci, Auch, in Europa, in Francia, nella Guienna, nella Guascogna. *Conc. Auscïense*. 5. Conc.

Auximo, Osimo, in Europa, in Italia, nella Marca d'Ancona.

B

Bajoce, Bajeux, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Bajocense*. 1. Conc.

Bamberga, Bamberga, in Europa, in Germania, nella Boemia. *Conc. Bambergense*. 2. Conc.

Barcino, Barcellona, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Conc. Barcinonense*. 6. Conc.

Barium, Bari, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Terra di Bari. *Concil. Barense*. 1. Conc.

Basilea, Basilea, in Europa, in Germania, negli Svizzeri. *Conc. Basileense*. 1. Conc.

Bavaria, la Baviera, Ducato di Germania. *Conc. Bavaricum*. 1. Conc.

Baugenciacum, ovvero *Balgenciacum*, Beaugenci, in Europa, in Francia, nell'Orleanese nella Belgica. *Conc. Balgenciacense*. 2. Conc.

Bacancelda, ovvero *Bacanielda*, in Europa, in Inghilterra, nella Contea di Kent, ovvero Boukingan. *Conc. Becanceldense*. 2. Conc.

Bellicium, Belai, in Europa, in Francia, in Borgogna, nella Bresse. *Conc. Belliacense*.

Bellovacum, Beauvais, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Belvacense*, ovvero *Bellovacense*. 5. Conc.

Beneventum, Benevento in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Beneventanum*. 8. Conc.

Beningdonum, ovvero *Beningdona*, in Europa in Inghilterra. *Conc. Beningdonense*. 7. Conc.

Berganstedum, Berkamsted, in Europa in Inghilterra, nella Contea di Bedfort. *Conc. Berganstense*. 1. Conc.

Berytus, Berith, ovvero *Barut*, nell'Asia, nella Siria, nella Fenicia. *Conc. Beritense*. 1. Conc.

Besardunum, Besalu, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Conc. Besardonense*.

Besontio, Besanzone, in Europa, in Francia, nella Franca Contea. *Conc. Besontinense*.

Biterre, Bezirs, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Concil. Biterrense*. 7. Conc. 1. Conciliabolo.

Bituntium, Bitunto, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Bituntinum*.

Bituricum, o *Biturgia*, o *Biturica*, Bourges, in Europa, in Francia, nel Berres. *Conc. Bituricense*. 15. Conc.

Bona, Bonna, in Europa, in Germania, nell'Elettorato di Colonia. *Conc. Bonense*. 1. Conc.

Bononia, Bologna, in Europa, in Francia nella Picardia. *Conc. Bonoviense*. 1. Conc.

Bostra, Buseret, nell'Asia, nella Arabia. *Conc. Bostrenum*. 1. Conc.

Braccara Augusta, Braga, in Europa, nel Regno di Portogallo. *Conc. Braccarense*. 4. Conc.

Brandafordia, Brandford, in Europa, nell'Inghilterra, nella Provincia di Cantorberi. *Concil. Brandafordiense*. 1. Conc.

Brennacum, Mezieres, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Brennacense*. 1. Conc.

Bresta, Breste, in Europa, nel Regno di Polonia, nella Cujavia. *Conc. Brestanum*.

Bricopolis, S. Brieux, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Bricopolense*.

Britannia, la Gran Brettagna, che comprende i Regni d'Inghilterra, e di Scozia, *Conc. Britannicum*. 4. Conc.

Brivatum, ovvero *Brivas*, Brive la Gagliarda, nel Limosin, o piuttosto Brioude, in Europa, in Francia, nell'Avergna. *Conc. Brivatense*. 1. Conc.

Bri-

Digitized by Google

Brixia, Brescia, in Europa, in Italia, nella Repubblica di Venezia. *Conc. Brixiense*. 2. Conc.

Brixine, Bressanone, in Europa, in Germania, nella contea del Tirolo. *Conc. Brixinense*.

Buda, Buda, in Europa, in Ungheria, nell'Arcivescovato di Colocza. *Conc. Budense*. 2. Conc.

Burdigala, Bourdeaux, in Europa, in Francia Guienna. *Conc. Burdigalense*. 7. Conc.

Burgi, Burgos, in Europa nella Spagna, nella vecchia Castiglia. *Conc. Burgense*. 1. Conc.

Burgum S. Sepulchri, Borgo S. Sepolcro, in Europa, in Italia, nel Ducato di Toscana. *Concil. Burguntinum*. 1. Conc.

Bisacena, la Bisacena, Provincia dell' Affrica, che ora fa una parte del Regno di Tunisi. *Conc. Bisacenum*. 4. Conc.

C

Cabillonum, ovvero *Cabillo*, ovvero *Cabillinum*, Chatillon sulla Sena, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. Cabillonense*. 5. Conc.

Cadurcum, Cahors, in Europa, in Francia, nella Guienna, nel Querci. *Conc. Cadurcense*.

Cesar-Augusta, Saragozza, in Europa, in Spagna, nel Regno d'Aragona. *Conc. Caesar-Augustanum*. 3. Conc.

Cesarea Palestina, Caffair, Cesarea di Palestina, nell'Asia nella Siria, *Conc. Caesarense*. 1. Concil. 1. Conciliab. altro a Cesarea nel Porto, e un altro a Cesarea di Cappadocia.

Cairum, ovvero *Memphis*, il gran Cairo, in Affrica, nell'Egitto. *Conc. Memphiticum*.

Cala, ovvero *Kala*, Chelles, Badia di Monache Benedittine, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Calense*.

Calchutum, Calcut, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Calchutense*. 1. Conc.

Calisla ovvero *Kallis*, Calisla in Europa, in Polonia. *Conc. Calisiense*. 1. Conc.

Calna, Calnt, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Calnavills*. 1. Conc.

Cambricum, Cambriad, in Europa, in Inghilterra *Conc. Cambricense*.

Cameracum, ovvero *civitas Cameracensium*, Cambraut, in Europa, in Francia, nel Cambrese. *Conc. Cameracense*. 3. Conc.

Camerinum, Camerino, in Europa, in Italia, nella Marca d'Ancona. *Conc. Camerinense*.

Cantium, Kent, Contea del Regno d' Inghilterra, in Europa. *Conc. Cantianum*.

Cantuaria, Cantorbery, in Europa, in Inghilterra, nella Contea di Kent. *Conc. Cantuariense*. 8. Conc.

Canusium, Canesa, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Canusinum*.

Capua, Capua, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella terra di Lavoro. *Conc. Capuense*. 3. Conc.

Caput aquarum, Capaccio, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. ex capite aquarum*.

Caralis, Cagliari, in Europa, nella Sardegna, *Conc. Caralense*.

Carcasso, Carcassone, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Conc. Carcassonense*.

Caria, Aldinelli, Provincia dell'Asia, *Concil. Cariacum*. 1. Conc.

Carilocum, Charlieu, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. Carilocense*. 1. Conc.

Carisiacum, Cressi, in Europa, in Francia, nell' Isola di Francia. *Conc. apud Carisiacum*. 5. Conc.

Carnutum, Chartres, in Europa, in Francia, nell'Orleanese. *Conc. Carnotense*. 3. Conc.

Caroffum, Carol, in Europa, in Francia, nel Poitù. *Conc. Caroffense*.

Carpentoracte, Carpentras, in Europa, in Francia, nella Provenza, nel Venesino. *Conc. Carpentoractense*. 1. Conc.

Carthago, Cartagine, questa città ora rovinata era in passato la capitale di tutta la chiesa d'Affrica. *Conc. Carthaginense*. 20. Conc. 1. Concil.

Casbella, Cashel, in Europa, in Inghilterra, nell'Irlanda. *Conc. Casbellanum*. 1. Conc.

Cassinum, Monte Cassino in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Terra di Lavoro. *Conc. apud Cassinum*.

Castellanum, città Castellana in Europa, in Italia. *Conc. Castellanense*. 1. Conc.

Castrum Gonterii, Castello Gontier, in Europa, in Francia, nell'Angiò. *Conc. apud Castrum Gonterii*. 4. Conc.

Castrum Theoderici, Castello-Tierry, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. apud Castrum Theoderici*. 1. Conc.

Catalauni, Scialon, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. Catalaunense*. 1. Conc.

Cava, Cava, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Cavense*.

Caverna, Caverne, luogo d'Affrica. *Conc. Cavernense*. 1. Conciliab.

Cefaledium, Cefalù, in Europa, in Sicilia. *Conc. Cefalediense*.

Cella, Celle, in Affrica, nella Mauritania. *Conc. Cellense*.

Celichitho, Celichith, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Celichyonense*. 1. Conc.

Cervia, Cervia, in Europa, in Italia, nella Romagna. *Conc. Cerviacense*.

Cesena, Cesena, in Europa, in Italia, nella Romagna. *Conc. Cesenanum*.

Calcedon, Calcedonia, nell'Asia minore, nella Bitinia. *Conc. Calcedonense*. 1. Conc. generale.

Cirta, Constantina, in Affrica, nella Numidia. *Conc. Cirtense*. 1. Conc. 1. Conciliab.

Clarandonum, Clarandon, in Europa, in Inghilterra, *Conc. Clarandonense*. 2. Conc.

Clipiacum, Clichi, in Europa, in Francia nell' Isola di Francia. *Conc. Clipiacense*. 2. Conc.

Clodia, Chioggia, in Europa, in Italia, nello stato di Venezia. *Conc. Clodiacense*.

Clovesbovia, Clovesovia, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Clovesboviense*. 6. Conc.

Collis, Colle, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Conc. Collense*.

Colonia Agrippina, Colonia, in Europa, in Germania, nell'Elettorato di Colonia. *Conc. Agrippinense*, ovvero *Coloniense*. 20. Conc.

Colonia villa, Collonia, vicino a Mans, in Europa, in Francia, nell'Orleanese. *Conc. Coloniavillense*. 1. Conc.

Com-

Compendium, Compiegne, in Europa, in Franc. nell'Isola di Francia. *Conc. Compendiense*. 10. Conc.

Complutum, Alcalà des Henares, in Europa, in Spagna, nella nuova Castiglia, *Conc. Complutense*. 1. Conc.

Compostella, Compostella, ovvero S. Giacomo di Galizia. *Conc. Compostellanum*. 2. Conc.

Compsa, Comsa, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Compsacense*.

Comum, Como, in Europa, in Italia, nel Milanese. *Conc. apud Comum*.

Confinium 3. civitatum, in Europa, in Francia, nel Querci. *Conc. apud confinium 3. civitatum*.

Confluentes, Coblentz, in Europa, in Germania, nell'Elettorato di Treviri, *Conc. Confluentium*.

Constantia, Costanza, in Europa, in Germania, sul Lago di Costanza. *Conc. Constantiense*. 1. Conc. gener. 2. particolari.

Constantinopolis, Costantinopoli, in Europa, nella Romania. *Conc. Constantin*. 4. gener. 6. partic. Conciliab.

Comprinia, Comprignan, vicino a Bourdeaux, in Europa, in Francia, nella Guienna. *Conc. Comprimiense*. 3, Conc.

Corduba, Cordova, in Europa, in Spagna, nell'Andalusia. *Conc. Cordubense*. 2. Conc.

Corinthus, Corinto, in Europa, nella Grecia, *Conc. apud Corinthum*. 1. Conc.

Cornetum, Corneto.

Corsica, l'Isola di Corsica, in Europa, *Concil. apud Corsicam*.

Cortona, Cortona, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Conc. Certonense*.

Cosentia, Cosenza, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. apud Cosentiam*.

Coyacum, Cojaco, in Europa, in Spagna, nell'Austria. *Conc. Coyacense*. 1. Conc.

Cremona, Cremona, in Europa, in Italia, nel Milanese, *Conc. Cremonense*. 1. Conc.

Creta, Candia, Isola del Mar Mediterraneo. *Conc. Cretense*.

Cyperanum, Cyperano, in Europa, in Italia, vicino a Napoli. *Conc. Cyperanense*.

Cyprius. Isola di Cypro, sul mediterraneo. *Conc. apud Cypri Constantiam*.

D

Dalmatia, la Dalmazia, in Eur. lungo il Golfo di Venezia. *Conc. Dalmaticum*. 2. Conc.

Damascus, Damasco, in Asia, nella Syria, *Conc. Damascenum*.

Dertona, Tortona, in Europa, in Italia, nel Milanese. *Conc. Dertonense*.

Dertusa, Tortosa, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Conc. Dertusanum*. 1. Conc.

Dia, Die, in Europa, in Francia, nel Delfinato. *Conc. apud Diam*. 1. Conc.

Dingelfinga, Dilgenfingen, in Europa, in Germania, nell'Elettorato di Baviera. *Conc. Dingolfingense*. 1. Conc.

Dioclea, Cataro, in Europa, nella Dalmazia. *Conc. apud Diocleam*, ovvero *Conc. Diocleanum*.

Diospolis, aliter *Lidda*, in Asia, nella Palestina. *Conc. Diospolitanum*. 1. Conc.

Divio, Divon, in Europa, in Francia, nella Borgogna, *Conc. Divionense*. 1. Conc.

Dublinum, Dublin, in Europa, in Inghilterra, nell'Irlanda. *Conc. Dublinense*. 2. Conc.

Duisburgum, Duisburg, in Europa, in Germania, nella VVestfallia. *Conc. Duisburgense*. 1. Conc.

Duria, Dueren, in Europa, nella Germania inferiore, nel Ducato di Giulieri, nella Diocesi di Colonia. *Cond. Duriense*. 3. Conc.

Duziacum, Duosi, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. Duziacense*. 2. Conc.

E

Eboracum, Yorch in Europa, in Inghilterra, *Conc. Eboracense*. 6. Conc.

Ebroics, Evreux, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Ebroicense*.

Egara, Terrassa, o Egara, in Europa, in Spagna, nell'Aragona. *Conc. Egarense*. 2. Conc.

Eliberis, Elvira, in Europa, in Spagna, nel Regno di Granada. *Conc. Eliberitanum*. 1. Conc.

Emerita, Merida, in Europa, in Spagna, nella Castiglia vecchia ... *Conc. Emeritense*. 2. Conc.

Engolisma, Angouleme, in Europa, in Francia, nell'Orleanese. *Conc. Engolismense*. 2. Conc.

Engilheneimen, Ingelheim, in Europa, in Germania, vicino a Magonza. 1. Conc.

Epaunna, Genne, in Europa, in Savoja. *Conc. Epaunense*. 1. Conc.

Ephesus, Efeso, capitale nell'Asia propria. *Conc. Ephesinum*. 2. Conc. Generale. 2. Partic. 1. Conciliabol.

Epirus vetus, l'Epiro, in Europa, nella Macedonia. *Conc. Epiri veteris*. 1. Conc.

Erfordia, Erfart, in Europa, in Germania. *Conc. Erfordiense*. 1. Conc. 1. Conciliab.

Exoldunum, Issoudum, in Europa, in Francia nel Berry. *Conc. Exoldunense*. 1. Conc.

Exonia, Excester, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Exonlense*. 1. Conc,

F

Faventia, Faenza, in Europa, in Italia, nella Romagna. *Conc. apud Faventiam*.

Ferraria, Ferrara, in Europa, in Italia, nel Ducato di Ferrara. *Conc. Ferrariense*. 1, gen.

Finschala, Fingal in Europa, in Inghilterra. *Conc. Finschalense*. 1. Conc.

Florentia, Firenze, in Europa, in Italia nella Toscana. *Conc. Florentinum generale*. 1. gener. 2. partic.

Flons-blandus, Fontanablò, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. apud Fontemblaudi*.

Foro-julium, Friuli, in Europa, in Italia, nel Dominio Veneziano. *Concil. Foro-juliense*. 1. Conc.

Forum Livii, Forlì, in Europa, in Italia, nella Romagna. *Conc. Foro-Livii*.

Francfordia, Francfort sul Meno, in Europa, in Germania, nel circolo del Reno. *Conc. Francfordiense*. 3. Conc.

Frideslaria, Fritzlar, in Europa, in Germania, nella Diocesi di Magonza. *Conc. Frideslariense*. 1. Conc.

Fri-

Frisinga, Frisinga, in Europa, in Germania, nell'alta Baviera. *Concil. Frisingense*.

Fulginum, Foligno, in Europa, in Italia, nell'Umbria. *Concil. Fulginense*.

Fuxum, Foix, in Europa, in Francia, nella Contea di Foix. *Concil. Fuxense*. 1. Conc.

G

Gabaldi, Givaudan, in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Concil. Gabalitanum*

Gaintonia, Gaintaignon, in Europa, In Inghilterra. *Conc. Gaintingtoniense*.

Gandavum, Gand, in Europa, nelle Fiandre. *Conc. Gandavense*.

Gandersheim, Gandersheim, in Eur. nella Germ. nel Branfuiceese. *Conc. Gandersheimense*.

Gangra, Gangra, nell'Asia minore. *Conc. Gangrense*. 1. Conc.

Gembitia, Gembicia, in Eur. nella Polonia maggiore, vicino a Gnesna. *Conc. Gembiciense*.

Geneva, Geneva, in Eur. nella Savoja. *Concil. Genevense*. 1. Conc.

Gentiliacum, Gentilli, in Eur. in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Gentiliacense*. 1. Conc.

Genua, Genova, in Europa, in Italia, nella Repubblica di Genova. *Conc. Genuense*. 1. Conc.

Germania, la Germ. in Europa. *Conc. Germanicum*. 3. Conc. 1. Conciliab.

Gerunda, Girona, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Conc. Gerundense*. 1. Conc.

Gifortium, Gifors, in Eur. in Francia, nella Normandia. *Conc. Gifortense*. 1. Conc.

Gnesna, Gnesna, in Europa, nella Polonia. *Conc. Gnesnense*.

Gradus, Grado, in Eur. Isola nel Mar Adriatico. *Conc. Gradense*.

Græcia, la Grecia.

Granata, Granada in Europa, in Spagna, nel Regno di Granada. *Granatense*.

Graffa, Graffa, in Eur. in Francia, nel Delfinato. *Conc. Graffense*.

Gratelanum, Gratellan, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Gratellanense*. 1. Conc.

Gudaixa, Guadix, in Europa, in Spagna, nel Regno di Granada. *Conc. Gudaicense*.

Guastalla, Guastalla, in Eur. in Italia, nella Lombardia. *Conc. Guastallense*. 1. Conc.

H

Hafniæ, Coppenaghen, in Europa, nella Danimarca. *Conc. Hafniense*. 1. Conc.

Harlemum, Harlem, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Harlemense*.

Hedfeldia, Hafeld, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Hedfeldinse*. 1. Conc.

Helena, Elena, in Europa, in Germania, nel Roffiglione. *Conc. Helenense*. 1. Conc.

Herbipolis, Erbipoli, in Europa, in Germania, nella Francia. *Conc. Herbipolense*. 1. Conc. 1. Conciliab.

Heristallum, Heristall, in Europa, in Germania. *Conc. Heristallense*.

Hibernia, l'Irlanda, in Europa. *Conc. Hibernicum*. 4. Conc.

Hidruntum, Otranto, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella terra d'Otranto. *Concil. Hidruntense*.

Hieracium, Girace, in Europa, in Italia, nella Calabria. *Conc. Hieraciense*.

Hierapolis, Hierapoli, in Asia, nella Frigia. *Conc. Hierapolitanum*. 1. Conc.

Hierusalem, Gerusalemme, in Asia, nella Giudea. *Conc. Hierosolymitanum*. 18. Conc. 2. Conciliab.

Hildesheimum, Heildesheim, in Europa, in Germania. *Conc. Hildesheimense*.

Hippo, Bona, in Africa, nella Numidia. *Conc. Hipponense*. 2. Conc.

Hispalis, Siviglia, in Europa, in Spagna, nel Regno dell'Andalusia. *Conc. Hispalense*. 2. Conc.

Hispania, la Spagna. *Conc. Hispanicum*.

Horta, Orta, in Europa, in Italia. *Conc. Hortanum*.

Hostunum, Ostuni, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Hostunense*.

I

Jacca, Jaca, in Europa, in Spagna, nell'Aragona. *Conc. Jaccitanum*. 1. Conc.

Jadera, Zara, in Europa, in Italia, nella Repubblica di Venezia. *Conc. Jaderense*.

Javaria, Javaria, in Europa, in Ungheria. *Conc. Javariense*.

Iconium, Cogni, in Asia, nella Licaonia. *Conc. Iconiense*. 1. Conc.

Ilerda, Lerida, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Conc. Ilerdense*. 1. Conc.

Ilipa Italica, Siviglia-la-veia, in Eur. in Spagna, nell'Andalusia. *Conc. apud Ilipam Italicam*.

Ingelheim, ovvero Ingelheimum, Ingelheim, in Eur. in Germ. *Conc. Ingelheimense*. 4. Conc.

Illyricum, la Schiavonia, in Europa, vicino al Mare Adriatico. *Conc. Illyricum*. 1. Conc.

Insulæ, l'Isola, nella Contea d'Avignone. *Conc. Insulanum*. 2. Conc.

Jotrum, la Fertè, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Jotrense*. 1. Conc.

Isauria, Caramania, verso l'Occidente, nell'Asia minore. *Conc. Isauricum*.

Italia, l'Italia, in Europa. *Conc. Italicum*. 1. Concil.

Juliobona, Lillabona, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Juliobonense*. 1. Conc.

Juniaria, ovvero *Junearia*, Junieres in Europa, in Francia, nella Linguadoca. *Conc. Juniarense*. 1. Conc.

K

Karrofense concilium, di Charroux, in Europa, in Francia, nel Poitù. 1. Conc.

Kelinsa, in Europa, in Inghilterra, nell'Irlanda. *Conc. Kelisanum*.

Kingesburi, Kingesburi, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Kinges-burianum*. 1. Conc.

Kingston, ovvero *Kingostonium*, Kingeton, in Europa, in Inghilterra nella Contea di Suri. *Conc. Kingstoniense*. 1. Conc.

Kirlingion, ovvero *Kirligtonium*, Kirlington, nel-

nel Regno antico degli Inglesi Orientali, in Europa. *Conc. Kirlingetoniense*. 1. Conc.

L

Lambethum, Lambeth, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Lambethense*. 4. Conc.

Labesa, ovvero *Lambesa*, Labesa, ovvero Lambesa in Africa, nella Numidia. *Conc. Lambesanum*. 1. Conc.

Lampsacus, Lampsaco, in Asia, nell'Elesponto. *Conc. Lampsacenum*. 1. Conc. 1. Conciliab.

Lancicia, Lencici, ovvero Lencziza, in Europa, nella Polonia maggiore. *Concil. Lanciciense*. 5. Conc.

Landavia, Landaf, in Europa, in Inghilterra, nel paese di Galles. *Conc. Landavicense*. 14. Conc.

Langia, Langasco, o Langez, in Europa, in Italia vicino a Genova. *Conc. Langesiense*. 1. Conc.

Laodicea, Laodicea, in Asia. *Conc. Laodicenum*. 2. Conc.

Lateranum, S. Giovanni Laterano in Roma, in Europa, in Italia. *Conc. Lateranense*. 5. Concil. gener. 5. particol.

Latiniacum, Lagni, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Latiniac*. 1. Conc.

Lavaura, ovvero *Vaurum*, Lavaur, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Conc. Vaurense*. 2. Conc.

Lauda, ovvero *Laus Pompeja*, Lodi, in Europa, in Italia, nella Lombardia. *Conc. Laudense*. 1. Concil.

Laudunum, Laon, in Eur. in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Laudunense*. 3. Conc.

Lauriacum, Loroux, nell'Angiò in Europa, in Francia. *Conc. Lauriacense*. 1. Conc.

Leoblenia, Liglin.

Legio, Leon, in Europa, in Spagna, nel Regno di Leon. *Conc. Legionense*, ovvero *apud Legionem*. 2. Conc.

Lemovicum, Limoges, in Europa, in Francia, nel Limosin. *Conc. Lemovicense*. 5. Conc.

Leodium, Liegi, in Europa, nelle Fiandre. *Conc. Leodiense*. Concil.

Leonium, S. Paolo di Lione, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Leoniense*.

Lepte, ovvero *Susa*, Susa, in Africa, nella Numidia. *Conc. Leptense*.

Leptina, in Europa, nelle Fiandre. *Conc. Leptinense*. 2. Conc.

Lexovii, Lisieux, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Conc. Lexoviense*. 1. Conc.

Lybia exterior, la Libia esteriore in Africa.

Lindecopa, ovvero *Lingacopa*, Lincoping, in Europa, in Svezia, nella Gothia. *Conc. Lindecopense*. 1. Conc.

Lingones, ovvero *Lingona*, Langres, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. Lingonense*. 3. Conc.

Lippia, Lippa, in Europa, in Germania, nella Vestfalia. *Conc. Lippiense*. 2. Conc.

Londinium, Londra, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Londinense*. 37. Conc.

Lovicium, Lovvicz, in Europa, in Polonia, nel Palatinato di Rava. *Conc. Loviciense*.

Luca, Lucca, in Europa, in Italia, nella Repubblica di Lucca. *Conc. Lucanum*, ovvero *Lucense*. 2. Conc.

Lucus, Lugo, in Europa, in Spagna, nel Regno di Gallicia. *Conc. Lucense*.

Lugdunum, Lion, in Europa, in Francia, nel Lionese. *Conc. Lugdunense*. 2. Gen. 14. Partic.

Lumbaria, Lombez, in Europa, in Francia, nella Guascogna. *Conc. Lubariense*. 1. Conc.

M

Macedonia, la Macedonia, una volta Regno. *Conc. Macedonicum*. 1. Conc.

S. Macra, Fines, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. apud S. Macram*. 1. Conc.

Macerata, Macerata, in Europa, in Italia, nella Marca di Ancona. *Conc. Maceratanum*.

Maclovium, S. Malò, in Europa, nella Normandia. *Conc. Macloviense*.

Maguelona, Maguelona, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Conc. Maguelonense*. 1. Concil.

Magdunum, Meun, vicino ad Orleans, in Europa, in Francia, nell'Orleanese. *Conc. Magdunense*. 2. Conc.

Maldui, ovvero *Malmesburia*, Malmesbury, in Europa, in Inghilterra, nella Contea di Valton. *Conc. Malesburiense*.

Manfredonia, Manfredonia, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli nella Puglia. *Conc. Manfredoniense*, ovvero *Sipontanum*.

Mantala, ovvero *Mantalum*, Mantale, ovvero Castel nuovo di Galaura. *Conc. Mantal*. 1. Conc.

Mantua, Mantova, in Europa, in Italia, nella Lombardia. *Conc. Mantuanum*. 2. Conc.

Marazzana, Marazzana in Africa, nella Bisacena. *Conc. Marazanense*.

Marcianum, Macciac, in Europa, in Francia, nella Guascogna, nella Contea di Armagnac. *Conc. Marcianense*. 1. Conc.

Mareotis, in Africa, nell'Egitto. *Conc. Mareoticum*. 1. Conc.

Marsicum, Marsico, in Europa, in Italia, nella Basilicata. *Conc. apud Marsicum*.

Massa, Massa, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Conc. Massanum*.

Matisco, Mascon, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Conc. Matisconense*. 3. Conc.

Mauritania, la Mauritania, in Africa. *Concil. Mauricaniense*. 1. Conc.

Meclinia, Malines, in Europa, nelle Fiandre, nel Brabante. *Conc. Meclinienſe*. 2. Conc.

Mediolanum, Milano, in Europa, in Italia, nel Milanese. *Conc. Mediolanense*. 15. Conc. 1. Conciliab.

Melda, Meaux, in Europa, in Francia, nel Briè della Sciampagna. *Conc. Meldense*. 7. Conc.

Melphis, Melfi, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Basilicata. *Conc. Melphitanum*. 1. Conc.

Mertonum, Merston, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Mertonense*. 1. Conc.

Millifons, in Europa, nell'Irlanda. *Conc. apud Milli-fontem*.

Melodunum, Melun, in Europa, in Francia, nell'Orleanese. *Melidunense*. 4. Conc.

Me-

Mercia, Mercia, in passato Regno, in Europa, in Inghilterra. *Conc. Mercianum*.

Merseburgum, Mersburg, in Europa, in Germania, nella Turingia, *Conc. Mersburgense*.

Metis, Metz, in Europa, in Francia, nella Lorena. *Conc. Metense*. 8. Conc.

Milevi, ovvero *Millaum*, Melli in Africa nella Numidia. *Conc. Milevit*. 2. Conc.

Moguntiacum. Magonza, in Europa, in Germania, nell'Elettorato di Magonza. *Conc. Moguntin*. 21. Conc. 1. Conciliab.

Mons-Faliscus, Monte Fiascone, in Europa, in Italia. *Conc. ad Montem Faliscum*.

Monspessulanus, Montpellier, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Conc. a Monte-Pessulo*. 5. Conc.

Mons regalis, Monreale, in Europa, in Italia, in Sicilia. *Conc. Montis regalis*.

Montilia, *Mone*, ovvero *Montilium*, Monteil, in Europa, in Francia, nella Provenza. *Conc. Montilianum*.

Mopsvestia, Mopsvestie, in Asia, nella seconda Cilicia. *Conc. Mopsvestianum*. 1. Conc.

Mosomum, Mousón in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. apud Mosomum*. 2. Conc.

Morritum, Moret, in Europa, in Francia, nell'Orleanese, nel Gastinese. *Conc. Morritense* 1. Conc.

Mutina, Modona, in Europa, in Italia, nella Lombardia, nel Ducato di Modona. *Conc. Mutinense*. 1. Conc.

N

Nannetum, Nantes, in Europa, in Francia nella Brettagna. *Conc. Nannetense*. 4. Conc.

Narbo, Narbona, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Conc. Narbonense*. 20. Conc.

Narnia, Narni, in Europa, in Italia, nell'Umbria. *Conc. Narniense*.

Neapolis, Napoli, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Neapolitanum*. 1. Conc.

Neapolis, Napoufa, in Asia, nella Palestina. *Conc. Neapolitanum*.

Nebbium, Nebbio, in Europa, in Italia, nell' Isola di Corsica. *Conc. Nebiense*.

Nemausus, Nimes, in Europa, in Francia nella Linguadocca. *Conc. Nemausense*. 5. Conc.

Nemptodurum, Nanterre, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Nemptodurense*. 1. Conc.

Neo Cæsarea, ovvero *Cæsarea ponti*, Neocesarea, ovvero T cat, in Asia, nella Provincia del Ponto. *Conc. Neocæsariense*. 1. Conc.

Neustria, la Normandia, in Europa, in Franc. *Conc. Neustriachum*. 1. Conc.

Nicea, Nicea, ovvero Isnick, nell'Asia minore nella Bitinia. *Conc. Nicænum*. 2. gen. 1. partic.

Nicea, ovvero *Nissa*, Nissa, in Asia, nella Cappadocia. *Conc. Nyssenum*. 1. Conciliab.

Nidda, Nidd, fiume nell'Arcivescovato di York in Inghilterra. *Conc. Niddanse*. 2. Conc.

Nivernum, Nivers, in Europa, in Francia, nell' Orleanese, nel Nivernese. *Conc. Nivernense*. 1. Conc.

Nigella, Nesle, in Europa, in Francia, nella Picardia. *Conc. Nigellense*. 1. Conc.

Nola, Nola in Europa, in Italia nella Terra di Lavoro. *Conc. Nolanum*.

Noriberga, Norimberga, in Europa, in Germania. *Conc. Noriberganum*.

Northantonum, Northampton, in Europa, in Inghilterra, nella Provincia di Cantorbery. *Conc. Northantonense*. 4. Conc. 1. Conciliab.

Novaria, Novara, in Europa, in Italia nel Milanese. *Conc. Novariense*.

Northusia, Northausen, in Europa, in Germania. *Conc. Northusanum*.

Noviodunum, ovvero *Noviomum*, Noyon, in Eur. in Francia, nell'Isola di Francia. *Conc. Noviodunense*, ovvero *Noviomense*. 4. Conc.

Novus Mercatus, Neumarchè, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Concil. apud Novum Mercatum*. 1. Conc.

Nuceria, Nocera, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Nucerianum*.

Nugariolum, Nogarot, in Europa, in Francia, nella Guienna. *Conc. Nugariolense*. 3. Conc.

Numidia, la Numidia, in Africa. *Conc. Numidianum*, 2. Conc. 1. Conciliab.

O

Osca, Huesca, in Europa, in Spagna, nell' Aragona. *Conc. Oscense*. 1. Conc.

Osnabrugum, Osnaburg, in Europa, in Germania. *Conc. Osnabrugense*.

Osrohena, Osroena, in Asia. *Conc. Osrohenum*. 1. Conc.

Ottonia, Ottonia, in Europa, nella Danimarca, nell'Isola di Fuenzon. *Conc. Ottoniense*.

Ovetum, Ovido, in Europa, in Spagna, nell' Austria. *Conc. Ovetense*. 2. Conc.

Oxonium, Oxford, in Europa, in Inghilterra, nella Provincia in Cantorbery. *Conc. Oxoniense*. 5. Conc.

P

Paderbona, Paderbon, in Europa, in Germania, nel circolo della Vestfalia. *Conc. Paderbonense*. 2. Conc.

Palantia, Palencia, in Europa, in Spagna, nel Regno di Lion. *Conc. Palatinum*. 2. Conc.

Palestina, Palestina, terra Santa, nell' Africa. *Conc. Palestinum*. 2. Conc.

Pampelona, Pampelona, in Europa, in Spagna, nel Navarrese. *Conc. Pampelonense*. 2. Conc.

Panormus, Palermo, in Europa, in Italia, nella Sicilia. *Conc. Panormitanum*.

Papia, ovvero *Regia-Ticina*, Pavia, in Europa, in Italia. *Conc. Papiensianum*. 2. Conciliab.

Parisii, Parigi, in Europa, in Francia, nell'Isola di Franc. *Conc. Parisiense*. 47. Conc. 3. Conciliab.

Parma, Parma, Ducato, in Europa, in Italia, nella Lombardia. *Concil. Parmense*.

Patavium, Padova, in Europa, in Italia, nella Marca Trivigiana. *Concil. Patavinum*. 1. Conc.

Pennafiela, Pennafiel, in Eur. in Spagna, nella vecchia Castiglia. *Conc. Pennafielense*. 1. Conc.

Penna

Penna S. Joannis, Città di Penna, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Concil. ad Pennam S. Joannis.*

Perpiniacum, Perpignano, in Europa, in Francia, nel Rossiglione. *Concil. Perpinianense*. 1. Concil.

Pertha, ovvero *Fanum S. Joannis*, S. Johuston, ovvero Perth, in Europa, in Scozia, nella Provincia di Perth. *Concil. Perthense.*

Pergamus, Pergamo, nella Misia, nell' Asia minore. *Concil. Pergamense*. 1. Concil.

Perusia, Perugia, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Perusinum.*

Petricovia, Petricou, in Europa, nella Polonia Maggiore, del Palatinato di Siradia. *Concil. Petricoviense.*

Pharus, in Europa, in Inghilterra. *Concil. Pharense*. 1. Concil.

Pictavium, Poitiers, in Europa, in Francia, nel Poitù. *Concil. Pictaviense*. 11. Concil.

Pisa, Pisa, in Europa, in Italia nella Toscana. *Concil. Pisanum*. 2. Concil. 1. Concialiab.

Pissiacum, Poissi, in Europa, in Francia, nell' Isola di Francia. *Concil. Pissiacense*. 2. Concil.

Pista, Ponte S. Pietro, ovvero Pistres, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Concil. Pistense*. 1. Concil.

Pistoria, Pistoja, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Pistoriense.*

Placentia, Piacenza, Ducato, in Europa, in Italia. *Concil. Placentinum*. 2. Concil.

Podium, le Puy in Vellay, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Concil. Anicense.*

Policastrum, Policastro, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Concil. Policastrense.*

Pontes, Pons, in Europa, in Francia, nella Santogna. *Concil. apud Pontes in Santonibus*. 1. Concil.

Pontigonum, Pontignus, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Pontigonense*. 1. Concil.

Pontus, il Ponto, in Asia. *Concil. Ponticum.*

Populonium, Città rovinata, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Populoniense.*

Posonium, Presburgo, in Germania, nell' Ungheria. *Concil. Posoniense*. 1. Concil.

Potentia, Potenza, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Concil. Potentianum.*

Praga, Praga, in Europa, nella Boemia. *Conc. Pragense*. 1. Concil.

Ptolemais, Ptolemata, nella Libia esteriore. *Con. Ptolemaidis*. 1. Concil.

Ptolemais, Acri, in Asia, nella Siria. *Concil. Ptolemaidis.*

Pusa, Pusa, in Asia. *Conc. Pusanum*. 1. Concil.

Q

Quintilineburgum, Quedlinbourg, in Europa, in Germania, nella Svezia. *Concil. Quintilineburgense*. 3. Concil.

R

Radinga, Redding in Europa, in Inghilterra. *Concil. Radingense*. 2. Concil.

Ratispona, Ratisbona, in Europa, in Germania, nella Baviera. *Concil. Ratisponense*. 2. Concil.

Rhemi, Reims, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Rhemense*. 2. Concil. 1. Conciliab.

Ravenna, Ravenna, in Europa, in Italia, nella Romagna, *Concil. Ravennatense*, ovvero *Ravennense*. 18. Conc. 1. Conciliab.

Reate, Rieti, in Europa, in Italia, nell' Umbria. *Concil. a Reate*. 1. Concil.

Redones, Rennes, in Europa, in Francia, nella Bretagna. *Concil. Redonense*. 1. Concil.

Regia-ticina, ovvero *Ticinum*, lo stesso che *Pavia*. *Concil. Regiaticinense*. 1. Concil.

Regium, Riez, in Europa, in Francia, nella Provenza. *Concil. Rejense*, ovvero *Regiense*. 1. Concil.

Ripulium, Ripuglio, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Concil. Ripuliense.*

Roma, Roma, in Europa, in Italia. *Concil. Romanum*. 138. Concil. 4. Conciliab.

Rhotomagus, Reven, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Concil. Rhotomagense*. 12. Concil.

Ruffiacum, Ruffec, in Europa, in Francia, nel Poitù. *Concil. Ruffiacense*. 2. Concil.

Rutheni, Rodez, in Europa in Francia, nella Guienna, nel Rovergne. *Concil. Ruthenense.*

Rosa, Rochester, in Europa, in Inghilterra. *Concil. Rosense*. 2. Concil.

S

Sagium, Seez, in Europa, in Francia, nella Normandia. *Concil. Sagiense.*

Salegunstad, ovvero *Salegunstadum*, Salegunstat, in Europa in Germania. *Concil. Salegunstadiense*. 1. Concil.

Salernum, Salerno, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Campania. *Concil. Salernitanum.*

Salzburgum, ovvero *Salisburgum*, Salisburgo, in Europa, in Germania. *Concil. Salisburgense*. 7. Concil.

Salmurium, Saumur, in Europa, in Francia, nell' Angiò. *Concil. Salmuriense*. 4. Concil.

S. Ægidius, S. Gilles, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Concil. apud S. AEgidium.*

S. Agata, S. Agata, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Concil. Agatense.*

S. Basolus, S. Basle, vicino a Reims, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. apud S. Basolum.*

S. Dionysii Fanum, S. Denis, in Europa, in Francia, nell' Isola di Francia. *Conc. apud S. Dionysium*. 2. Concil.

S. Genesius, S. Genesio, vicino a Lucca, in Europa, in Italia, nella Toscana, *Concil. apud S. Genesium.*

S. Joannes Rupensis, S. Giovanni della Penna, in Europa, in Spagna, nella Aragona. *Concil. apud S. Joannem Rupensem.*

S. Macra, ovvero *Maxientopolis*, Ponte S. Masenzio, in Europa, in Francia, nella Guienna, nel Poitù. *Concil. apud S. Maxentium.*

S. Quintini Fanum, S. Quintin, in Europa, in Francia, nella Picardia. *Concil. apud S. Quintinum*. 6. Concil.

S. Theodoricus, S. Teodorico, vicino a Reims, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. apud S. Theodoricum*. 1. Concil.

Santa-

Santonum, Saintes, in Europa, in Francia, nella Santogna. *Concil. Santonense*. 9. Concil.
Sardica, Città distrutta. *Concil. Sardicense*. 1. Concil. general. 1. Concil iab.
Sarfina, Sarfina, in Europa, in Italia, nella Romagna. *Concil. Sarfinatense*.
Sauriacum, Crespi, in Europa, in Francia, nella Valesia. *Concil. Sauriafense*. 1. Concil.
Scheninge, ovvero *Scheningia*, Schening, in Europa, in Svezia, nell'Ostrogothia. *Concil. Scheningiense*. 1. Concil.
Scotia, la Scozia, in Europa, in Inghilterra. *Concil. Scoticum*. 2. Concil.
Sedunium, Sion, ovvero Sittem, in Europa, in Francia, nella Valesia. *Concil. Sedunense*. 1. Conc.
Seleucia Isauriae, Seleucia, in Asia, nella parte chiamata Isaurica. *Concil. Seleuciense*. 1. Concil.
Sena, Siena, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Senonense*. 2. Concil.
Senogallia, Sinigaglia, in Europa, in Italia, nel Ducato di Urbino. *Concil. Senogallia*.
Senones, Sens, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Senonse*, 20. Concil.
Septimunicia, Settimuniche, in Africa, nella Bisacena. *Concil. Septimunicense*.
Sicilia, la Sicilia, in Europa. *Concil. Siculum*. 1. Concil.
Sida Candelora, Sida, in Asia, nella Pamfilia. *Concil. Sidense*. 1. Concil.
Sidon, Sidone, in Asia nella Siria. *Concil. Sidonicum*.
Silvanectes, Senlis, in Europa, in Francia, nell'Isola di Francia. *Concil. Silvanectense*. 7. Conc.
Singidinum, Zenderin, in Europa, in Polonia, nella Russia. *Concil. Singidunense*. 1. Conciliab.
Sinuessa, Sinuessa, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Terra di Lavoro. *Concil. Sinuessanum*. 1. dubbioso.
Sipontum, Siponto, in Europa, in Italia, vicino a Monte S. Angelo. *Concil. Sipontinum*. 1. Concil.
Sirmium, Sirmisch, in Europa, nella Schiavonia. *Concil. Sirmianum*. 1. Concil.
Sora, Sora, in Europa, in Italia, nella Campania. *Concil. Soranum*.
Spernacum, Spernai, in Europa, in Francia, nel Brie Sciampenese. *Concil. Spernacense*. 1. Concil.
Spoletum, Spoleti, Ducato, in Europa, in Italia, nell'Umbria. *Concil. Spoletanum*. 1. Concil.
Stampa, Estampes, in Europa, in Francia, nel Gatinese. *Concil. Stampense*. 1. Concil.
Suana, Soana, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Suanense*.
Suecia, la Svezia. *Concil. Suecianum*.
Suessio, Soisson, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Suessionense*. 15. Concil.
Suffetula, Suffetula, in Africa, nella Bisacena: *Concil. Suffetulense*.
Sutrium, Sutri, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Sutrinum*. 1. Concil.
Synnadas, Sinada, in Asia, nella Frigia. *Concil. Synnadense*.
Syria, la Siria, nell'Asia. *Conc. Syriacum*. 2. Concil.

T

Tarraco, Tarragona, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Concil. Tarraconense*. 5. Concil.
Taurica-Chersonesus, la Gazaria, nell'Asia, vicino al mar nero. *Concil. ad Tauricam-Chersonesum*.
Taurinum, Turino, in Europa, in Italia, nel Piemonte. *Concil. Taurinense*. 1. Concil.
Telepte, Telete in Africa, nella Provincia Bisacena. *Concil. Teleptense*. 4. Concil.
Tolge, Telg, in Europa, nella Svezia. *Concil. Telgacense*.
Theonisvilla, Thionville, nella Fiandra, nel Ducato di Lucemburgo. *Concil. in Theonisvilla*.
Theona, Thenes, in Africa, nella Bisacena. *Concil. Thenitanum*.
Thisdrus, Cairoan, in Africa, nella Bisacena. *Concil. Thisdrunense*.
Thracia, la Tracia, ovvero Romania. *Concil. Thracianum*.
Tibur, Tivoli, in Europa, in Italia, nella Campagna di Roma. *Concil. Tiburtinum*.
Toletum, Toledo, in Europa, in Spagna, nella Castiglia nuova. *Concil. Toletanum*. 28. Concil.
Tolosa, Tolosa, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Concil. Tolosanum*. 17. Concil.
Torcellum, Torcello, in Europa, in Italia, nello Stato di Venezia. *Concil. Torcellense*.
Tornaum, Tournai, in Europa, nelle Fiandre. *Concil. Tornacense*.
Trajectum, Utrecht, lo stesso che Liegi.
Tranum, Trani, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli, nella Terra di Bari. *Concil. Tranense*.
Trecae, Troja, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Conc. Trecense*. ovvero *Tricassinum*. 3. Conc.
Tremonia, Dortmund, in Europa, in Germania, nella Contea della Marca.
Trenorchia, Tornus, in Europa, in Francia, nel. la Borgogna. *Concil. Trenorchianum*. 3. Concil.
Treveri, Treviri, in Europa, in Germania, nell' Elettorato di Treviri. *Concil. Trevirense*. 6. Conc.
Triburia, Tribur, nella Germania, nel Vescovato di Magonza. *Concil. Triburiense*. 6. Concil.
Tridentum, Trento, in Europa, in Italia, nella Marca Trivigiana. *Conc. Tridentinum*. 1. Conc. Generale.
Troja, Troja, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Trojanum*. 3. Concil.
Troslejanum, Troslì, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Troslejanum*. 4. Concil.
Tullum, Toul, in Europa, nella Lorena. *Conc. Tullense*. 1. Concil.
Turiaso, Tarracona, in Europa, in Spagna, nell'Aragonese. *Concil. Turiasonense*. 1. Concil.
Turonum, Tours, in Europa, in Francia, nell' Orleanese. 15. Concil.
Tussiacum, Tousri, in Europa, nella Lorena. *Concil. ad Tussiacum*.
Tyana, Tiagna, in Asia nella seconda Cappadocia. *Concil. Tyanense*. 1. Concil.
Tyrus, Tiro, ovvero Sur, in Asia, nella Francia minore, *Concil. Tyrium*.... 3. Concil.

V

Vagai, ovvero *Bagai*, in Africa, nella Numidia. *Concil. Bagiense*. 1. Concil.

Valentia, Valenza, in Europa, in Spagna, nel Regno di Valenza. *Concil. Valentinum Hispaniæ*. 1. Concil.

Valentia, in Europa, in Francia, nel Delfinato. *Concil. Valentinum*. 7. Concil.

Valentiniana, Valenciennes, in Europa, nella Fiandra. *Concil. Viennense*. 1. Concil.

Vallis Guidonis, Laval, in Europa, in Francia, nell'Orleanese, nel Maine. *Concil. ad Vallem-Guidonis*. 1. Concil.

Vallidoleti, Vallidolid, in Europa, in Spagna. *Concil. Validolitanum*. 1. Concil.

Vasio, Vaison, in Europa, in Francia, nel Venesino. *Concil. Vasconense*, ovvero *Vasense*. 2. Conc. Alcuni dicono *Bazatense*, Bazas nella Guascogna.

Vectia, Uzes, in Europa, in Francia, nella Linguadocca. *Concil. Vectianum*.

Vencium, Vence, in Europa, in Francia, nella Provenza. *Concil. Venciense*.

Venetia, Vennes, in Europa, in Francia, nella Bretagna. *Concil. Veneticum in Armorica*.

Venetia, Venezia, Repubblica in Europa, in Italia. *Concil. Venetum*. 2. Concil.

Venusia, Venosa, in Europa, in Italia, nel Regno di Napoli. *Conc. Venusianum*.

Vercella, Vercelli, in Europa, in Italia, nel Piemonte. *Concil. Vercellense*. 1. Concil.

Vermeria, Verberies, in Europa, in Francia, nella Sciampagna. *Concil. Vermiense*. 4. Concil.

Vernum, Vernevil, in Europa, in Francia. nell'Isola di Francia. *Concil. Vernense*. 1. Concil.

Verolamium, S. Alban, in Europa, in Inghilterra, nella Contea d'Harford. *Concil. Verolamiense*. 3. Concil.

Verona, Verona, in Europa, in Italia, nella Marca Trivigiana. *Concil. Veronense*. 4. Concil.

Vicus, Vich, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Concil. Vicum*.

Vienna, Vienna, in Europa, in Francia, nel Delfinato. *Concil. Viennense*. 1. Concil. Generale, 7. Particol.

Vienna, Vienna, in Europa, in Germania. *Concil. Viennense in Austria*. 1. Concil.

Virgonia, VVorcester, Contea, in Europa, in Inghilterra. *Concil. Virgoniense*.

Villa-Regia, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Concil. apud Villam Regiam*.

Vincentia, Vicenza, in Europa, in Italia, nello Stato di Venezia. *Concilium Vicentinum*.

Vintonium, VVinchester, in Europa, all'Ouest dell'Inghilterra. *Concil. Vintoniense*.

Virodunum, Verdunt, in Europa, in Francia, nella Lorena. *Concil. Virodunense*. 1. Concil.

Viterbium, Viterbo, in Europa, in Italia, nel Patrimonio di S. Pietro, *Concil. Viterbiense*.

Vezeliacum, Vezzelai, in Europa, in Francia, nella Borgogna. *Concil. Vezeliacense*. 1. Concil.

Uniejovia, ovvero *Vinielovia*, Unienovv, in Europa, nella Polonia maggiore, nel Palatinato di Lencici. *Concil. Uniejovense*.

Volaterra, Volterra, in Europa, in Italia, nella Toscana. *Concil. Volaterranum*.

Vormatia, Vermes, in Europa, in Germania, nella Vestfalia. *Concil. Vormatiense*. 13. Concil. 1. Conciliab.

Uratislavia, Breslavv, in Europa, in Polonia, nella Slesia. *Concil. Uratislaviense*. 2. Concil.

Urbinum, Urbino, in Europa, in Italia, nell'Umbria. *Concil. Urbinatense*.

Urgela, Urgel, in Europa, in Spagna, nella Catalogna. *Concil. Urgelitanum*.

VVestminster, ovvero *Vest. Monasterium*, VVestminster, Badia in Europa, in Inghilterra, nella Contea di Diddelse. *Concil. VVestmonasteriense*. 6. Concil.

Z

Zellata, in Africa, nella Mauritania. *Concil. Zellatense*.

CAPUT II.

In quo proponitur synopsis historica omnium Conciliorum Generalium, & particularium.

PROOEMIUM.

In hoc capite recensebimus omnia Concilia tam generalia, quam particularia. Circa quodlibet Concilium quinque dicemus. Primo locum in quo habitum est. Secundo, tempus quo celebratum est. Tertio, motivum propter quod convocatum est. Quarto, quot Patres interfuerint huic Concilio. Quinto, quot Canones in eo fuerint editi. Quibus enumeratis plena habebitur cujuscumque Concilii notitia.

Ceterum locum tantum nominabimus, quia in articulo geographico sufficienter descriptus est. Solum numerum Canonum referemus; quia in synopsi dogmatica capite proxime sequenti omnes Canones, non quidem quoad verba, sed quoad sensum sumus allaturi.

ARTICULUS I.

De Conciliis sæculo primo habitis.

Hierosolymitanum I. sub Petro, an. 34. de electione Mathiæ. Interfuere undecim Apostoli, & turba hominum fere centum viginti. Act. 1. vers. 15.

Hierosolymitanum II. sub Petro, an. 34. de electione Diaconorum, qui ministrarent mensis, & pauperibus invigilarent, & ex æquo eleemosynas distribuerent: Act. 6. interfuere duodecim Apostoli.

Hierosolymitanum III. sub Petro, an. 49. contra eos, qui volebant Christianos ad legem Mosaicam observandam teneri. Tria constituuntur. 1. Non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum. Abstinendum esse ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione. 3. Mittendos esse Antiochiam duos Apostolos Paulum, & Barnabam, & Discipulos duos Barsabam, & Sylam: Act. 15. Incertum, an omnes Apostoli interfuerint.

Hierosolymitanum IV. sub Petro, a. 56. in quo determi-

minatum est, Judæos non damnandos, etiamsi legem Mosaicam observarent, modo in ea observatione spem salutis non ponerent: Act. 21. Quot Apostoli interfuerint incertum est.

Antiochenum sub Petro, an. 37. cujus Canones dicuntur reperti in Bibliotheca Origenis; sed Concilium illud ut apocryphum habetur a doctioribus.

ARTICULUS II.

De Conciliis sæculo secundo habitis.

Siculum sub Alexandro Papa, an. 125. contra Heracleonem Valentini discipulum, qui docebat hominem baptizatum peccare non posse. Alexander Papa monitus Sabinianum Presbyterum mittit, qui cum episcopis damnat Heracleonem. Incertus est numerus episcoporum hujus concilii.

Romanum sub Telesphoro Papa, an. 152. contra Theodoretum Coriarium Byfantinum, qui cum in persecutione sacrificasses, ut crimen illud excusaret, dixit: ego Deum non negavi, sed nudum hominem Christum. Damnatus est a duodecim episcopis. Hoc Concil. *fuit dispositio ad Nicænum contra Arium.*

Pergamense sub Hygino Papa, an. 152. contra Colorbasianam hæresim, qua afferebatur, vitam omnem hominum in septem stellis esse positam, & has esse septem Ecclesias, & septem candelabra aurea. Sanctus Theodotus Pergamensis episcopus cum septem aliis episcopis hanc hæresim damnavis.

Orientale sub Pio I. Papa, an. 160. contra Cerdonem duos Deos admittentem, alterum causam boni, alterum causam mali. Sanctus Apollonius Corinthiorum episcopus hunc errorem damnavit. Incertus est numerus episcoporum hujus Concilii. *Fuit dispositio ad Nicænum contra Manichæos.*

Romanum sub Aniceto, an. 165. contra Judaicum Christianorum quorumdam morem, quo Pascha die 14. Lunæ primi mensis celebrabant, & die Dominica post 14. diem Lunæ primi mensis Pascha celebrandum esse indicitur. Polycarpus Smyrnæ episcopus huic Concilio interfuit & decem alii episcopi. *Fuit dispositio ad Nicænum contra Quartodecimanos.*

Hierapolitanum sub Sotero Papa, an. 173. contra Montanum, & Maximillam, & Theodotum Coriarium, Christum purum hominem dicentes. Apollinaris Hierapoleos episcopus cum 26. episcopis hunc errorem damnavit. Montanus & Maximilla laqueo se suspenderunt obsessi a dæmone. *Fuit dispositio ad Nicænum contra Arium.*

Gallicum, seu *Lugdunense* sub Victore Papa, an. 197. in quo Irenæus monet Victorem, ne propter observatum cum aliquo discrimine Pascha integras Ecclesias a Romana Communione abscindat, & quod jejuniorum diversitatem non prohibeat. Præter Irenæum 13. interfuere episcopi huic Concilio. *Fuit dispositio ad Nicænum contra Quartodecimanos.*

Romanum sub Victore Papa, an. 198. de Paschate celebrando die Dominico occurrente post 14. diem Lunæ primi mensis. *Idem quod prius.*

Palæstinum, seu *Cæsareense*, an. 198. in quo idem determinatur de Paschate, quod in Concilio Romano. Interfuere huic Concilio 16. Episcopi. *Idem quod prius.*

Osroenum sub Victore Papa, an. 188. in quo de Paschate idem determinatur, quod in superiori Concilio. 17. Episcopi huic Concilio interfuerunt. *Idem quod prius.*

Conciliabulum *Ephesinum* tempore Victoris Papæ, an. 197. in quo Policrates cum quibusdam aliis episcopis Asiaticis constituit Pascha celebrandum esse die 14. Lunæ primi mensis, etiamsi in Dominicum diem non incideret. Victor accepta eorum epistola excommunicationis sententiam minitatus est. *Fuit occasio ad Nicænum.*

Nonnulla alia occurrunt Concilia circa festum Paschæ, sed idem omnino determinant, quod Romæ determinatum fuerat.

Lugdunense. sub quo Papa, & quo anno habitum sit, incertum est. Irenæus Marcioni, & aliis hæreticis resistendum esse constituit.

ARTICULUS III.

De Conciliis sæculo tertio habitis.

Conciliabulum *Africanum* tempore Zephyrini, an. 217. in quo determinatum est, Baptizatos a quibuscumque hæreticis rebaptizandos esse. Incertus est numerus episcoporum hujus conciliabuli. Cyprianus ei subscripsit. *Fuit occasio ad Nicænum, in quo damnati sunt rebaptizantes.*

Alexandrinum sub Urbano Papa, an. 230. in quo Origenes ordinatus Presbyter, inscio proprio episcopo, Sacerdotio privatur, eo quod se olim abscidisset. *Fuit occasio ad Canonem Nicænum.*

Alexandrinum sub Pontiano Papa, an. 235. in quo Ammonius lapsus in errorem, qui ignoratur, ad veritatem revocatur. Huic Concilio 20. Episcopi interfuere, inter quos Ammonius recensetur.

Labesitanum sub Fabiano Papa, an. 242. contra Privatum, quem hæreticum veterem vocat Cyprianus. Hujus errores ignorantur. Marcionita forte fuit, cujus errores jam Africam prævaserant. Damnatus est a 90. Episcopis.

Asiaticum sub Fabiano Papa, an. 245. contra Noetum, qui se Fratrem Moysis stulte dicebat. Hujus error erat, quod Patrem passum diceret. *Unum, inquiebat, Deum veneror, unum novi, nec præter ipsum alterum natum, passum, mortuum.* Unde negabat, Christum esse Deum, & Patrem passum tuebatur. Damnatus est in hoc Concilio. Ignoratur numerus episcoporum hujus Concilii. *Fuit dispositio ad Nicænum, in quo damnatus est Sabellius.*

Arabicum sub Fabiano Papa, an. 247. in quo damnantur Hæretici asserentes, animas hominum esse mortales, quos Origenes orationis vi & impetu ad sanam fidem & rectam doctrinam perduxit, inquit Eusebius. lib. 6. cap. 31. Quatuordecim Episcopi huic Concilio interfuerunt, inter quos præsidebat Origenes non dignitate, sed doctrina.

Bostrenum, seu Arabicum, sub Fabiano, an. 247. in quo Berillus Bostræ Episcopus in Theodoti Coriarii errorem prolapsus. Origenis cohortatione ad fidem revertitur. Ignoratur numerus Episcoporum.

Romanum, Sede vacante, an. 253. in quo determinatur, libellaticos resipiscentes recipiendos esse, impœnitentes non esse admittendos. *Pulsent fores, sed non confringant*, inquiunt Patres Concilii: *lapsi*

Digitized by Google

agant delicti pœnitentiam, & lapsus sui probent dolorem; Cyprianus Epist. 30. Huic concilio creduntur interfuisse episcopi e vicino & e longinquo rogati a Clero Romano. *Fuit dispositio ad Nicænum, in quo determinatus fuit modus recipiendi ad pœnitentiam.*

Carthaginense sub Cornelio Papa, an. 253. in quo determinatur, lapsos post determinatum tempus pœnitentiæ impositæ, ad communionem recipiendos. Recipiebantur, *ne in totum spes communicationis, & pacis denegaretur, ne plus desperatione deficerent*. Exigebatur pœnitentia, *ne censura Evangelica solveretur*: Cyprian. epistol. 50. Episcopi 42. interfuerunt. *Fuit dispositio ad Nicænos Canones præscribentes tempus pœnitentiæ.*

Romanum sub Cornelio, an. 253. in quo idem determinatur, quod in Concilio Carthaginensi: verum additur, Sacerdotibus lapsis deinde a Sacerdotali munere abstinendum, ita ut Laica communione contenti in Ecclesia communicarent. Numerus episcoporum hujus Concilii ignoratur. *Dispositio fuit ad Canones Nicænos circa pœnitentiam.*

Romanum, vel Italicum sub Cornelio, an. 255. in quo, teste Eusebio lib. 6. c. 43. determinatur, lapsos resipiscentes esse recipiendos ad pœnitentiam, quod negabat Novatianus; eosque nonnisi pœnitentes esse admittendos, quod negabat Felicissimus. Episcopi huic concilio interfuere 60. totidemque Presbyteri. *Dispositio fuit ad Nicænos canones circa pœnitentiam.*

Carthaginense II. sub Cornelio, an. 253. in quo idem contra Novatianum & Felicissimum determinatur, quod Romæ fuerat determinatum. Huic Concilio interfuere 39. Episcopi. *Idem quod prius.*

Antiochenum sub Cornelio, an. 253. in quo Fabius Antiochiæ episcopus, qui initio Novatiano faverat, monitus a Cornelio, Concilium congregat contra Novatianum. Moritur tempore Concilii, succedit Demetrianus, Synodum persequitur, & Novatianum schismaticum declarat. Ignoratur certus numerus episcoporum hujus Concilii. *Dispositio fuit ad Nicænum Concilium circa modum recipiendi pœnitentes.*

Africanum I. sub Stephano Papa, an. 255. in quo Clerici inferiores contra superiores protervi deponuntur. Geminius Victor jam mortuus, excommunicatus denunciatur, eo quod vita decedens Fortunatum Presbyterum tutorem filiorum suorum reliquisset: & baptismum ante octavum diem necessitate occurrente conferendum esse decernitur. Episcopi 66 huic concilio interfuere. *Dispositio fuit ad Nicænos canones circa subordinationem Clericorum inferiorum ad superiores.*

Africanum II. sub Stephano Papa, an. 356. in quo Basilides Legionensis episcopus, & Martialis Asturicensis episcopus libellatici, & ob eum lapsum depositi ab Hispaniæ episcopis, Sabino & Felice suffectis in locum lapsorum, declarantur indigni Sede episcopali, & Sabinus & Felix confirmantur in Sede episcopali. Numerus episcoporum hujus Concilii ignoratur. Judicium hujus Concilii ab Ecclesia Romana approbatur. *Dispositio fuit ad canones Nicænos circa pœnitentiam.*

Conciliabulum Iconiense, tempore Stephani 256. in quo erronee determinatur, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem reiterandum, si ab Hæreticis conferatur. Numerus episcoporum hujus conciliabuli ignoratur.

Quatuor conciliabula congregata sunt; unum nempe Synnadæ in Asia, & triplex Carthagine: in quibus conciliabulis erronee definitur, neminem baptizari posse extra Ecclesiam. Stephanus hæc conciliabula reprobat, & emendat, dicendo, nihil innovandum esse. *Hæc conciliabula occasio fuerunt Nicænæ determinationi contra rebaptizantes.*

Romanum I. sub Stephano Papa, an. 257. in quo Stephanus cum dignioribus e clero errori rebaptizantium se opponit. Ejus hæc fuit definitio, juxta Cyprianum epist. 79. *Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur illi in pœnitentiam. Dispositio fuit ad Nicænum canonem contra rebaptizantes.*

Romanum II. sub Stephano Papa, an. 258. in quo Noetus & Sabellius divinas personas confundentes damnantur. Item & Valentinus asserens corpus Christi cæleste fuisse. Numerus episcoporum hujus Concilii ignoratur. *Dispositio fuit ad Concilium Nicænum, in quo damnatur Sabellius.*

Romanum sub Dionysio Papa, an. 263. quo Dionysius Alexandrinus accusatus, quod scribens contra Sabellium errorem docuisset, Orthodoxus est declaratus. Ignoratur numerus episcoporum hujus Concilii. *Dispositio fuit ad Nicænum Symbolum, in quo damnatur Sabellius.*

Alexandrinum sub Dionysio Papa (annus incertus est) contra Nepotianum Ægypti episcopum, & Cerinthum, qui docebant, Regnum Christi in terrena Jerusalem mille annis duraturum, quique Sacrificia bovum & ovium renovabant. Damnati sunt in hoc Concilio per Dionysium Alexandrinum congregato. Ignoratur numerus episcoporum hujus Concilii. *Dispositio fuit ad Symbolum Constantinopolitanum in quo dicitur: cujus Regni non erit finis.*

Antiochenum I. sub Dionysio Papa, an. 266. in quo damnatus est Paulus Samosatenus homo lascivus, qui secum duas puellas circumducebat, homo superbus, qui suppressit cantica in honorem Christi, & quædam in sui honorem composita in Ecclesia cantari voluit. Docebat, Christum esse purum hominem, cumque ante Mariam non extitisse: mittitur Epistola ad ipsum Paulum Samosatenum, in qua sic interrogatur: *Volumus scire, an eadem nobiscum sentias, & doceas*. Errorem dolose texit. *Dispositio fuit ad condemnationem Arii in Nicæno pronunciatam.*

Antiochenum II. sub Dionysio Papa, an. 272. in quo Paulus Samosatenus in suos errores relapsus damnatur, & ab episcopatu Antiocheno dejicitur, & in ejus locum Domnus episcopus subrogatur, & ad Dionysium Papam Patres scribunt, Christumque Deo Patri consubstantialem confitentur. 16. Episcopi huic Concilio interfuerunt.

ARTICULUS IV.

De Conciliis quarto sæculo habitis.

Conciliabulum Cirtense, sub Marcellino Papa, an. 303. in quo episcopi, qui libros resque sacras comburendas tradiderant, & ob id traditores vocabantur, Paulum quemdam traditorem elegerunt. Episcopi hujus Conciliabuli juxta Augustinum

ftinctu fuere pauciffimi. *Dispositio fuit ad Concilia contra Donatiftas, & ista Concilia contra Donatiftas sunt dispositiones ad Concilium VIII. generale contra Photium.*

Sinuissanum, sub Marcellino Papa, an. 303. in quo Marcellinus in idololatriam lapsus, facco indutus, crimen confeffus, veniam petiit: sed ei refponsum est: *judica ipse causam tuam: prima Sedes a nemine judicatur*. Huic Concilio dicuntur interfuiffe 308. immo 300. juxta alios, episcopi. Juxta doctiores Concilium illud suppofititium creditur.

Illiberitanum sub Marcello Papa, an. 305. in quo, multis ob perfecutionem lapsis in idololatriam, determinatur quæ pœnitentia ipsis agenda foret, & editi sunt 81. Canones, vel forte ex variis locis collecti. Episcopi 19. huic Concilio interfuerunt, inter quos Osius. *Dispositio est ad canones pœnitentiales in Nicæno, & alibi.*

Alexandrinum sub Marcello Papa, an. 306. in quo Meletius Licopolis episcopus convictus idolis facrificaffe, & multa alia crimina commififfe, deponitur. Numerus hujus Concilii episcoporum ignoratur. *Dispositio est ad Nicænos canones circa lapsos.*

Carthaginense Conciliabulum tempore Marcelli Papæ, an 311. in quo Donatiftæ receperunt traditores in fuam communionem, etiamfi baptizari nollent. Episcopi 70. huic Concilio interfuerunt juxta August. *Dispositio est ad III. Synodum contra Photium.*

Romanum fub Melchiade Papa, an. 313. in quo Cæcilianus Carthaginenfis episcopus vexatus a Donatiftis & accufatus coram Melchiade Papa, innocens declaratus eft, 29. Episcopi, huic Concilio adfuere.

Arilatense sub Sylveftro Papa an. 314. in quo Donatiftæ iterum damnantur, & eduntur 26. Canones ad mores & difciplinam pertinentes. Episcopi 600. juxta Adonem, juxta alios 200. interfuere; ideo a S. Auguft. vocatur Concilium plenarium.

Anciranum fub Sylveftro, an. 314. in quo finita perfecutione Maximiani editi funt canones 25. circa mores & difciplinam, præcipue circa modum recipiendi pœnitentes. 18. Episcopi huic Concilio fubfcripfetunt. *Dispositio fuit ad Canones Nicænos circa lapsos.*

Neocæsarense fub Sylveftro, an. 314. in quo editi funt canones 14. circa mores & difciplinam. Episcopi 19. huic Concilio fubfcripfere.

Romanum I. fub Sylveftro, an. 315. in quo adverfus Judæos difputatum eft. 75. Episcopi huic Concilio interfuerunt.

Alexandrinum I. fub Sylveftro, an. 315. in quo Arius docens Filium Dei in tempore effe creatum, damnatus eft ab Alexandro Alexandriæ episcopo. Huic Concilio interfuere 100. Episcopi. *Dispositio fuit ad Nicænam condemnationem contra Arium.*

Alexandrinum II. fub Sylveftro Papa, an. 319. in quo Ofius rebus Arianorum compofitis, Meletianorum & Collutianorum fchifmati mederi tentavit. Meletius etiamfi excommunicatus episcopos creabat. Collutus licet fimplex Sacerdos ordinationes exercebat. Ignoratur numerus episcoporum hujus Concilii. *Dispositio fuit ad Nicænum, in quo sopitum est illud schisma.*

Laodicenum fub Sylveftro Papa, & Conftantino Imperatore, an. 320. aut juxta alios 357. in quo collapsa præcedenti perfecutione, & Hæreticorum confufione, Ecclefiaftica difciplina reftituitur per 60. canones. 32. Episcopi huic Concilio fubfcripferant.

Nicænum I. Generale fub Sylveftro Papa & Conftantino Imperatore, an. 325. in quo Arius docens, Verbum effe creaturam, condemnatur. Sabelliani, Manichæi, Quartodecimani, & rebaptizantes condemnantur, & 20. canones circa mores & difciplinam conftituuntur. 318. Episcopi huic Concilio interfuerunt.

Romanum I. fub Sylveftro Papa, & Conftantino Imperatore, an. 322. in quo recipitur & confirmatur Concilium Nicænum. Huic Concilio dicuntur interfuiffe 265. Episcopi. Multi reputant iftud Concilium fuppofititium. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Gangrense fub Sylveftro Papa, & Conftantino Imperatore, circa an. 325. in quo Euftachius, qui nimio erga Monachifmum ftudio affectus omnem aliam conditionem deprimebat, condemnatur, ftatus Religiofus laudatur, ita tamen ut fæcularis non reprobetur. Editi funt 20. canones, & unus additus eft quafi priorum epilogus. Huic Concilio interfuere 16. Episcopi. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Conciliabulum Nicomedienfe, tempore Sylveftri Papæ, & Conftantini Imperatoris, an. 328. in quo Euftachius episcopus Antiochenus vir fanctiffimus fine ulla forma juris in exilium mittitur, accufatus Sabellianifmi, & libidinis cum puella. Huic conciliabulo interfuerunt 250. Episcopi omnes fere Ariani. *Id factum est in odium Concilii Nicæni, sed inservit ad ejus executionem.*

Conciliabulum Tyrium tempore Sylveftri Papæ, & Conftantini Imperatoris, an. 335. in quo Athanafius in locum Alexandri mortui fuffectus, Arianæ hærefeos hoftis infenfiffimus accufatur. 1. Repetundarum, 2. Fœderis initi cum hoftibus, item fracti calicis, Arfenii necis, impudicitiæ cum mulieribus. Licet falfas effe eas accufationes convinceret, tamen condemnatus eft ab Arianis episcopis Catholicorum numerum excedentibus. *Fuit in odium Concilii Nicæni.*

Conciliabulum Hierofolymitanum tempore Sylveftri Papæ, & Conftantini Imperator. an. 335. in quo Ariani occafione Ecclefiæ dedicandæ, quam Conftantinus Hierofolymis erigi jufferat, Arii confeffionem approbant, ad Ecclefiam Alexandrinam remittunt, & Athanafium damnant. 60. numerantur episcopi Ariani. *Id fuit in odium Nicænæ fidei.*

Conciliabulum Conftantinopolitanum tempore Marci Papæ & Conftantini Imperatoris, an. 336. in quo Marcellus fidei Nicænæ defenfor acerrimus, ut feditiofus accufatur, & ut fectator Pauli Samofateni ab episcopatu dejicitur, & Athanafius Treverim Conftantini auctoritate exul mittitur. Arius magno cum apparatu in Ecclefiam deducitur, alvi exonerandæ neceffitate compulfus, vifcera effundens medius crepuit. Non alii episcopi huic Concilio interfuere quam Ariani, quorum numerus ignoratur. *Id factum est in odium Nicænæ fidei.*

Romanum I. fub Julio Papa, & Conftantino Imperatore, an. 337. in quo Julius Papa nuper electus duo præftitit. 1. Nicænam fidem recepit. 2. Confeffionem Arii blafphemam declaravit, præcipue hanc propofitionem: *Filium Dei ex non extantibus esse.*

Digitized by Google

esse, fuisseque aliquando, quando non erat, & pro libero arbitrio malitiæ ac virtutis capabilem eundem. 316. Episcopi Concilio huic interfuere. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Alexandrinum sub Julio Papa, Constantino, Constantio, & Constante Imperatoribus, an. 339. Constantinus Imperator Athanasium ex exilio reducere constituit, re infecta moritur. Constantini Filius Patris voluntatem exequi nititur, consentit Constantius licet Arianus, Athanasius Alexandrinæ sedi restituitur, ab Arianis accusatur. 1. Quod contra Canones sit restitutus sine judicio Concilii. 2. Quod subripuisset frumentum distribui solitum viduis Lybiæ. Episcopi scribunt ad Papam, & Athanasii innocentiam probant. Numerus episcoporum ignoratur. *Fuit executio Concilii Nicæni.*

Conciliabulum Antiochenum tempore Julij Papæ, & Constancii & Constantis Imperatorum, an. 341. in quo Athanasius urgente Constantio Imperatore Ariano ex Alexandrina sede depositus est, & Gregorius Cappadox vir nequam in ejus locum suffectus est. Canones editi sunt 25. qui nihil habent, quod Catholici non admittant. 99. Episcopi omnes fere Ariani huic Concilio adfuerunt. *Id factum est in odium fidei Nicænæ.*

Romanum II. sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 341. in quo Athanasius inte fuit, ut causam suam defenderet, cui Ariani interesse recusant prætextu Concilii Antiocheni convocati. Mittunt legatos, qui mendacio convicti nocte aufugiunt. Athanasius detecta Arianorum calumnia innocens declaratur. Episcopi 50. interfuere huic Concilio. *Fuit executio Concilii Nicæni.*

Conciliabulum Antiochenum tempore Julii Papæ, & Constantii & Constantis Imperatorum. an. 345. in quo Ariani, ut Orientales episcopos decipiant, novam fidei formulam excudunt, filium Dei Patri similem dicunt, sed vocem consubstantialitatis reticent. Quot fuerint episcopi incertum est. *Id factum in odium Nicænæ fidei.*

Mediolanense sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 344. in quo legati Arianorum cum obtulissent formulam fidei Antiochia editam, Concilium eam repudiavit ob omissam consubstantialitatis vocem. Numerus episcoporum ignoratur. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Agrippinense sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 349. in quo Euphratas dicens, Christum esse merum hominem, condemnatus est, & depositus ut Photianus. Huic concilio interfuere 19. Episcopi, & decem alii per procuratores.

Sardicense, appendix Concilii Nicæni, sub Julio Papa, & Constantio & Constante Imperatoribus, an. 347. in quo Nicæna Synodus recipitur, & Canones 21. circa mores & disciplinam statuuntur. Episc. 376. interfuere.

Sardicense conciliabulum Arianorum tempore Julii Papæ, Constantii & Constantis Imperatorum, an. 347. in quo Ariani elegerunt Philippopolim urbem vicinam Sardicæ, & cœtum suum Sardicensem nuncuparunt, ut sub fucato nomine ementitam decretis suis auctoritatem conciliarent. Professionem fidei ediderunt, in qua catholice loqui videbantur. Episcopi Semiariani erant 80. *Fuit in odium Nicænæ fidei.*

Mediolanense sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 397. in quo Ursacius & Valens Ariani fingentes pœnitentiam mittuntur ad Papam cum commendatitiis litteris, qui recipiuntur a Julio. Quot adfuerint episcopi ignoratur.

Sunt qui volunt in isto Concilio propositam esse solum Photini condemnationem, quæ biennio post universalis cessit.

Carthaginense I. sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 348. in quo editi sunt canones 14. ad mores & disciplinam pertinentes. Quot interfuerint episcop. non constat.

Romanum III. sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 349. in quo damnatur Photinus, & Ursacius, & Valens veniam deprecantes suscipiuntur. Numerus episcoporum hujus Concilii ignoratur. *Inservit ad executionem Nicæni.*

Sirmiense sub Julio Papa, & iisdem Imperatoribus, an. 349. in quo statuta est Photini depositio, & contra ipsum scripta est epistola ad Orientales episcopos. Ignoratur episcoporum numerus hujus Concilii.

Hierosolymitanum sub Julio Papa, Constantio & Constante Imperatoribus, an. 351. Athanasius veniens Alexandriam & Hierosolyma transiens, munitus litteris Constantii Imperatoris benigne exceptus est a Maximo Hierosolymæ episcopo, qui congregavit Concilium multorum episcoporum, qui ab Athanasio defecerant, quique cum eo reconciliati sunt. 56. episcopi huic Concilio interfuere. *Fuit executio Concilii Nicæni.*

Sirmiense sub Julio Papa, & Constantio Imperatore, an. 351. in quo Photinus convictus, quod Sabellii & Pauli Samosateni hæresim etiam monitus docuisset, iterum depositus est, episcopi 22. recensentur ab Hilario. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Militiuense sub Julio Papa, & Constantio Imperatore, an. 35.. Causa hujus Concilii ignoratur, numerusque episcoporum, neutrum refertur a Baluzio.

Romanum IV. sub eodem Papa, & Imperatore, an. 352. in quo acceptis litteris Arianorum episcoporum Athanasium denovo accusantium, & episcoporum catholicorum Athanasium excusantium, Vincentius & Marcellus ad Imperatorem mittuntur, qui cum eo deliberent de congregando Concilio Aquilejæ. Episcopi quot adfuerint ignoratur. *Executio fuit Concilii Nicæni.*

Conciliabulum Arelatense tempore Liberii & Constantii Imperatoris, an. 353. in quo vi & metu pulso ab Imperatore Vincentius damnationi Athanasii subscribit. Ursacius & Valens in errorem, quem ficte ejuraverant, iterum lapsi sunt. Episcopi qui noluerunt subscribere condemnationi Athanasii, in exilium missi sunt. Pauci erant episcopi in hoc Concilio. Totum fiebat jussu Imperatoris. *Fuit in odium Nicænæ fidei.*

Conciliabulum Mediolanense sub Liberio Papa, Constantio Imperatore, an. 355. in quo jussu Imperatoris exilio damnantur quicumque damnationi Athanasii subscribere renuunt. 300. interfuere episcopi. Liberius non adfuit, sed finito Concilio cum Athanasium damnare noluisset, Bœream exul mittitur. *Fuit in odium fidei Nicænæ.*

Conciliabulum Bitterense tempore Liberii, & Constantii.

stantii Imper. ann. 376. Saturninus Arianismi propugnator acerrimus cœtum congregavit, ut heresim latius diffunderet. Hilarius a Saturni communione se abstraxit, & ideo in exilium missus est Phrygiam. Rhodanus Tolosanus Hilario adhærens in exilium missus est, in quo obiit. Acta hujus conciliabuli periere. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Antiochenum tempore Liberii Papæ, & Constantii Imper. an. 356. in quo juxta Balusium Georgius Arianus ordinatus est Episcopus Alexandrinus, & suffectus in locum Athanasii; & scripta est epistola ad Alexandrinos, ut Georgium reciperent, & Athanasium rejiciant. Huic conciliabulo 30. adfuere Episcopi. *Fuit in odium Nicena fidei.*

Conciliabulum Sirmiense tempore Liberii Papæ, & Constantii Imperatoris, an. 357. in quo ab Arianis damnatur Photinus asserens Christum esse purum hominem: & triplex editur fidei professio; sed in nulla reperitur vox consubstantialitatis. Huic conciliabulo multi interfuere Episcopi, omnes fere orientales. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Antiochenum tempore Liberii Papæ, & Constantii Imperat. an. 357. Eudoxius, qui Leontio successerat favore Imperatoris Concilium Antiochiæ cogit ex Episcopis Arianis, in quo fidei formula scribitur, ubi nulla fit mentio consubstantialitatis, immo Filius Patri dissimilis asseritur. Numerus Episcoporum hujus Concilii penitus ignoratur. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Romanum sub *Liberio*, & *Constantio* Imperatore, ann. 358. in quo procurante Felice Diacono, qui Liberio exuli substitutus fuerat, damnantur Ursacius & Valens Ariani; & Constantius Imperator. Balusius in hujus rei probationem affert Epitaphium Romæ repertum, in quo hæc leguntur: *Corpus Sancti Felicis Papa & Martyris, qui damnavit Constantium.* Huic Concilio interfuere 48. Episcopi. *Fuit executio Concilii Nicani.*

Conciliabulum Anciranum tempore Liberii Papæ, & Constantii Imperatoris, an. 358. in quo Basilius Anciranus, & Cecrops Nicomediensis, Anciræ congregarunt Episcopos, ut se opponerent Eudoxio asserenti, Filium Dei esse Patri dissimilem. Anathematismos ediderunt contra errores Anomæorum, sed fidem Catholicam non integre professi sunt, quippe qui nullam de consubstantialitate mentionem habuerunt. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Sirmiense tempore Liberii, & Constantii Imperat. an. 358. in quo agebatur de subscriptione fidei formulæ, quæ in conciliabulo anno præcedenti ibidem habito fuerat edita. Liberius Sirmium accersitur, & minis territus, & tædio exilii coactus Sirmiensi formulæ subscripsit. Numerus Episcoporum ignoratur. *Fuit in odium concilii Nicani.*

Ariminense ex parte reprobatur tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, ann. 359. in quo rejectæ sunt omnes Arianorum confessiones, & retenta est sola professio Nicæna. Sed legati missi ad Constantium, licet præmoniti, ne cum Arianis communicarent, minis perterriti Arianæ formulæ fœde subscripserunt; & tandem omnes fere Episcopi huic subscriptioni consenserunt, paucis exceptis: sed vix e Concilii loco egressi pœnitentes subscriptionem retractarunt. Huic Concilio interfuere 400. Episcopi.

Concilium Ariminense tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, ann. 359. in quo juxta Bellarminum Ariani sub ementito Ariminensi Concilio suam hæresim confirmarunt. Incertus est numerus Episcoporum. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Nicaenum in Thracia tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, an. 359. in quo legati ab Ariminensi Concilio Constantinopolim ad Imperatorem missi, multis fracti vexationibus, decreta, quæ tulerant, ejurarunt, & Arianæ formulæ subscripserunt. 200. Episcopi huic concilisbulo interfuerunt. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Seleuciense tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, an. 359. in quo Semiariani prævalentes Acatianos damnarunt, & aliquos deposuerunt. Et illud decernitur, cum hactenus omoiousios & omoousios vocabula plerosque ad hodiernum tempus usque perturbarunt .... Consubstantialis vocem tamquam a sacris Literis peregrinam rejicimus; anomæum vero, hoc est dissimile, condemnamus... similem vero Patri esse filium aperte profitemur. Numerus Episcoporum fuit 160. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Constantinopolitanum tempore Liberii Papæ, & Constantii Imperat. an 359. in quo Ariani prævalentes, Semiarianos damnarunt, & aliquos deposuerunt. 50. Episcopi conciliabulo interfuerunt *Hoc totum factum est in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Achaicum tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, an. 360. in quo damnantur Actiani, qui asserebant Filium Patri per omnia esse dissimilem. Huic conciliabulo interfuere 20. Episcopi. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Conciliabulum Antiochenum tempore Liberii, & Constantii Imperatoris, ann. 360. in quo Meletius Catholicus Episcopus Antiochenus ab Arianis deponitur, & Filius Patri dissimilis declaratur. Ignoratur numerus Episcoporum hujus conciliabuli. *Fuit in odium Nicana fidei.*

Concilium Alexandrinum sub Liberio Papa, & Constantio, aut Juliano Imperatore, an. 362. Athanasius redux post sexennium exilii, occiso Georgio Ecclesiæ Alexandrinæ invasore, Concilium indicit, in quo decernitur, Episcopos, in errorem Arianum lapsos, modo resipiscerent, recipiendos esse; sed distinguendum esse inter eos, qui auctores fuerant erroris, & eos qui tantum sequaces fuerant, & per tam necessarium concilium e satanæ faucibus ereptus est mundus. Numerus Episcoporum ignoratur. *Fuit executio Concilii Nicani.*

Parisiense sub Liberio Papa, & Constantio aut Juliano Imperatore, an. 362. in quo Nicæna fides recipitur, & hæresis Ariana in Galliam irrepens damnatur. Saturninus Arelatensis Episcopus damnatur. Numerus Episcoporum ignoratur. *Fuit executio concilii Nicani.*

Alexandrinum sub Liberio Papa, & Joviniano Imperatore, an. 362. Athanasius post mortem Juliani Apostatæ concilium Alexandriæ congregavit, in quo libellus scriptus est explicans Nicænam fidem: qui Libellus Joviniano Imperatori oblatus est, ut circa fidem instrueretur. Numerus Episcoporum ignoratur. *Fuit executio concilii Nicani.*

Antiochenum sub Liberio Papa, & Joviniano Imperatore, an. 363. cum Semiariani libellum suppli-

cum Joviniano obtulissent, cui respondit Imperator: *Ego contentionem profequor, & eos, qui concordiæ dediti sunt, amore complector, veneror que*, congregatum est concilium Antiochiæ, lecta est professio Nicæna, & ab hæreticis subscripta; verebantur enim, ne e suis sedibus ejicerentur a Joviniano Imperatore. 27. Episcopi huic concilio interfuerunt. *Fuit executio concilii Nicæni.*

Conciliabulum Lampsacenum sub Liberio Papa, & sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, an. 364. in quo Semiariani Arianos damnant, & divinitatem Spiritus Sancti impetunt. Numerus episcoporum ignoratur. *Fuit occasio concilii Constantinopolitani contra Macedonium.*

Siculum sub Liberio Papa, & sub Valentiniano, Valenteque Imperatoribus, an. 355. in quo Legati Lampsaceni congregatis episcopis Siciliæ fidem Nicænam retinendam esse confitentur. Numerus episcoporum ignoratur. *Fuit executio Nicæni.*

Illyricum sub Liberio Papa, & sub Valentiniano Imperatoribus, anno 365. in quo Eustathius, ex confecta in Sicilia in Illyricum proficiscitur, ubi congregato concilio stabilitur Trinitas personarum, & earum consubstantialitas & Incarnationis fides contra Apollinaristas. Huic concilio interfuerunt multi episcopi, sed numerus ignoratur. *Fuit dispositio ad concilium Constantinopolitanum contra Macedonium.*

Tyanense sub Liberio Papa, Valentiniano & Valente Imperatoribus, an. 365. in quo Eustathius, ostensis litteris communicatoriis, acceptis a Liberio, habitus est ut fidei Nicænæ assertor, & una cum sociis receptus est in communionem, & in fidem suam, a qua Acatianus rejectus fuerat, restitutus est. Nescitur quot episcopi huic concilio interfuerint. *Fuit executio Nicæni.*

Romanum I. sub Damaso, & sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, ann. 367. in quo juxta Balusium electus est Damasus, qui voce publica damnavit Liberium. Ita in vita Sancti Eusebii Presbyteri Romani. Huic concilio interfuere 28. episcopi, & 25. Presbyteri. *Inservit ad confirmationem Nicæni.*

Romanum II. sub Damaso Papa, sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, an. 367. in quo Damasus Papa accusatus adulterii a Concordio, & Calisto Diaconis, innocens declaratur. Episcopi 44. huic concilio interfuerunt.

Romanum III. sub Damaso Papa, & Valentiniano, & Valente Imperatoribus anno 368. in quo Valens, & Ursacius palam Arianismum profitentes excommunicantur. 90. Episcopi huic concilio interfuerunt. *Fuit executio Nicæni.*

Romanum IV. sub Damaso Papa, & sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, ann. 369. in quo Auxentius Arianus Ecclesiæ Mediolanensis invasor nominatim condemnatur, declaraturque, quod Ariminenses Patres delusi fuissent *disputatione*, & pronunciatur, acta hujus conciliabuli nullius esse momenti. *Est confirmatio & executio Nicæni.*

Romanum V. sub Damaso, & sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, an. 373. in quo Apollinaristarum hæresis damnata est: multos autem errores docebat Apollinaris. 1. Christi Corpus anima rationali caruisse, & Deitatem pro mente habuisse. 2. Millenariorum errorem restauravit. 3. Semiarianismum professus est. 4. Corpus Christi de cælo allatum esse docuit. Quot episcopi huic concilio interfuerint ignoratur. *Fuit dispositio ad concilium Ephesinum & Chalcedonense.*

Valentinum in Gallia sub Damaso Papa, sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus an. 374. in quo definitum est: Bigamos non ordinandos: Virgines contra votum matrimonium contrahentes pœnitentiæ subjiciendas: baptizatos idololatras usque ad mortem pœnitentiæ addicendos: Clericos in crimen lapsos esse deponendos. Episcopi 17. immo juxta aliquos 30. huic concilio interfuerunt. *Executio est canonum pœnitentialium in Nicæno constitutorum.*

Concilium incerti loci & anni sub Damaso Papa, & sub Valentiniano, & Valente Imp. in quo Macedonius Divinitatem Spiritus sancti negans condemnatur, & fides Nicæna recipitur. Verba canonis sunt hæc: *Sanctum concilium Nicænorum Patrum pro vero catholico & Apostolico concilio agnoscimus.* Si Spiritum Sanctum *ausi fuerimus creaturam dicere; qui fieri poterit, ut in baptismo conjungatur?* Nomina, & numerus episcoporum hujus concilii ignorantur. *Confirmatio est Nicæni, & dispositio ad Constantinopolitanum contra Macedonium.*

Antiochenum I. sub Damaso Papa, & sub Valentiniano & Valente Imperatoribus, ann. 377. in quo schismati, quod inter Meletium & Paulinum intervenerat, hoc remedium inventum est, ut cum alteruter Meletius & Paulinus decederet, qui superstes esset, in locum demortui succederet, & interim Sacerdotes Antiocheni jurarunt se successorem non electuros nisi post mortem utriusque Paulini, & Meletii....

Constantinopolitanum I. secundum generale sub Damaso Papa, sub Valentiniano, Gratiano, Theodosioque Imperatoribus, ann. 381. in quo concilio Nicæna suscepta, damnati Ariani & Semiariani, sed præcipue damnatus Macedonius, qui Spiritum S. creaturam esse dicebat. Episcopi 150. huic concilio interfuerunt. Præter symbolum fidei septem canones circa mores & disciplinam editi sunt.

Aquilejense sub Damaso Papa, Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Imperatoribus, an. 381. in quo Palladius & Secundianus Ariani damnati sunt. Huic concilio interfuerunt triginta, & tres Episcopi. *Executio Nicæni simul & Constantinopolitani.*

Cæsaraugustanum sub Damaso Papa, Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Imperatoribus, an. 380. in quo damnati sunt Priscillianistæ, docentes eosdem errores, quos Sabelliani & Manichæi; & insuper addentes licitum esse perjurium, cum circa suam religionem interrogabantur. Octo canones ad mores & disciplinam pertinentes conditi sunt. Episcopi duodecim huic concilio interfuerunt. *Executio est Nicæni & Constantinopolitani.*

Romanum VI. sub Damaso Papa & Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Imperatoribus, an. 382. in quo Paulinus, qui defuncto Meletio solus, stando conventis, successor sufficі debuerat, conquestus est, quod alius nempe Flavianus in concilio Constantinopolitano electus fuisset. Decreta circa Paulini querelam perierunt. Sex canones circa mores & disciplinam editi sunt. Numerus episcoporum ignoratur.

Con-

Constantinopolitanum II. sub Damaso & iisdem Imperatoribus, an. 382. in quo Orientales legatos mittunt Romam, qui Orientalium mentem exponerent, scribuntque epistolam, in qua fidem suam circa Trinitatem & Incarnationem explicant, Flavianum in Antiochenam sedem electum confirmant, & Cyrillum Hierosolymæ episcopum legitimum agnoscunt. Numerus episcoporum hujus concilii ignoratur. *Executio est Nicani simul & Constantinopolitani, & dispositio ad Ephesinum & Chalcedonense.*

Antiochenum II. sub Damaso, & sub iisdem Imperatoribus, an. 385. in quo damnantur Massiliani docentes, unam orationem inter bona opera recensendam: negligendam esse Sacramentorum receptionem. Quot interfuerint episcopi huic concilio ignoratus. Præter episcopos erant triginta Presbyteri aut Diaconi. *Dispositio est remota ad Viennense & Tridentinum, in quibus Sacramenta necessaria esse determinatur.*

Sidense sub Damaso, & iisdem Imper. an. 383. in quo damnati fuot Massiliani. Adelphius eorum dux ad pœnitentiam admitti non meruit, eo quod haud dubie ficte petebat. Episcopi 25. interfuerunt huic concilio.

Constantinopolitanum III. sub Damaso, & iisdem Imperatoribus, an. 383. in quo Theodosius, ut excitatas turbas compesceres, jubet tot sententias juxta antiquiorum Patrum scripta examinari. Itaque acceptis variis confessionibus ea sola retenta est, quæ erat conformis antiquæ traditioni Patrum. Latæ sunt leges, quibus Theodosius omnem conventum prohibet hæreticis. Quot interfuerint episcopi huic concilio ignoratus. *Executio est Nicani & Constantinopolitani.*

Burdigalense sub Siricio Papa & Valentiniano, Theodosio, Maximoque Imperatoribus, an. 385. in quo Priscillianistæ damnantur, Itantius & Sylvanus ab episcopatu deponuntur, Priscillianus, ut Patrum judicium declinaret ad Imperatorem appellavit; & quamvis episcopi jus haberent ipsum rejiciendi, tamen ad Imperatorem causam detulerunt episcopi. Quot interfuerint episcopi ignoratur. *Executio est Nicani & Constantinopolitani.*

Romanum sub Siricio Papa, & Valentiniano, Theodosioque Imperatoribus, an. 386. in quo novem canones circa mores & disciplinam statuuntur, qui infra referentur. 80. episcopi huic concilio interfuere.

Trevirense sub Siricio, & iisdem Imperatoribus, an. 386. in quo Ithacius ab irregularitate, quam contraxisse videbatur persequendo Priscilliani mortem coram Imperatore, absolutus est, & Felix qui ab Ithacii parte stabat ordinatus est. Nomina episcoporum hujus concilii perierunt.

Capuanum sub Siricio, iisdemque Imperatoribus, an. 389. mortuo Paulino, in ejus locum, vivente adhuc Flaviano, qui electus fuerat Antiochenus episcopus, Evagrius suffectus fuerat; proinde continuatum inter Antiochenos episcopos dissidium, cui componendo Capuæ concilium indicitur; ad illud Flavianus licet vocatus venire recusat. Insuper accusatur Bonosus negans Mariam Virginem semper mansisse. Synodus Theophilum Patriarcham eligit, qui Flavianum, & Evagrium diffidentes conciliet. Causa Bonosi Anisio Thessalonicensi examinanda delegatur. Capuenses Patres rebaptizationes, reordinationes, & episcoporum translationes prohibuerunt. Huic concilio creditur Ambrosius eum Siricio interfuisse, & alii multi episcopi, ideo plenarium vocatur. Executio est Nicæni damnantis rebaptizantes.

Mediolanense sub Siricio, & Valentiniano & Theodosio Imperatoribus, an. 390. in quo Ithacius condemnatur. Item damnatur Jovinianus, qui docebat, omnia peccata esse æqualia, omnes Sanctos in altera vita esse æquales, & Virginitatem non esse Matrimonio præferendam. 8. Episcopi subscripsere epistolæ scriptæ ad Siricium. *Dispositio est ad concilium Florentinum inæqualitatem statuens inter Sanctos.*

Conciliabulum Novatianum, anno incerto, tempore Siricii & eorumdem Imperatorum, in quo Novatiani declarant, indifferens esse Pascha celebrate quoquo tempore, & Ecclesiam nihil supra hoc potuisse decernere. Ignoratur episcoporum numerus. *Id fit in odium Nicani tempus Pascha determinantis.*

Hipponense sub Siricio Papa, & Theodosio Imper. an. 393. in quo statuuntur 40. Canones qui inserti sunt Concilio Carthaginensi III. Huic Concilio creditur interfuisse Augustinus adhuc Presbyter cum tot episcopis, ut illud concilium plenarium dicatur.

Constantinopolitanum sub Siricio Papa, & Theodosio Imperatore, an. 394. in quo Agapii, & Bagadii causa examinata est: uterque Bostrensem episcopatum sibi vindicabat. Bagadii depositio a duobus tantum episcopis facta irrita declaratur; controversia vero de episcopatu non dirimitur. Consecratur Ecclesia a Rufino constructa, & baptizatur Ruffinus.

Atrumentinum sub Siricio Papa, & Theodosio Imper. an. 394. Ejus acta perierunt. Scimus solum ex Augustino in Ps. 36. quod Primianus Donatista Carthaginensis episcopus in eo concilio depositus fuerit. Episcopi 43. immo juxta alios centum huic concilio interfuere.

Duo Conciliabula a Donatistis habita sunt circa illud tempus. Donatistæ in duas factiones divisi sunt. Caput unius factionis erat Primianus. Caput alterius Maximinianus. In Conciliab. Cabernensi prope Carthaginem Primianus deponitur ab episcopis alterius factionis. In Conciliabulo Bagajensi in Numidia Maximinianus licet absens condemnatur ab episcopis alterius factionis. Causa hujus dissensionis erat, quod defuncto Parmeniano aliqui elegissent Primianum, alii vero Maximinianum, ut Parmeniano succederent.

Taurinanse sub Siricio Papa, Honorio Imperatore, anno 397. in quo multæ lites inter episcopos terminantur. 1. Proculus Massiliensis episcopus, qui Metropolitani munere functus fuerat in secunda Provincia Narbonensi, permittitur idem munus exercere, non jure sedis suæ, sed ob reverentiam ætati suæ debitam, quippe qui pater episcoporum decebatur. 2. Viennensis & Arelatensis Ecclesia de primatu contendunt: utraque Metropolis declaratur, & utraque permittitur, *ut viciniores sibi intra Provinciam vindicet civitates* sine unius in alteram auctoritate. 3. Exuperantius presbyter,

byter, qui episcopum suum Triserium offenderat, & ob id ab eo fuerat communione privatus, eidem pœnæ subjicitur, donec satisfecerit. 4. Qui Felici Ithacianorum fautori communicabant, damnantur; & non recipiendi sunt, nisi observentur quæ Ambrosius cum Papa in suis literis præscripserunt. Ambrosius cum Papa conjungitur, quia Felix Mediolani damnatus fuerat. Numerus Episcoporum ignoratur, & Canones editi sunt ad mores & disciplinam pertinentes.

Carthaginense II. III. IV. V. Intra decem an. habita sunt quatuor concilia Carthagine, duo sub Siricio, & duo sub Anastasio, in quibus quatuor conciliis editi sunt 165. canones mores & disciplinam respicientes: quorum canonum synopsim dabimus ubi de Conciliorum Provincialium canonibus agemus. Numerus Patrum ignoratur. In Concilio V. Episcopi 33. subscripserunt ultimo canoni.

Alexandrinum sub Anastasio Papa, & Arcadio & Honorio Imperatoribus anno 399. in quo damnantur Origenis opiniones, quæ ex libro Periarchon deprompta sunt, ubi male senrit de Trinitate de Angelorum ruina, & de animarum in corpora hominum lapsu. Numerus Patrum ignoratur. *Dispositio est ad concilium de tribus capitulis.*

Cyprium sub Anastasio Papa, iisdemque Imperatoribus an. 399. in quo Epiphanius Cypri Episcopus, accepta epistola Synodica a Theophylo Alexandriæ episcopo de damnato Origene, eumdem damnavit Origenem, & scripsit ad Chrysostomum, ut coacto Concilio idem præstaret. Numerus Episcoporum ignoratur.

Africanum sub Anastasio Papa, Arcadio & Honorio Imperatoribus an. 399. in quo mittuntur Legati ad Imperatorem, ut novo edicto Templorum jura serventur intacta, & qui ad illa asyli causa confugiunt, non violenter extrahantur.

Constantinopolitanum sub Anastasio Papa, Arcadio, & Honorio Imperatoribus, circa an. 400. in quo Antoninus episcopus Ephesinus accusatus est, quod vasa Ecclesiæ, baptisterium, & columnas fabricæ Ecclesiæ destinatas, in proprios usus transtulisset, quod multos ordinasset accepta pecunia. Chrysostomus mittit episcopos, qui accusatum, & testes audiant. Interim moritur Antoninus, & licet mortuus, convictus tamen simoniæ damnatur, & simoniace ordinati deponuntur. Episcopi Constantinopolitani extiterunt 22. Ephesii vero 70. Chrysostomus huic præfuit concilio.

ARTICULUS V.

De conciliis habitis quinto sæculo.

T*Oletanum* I. sub Anastasio Papa, & Arcadio, & Honorio Imperatoribus an. 400. in quo corrupta Ecclesiastica disciplina ob Priscillianistarum hæresim, & ob penuriam Clericorum, quæ causa erat, ut indigni reciperentur, restituitur per 21. canones circa mores, & disciplinam editos. Huic concilio interfuerunt 19. Episcopi.

Africanum sub Anastasio Papa, & Arcadio, & Honorio Imperatoribus ann. 401. in quo Ecclesia Africana indigens Clericis petit subsidium a Romana, & Mediolanensi Ecclesia. Numerus Episcoporum ignoratur. 32. canones in Africanis conciliis antea constituti promulgantur.

Africanum II. sub Anastasio Papa, Arcadio, & Honorio Imperatoribus an. 401. Ecclesia Africana Donatistarum schismate diu lacerata Romani Pontificis opem implorat, & congregat concilium, in quo benignissime actum est cum Donatistis: nam constitutum est primo, ut congregarentur publica monumenta, quibus paterent dissidia Donatistarum. Secundo, ut Donatistæ ad Ecclesiam redeuntes in eo in quo erant gradu, conserventur. Tertio, ut ad conciliandos Donatistas mittantur legati, qui quoquo pacto pacem procurent, salvo tamen Ecclesiæ jure. Episcoporum numerus non refertur. 14. Canones jam antea editi promulgati sunt.

Milevitanum I. sub Innocentio Papa, Arcadio, & Honorio Imper. an. 402. in quo Episcopis de primatia Episcopatuum concertantibus, illud definitum est; quod quilibet sederet juxta suæ ordinationis antiquitatem. Quodvultdeus huic decisioni acquiescere noluit, & ideo declaratur communione privatus. Maximianus pacis obtinendæ causa Episcopatum abdicavit, & Castorius ejus frater ei sufficitur. Numerus Episcoporum ignoratur. Nulli canones in hoc concilio editi sunt.

Synodus ad Quercum sub Innocentio Papa, & Arcadio, & Honorio Imper. ann. 403. ad quam Chrysostomus citatus est, ut defenderet se de variis criminibus, quibus accusabatur a Theophylo Alexandrino Episcopo. Ille videns Theophylum non procedere auctoritate legitima, appellavit ad aliud concilium, sed tamen ut contumax condemnatur, & ad Imperatorem defertur, quasi reus læsæ Imperatoriæ majestatis. Scribit Theophylus ad Innoc. Papam, epist. subscribitur a 26. Episcopis, sed male recipitur a summo Pontifice.

Africanum I. sub Innocentio Papa, & sub Arcadio, & Honorio Imperatoribus, an. 403. in quo mittuntur legati ad Romanum Pontificem pro recipiendis Donatistis ea lege, quod Donatistæ redeuntes ad Ecclesiam eum gradum, quem apud suos receperant, retinerent. Legati consensum Romani Pontificis attulerunt; & præterea decretum est, ut Episcopi Catholici Donatistarum Præpositis reconciliationis ineundæ modum significarent. Numerus Episcoporum ignoratur.

Africanum II. sub Innocentio Papa, Arcadio, & Honorio Imperatoribus an. 404. Donatistæ pacem oblatam recusant, conviciis, immo & armis Catholicos Episcopos excipiunt. Congregatur Concilium a catholicis, in quo mittuntur legati ad Imperatorem, qui hæreticorum audaciam coerceret. Episcoporum numerus ignoratur.

Africanum III. sub Innocentio, & Arcadio, & Honorio Imperatoribus an. 405. in quo Donatistis non resipiscentibus mittuntur Legati ad Imperat. qui ab eo obtineant, Donatistas aut mulcta pecuniaria puniri, aut exilio, si recusent redire in Ecclesiam. Numerus Episcoporum nescitur.

Africanum IV. sub Innocentio Papa, & sub Arcadio & Honorio Imperatoribus an. 407. in quo determinatur primo, quod Romam euntibus formata epistola danda sit, ne Donatistæ sub emento nomine excipiantur. Quod si voluerint Imperatorem adire,

adire, litteram formatam a Summo Pontifice accipiant, sine qua vetatur in aula morari. Secundo, annua concilia generalia in Africa suspenduntur ob incommoda, quæ ex tot crebris conciliis Episcopis creabantur. Tertio, preces publicæ a concilio sunt approbandæ, ne quid contra fidem contineant. Numerus Episcoporum ignoratur.

Africanum V. sub Innocentio, & iisdem Imperatoribus an. 404. Mortuo Stilicone strenuo Ecclesiæ Patrono Catholici congregant concilium, in quo decernuntur Legati ad Imperatorem, qui Honorium sollicitent, ut acta Stiliconis confirmaret.

Africanum VI. sub Innocentio Papa, & iisdem Imperatoribus an. 409. in quo decernitur, quod Episcopus solus nihil possit efficere.

Africanum VII. sub Innocentio Papa, & iisdem Imperatoribus an. 410. Cum Romanum imperium in summum discrimen venisset, tantisper vigor legum contra Donatistas temperatus est, adeo ut videretur liberum exercitium Religionis concessum Donatistis; ideo congregatur Concilium a Catholicis, & decernuntur Legati ad Imperatorem pro obtinenda ultimi rescripti revocatione, ne Donatistarum Religio tolerata videretur. Numerus Episcoporum ignoratur.

Ptolemaidense sub Innoc. Papa, & iisdem Imperatoribus an. 411. in quo Andronicus præfectus Provinciæ ob crudelitatem in Provincia exercitam excommunicatur a Sinesio Episcopo: *Andronico*, inquit Conc. *ejusque sociis ... Nullum Dei Templum aperiatur ... Nulla diabolo in Paradiso pars est, qui si clam irrepserit, expellitur.* Postea hortatur Magistratus, ut non sint ejusdem cum Andronico tecti, nec mensæ participes. Vetat Sacerdotibus, ne viventes excommunicatos salutent, mortuos vero funebri pompa ne deducant. Plures Episcopi juxta Petavium huic Concilio interfuere, juxta alios solus Sinesius excommunicationem protulit.

Collatio habita inter Episcopos Catholicos, & Donatistas sub Innoc. Papa, & Honorio, & Theodosio Imper. an. 411. Episcopi Catholici 286. Donatistæ 279. Carthagine congregati sunt, ut amica collatione prospicerent paci Ecclesiæ. Marcellinus jussu Imperatoris huic collationi præfuit. Post multas disputationis ambages, Marcellinus Donatistas condemnavit, & Honorius Marcellini sententiam ratam habuit. Augustinus Hipponensis episcopus in hac collatione multum alios juvit Episcopos.

Bracarense sub Innocentio Papa, & iisdem Imperatoribus an 411. in quo determinatum est, ut pastores commissas sibi oves non desererent, sed eas frequenter adirent, ne corrumperentur a gentibus, aut hæreticis tunc devastantibus. Episcopi 10. subscripserunt huic concilio.

Zertense vel *Cirtense* sub Innoc. Papa, & Honorio & Theodosio Imperator. an. 412. in quo finita Carthaginensi collatione, Donatistæ divulgarunt, Marcellinum auro fuisse corruptum a Catholicis, ideo Episcopi Zertæ in Numidia congregantur. Episc. p. Catholici scribunt ad Donatistas, & eorum mendacia detegunt.

Conc. Tabulam Donatistarum in Africa sub Innoc. & Honorio, & Theodosio Imperatoribus an. 414 in quo Donatistæ determinant semetipsos interfi cere potius quam obediant Imperatori vel Ecclesiis repetenti, vel eos releganti.

Hierosolymitanum sub Innoc. & Honorio, & Theodosio Imperatoribus, circiter an. 415. in quo error Pelagii damnatus est. *Dispositio est ad concilium Ephesinum, in quo obiter damnati sunt errores circa gratiam, & ad concilium Trid. in quo damnati sunt errores circa gratiam.*

Carthaginense III. sub Innoc. Papa, & Honorio, & Theodosio Imperatoribus an. 412. in quo Cælestius Pelagii discipulus hæreseos convincitur, & ad Innocentium Papam defertur a Paulino Diacono. Huic disputationi præsuit Aurelius Carthaginensis Episcopus. Acta hujus disputationis periereunt. *Idem quod prius.*

Diospolitanum sub Innoc. Papa, Theodosio, & Honorio Imperatoribus an. 415. in quo Pelagius verbis catholicis, sed mente hæretica fucate respondens, absolutus dimissus est, & innocens declaratus. 14. Episcopi huic Concilio interfuerunt. *Idem quod prius.*

Carthaginense IV. sub Innoc. Papa, iisdemque Imperatoribus an. 416. in quo Africani Patres audito, quod Pelagius Diospolitanos episcopos fefellisset, Synodicam epistolam ad Innocentium scripserunt, in qua duo capita Pelagii damnant; scilicet, naturam sufficere ad facienda mandata, & baptismum non esse necessarium: monentque Innocentium, ut Pelagium non absolvat, nisi prius errores suos ejuraverit. 67. Episcopi recensentur initio hujus epistolæ. *Idem quod prius.*

Milevitanum II. sub Innocentio Papa, Honorio & Theodosio Imperatoribus an. 416. in quo editi sunt 27. canones 8. explicant stragem peccati originalis & necessitatem gratiæ, reliqui vero ad mores & disciplinam pertinent. 60. Episcopi huic Concilio adsuere. *Idem quod prius.*

Thysdritanum sub Zosimo Papa, Honorio & Arcadio Imperatoribus an. 417. in quo vetatur, ne Episcopi facilius a Conciliis absint. Acta hujus concilii, & numerus Episcoporum perierunt.

Africanum sub Zosimo Papa, Honorio & Arcadio Imperatoribus an. 418. Defuncto Innocentio, Zosimus in gratiam Cælestii & Pelagii scripserat. Africani congregant concilium, cui intersunt 217. Episcopi. 8. canones in concilio Milevitano II. relati contra Pelagium & Cælestium, vel eduntur, vel confirmantur. *Dispositio fuit ad Ephesinum, ad Arausicanum 2. & ad Tridentinum, in quibus actum est de gratia.*

Telepense, seu Tellense, vel Zellense, sub Zosimo, Honorio & Arcadio Imperatoribus, an. 418. Hujus concilii acta perierunt. Triginta tres Episcopi adfuisse narrantur.

Ciliciense sub Zosimo Papa, Honorio & Arcadio Imperatoribus an. 418. Cum in Ciliciam hæresis Pelagiana progressa esset, judicarunt Patres huic errori iterata damnatione occurrere. Acta ejus concilii interierunt.

Carthaginense sub Bonifacio Papa, Honorio & Theodosio Imperatore an. 419. cum Apiarius Presbyter ob morum depravationem ab Urbano Episcopo depositus fuisset, ille contra usum Africanæ Ecclesiæ Papam appellavit. Zosimus nitebatur decretis concilii Nicæni. Africani, qui illos canones

Digitized by Google

nones non viderant, decernunt scribendum esse Antiochiam, Alexandriam, & Constantinopolim, ut exemplaria authentica habeantur, quæ interim iis ad Cælestinum Papam transsit, a. 419. Episcopi huic concilio adfuere.

Carthaginense sub Bonifacio Papa, Honorio & Theodosio Imperatoribus an. 419. in quo rursus causa appellationis ad Romanum Pontificem agitata est: & cum nondum Nicæni canones authentici potuissent obtineri, scriptum est ad Cælestinum ut non admitteret Sacerdotes, aut clericos inferiores appellantes ad Romanum Pontificem, & usus ille viguit usque ad Gregorium Magnum. Ex 219. Episcopis electi sunt 22. qui causam appellationis examinarunt.

Carthaginense sub Bonifacio aut Cælestino, iisdem Imperatoribus, annus ignoratur. Cum 2. episcopi de primatu contenderent, & controversia componi non posset ex ætate Episcoporum, ut antea factum fuerat, decretum est, ut omnes episcopi Africani catalogum suæ ordinationis texerent, quem mitterent ad Carthaginensem Primatem. Numerus Episcoporum hujus concilii ignoratur.

Africanum seu collectio Conciliorum Africanorum, an. circiter 419. Cum in dies cresceret difficultas circa appellationem ad Romanum Pontificem, decreta est collectio canonum Africanorum, ut sciretur, quid agendum esset in hac appellatione.

Constantinopolitanum sub Cælestino Papa, & Theodosio Imperatore an. 419. Cum multi episcopi convenissent ad ordinationem Sisinnii, Massiliani hæretici iterum damnati sunt, & Photius dicit, declaratum eos non recipiendos esse ad pœnitentiam, quia haud dubie ficte, non serio dolebant. Numerus Episcoporum ignoratur.

Concilium incerti loci in Gallia sub Cælestino Papa, & Theodosio Imperatore, an. 429. in quo Sanctus Germanus Antissiodorensis, & Lupus Trecensis episcopi Britanniam mittuntur, ut impediant, ne Pelagiana hæresis magis serperet. Hæc Synodus dicitur numerosa, sed quot episcopi adfuerint ignoratur.

Romanum I. sub Cælestino Papa & Theodosio Imperatore, an. 436. in quo Cælestinus post acceptam epistolam a Nestorio, in qua Mariam Matrem Christi, & non Matrem Dei nuncupabat, ea blasphemia commotus Papa, mandat Cyrillo Alexandrino, ut Nestorium anathemate percutiat, nisi intra decem dierum spatium errorem suum ejuraret. Numerus Episc. ignoratur. *Dispositio est ad concilium Ephesinum contra Nestorium.*

Alexandrinum sub Cælestino Papa, & Theodosio Imperatore, an. 430. in quo Cyrillus a Cælestino delegatus in negotio Nestorii episcopos collegit, ex quorum sententia Synodales epistolas mittit ad Nestorium, & ad Clerum Constantinopolitanum, & 12. anathematismos, quos Nestorius fallacibus responsis eludit. Qui episcopi interfuerint, nihil scitur. *Dispositio fuit ad Ephesinum.*

Romanum II. sub Cælestino Papa, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, an. 431. in quo Cælestinus, auditis Nestorii blasphemiis, & acceptis Cyrilli Litteris, dogma Nestorianum condemnat, & legatis tradit commonitorium in Conc. Ephesino agendum: Baluzius primus edidit hoc commonitorium, in quo Papa præcipit auctoritatem Apostolicam custodiri: *Ad disceptationem si fuerit ventum*, inquit Papa, *vos de eorum sententiis judicare debetis, non subire certamen*. Episcopi qui & quot interfuerint ignoratur. *Dispositio est ad Ephesinum.*

Ephesinum concilium Generale III. sub Cælestino Papa, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, anno 431. in quo Nestorius, qui Mariam dicebat Matrem Christi, non Matrem Dei, condemnatus est. Tunc addita sunt salutationi Angelicæ hæc verba: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis.* Et actione sexta, sessione secunda, actum est de damnatione hæresis Pelagianæ. Adfuerunt 200. episcopi.

Ephesinum conciliabulum sub Cælestino Papa, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, an. 431. in quo Joannes Antiochenus, putans damnatum fuisse Nestorium præcipiti & irregulari sententia, non expectato Orientalium episcoporum adventu, Cyrillum Alexandrinum ut hæreticum damnat, Memnonem Ephesinum episcopum ut turbulentum excommunicat, & utrumque qua arte potuit diffamat. Huic conciliabulo interfuerunt 30. episcopi vel Nestoriani, vel Pelagiani. *Hoc factum in odium Ephesinæ fidei.*

Antiochenum sub Sixto Papa III. Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, an. 433. in quo Joannes Antiochenus cognita Orthodoxa Cyrilli fide cum eo communionem iniit, & Nestorium damnavit. Numerus episcoporum hujus concilii ignoratur. *Executio fuit Ephesini.*

Romanum sub Sixto Papa III. Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, ann. 433. in quo Sixtus accusatus stupri cum Virgine Deo sacra, innocens declaratur. Bassus ejus calumniator damnatur, & privatur communione, nisi in summo vitæ discrimine. 56. Episcopi huic concilio interfuere.

Armenianum sub Sixto III. iisdemque Imperatoribus, an. 435. in quo combusti jussu Imperatoris Nestorii libris, libri Theodori Mopsuesteni divulgari cœperunt, & damnati sunt in hoc concilio. Numerus episcoporum ignoratur. *Executio fuit concilii Ephesini, & occasio ad concilium de tribus capitulis.*

Constantinopolitanum sub Sixto Papa III. iisdemque Imperatoribus, an. 435. in quo agitata est controversia, cui ecclesiæ conveniret jus primatus, an Alexandrinæ, an Antiochenæ. Acta non habentur, sed primatus competit Alexandrinæ ecclesiæ.

Regense in Gallia Narbonensi sub Sixto Papa III. iisdemque Imperatoribus, an. 439. Armentarii in Ebredunensem episcopum Ordinatio facta a duobus tantum episcopis, & non a tribus, ut jubent canones, irrita declaratur. 6. Canones circa mores & disciplinam constituuntur. Episcopi 13. subscripserunt. *Executio est concilii Nicæni.*

Arausicanum I. sub Leone Papa I. iisdemque Imperatoribus, an. 441. in quo editi sunt 30. canones ad mores & disciplinam pertinentes, quibus subscripserunt 16. Episcopi.

Vasense, Italice *Vaison*, minime Bazas, sub Leone Papa I. & Valentiniano Imperatore, an. 442. in quo editi sunt 10. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi 15. aut 18. huic concilio subscripserunt.

Ro-

Digitized by Google

Romanum I. sub Leone I. & Valentiniano Imp. an. 444. in quo Manichæi Catholicis dolose se admiscentes condemnantur. De eis ita loquitur Leo: *Inter illos lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo*. Executio est Nicæni.

Concilium incerti loci sub Leone Papa I. & Valentiniano Imper. an. 444. in quo Chelidonius Vesontionensis episcopus maritus quondam viduæ, & in re capitali judex, damnatus est ab Hilario Arelatensi episcopo, sed Chelidonius appellat ad Leonem Papam, & accusat Hilarium, quod in Viennensi Provincia Metropolitana munia exercere præsumpsisset. Hilarius non decisa lite Roma discedit. Chelidonius absolvitur: & hinc nata est inter Hilarium & Leonem gravis jurgiorum causa. Ignoratur Episcoporum numerus.

Romanum II. sub Leone Papa I. Valentiniano Imper. an. 445. in quo sententia in Hilarium pronunciata est, pro cujus executione patrocinium & auctoritas Valentiniani imploratur. Solus Leo censetur hanc sententiam pronuntiasse.

Asturicense sub Leone Papa I. & Valentiniano Imper. an. 446. in quo latentes Manichæi & Priscillianistæ sese cum Catholicis immiscentes damnati sunt, & episcoporum cura detecti.

Conventus Verolamii in Britannia sub Leone Papa I. & Valentiniano Imper. an. 445. in quo hæresis Pelagiana ab Agricola Pelagii Discipulo disseminata confutatur, præsentibus Germano & Lupo Galliarum episcopis.

Hispanicum sub Leone Papa I. Valentiniano Imper. an. 445. in quo Priscillianistæ Hispaniam inficientes condemnantur. Quot & qui episcopi adfuerint, ignoratur.

Constantinopolitanum sub Leone Papa I. & Theodosio Imp. an. 448. in quo Eutyches Archimandrita unicam in Christo naturam admittens citatur, ut accusationi respondeat; cui citationi cum non detulisset, lectis ejus Libris tamquam hæreticus condemnatur, a primatu Monasterii & dignitate Sacerdotali deponitur. Huic Conc. 32. Episcopi & 23. Archimandritæ subscripserunt. *Executio fuit Concilii Ephesini.*

Tyrium sub Leone Papa I. & Theodosio Imper. an. 448. Ibas Edessenus Nestorianismi accusatus, eo quod revera Cyrillo adversatus fuisset, & Joannem Antiochenum contra Cyrillum commovisset, sed jussu Imperatoris causa Ibæ bis examinata est & innocens declaratur. Huic judicio 3. interfuere episcopi ab Imperatore delegati. *Occasio est ad Concilium de tribus capitulis.*

Cerytense sub Leone Papa I. & Theodosio Imper. an. 448. in quo Ibas licet inventus innocens, & reconciliatus cum Cyrillo, Nestorianismi iterum accusatur, eo quod in ep. scripta ad Marin Persam, Cyrillum hæreticum appellasset. Producta epist. hæc verba nequaquam inventa sunt, ideo Ibas innocens declaratur. 3. tantum interfuerunt episcopi huic judicio. Eamdem epist. postea damnavit Chalcedonense Conc. *Occasio fuit ad Concilium de tribus capitulis.*

Conciliab. Constantinopolitanum tempore Leonis Papæ I. & Theodosii Imper. an. 449. in quo agente Chrysaphio eunucho, summa apud Imperatorem auctoritate pollente, Eutychetis Libellus suscipitur, & Imperator concedit Synodum Ephesi celebrandam. 30. Episcopi huic conciliabulo interfuere. *Id factum in odium veri Concilii Ephesini.*

Ephesinum Conciliab. tempore Leonis Papæ I. & Theodosii Imperatoris ann. 449. in quo Flaviani Concilium improbatur, Eutyches absolvitur, episcopi Catholici aut concilio ejiciuntur, aut deponuntur. Ipse Flavianus ad Papam appellans calcibus occiditur. Hinc est quod hic cœtus vocatus sit prædatoria, aut latrocinalis Synodus. 128. Episcopi huic conciliabulo interfuere. *Id factum in odium Concilii Ephesini.*

Romanum III. sub Leone, & Valentiniano Imp. an. 449. Leo ut accepit a Legato suo quæ Ephesi gesta fuerant, acta conciliabuli Ephesini ut detestanda reprobat. Nomina episcoporum exciderunt. *Executio fuit veri Concilii Ephesini.*

Constantinopolitanum sub Leone Papa I. & Theodosio Imper. an. 450. in locum Flaviani inique damnati & crudeliter occisi subrogatur Anatolius, qui voluit promotionem suam contra leges Ecclesiæ actam reparari. Ad hoc Papa quatuor mittit Legatos, qui lapsos aut inique promotos ab errore resipiscentes reciperent. Anatolius fidei confessionem Catholicam cum aliis edidit. Omnes in sede sua confirmati sunt. Nestorio & Eutycheti anathema dictum est. *Executio fuit Ephesini & dispositio ad Chalcedonense.*

Concilium S. Patritii in Hibernia sub eodem Leone Papa, Valentiniano & Marciano Imper. an. 450. in quo collecti sunt varii Canones in variis Ecclesiis constituti, ut Ecclesia Hybernica, quæ adhuc erat in cunis, omnem idololatriam procul abjiceret. Collecti sunt 34. Canones, & postea leguntur collecti, sed ita mutili, ut vix intelligi possint.

Chalcedonense Generale IV. sub Leone Papa I. & Marciano Imp. an. 451. in quo damnatus est Eutyches unam tantum naturam in Christo admittens. 630. Episcopi huic Concilio interfuere.

Arelatense sub Leone Papa I. Valentiniano & Marciano Imper. anno 452. Ecclesiastica disciplina in multis deformes fuerat: ideoque congregatum est concilium Arelatense, in quo editi sunt 56. canones. Aliqui 25. tantum, aut 34. recensent. De numero Episcoporum nihil scitur.

Andegavense sub Leone Papa I. Valentiniano & Marciano Imperatoribus, an. 453. in quo editi sunt 12. canones ad mores & disciplinam pertinentes. 7. Episcopi huic concilio subscripserunt.

Arelatense II. sub Leone Papa I. Valentiniano & Marciano Imperatoribus, an. 455. in quo exorta inter Theodorum Episc. Forojuliensem & Faustum Lyrinensem Abbatem controversia, quam multi finire non poterant, certis conditionibus finita est, quibus Monachi a jurisdictione Episcopi subtracti sunt. Hinc desumunt aliqui originem privilegiorum Monasticorum.

Constantinopolitanum sub Leone Papa, iisdemque Imperatoribus, an. 459. in quo Gennadius Ecclesiam Constantinopolitanam a labe simoniaca purgare conatus est. 82. Episcopi huic concilio adfuere.

Turonicum sub Hilario Papa & Severo Imperat. an. 461. Cum plures Episcopi occasione Festi Sancti

&i Martini in Turonensem Urbem convenissent, facto conc. 13. canones ediderunt circa mores & disciplinam. 10. Episc. huic concilio interfuerunt.

Veneticum sub Hilario Papa & Severo Imperatore, an. 463. Cum plures Episc. in Venetorum urbem venissent, Episcopum ordinandi causa, occasionem nacti, 16. canones vel ediderunt, vel editos confirmarunt, qui omnes & mores & disciplinam respiciunt. 6. Episcopi huic concilio subscripserunt.

Arelatense sub Hilario Papa & Severo Imperat. an. 465. in quo agitata est causa Mamertini Viennensis Episcopi, qui Diensem Episcopum ordinaverat, licet Ecclesia Diensis Arelatensi Metropolitæ subjiceretur. Hilarius Papa scripsit, quod hæc ordinatio confirmanda erat per Leontium Arelatensem Episcopum, ad quem de jure pertinebat. 20. Episcopi interfuere.

Romanum sub Hilario Papa & Severo Imperat. an. 465. Is abusus irrepserat in Ecclesiam, quod episcopi decedentes successorem sibi eligebant, ex quo Nundinarius Barcinonensis sibi Irenæum successorem constituerat. Conc. huic malo medetur, editis 5. canonibus. Huic concilio interfuere 48. Episcopi.

Viennense sub Simplicio Papa & Nepote Imper. an. 474. Cum Viennenses populi terræ motibus & ferarum incursibus & annonæ penuria affligerentur, Mammertus rogationes instituit, quibus, inquit Sidonius, *jejunatur, oratur, psallitur, & fletur.*

Arelatense sub Simplicio Papa, & Nepote Imp. an. 745. Eo tempore fuerunt in Gallia aliqui, qui docebant per prædestinationem fatalem induci necessitatem, qua bonorum operum studium præscinderetur. Hic error damnatus est in hoc concilio. Numerus episcoporum ignoratur.

Lugdunense sub Simplicio Papa & Nepote Imp. an. 475. in quo idem error circa prædestinationem damnatus est.

Romanum I. sub Felice III. Zenone Imperatore, & Odoacro Rege, an. 483. Zeno Imperator Joannem, virum Catholicum ex Alexandrina sede deturbaverat, & Petrum Mongum virum hæreticum ei subrogarat. Felix Papa Joannem sic deturbatum excepit, & Concilium Romæ congregat, in quo legatio ad Zenonem statuitur, & ad Acacium Constantinopolitanum, ut Joannes restituatur. Damnatus est etiam Petrus Fullo in Antiochena sede per vim Martyrii successor, quique in trisagio *Sanctus, Sanctus, Sanctus* superaddi volebat *qui passus est pro nobis*, quasi Trinitas passa esset. Episcopi hujus concilii ignorantur.

Romanum II. sub Felice III. & Zenone Imper. & Odoacro Rege, an. 484. Vitalis & Missenus missi a Papa ad Zenonem male excepti sunt, & in carcerem missi. Acacius eos sæpe in carcere invisit, & artibus suis effecit, ut legati cum ipso communicarent, & Petri Mongi nomen in sacris nominari paterentur. Legatis Romam reducibus congregatur concilium, in quo Vitalis & Missenus Legati ob perfidiæ lapsum condemnantur, & ex Episcopatu deponuntur. Acacius solemni decreto Apostolica auctoritate condemnatur eique hæc sententia per Monachum intimatur. Episcopi 77. huic Concilio interfuerunt.

Conciliabulum Carthaginense sub Felice III. & Zenone Imper. an. 484. Hunnericus Rex Vandalorum jussit minacibus litteris omnes Episcopos Catholicos Carthagine congregari, ut cum Episcopis Arianis disputarent de consubstantialitate, eamque ex scripturis probarent. In eo conciliabulo fertur sententia contra Catholicos etiam non auditos, 348. relegati sunt, 28. fugerunt, unus supplicium passus est, alter confessor occubuit. Omnes Episcopi, qui interfuerunt, erant 466. *Fuit in odium Nicænæ fidei.*

Romanum III. sub Felice III. Zenone Imperatore, an. 487. Mortuo Hunnerico Vandalorum Rege ecclesia pacem obtinuit sub Gundabundo ejus successore: qui lapsi fuerant in persecutione petunt recipi in ecclesiam. Congregatur Romæ concilium, in quo hæc determinantur. 1. Ut clerici lapsi laicæ tantum communicæ in morte donentur. 2. Monachi & Laici lapsi, per triennium stent inter audientes, & in morte solum viaticum accipiant. 3. Ut ætate parvuli inter pœnitentes retineantur, donec communionis sint capaces. 4. Si mortis necessitas cogat, pœnitentes poterunt communione donari, cum obligatione tamen peruendi constitutum pœnitentiæ tempus, si convalescant. Huic Concilio 38. episcopi interfuere. In libello Sidonico circa hæc tempora quædam reperiuntur concilia de causis particularibus agentia, in quibus invasores episcopatuum deponuntur, quæ ex industria omittimus.

Romanum I. sub Gelasio Papa, Anastasio Imper. & Theodorico Rege, an. 494. in quo libri apocryphi recensentur, & ab iis, quos ecclesia recipit, separantur. Huic Concilio adfuerunt 70. Episcopi.

Romanum II. sub Gelasio, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 495. in quo cum Vitalis communione ecclesiastica privatus obiisset, Missenus resipuit & pœnitentiam multo cum gemitu postulavit, dicens: *parce prostrato, porrige manum jacenti*: in hoc Conc. receptus est postquam ejuravit omnes hæreses. 55. Ep. huic concilio subscripsere.

Romanum I. sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 499. Cum in electione Symmachi schisma ortum esset, & Laurentius Antipapa huic electioni contradiceret, Theodoricus, licet Arianus jussit Concilium Romæ congregari, in quo determinatum est, Symmachum legitimum Papam esse: & generaliter definitur, quod quoties circa electionem certamen emerserit, *vincat sententia plurimorum*. Huic Concilio interfuere 72. Episcopi. *Dispositio fuit ad concilia generalia circa electionem Papæ.*

Romanum II. sub Symmacho Papa, Anastasio Imper. & Theodorico Rege, an. 500. in quo Symmachus legitimus Papa declaratur, & Laurentius pro invasore habetur. Huic concilio interfuerunt 115. Episc. de quo numero tamen plane non constat. *Dispositio fuit ad concilia circa electionem Papæ.*

ARTICULUS VII.

De Conciliis sexto sæculo habitis.

R*omanum III.* sub Symmacho Papa, & Theodorico Rege, an. 501. Symmachus accusatus voluit ab Episcopis judicari. Jussu Regis Theodorici con-

congregantur Romæ multi episcopi, qui sine magna discussione, immo non auditis adversariis innocentem Symmachum declarant, non tam rem judicando, quam schisma sopiendo. Revera concilium illud vix pro vero concilio haberi potest, cum auctoritate politica coactum sit. 115. Episcopi creduntur interfuisse.

Romanum IV. sub Symmacho, & Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 502. in quo plenarie confirmata est Symmachi electio, & abrogantur tria edicta lata a Rege Odoacro, utpote libertati Ecclesiasticæ contraria. Primum erat, ne absque consultatione & consensu Regis Italiæ fieret electio Summi Pontificis. Secundum, ne liceret Summo Pontifici quidquam ex Ecclesiæ bonis alienare. Tertium, bona Ecclesiæ superflua in pios usus esse distrahenda. Leges illæ ex parte justæ iritæ declarantur; quia feruntur a Rege Laico: nam concilium idem ex parte jussit observari. Huic concilio interfuere 64. Episc. *Dispositio fuit ad concilia Generalia de electione Papæ.*

Romanum V. sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 503. Schismatici scribunt contra confirmatam Symmachi electionem. Congregatur concilium, & Ennodius eligitur, qui respondeat adversariorum calumniis. 118. dicuntur interfuisse episc.

Romanum VI. sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 504. a quo invasores bonorum ecclesiasticorum anathemate percutiuntur; quia bona ecclesiastica *ad substantiam pauperum derelicta nulla auctoritate invadi possunt.* Numerus episcoporum hujus Concilii ignoratur.

Byzacenum in Africa sub Symmacho Papa, & Anastasio Imperatore, an. 504. in quo resistitur Trasamundo Regi, qui, ut Ecclesiam aboleret, vetabat, ne defunctis episcopis alii ordinarentur, qui in defunctorum locum succederent.

Agathense sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, Alarico Rege, an. 506. in quo 71. canones constituuntur ad mores & disciplinam pertinentes. Huic Concilio interfuere 35. episcopi.

Toletanum I. sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, & Alarico Rege, an. 507. Hujus acta omnino perierunt, inquit Baluſius.

Aurelianense sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, & Clodovæo Rege, an. 511. in quo 33. canones constituuntur, mores & disciplinam respicientes. 32. episcopi huic Concilio interfuerunt.

Conciliabulum Sydonianum in Palæstina tempore Symmachi Papæ, & sub Anastasio Imperatore, an. 512. in quo Eutychiani, & Acephali Synodum Chalcedonensem damnarunt, & Flavianum Antiochenum, & Eliam Hierosolymitanum defensores concilii Chalcedonensis sedibus suis ejecerunt.

Rhemense sub Hormisda Papa, & Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 514. in quo actum est de reformanda disciplina in Ecclesia Gallicana.

Epiritanum sub Hormisda Papa, & Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 316. in quo recepta sunt quatuor Generalia Concilia & omnes hæretici rejecti.

Gerundense sub Hormisda Papa, & Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, in quo editi sunt 13. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Septem huic concilio interfuere Episcopi.

Epaunense sub Hormisda Papa, Anastasio Imperat. & Childeberto Rege an. 517. in quo editi sunt 40. Canones ad mores & disciplinam pertinentes, Interfuerunt huic concilio 25. Episcopi.

Lugdunense sub Hormisda Papa, & Anastasio Imperatore, & Childeberto Rege, an. 519. Cum Stephanus vir præpotens incestuose viveret cum Palladia, & cum Episcopi aliquando zeli minus prudentis arguerentur, si similes personas corriperent; congregatum est Episcoporum Concilium; & Stephano & Palladiæ *usque ad orationem plebis, quæ post Evangelium legeretur, orandi in locis Sanctis spatium præstatur*, & præcipitur, ut Episcopi mutuo sese juvent contra Magnatum non resipiscentium vexationes.

Constantinopolitanum sub Hormisda Papa, & Justino Imperatore, an. 518. in quo Concilium Chalcedonense, quod quidam hæretici rejiciebant, suscipitur: nomina Euphemii & Macedonii sacris Dypticis inscribuntur; sed quia Euphemius & Macedonius favebant Eutychianis, quantum ad hoc concilium istud a Romano Pontifice reprobatur, & mittuntur legati Constantinopolim, qui hæc omnia componant. Quadraginta Episcopi huic Concilio interfuerunt. *Executio fuit Chalcedonensis.* Jerosolymitanum sub eisdem, an. 518. in quo præcedens Synodus confirmatur.

Tyrium sub Hormisda Papa, Justino & Anastasio Imperatoribus, an. 518. in quo præcedentes Synodi Constantinopolitana & Jerosolymitana confirmantur. Inde forsan motus est Justinus, ut Chalcedonense concilium edicto recipi præciperet. *Executio Chalcedonensis.*

Romanum sub Hormisda, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege, an. 519. in quo concluditur reconciliatio Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, modo Acacius schismaticus, Euphemius, & Macedonius condemnentur, & eorum nomina e dypticis expungantur. Quot fuerint episcopi ignoratur.

Ilerdense sub Joanne Papa primo, Justino Imperatore, & Theodorico Rege, an. 542. in quo editi sunt sexdecim canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi novem huic concilio subscripserunt.

Valentinum in Hispania sub Joanne Papa I. Justino Imperatore, & Theodorico Rege, an. 542. in quo statuuntur quædam ad Missæ celebrationem, ad recitationem officii, & ad defunctorum exequias pertinentia, quæ omnia sex canonibus concluduntur. Septem Episcopi subscripserunt.

Arelatense sub Joanne Papa I. Justino Imperatore, & Theodorico Rege, an. 524. Cum episcopi ad dedicationem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in eam urbem venissent, occasionem nacti ediderunt quatuor canones, quibus quo pacto recipiendi sunt ordines, præscribitur. Tredecim episcopi huic Concilio interfuerunt.

Juncense sub Joanne Papa I. & Hilderico Vandalorum Rege, an. 534. Cum aliqui episcopi superioribus suis obedientiam detrectarent, coactum est concilium, & consultus Bonifacius Carthaginensis episcopus. Numerus episcoporum hujus concilii ignoratur.

Carthaginense sub Joanne Papa I. Hilderico Rege,

Digitized by Google

se, an. 525. in quo leguntur Niceni canones juxta exemplar ab Attico missum, & pax ita componitur, ut post Numidiam sequeretur Byzacena, quam utramque Pro-consularis praecederet. Actum est etiam de Monachorum privilegiis. *Concilium respicit disciplinam.*

Carpentoractense sub Felice Papa IV. Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege, an. 527. in quo determinatur, episcopum non debere de bonis Ecclesiae pro arbitrio disponere, sed sibi juxta necessitatem & non ultra assumere. Huic concilio sexdecim interfuere episcopi.

Arausicanum II. sub Felice IV. & Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege, an. 529. in quo explicatur materia de gratia Christi, de praedestinatione, & eduntur 25. canones expressis verbis ex Aug. desumpti. Tredecim interfuere episcopi. *Dispositio ad Tridentinum circa gratiam.*

Valentinum ad Rhodanum sub Felice Papa IV. Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege, an. 529. in quo confirmatur quod in Arausicano concilio circa gratiam & praedestinationem fuerat definitum. Non scitur numerus episcoporum hujus concilii. *Dispositio ad eamdem decisionem.*

Valense sub Felice IV. Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege an. 530. in quo, cum deessent Seminaria ad instructionem Clericorum, statuuntur 5. canones ad dirigendam Clericorum institutionem. Episcopi undecim huic Concilio interfuerunt.

Carpentoractense. Tempus ignoratur. Agracius ad annum suspenditur ob ordinationem a se perperam factam. *Executio est Niceni circa ordinationes illicitas.*

Toletanum II. sub Bonifacio, Justiniano Imperatore, & Almarico Rege, an. 531. in quo 5. eduntur canones, quibus cavetur, ne infantes ad Clericatum properanter admittantur. Octo episcopi huic concilio interfuerunt.

Romanum sub Joanne Papa II. & Justiniano Imperatore, an. 532. Monachi aliqui Eutycheti faventes volebant concilio Chalcedonensi addenda esse haec verba: *Unum de Trinitate esse Crucifixum Christum*. Legati Papae nolebant id permittere, declarantes hanc additionem esse concilio injuriosam. Monachi Legatos ex hoc Nestorianismi accusabant. Hormisda confirmat sententiam Legatorum. Hinc oritur nova difficultas: *Si unus de Trinitate*, inquiebant Nestorii defensores, *non est passus, ergo unus de Trinitate non est natus, nec proinde Maria Dei Genitrix dici potest*. Congregatur Romae Concilium, in quo declaratur veram esse hanc propositionem: *Una ex tribus personis Trinitatis passa est, secunda scilicet*. Episcopi non referuntur. *Executio fuit Chalcedonensis*.

Carthaginense sub Joanne Papa II. Justiniano Imperatore, an. 534. Scripserant Africani Praetules, quomodo Sacerdotes Ariani ad Ecclesiam reduces recipiendi essent, quomodo filii Arianorum ad clerum admittendi essent, & quomodo agendum cum Monachis, qui jam privilegiis uti incipiebant. Joannes obiit interim. In hoc concilio hoc privilegium conceditur Monachis, quod ab episcoporum auctoritate & jurisdictione eximantur. 217. Episcopi interfuerunt.

Arvernense sub Agapito I. Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege, an. 535. in quo quindecim editi sunt canones ad mores & disciplinam pertinentes. Quindecim episcopi huic concilio interfuerunt.

Constantinopolitanum post obitum Agapiti sub Justiniano Imper. an. 536. habitum in Monasterio Dyptico, in quo concilio damnati sunt Anthymus, Petrus, Severus, & Zonaras, Acephali dicti, eo quod essent sine capite, sine lege, sine superiore, omnemque auctoritatem tam Ecclesiasticam quam civilem rejicerent; ideoque damnati sunt ab hoc concilio, & ab Imperatore Justiniano. Quinquaginta episcopi huic concilio interfuerunt.

Hierosolymitanum Sede vacante sub Justiniano Imperatore, an. 536. in quo idem Anthymus damnatus est, & depositus declaratus. Huic concilio interfuerunt 45. Episcopi.

Aurelianense sub Sylverio Papa, Justiniano Imperatore, & Childeberto Rege, an. 538. Multa erant inordinata in Clero & inter Laicos, ideo congregatur concilium, in quo triginta duo canones editi. Decem & novem Episcopi interfuerunt, & septem per Procuratores.

Barcinonense sub Vigilio Papa, Justiniano Imp. & Teudis Hispanorum Rege, an. 540. Poenitentes poenitentiae leges cum magna incuria exequebantur, vulgares habitus gestabant, in conviviis conversabantur; ideo editi sunt decem canones in hoc concilio, ut huic malo remedium afferretur. Episcopi septem huic concilio interfuerunt.

Aurelianense I. sub Vigilio Papa, Justiniano Imper. & Childeberto Rege, an. 541. in quo editi sunt triginta & octo canones mores & disciplinam respicientes. Huic concilio interfuere triginta & sex episcopi.

Aurelianense II. sub Vigilio Papa, & Justiniano Imper. & Childeberto Rege, an. 549. in quo editi sunt 24. canones circa mores & disciplinam. Episcopi quinquaginta, procuratores viginti & unus interfuerunt.

Arvernense sub eisdem. Nihil est aliud istud concilium quam prioris approbatio. Episcopi decem interfuerunt.

Mopsuestenum sub Vigilio Papa, & Justiniano Imper. an. 550. Theodorus Mopsuestenus Nestoriani erroris auctor habitus est; ideo edicto Justiniani Synodus cogitur, ut inquiratur, num e dipeycis Theodori nomen expunctum fuisset, & ejus loco substitutum Cyrilli nomen: quod ita factum inventum est. Episcopi novem interfuerunt cum magistratibus. *Executio fuit Ephesini, & dispositio ad tria capitula.*

Constantinopolitanum V. Generale sub Vigilio Papa, & Justiniano Imper. an. 553. in quo controversia dicta de *tribus capitulis* dirimitur. Tria autem capitula sunt ista. Primum, an persona Theodori Mopsuesteni, qui credebatur usque ad mortem adhaesisse Nestorio, deberet anathematizari. Secundum, an scripta Theodoreti contra Cyrillum continerent errorem Nestorii. Tertium, an epist. Ibae Edesseni scripta ad Marin, in qua laudabatur Nestorius, errorem Nestorii contineret. Imperator damnaverat haec tria capitula: eorum condemnationi fortiter restiterat Vigilius Papa: ea nec probabat nec improbabat concilium Chalcedonense,

sed

sed inexaminata & indecisa reliquerat: ea tandem damnat concilium Generale: judicat Theodorum Mopsuestenum dignum anathemate, quia supponit usque ad mortem adhæsisse Nestorio: judicat Anathematismos Theodoreti, & epistolam Ibæ continere aut saltem favere Nestorianismo.

Hierosolymitanum sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore an. 553. in quo Synodus V. Constantinopolitana approbatur & in primis damnatio trium capitulorum. *Fuit executio quintæ Synodi.*

Conciliabulum Aquilejense sub Vigilio Papa & Justiniano Imperatore an. 553. in quo Synodus V. Generalis quasi contraria concilio Chalcedonensi rejicitur. Multi fuerunt in ea Synodo Episcopi, sed Græcæ Linguæ ignari, ideo non poterant judicare de scriptis Theodoreti. Hinc schisma ortum est, quod per centum annos duravit. *Fuit impugnatio V. Synodi.*

Arelatense sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperato & Childeberto Rege an. 554. in quo editi sunt canones septem ad disciplinam & mores pertinentes. Episcopi undecim huic concilio interfuerunt.

Parisiense sub Pelagio Papa & Childeberto Rege an. 555. in quo Suffracus Parisiensis episcopus multis criminibus accusatus, & propria confessione convictus, deponitur, & in Monasterium ad pœnitendum detruditur. Episcopi viginti septem interfuerunt . . . . *Damnatio Episcoporum per solum concilium Provinciale.*

Parisiense sub Joanne III. Justiniano Imperatore an. 557. in quo excommunicantur invadentes jura ecclesiastica. Et circa hoc septem canones eduntur.

Conciliabulum Constantinopolitanum Eutychianorum tempore Joannis III. & sub Justiniano Imperatore an. 560. Eutychiani inter se dissidentes alii volebant Corpus Christi esse corruptibile, alii incorruptibile. Justinianus suo edicto declaravit Corpus Christi esse expers corruptionis, & Eutychem, qui ei restiterat, in exilium ablegavit. Quot fuerint Episcopi ignoratur.

Braccarense sub Joanne III. sub Justiniano Imp. & Theodorico Rege an. 563. in quo editi sunt 22. canones circa mores & disciplinam, & septemdecim contra Priscillianistas, errores Sabellianorum, Arianorum, & Manichæorum jam in Niceno damnatos renovantes. *Fuit executio Niceni.*

Santonense sub Joanne III. & Clothario Rege an. 563. in quo Eremius Episcopus, qui sola auctoritate Clotharii Episcopatum Santonensem invaserat, intrusus declaratur a Leontio Burdigalensi cum suis suffraganeis, quod Rex inique tulit, & Presbyterum, qui decretum concilii attulerat, exilio damnavit, Leontium mille aureis mulctavit. Ignoratur numerus Episcoporum hujus concilii. *Dispositio est ad Photii & similium intrusorum condemnationem.*

Lucense I. in Hispania sub Joanne III. annus incertus est. In eo concilio in Gallacia nova instituitur Metropolis Braccarensi subdita.

Lugdunense I. sub Joanne III. & Chariberto Rege anno 567. in quo Salonius & Sagittarius variis sceleribus celebres arguuntur, sed lapsi in eadem scelera Cabylloni deponuntur. Sex sunt ibi canones editi circa mores, & disciplinam. Octo interfuerunt Episcopi, & sex per procuratores. *Judicium Episcoporum in Provincia.*

Turonense sub Joanne III. & Chariberto Rege an. 567. in quo editi sunt 27. canones circa mores & disciplinam.

Braccarense Sede vacante sub Mirone Rege anno 572. in quo decem editi sunt canones circa mores & disciplinam. Novem interfuerunt Episcopi.

Lucense II. Sede vacante an. 572. in quo canones collecti a Mart no Dumiensi Episcopo lecti sunt.

Parisiense I. sub Benedicto Papa I. & Chilperico Rege ann. 573. Quidam in Dunensi Castro Ecclesiam regebat, & ab Episcopo Rhemensi licet in aliena provincia consecratur Episcopus. Pappolus Carnotensis Episcopus, in cujus Diœcesi Castrum situm erat, conqueritur de hac inordinata consecratione. Ægidius Rhemensis jubetur in hoc concilio advocare ad se eum, quem ordinaverat, & ordinatus inhibetur actiones episcopales exercere. 32. Episcopi interfuerunt. *Executio est Niceni votantis, ne Episcopi Pontificalia extra suam Diœcesim exerceant.*

Parisiense II. sub Benedicto I. & Chilperico Rege anno 577. Brunechildis Sigeberti Regis vidua Rhotomagi exulabat. Prætextatus hujus urbis Episcopus accusatur coram Chilperico, quod auctor fuisset conjugii, quod Meroveus cum Brunechilde inierat. Prætextatus purgavit se ab hac calumnia in hoc Concilio; sed delusus a Rege, qui veniam promiserat, se reum contra veritatem confessus est. Qui Rex postea urget Concilium, ut Prætextatus damnetur juxta suam confessionem. Episcopi Regi conniventes damnant Prætextatum. Gregorius Turonensis negat subscribere huic condemnationi. Prætextatus in exilium mittitur. Quadraginta quinque Episcopi creduntur huic Concilio interfuisse.

Antissiodorense sub Pelagio Papa II. & Chilperico Rege anno 578. in quo editi sunt 45. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Huic Concilio interfuit unus Episcopus, septem Abbates, triginta quatuor Presbyteri, Diaconi tres.

Brinnacense sub Pelagio Papa II. & Chilperico Rege anno 581. in quo Gregorius Turonensis a Leudaste falso accusatur, quod de uxore Regis male locutus fuisset, quod impudice cum Berthemano Burdigalensi Episcopo se commiscuisset: calumnia detecta est, Gregorius absolvitur, & Leudastes excommunicatur. Nescitur numerus Episcoporum hujus concilii.

Matisconense I. sub Pelagio II. Guntramno & Chilperico Regibus anno 581. in quo Judæorum coercetur audacia, qui Christianis insultabant. 19. Canones circa mores & disciplinam editi sunt. 21. Episcopi subscripserunt.

Lugdunense sub Pelagio Papa II. Mauritio Imperatore, & Chilperico Rege an. 583. in quo editi sunt sex canones circa mores & disciplinam. Octo subscripserunt Episcopi.

Valentinum sub Pelagio II. Guntramno & Chilperico Regibus an. 384. in quo Guntramnus Rex & Astrechildis Regina donationes Ecclesiæ factas confirmarunt, & irrevocandas voluerunt. Septemdecim subscripserunt Episcopi.

Concilium incerti loci sub Pelagio II. an. 583. in quo multa dicta sunt circa castitatem presbyterorum, & indicatum est melius esse paucos haberi

Ministros in Ecclesia, modo pudici essent, quam multos incontinentes. Numerus Episcoporum hujus concilii ignoratur.

Matisconense II. sub Pelagio Papa II. Guntramno & Clotario Regibus anno 585. in quo editi sunt viginti canones circa mores & disciplinam. Episcopi 40. & 20. Procuratores subscripserunt.

Constantinopolitanum sub Pelagio II. & Mauritio Imperatore, in quo Gregorius Antiochenus accusatus incestus cum sorore, innocens declaratur.

Toletanum III. sub Pelagio Papa II. Mauritio Imperatore, & Recaredo Rege an. 589. In quo Gothi Arianam hæresim ejurarunt. Editi sunt 23. canones ad mores & disciplinam pertinentes. 22. Episcopi subscripserunt. *Executio est Niceni.*

Narbonense sub Pelagio Papa II. Mauritio Imperatore, & Recaredo Rege an. 589. in quo editi sunt quindecim canones ad mores & disciplinam pertinentes. Septem Episcopi subscripserunt.

Hispalense sub Gregorio Papa I. & Mauritio Imperatore, & Recaredo Rege an. 590. in quo cautum est, ne Episcopi mancipia libera pro nutu declararent, quia manumissione bona Ecclesiæ decrescebant. Octo interfuere Episcopi.

Cæsaraugustanum sub Gregorio Papa I. & Recaredo Rege an. 592. in quo cautum est, quomodo recipiendi essent, & ad Ecclesiam & in clerum reduces ab hæresi vel Arianorum, vel Priscillianistarum. Novem Episcopi subscripserunt. *Executio est Niceni.*

Toletanum IV. sub Gregorio Papa I. & Recaredo Rege an. 597. in quo cautum est, ne oratoria aut templa construi permitteretur, nisi in eis institueretur Clericus. Tredecim Episcopi interfuerunt.

Oscense sub Gregorio I. & Recaredo Rege anno 598. in quo providetur Clericorum continentiæ, quæ maledicentium linguis labefactabatur. Qui & quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Barcinonense sub Gregorio Papa I. & Recaredo Rege an. 599. in quo eduntur quatuor canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi duodecim subscripserunt.

ARTICULUS VII.

De Conciliis septimo sæculo habitis.

ROmanum sub Gregorio I. & Mauritio Imperat. an. 601. in quo Gregorius Monachos ab Episcoporum jurisdictione cum temporali, cum spirituali exemit, vetans ne Episcopi visitent Monasteria, eorum reditus sibi adscribant: Monachos Abbati quoad spiritualia & temporalia subjicit, & Abbatem summo Pontifici. Huic concilio 20. interfuere Episcopi, 14. Presbyteri, & 4. Diaconi.

Numidianum sub Gregorio II. & Mauritio Imperatore ann. 603. in quo Donadeus Diaconus injuste a Victore e gradu dejectus appellat ad Romanum Pontificem: comperta innocentia dejecti, Victoris sententia rescinditur. Numerus Episcoporum hujus concilii nescitur.

Romanum sub Bonifacio Papa III. & Phoca Imperatore ann. 606. Defuncto Gregorio, Sabinianus ei successit, cui successit Bonifacius. Hic congregat concilium, in quo cautum est, ut non prius de eligendo Pontifice agatur, quam defunctus Pontifex triduo sepultus sit. 72. Episcopi interfuerunt. *Dispositio est ad Concilia Generalia, in quibus de electione Papæ actum est.*

Parisiense sub Deusdedit Papa, & Clotario Rege ann. 615. in quo editi sunt quindecim canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi 79. interfuerunt huic Synodo.

Hispalense sub Bonifacio Papa III. Heraclio Imper. & Sigeberto Rege anno 619. in quo editi sunt 12. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi 8. subscripserunt.

Remense sub Honorio Papa I. & Dagoberto Rege an. 630. in quo editi sunt viginti canones, quibus providetur, ut bona Ecclesiæ conserventur. 30. Episcopi subscripserunt.

Conciliabulum Alexandrinum tempore Honorii Papæ I. & Heraclii Imperatoris, & Silenandi Regis an. 633. in quo Cyrus Alexandrinus proponit reticendas esse voces duarum operationum, & duarum voluntatum in Christo, ut pax in Ecclesia servaretur. *Occasio fuit hæresis Monothelitarum.*

Toletanum V. VI. & VII. sub Honorio intra paucos annos celebrantur. In triplici illo concilio editi sunt 98. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Conciliabulum Constantinopolitanum sub Severino Papa, & Heraclio Imperatore anno 639. Heraclius Imperator suasu Sergii Constantinopolitani Ecthesim, idest expositionem proposuit, in qua Monothelismus continebatur. Sergius congregat Concilium, jubetque Ecthesim recipi. Quot interfuerint Episcopi ignoratur. *Confirmatio Monothelismi.*

Romanum sub Theodoro Papa, & Constante Imperatore. Paulus Monothelita suasit Constanti Imperatori, ut *Typum* ederet, quo indicebatur silentium circa hanc quæstionem, an Christus unam vel duas haberet voluntates. *Typus* ille in hoc concilio damnatur; quia silentium male præcipitur circa rem fidei; & Paulus deponitur. Ignoratur quot fuerint Episcopi. *Dispositio est ad damnandum Monothelismum.*

Lateranense sub Martino Papa I. & Constante Imp. an. 649. in quo Martinus constanter recusavit approbare *Typum* Imper. & professio fidei edita est, in qua referuntur plures hæreses, & condemnantur. Centum & quinque Episcopi subscripserunt. *Dispositio fuit sexto Synodi contra Monothelitas.*

Cabilonense sub Martino Papa, & Clodoveo II. Rege, & Constante Imperatore an. 650. in quo 20. cessionibus editis repressa est sæcularium aviditas, qui sub prætextu boni publici bona ecclesiastica sibi adscribebant. Triginta & octo Episcopi interfuerunt.

Toletanum VIII. sub Martino Papa, & Constante Imper. ann. 653. in quo editi sunt 13. canones ad mores & disciplinam pertinentes, cui subscripserunt 52. Episcopi. Toletanum IX. sub Eugenio & Constante Imperatore anno 655. in quo editi sunt 17. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Toletanum X. sub Vitaliano & Constante Imperatore anno 656. in quo instituto festo Annunciationis, editi sunt canones 6. Cui concilio viginti Episcopi subscripserunt. Toletanum XI. sub Adeodato, & Constantino Pogonato ann. 675. in quo post factam professionem fidei, qua explicatur Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, sex-

sexdecim editi sunt canones ad mores & disciplinam pertinentes. Sexdecim Episcopi subscripserunt.

Emeritense sub Vitaliano Papa, & Constante Imperatore an. 666. in quo editi sunt 23. canones ad mores & disciplinam pertinentes. 12. Episcopi subscripserunt.

Herefordense sub Adeodato Papa, & Constantino Pogonato Imper. an. 673. in quo orta circa celebrationem Paschatis discordia, inter Scotos determinatum est, Pascha non celebrandum esse ipso die Dominico, qui incideret decimaquarta luna, sed differendum ad Dominicam sequentem. 6. Episcopi interfuere. *Hoc Concilium fuit quasi executio Nicæni.*

Bracarense sub Adeodato, & Constantino Pogonato an. 675. Incuria Episcoporum eo processerat, ut lacte pro vino in Sacrificio uterentur, & vasa sacra in usus profanos adhiberent, &c. 9. editi sunt canones, quibus illi abusus tollerentur. 8. Episcopi adfuere. *Dispositio ad Tridentinam Doctrinam circa Eucharistiam.*

Hedtfeldense sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato an. 680. in quo damnati sunt Monothelitarum errores. *Fuit dispositio ad sextam Synodum Generalem.* Ignoratur numerus Episcoporum hujus concilii.

Romanum I. sub Agathone Papa, & Constantino Imperatore anno 680. Nonnulla erant inter Angliæ Episcopos dissidia, quibus componendis mittitur Abbas Monasterii Beati Martini. Adfuere Episcopi 50.

Romanum II. sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato Imperat. an. 680. in quo damnata est hæresis Monothelitarum, & decreta est legatio ad Synodum Oecumenicam proxime futuram. 125. Episcopi huic interfuere concilio. *Dispositio ad Synodum sextam.*

Constantinopolitanum III. & sextum Generale sub Agathone Papa, & Pogonato Imp. an. 680. in quo damnati sunt Monothelitæ, unam tantum in Christo voluntatem admittentes.

Toletanum XII. sub Agathone, & Constantino Pogonato an. 682. in quo 13. editi sunt canones circa mores & disciplinam & præcipue ad pœnitentiam publicam pertinentes, & Ervigius verus Rex Hispaniarum agnitus est. Interfuere 35. Episcopi, Abbates 4. & Procuratores 3. Toletanum XIII. sub Leone II. Papa, & Constantino Pogonato an. 683. in quo vetatur, ne quis contra Regem, aut ejus uxorem, vel ejus familiam aliquid moliatur. Toletanum XIV. sub Benedicto Papa II. Constantino Pogonato Imperatore, & Ervigio Rege, in quo per Epistolam Leonis & per decreta ibi plane refellitur hæresis Monothelitarum. *Executio fuit sextæ Synodi.* Interfuere 17. Episcopi, & Abbates 6. Toletanum XV. sub Sergio Papa I. Justiniano Imperatore, & Egica Rege an. 688. in quo Egica Rex Hispaniarum juravit se tuiturum familiam prædecessoris sui: & approbatus est liber editus a Juliano Toletano Episcopo, in quo Julianus scripserat quod *voluntas genuit voluntatem* ob identitatem, sicuti dicitur quod sapientia genuit sapientiam: & quod in Christo *erant tres substantiæ*, scilicet verbum, corpus, & anima: qui liber fuerat a Benedicto Papa male acceptus, sed post explicationem auctoris fuit approbatus a Papa. Huic concilio interfuerunt 61. Episcopi. Toletanum XVI. sub Sergio Papa I. Justiniano Imper. & Egica Rege an. 693. in quo tredecim Canones editi sunt mores & disciplinam respicientes. Episcopi 59. 5. Abbates & tres procuratores subscripserunt. Toletanum XVII. sub Sergio Papa, Leontio Imp. Egica Rege an. 694. in quo Judæi contra Christianos sævientes edicto regio reprimuntur. Editi sunt 8. can. circa mores, & disciplinam. Quot Episcopi interfuerint ignoratur. Rex ipse Concilio subscripsit.

Cæsaraugustanum sub Sergio Papa, & Justiniano Imper. & Egica Rege an. 691. in quo agitur de Monasteriorum clausura. Editi sunt quinque canones ad mores & disciplinam pertinentes. Quot Episcopi interfuerint ignoratur.

Trullanum habitum in palatio Imperatoris juxta aliquos, juxta alios in Ecclesia dicta Trullana a Tholo, qui huic eminebat sub Sergio Papa, & Justiniano Imp. an. 692. in quo editi sunt 102. canones, mores & disciplinam respicientes. Episcopi plusquam ducenti interfuerunt.

Becanceldense in Cantuariensi Archiepiscopatu sub Sergio Papa, & Justiniano juniore Imp. an. 694. in quo Ecclesiarum & Monasteriorum jura omnino abrogata restituuntur. Duo interfuere Episcopi. Duo editi canones circa jura Ecclesiæ. VVithredus Rex hujus regionis concilio subscripsit.

Bercamstendense in Anglia sub Sergio Papa I. & Leontio Imper. an. 697. in quo editi sunt 38. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Conciliabulum Aquilejense tempore Sergii Papæ, & sub Tiberio Imp. an. 698. in quo rejecta est sexta Syn. Generalis quasi Chalcedonensi contraria. Quot Episcopi interfuerint ignoratur. *Confirmatio Monothelismi.*

ARTICULUS VIII.

De Conciliis octavo sæculo habitis.

Romanum sub Joanne VII. Justiniano Im. an. 750. in quo Justinianus Imp. petiit, ut canones Trullani reciperentur: cui petitioni non acquievit Pontifex, indecorum judicans ea approbare, quæ in conciliabulo gesta sunt. Quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Conciliabulum Constantin. tempore Constantini Papæ, et sub Philippico Imper. an. 712. in quo Joannes Episcopus Constantinopolitanus Monothelita Synodum sextam Generalem damnavit. Numerus Episcoporum hujus conciliabuli ignoratur. *Confirmatio Monothelismi.*

Romanum I. sub Gregorio II. et Leone Isauro Imperatore an. 721. in quo editi 17. canones ad mores et disciplinam pertinentes. Interfuere 23. Episcopi et 14. Presbyteri Cardinales. Romanum II. sub Gregorio II. et Leone Isauro Imperatore an. 726. in quo usus sacrarum imaginum approbatur, et damnantur Iconoclastæ. *Dispositio fuit ad 7. Synodum.* Romanum III. sub Gregorio II. et Leone Isauro Imperatore an. 632. in quo Gregorius Presbyter Legatus ad Imperatorem depositus fuit, eo quod non esset ausus offerre Imperatori Litteras Papæ damnantis Iconoclastas: sed rogante Concil. depositio hujus Presbyteri versa est in

impositionem pœnitentiæ, & rursus damnati sunt Iconoclastæ. *Dispositio fuit ad 7. Synodum.* Eodem tempore habitum est Conc. Jerosolymitanum approbans sacrarum imaginum usum, & Conciliab. Constant. sacras imagines rejiciens: & sic præparatur decisio irrefragabilis contra Iconoclastas.

Germanicum seu Ratisponense sub Zacharia Papa, Constantino Copronymo Imp. & Carolumanno Rege, an. 742. in quo editi sunt 7. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Septem Episcopi interfuerunt.

Liptinense, Liptines, Palatium Regis prope Aix la Chapelle sub Zacharia, & sub eodem Imper. & Rege, an. 743. in quo Monachi promittunt se Regulam S. Benedicti observaturos, & ob imminentia bella dantur Regi precario, idest cum onere restitutionis, redditus aliqui Ecclesiastici.

Suessionense sub Zacharia, sub Constantino Copronymo Imp. & Chilperico Rege an. 744. in quo definitum est, Concilium quolibet anno congregandum, ne hæreses serperent, & decem canones editi sunt ad mores & disciplinam pertinentes.

Germanicum sub Zacharia Papa, Constantino Copronymo Imp. an. 745. in quo damnatur Aldebertus male utens sanctis reliquiis, & falsas veris substituens, & dæmones invocans: quæ res delata est ad Summum Pontificem, & Romæ congregatum est concilium, in quo Anathema dictum est Aldeberto, nisi resipiscat. Romano concilio interfuere octo Episcopi, 17. Presbyteri Cardinales.

Clovesboviense sub Zacharia, & Constantino Copronymo Imper. & Edberto Rege, an. 747. in quo editi sunt triginta canones ad mores & disciplinam pertinentes, & propositum Egberti pœnitentiale, & canones Bedæ ad reformandos mores. Episcopi 12. interfuerunt.

Vermiense sub Stephano Papa, & Constantino Copronymo Imp. Pepino Rege an. 752. in quo editi sunt 21. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Quot interfuerint Episcopi non refertur.

Metense sub Stephano Papa II. & Constant. Copron. Imp. & Pepino Rege, an. 753. in quo editi sunt octo canones, ut per hos remedium afferretur publicis vexationibus, quibus Ecclesia premebatur a Laicis. Quot & qui Episcopi interfuerint, ignoratur.

Conciliabulum Constantinopolitanum sub Stephano Papa II. Constantino Copron. Imp. an. 754. in quo Episcopi 338. usum sacrarum imaginum ab Imperatore reprobatum condemnarunt. *Occasio fuit ad 7. Synodum.*

Vernense sub eodem Stephano & Constant. sub Pepino Rege an. 755. in quo 25. can. ad mores & disciplinam pertinentes editi sunt. Qui & quot interfuerint Episcopi non refertur.

Liptinense sub Stephano II. & Constant. Copron. Imper. an. 756. in quo iterum redditus Ecclesiæ dati sunt *precario*, idest sub onere restitutionis, in suppetias Regni. Quot & qui Episcopi interfuerint ignoratur.

Compendiense sub Paulo Papa I. Const. Copron. Imp. & Pepino Rege, an. 757. in quo 18. editi sunt can. 20. Episcopi interfuerunt.

Attiniacense sub Paulo Papa I. Const. Copron. Imp. & Pepino Rege. Decretæ sunt preces pro Episcopis decedentibus. Cetera acta perierunt. Interfuerunt 27. Episcopi, & Abbates 17.

Gentiliacense sub Paulo Papa I. Constant. Copr. Imp. & Pepino Rege, anno 767. in quo agitata est quæstio de imaginibus, de Spiritus sancti processione a Patre & a Filio, sed nullum habetur hujus concilii decretum.

Romanum sub Stephano III. Const. Copr. Imp. & Carolo Magno Rege, anno 769. Constantinus Pseudopapa sedem Apostolicam usurpaverat factus ex Laico subito Papa. Ejus acta in hac Synodo rescinduntur, & sancitur, ne imposterum ullus Papa eligatur, nisi sit saltem Diac. De sacris imaginibus hæc adducuntur: *Crucem pro crucifixo adoramus ... Si quis sanctas imagines ... secundum Patrum instituta venerari noluerit, anathema sit.* Hæc Synodus dispositio fuit ad VII. Synodum contra Iconoclastas, & ad rite ordinandam electionem Papæ.

Bavaricum sub Adriano Papa I. & Carolo Magno Rege, & Const. Copron. Imp. an. 772. in quo ad reformandos errores 13. canones editi sunt. Episcopi sex interfuerunt, & 2. Abbates.

Calchutense sub Adriano Papa, Constantino & Irene imperantibus, an. 787. in quo editi sunt canones 20. ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi sex subscripserunt. Varii habiti sunt cœtus eccles. a Carolo M. antequam ad bella contra Saxones procederet, quorum decreta in capitularibus inserta sunt, ideo eos cœtus omittimus.

Nicænum II. septimum Generale sub Adriano Papa I. Constantino & Irene imperantibus, anno 787. in quo damnati sunt Iconoclastæ, et approbatus sacrarum imaginum usus.

Aquisgranense sub Adriano Papa & Carolo Magno Rege, an. 789. in quo edita 82. capitula partim Monachos, partim Clericos spectantia.

Forojuliense sub Adriano Papa, Const. Imp. et Carolo Magno, in quo contra quosdam Hæreticos de Trinitate & Incarnatione male sentientes, explicatum est Mysterium Trinitatis & Incarnationis, & editi sunt 14. canones ad mores & disciplinam pertinentes. *Executio fuit Nicæni, & Ephesini, & Chalcedonensis.*

Ratisponense sub Adriano Papa I. & Carolo Magno Rege, an. 792. in quo Felix Urgelitanus Nestorianismum renovans condemnatur. *Executio fuit concilii Ephesini.* Eodem tempore Narbonense damnavit eumdem Felicem Urgelitanum.

Francfordiense sub Adriano Papa I. Constant. Imp. & Carolo Magno Rege, an. 749. in quo juxta Dominum de Marca lib. 2. c. 17. de concord. Imper. et juxta Thomassinum lib. 12. c. 13. de incarn. Patribus Francfordiensibus oblata sunt non vera acta Synodi Nicænæ II. sed corrupta per Constantinum Cypri Episcopum in quibus actis corruptis ita legitur: *Ego amplector & colo imagines cultu & adoratione Latriæ, quam exhibeo sanctissimæ Trinitati*: cum e contra in vero originali græco legatur: *Ego venerabiles imagines colo, soli que vivificæ & substantiali Trinitati cultum Latriæ deferendum censeo.* Cum ergo genuinum exemplar concilii non venisset ad manus Patrum, & exemplar, quod habebant, manifestam hæresim contineret, damnarunt non Synodum Nicænam, sed hæresim, quæ in actis, quæ habebant in manibus, continebatur. In hoc conc. editi

Digitized by Google

sunt 50. canones ad mores & disciplinam pertinentes. *Inservit ad confirmandum usum legitimum sanctarum Imaginum.*

Becanceldense sub Leone Papa III. & Kenulfo Merciorum Rege, anno 789. in quo 18. episcopi fortiter restiterunt Laicis, qui Ecclesiasticam auctoritatem opprimebant.

Romanum sub Leone III. Irene Imperatrice, & & Carolo Magno in Occidente Imperatore, in quo Felix Urgelitanus in errorem suum iterum relapsus condemnatur.

ARTICULUS IX.

De Conciliis saeculo nono habitis.

ARelatense sub Leone III. & Carolo Magno Imperatore anno 813. in quo collectis Canonibus ex variis conciliis in Gallia habitis, confectus est codex Gallicanus, qui usui esset in Gallia, & in Germania; & editi sunt 26. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Moguntinum sub Leone III. & Carolo Magno Imp. anno 813. in quo editi sunt 56. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Interfuerunt 30. Episcopi & 25. Abbates.

Rhemense sub Leone III. & Carolo Magno Imperatore, anno 813. in quo editi sunt 44. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Qui & quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Turonense sub Leone III. & Carolo Magno Imperatore, anno 813. in quo editi sunt canones 51. ad mores & disciplinam pertinentes. Qui Episcopi adfuerint ignoratur.

Cabillonense sub Leone Papa III. Carolo Magno Imperatore, anno 813. in quo editi sunt 66. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Numerus Episcoporum hujus concilii ignoratur.

Constantinopolitanum sub Leone Papa III. & Leone Armeno Imperatore, anno 813. in quo Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus damnavit Antonium Metropolitam in Silaeo in sacras imagines insurgentem. *Executio fuit septimae Synodi.*

Conciliabulum Constantinopolitanum tempore Leonis Papae, & sub Leone Armeno Imperatore, anno 814. Nicephoro jussu Imperatoris sede sua dejecto, & suffecto Theodoro Melisseno, habitum conciliabulum, in quo damnata est septima Synodus, & damnatus usus sacrarum Imaginum, & Episcopi catholici vel in exilium missi, vel ex concilio ejecti. *Confirmatio Iconoclastarum.*

Concilium apud Theodonia villam sub Leone III. & Carolo Magno, anno 814. in quo censuria subjiciuntur qui in Clericos violentas manus injiciunt. Interfuere 32. Episcopi.

Aquisgranense sub Stephano Papa IV. & Ludovico Pio Imperatore, anno 816. in quo editus codex canonum. Primus liber continet canones 145. secundus 28. qui singuli canones ex Patribus excerpti sunt ad instituendam vitam vel Clericorum, vel Monachorum.

Concilium apud *Celchyth* in Anglia sub Stephano IV. & Ludovico Pio Imperatore, & Cuthredo Rege, an. 816. in quo edita professio fidei, & undecim canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Attiniacum sub Paschale Papa, & Ludovico Pio Imperatore, anno 822. in quo Ludovicus Pius, Bernardum Italiae Regem oculis orbati jusserat, & inde mors secuta fuerat, publicam poenitentiam petiit, cui responderunt Praelati: *Illibatos conservari debere sacros Canones, qui firmati sunt Spiritu Dei, & consensu totius mundi, obedientia Principum, consonantia Scripturarum.*

Parisiense sub Gregorio Papa IV. & Ludovico Pio Imperatore, anno 829. in quo promulgata est Epitome Canonicae disciplinae in tres libros divisa, quorum primus 54. secundus 13. tertius 22. capita continet, quae omnia praeparata fuerant in conciliis habitis in quatuor Imperii locis, scilicet Moguntiae, Lutetiae, Lugduni, & Tolosae. Decreta Parisiensis conservata sunt, cetera vero aliorum conciliorum perierunt.

Compendiense sub Gregorio Papa IV. & Ludovico Pio Imperatore, ann 833. Ludovicus Carolo Patri suffectus omnia patris rata esse voluit, & praecipue circa Ecclesiam. Bernardus quidam natione Hispanus maxima apud ipsum pollebat auctoritate. Optimates Regni hujus auctoritatis aemuli, Bernardum adulterii cum Judith Imperatoris uxore accusarunt, & filios Regis Pepinum & Lotharium in patrem concitarunt. Isti episcopos in Regem commoverunt, praecipue Ebbonem Rhemensem. Citatus est Rex ad concilium Compendiense, & ob imputata crimina exauctoratur. Paulo post in Conventu apud Sanctum Dionysium imperii ornamenta restituuntur Regi. Demum in Metensi concilio Rex injuste excommunicatus ab Ebbone absolvitur.

Concilium apud Theodonis villam sub Gregorio IV. & Ludovico Pio Imperatore anno 655. in quo Ludovicus restitutus Ebbonem accusat. Hic petit a solis Episcopis judicari, qui eum his verbis condemnarunt: *secundum tuam confessionem cessa a Ministerio.* Complices Ebbonis gratiam a Ludovico impetrarunt. Episc. 43. huic Synodo subscripserunt.

Aquisgranense sub Gregorio Papa IV. & Ludovico Imp. an. 836. in quo jubetur, ut invasores bonorum Ecclesiae ea restituat. Agitur de motibus Episcoporum, Abbatum, & officio Regum.

Engilhenimense ad Rhenum sub Gregorio IV. & Lothario Imperatore, an. 840. in quo Ebbo depositus per Lotharium restituitur; cui restitutioni subscribunt 20. Episcopi; de qua subscriptione Ebbo monitus Rhemos rediens ordinationem exercuit, de cujus validitate multi disputant Theologi.

Aquisgranense sub Gregorio Papa IV. & Lothario Imperatore, ann. 842. Cum Lotharius, qui solus imperium affectabat, a fratribus suis Carolo, & Ludovico in Germaniam armis pulsus esset, Episcopi Aquisgranis collecti Regnum in fratres Ludovicum, & Carolum transferendum judicant, & Lotharium exauctorant. Sic alloquuntur Ludovicum, & Carolum: *Auctoritate divina, ut Regnum illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem illud regatis monemus, hortamur, atque praecipimus.*

Constantinopolitanum sub Gregorio Papa IV. & Michaele Imperatore, an. 482. in quo haeresis Iconoclastarum, quae per centum & viginti annos duraverat, damnata est. Ejectus Joannes Patriarcha haereticus, eique substitutus Methodius, qui pro veritate longum exilium passus fuerat.

Bituricense sub Gregorio IV. & Ludovico, &

Digitized by Google

Carolo Imperatoribus, an. 842. Confirmata est depositio Ebbonis.

Apud Lauriacum sub Gregorio Papa IV. & Carolo Calvo Rege, an. 843. Anathema dictum est contra eos, qui Regiam auctoritatem impeterent. Episcoporum numerus hujus concilii ignoratur.

Ad Theodonis villam sub Sergio Papa II. Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, ann. 844. in quo sex constituta sunt capitula de bonorum ecclesiasticorum restituendorum ratione, de Monasteriis reparandis, &c. Qui, & quot Episcopi interfuerint, ignoratur.

Vernense sub Sergio II. & Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, ann. 844. Inita pace inter fratres Lotharium, Ludovicum, & Carolum, congregatum fuit concilium Vernense, in quo editi sunt 12. Canones ad mores, & disciplinam pertinentes, & quibus Rhemensi Ecclesiæ Pastore destitutæ remedium afferebatur. Quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Bellovacense sub Sergio Papa II. Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, ann. 884. in quo Episcopi exponunt Carolo damna, quæ Ecclesia ex tot bellis passa est, & in quo Hincmarus in Rhemensi Ecclesia statuitur. Qui interfuerint Episcopi ignoratur.

Meldense sub Sergio Papa II. & Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, ann. 846. in quo actum est contra Laicos rerum Ecclesiasticarum detentores: quæ decreta noluerunt recipere Magnates Regni Gallici, ne Abbatias, quas detinebant, cogerentur reddere. Quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Parisiense sub iisdem, ann. 846. in quo decreta Concilii Meldensis confirmata sunt, & executioni mandata.

Parisiense sub Leone IV. Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, an. 847. in quo Lotharius obtinet, ut causa Ebbonis iterum examinetur: sed eo non comparente iterum pulsus declaratur, & Hincmarus in ejus locum consecratur. Episcopus Senonensis, Turonensis, & Hincmarus Rhemensis cum suffraganeis interfuerunt.

Moguntinum sub Leone Papa IV. Lothario Imperatore, & Carolo Calvo Rege, an. 847. in quo actum est contra invasores bonorum ecclesiasticorum, & editi sunt 31. canones ad mores, & disciplinam pertinentes. Episcopi 12. interfuerunt.

Moguntinum sub iisdem, an. 848. in quo Gothescalcus Monachus circa prædestinationem, & reprobationem idem sentiens, juxta Hincmarum & annales a Pithæo editos, & quod postea videmus sensisse Calvinum, scilicet prædestinationem, & reprobationem imponere necessitatem, damnatus est.

Carisiacum sub iisdem, ann. 849. in quo idem Gothescalcus condemnatus est, virgis cæsus & in carcerem detrusus.

Turonense sub iisdem, an. 849. in quo Dux Britonum in Episcopos sæviens, & litteras Apostolicas spernens, excommunicatione percussus declaratur. Percussus ab Angelo subitanea morte interiit juxta Baronium. Istud concilium ab aliis vocatur Parisiense, 23. Episcopi interfuerunt.

Regiaticinense, *Italice Pavia*, sub iisdem, an. 850. in quo editi sunt 25. canones ad mores, & disciplinam pertinentes. 3. Episcopi referuntur, alii vero reticentur.

Conciliabulum Cordubense tempore Leonis IV. an. 850. quo Pseudo-Episcopi & Martinum damnarunt, & debitum cultum Martyribus reprobarunt. *Confirmatio Iconoclastarum.*

Romanum sub Eugenio Papa II. an. 826. & auctum sub Leone IV. ann. 853. in quo Athanasius Presbyter Cardinalis tituli sancti Marcelli agens apud Imperatorem, ut Papatum obtineret, jussus venire Romam, & nolens obedire depositus est. 42. Canones circa mores, & disciplinam editi sunt. Episcopi 67. huic Synodo interfuerunt.

Constantinopolitanum sub Leone IV. an. 854. in quo Gregorius Siracusanus Episcopus condemnatus est sub ratificatione Romani Pontificis. Hinc Gregorius Ignatium deponi curavit, & Photium in locum ignatii substituendum conatus est.

Valentinum sub Leone Papa IV. & Carolo Calvo Rege, ann. 855. in quo damnati sunt quidam hæretici male de præscientia, de prædestinatione, & morte Christi sentientes, & determinatum est tenendam esse Africani, & Augustini doctrinam. Editi sunt 23. canones, partim ad mores, partim ad fidem pertinentes. Episcopi 9. interuere. *Dispositio fuit ad Tridentini doctrinam circa gratiam.*

Carisiacum sub Nicolao Papa I. & Carolo Calvo Rege, & Ludovico II. Imperatore, an. 858. in quo edita sunt 15. capitula, quæ sunt totidem monitiones ad Regem. Quot Episcopi interfuerint ignoratur.

Lingonense sub Nicolao Papa, & Carolo Rege, & Ludovico Imperatore, an. 859. in quo renovata sunt capitula circa gratiam constituta in Palatio Carisiaco, & Concilio Valentino, & erectæ sunt scholæ, in quibus Sacræ scripturæ explicarentur. Qui & quot interfuerint Episcopi ignoratur.

Concilium Tullense sub iisdem, an. 859. in quo examinata est Venilonis causa, qui a Carolo defecerat, quique episcopatum Bajocensem invaserat. Editi sunt 13. canones ad mores, & disciplinam pertinentes. 20. Episcopi interfuerunt.

Conciliabulum Constantinopolitanum tempore Nicolai Papæ, & sub Michaele III. Imperatore, an. 860. in quo Ignatius legitimus Patriarcha deponitor, & Photius vir adhuc Laicus in ejus locum substituitur. Multi episcopi Aulici & assentatores Photio consenserunt. *Confirmatio fuit erroris de intrusione.*

Tullense sub Nicolao Papa I. & Carolo Calvo Rege & Ludovico Imperatore, an. 860. in quo editi sunt canones ad mores & disciplinam pertinentes, præcipue contra invasores bonorum ecclesiasticorum. 40. Episcopi interfuerunt.

Conciliabulum Constantinopolitanum sub Nicolao Papa I. & Michaele Imperatore, ann. 881. in quo Ignatii depositioni subscripserunt Legati Papæ, & tentatus est ipse Ignatius, ut fateretur, & scriberet propria manu se illegitime fuisse ordinatum: quod cum facere recusasset, Photius ipse pro Ignatio hæc scripsit: *Ignatius, indignus Constantinopolitanus confiteor me ingressum esse sine calculis, & his annis non me sancte gessisse, sed tyrannice.* Huic conciliabulo interfuere 318. *Confirmatio erroris de intrusione.*

Romanum I. sub Nicolao Papa I. Carolo Calvo Rege,

Rege, & Ludovico Imperatore, ann. 861. in quo Joannes Ravennatensis episcopus condemnatur, eo quod etiam monitus a Papa noluisset a vexatione erga fideles desistere; sed cum ad Imperatorem confugisset, & ab eo rejectus esset, venit ad Papam, veniam petiit, & obtinuit.

Romanum II. sub iisdem, ann. 862. in quo damnantur hæretici asserentes divinitatem passam esse. Qui & quot interfuerint Episcopi ignoratur. *Executio fuit Nicæni Sabellium damnantis*.

Conciliabulum Aquisgranense sub iisdem, an. 862. quo legitimum matrimonium Lotharii cum Teutberga dissolvitur, & ei permittitur pellicem Valdrardam in uxorem ducere. 8. Episcopi interfuerunt.

Conciliabulum Metense sub iisdem, an. 863. in quo Legati Papæ corrupti argento repudium Reginæ Theutbergæ tamquam legitimum approbarunt.

Romanum III. sub iisdem, an. 863. in quo acta Metensis Conciliabuli reprobantur; & episcopi, qui injusti repudii aut auctores fuerunt, aut complices, excommunicantur, & deponuntur.

Romanum IV. sub iisdem, an. 963. in quo Zacharias Apostolica legatione in oriente male functus excommunicatur. Photius intrusus deponitur. Ignatius injuste ejectus restituendus declaratur, & cultus imaginum stabilitur.

Sylvanectense sub iisdem, ann. 863. in quo auctore Hincmaro Rothadus Suessionensis episcopus injuste deponitur, & in Monasterium detruditur, & alius in ejus locum substituitur.

Romanum V. sub iisdem, an. 863. in quo acta Sylvanectensis reprobantur, & scribitur ad Gallos episcopos, cui tamen decreto episcopi Galli noluerunt acquiescere, eo quod Rothadus omisso medio Romam appellasset. Nicolaus iterum scripsit & ad Episcopos Galliæ, & ad Carolum Calvum, ut Rothado deposito res Ecclesiæ restituantur. *Dispositio ad judicium legitimum de Episcopis*.

Romanum VI. sub iisdem, an. 864. in quo Rodoaldus Portuensis episcopus legatione Apostolica male functus circa repudium Theutbergæ Reginæ, in pœnam deponitur, & excommunicatur.

Romanum VII. sub iisdem, an. 864. in quo Rothadus ab Hincmaro depositus e carcere solutus Romam venit: per novem menses ibi commoratur, & accusatoribus non comparentibus absolvitur.

Suessionense sub iisdem, an. 866. in quo agitur de ordinationibus factis ab Ebbone deposito. Tandem post crebras epistolas scriptas ad Papam, & ab eo receptas, ordinati ab Ebbone restituuntur: idque ratum habet Nicolaus Papa. 35. Episcopi interfuerunt.

Vormaciense sub Adriano Papa II. & Ludovico II. Imperatore; an. 868. in quo editi 80. canones circa mores & disciplinam.

Romanum sub Adriano & Ludovico Imperatore, an. 868. in quo Photius ter anathemate feritur: ejus volumen contra Nicolaum Papam editum igni adjudicatur.

Constantinopolitanum IV. generale VIII. sub Adriano Papa II. Basilio Imperatore, an. 869. & 870. in quo Ignatius sedi suæ restituitur, Photius intrusus declaratur, & Iconoclastæ condemnantur. Episcopi 102. interfuerunt.

Conciliabulum Metense tempore Adriani Papæ II. ann. 869. in quo Regnum Galliæ a legitimo successore Ludovico ad Carolum transfertur.

Conciliabulum Vermeria tempore Adriani an. 870. in quo damnatus est Hincmarus junior, quod jussu Papæ excommunicationem tulisset in Notthmanum bonorum Ecclesiæ detentorem.

Duziacense sub Adriano Papa II. & Ludovico II. Imperatore, & Carolo Calvo Rege an. 871. in quo Hincmarus Rhemensis Hincmarum Laudunensem citat quasi transgressorem regularis & ecclesiasticæ disciplinæ; & post tertiam evocationem quasi contumacem sub beneplacito Papæ depositum declarat. 22. Episcopi interfuerunt. *Dispositio ad legitimum judicium de Episcopis*.

Tolosanum sub Joanne Papa VIII. & Carolo Calvo Francorum Rege, an. 873. Cum Judæi rebelles ea solum conditione veniam impetrassent, quod quolibet anno ex iis unus in die natalis Domini, & Passionis, & Resurrectionis eligeretur, qui ante fores Ecclesiæ colaphis exciperetur *dumtaxat uno ictu virtuosi hominis*, adierunt Carolomannum, ut ab hac injuria liberarentur. Concilium noluit aliquid contra hanc imperialem sanctionem opponere.

Sylvanectense sub Joanne Papa VIII. Ludovico II. Imperatore, & Carolo Calvo Rege, ann. 873. in quo Carolomannus Clericatui mancipatus contra patrem rebellaverat, ob id e gradu suo dejectus ad Laicam communionem reducitur. Acta hujus concilii interciderunt.

Duniacense sub Joanne Papa VIII. & Ludovico II. Imperatore, & Carolo Calvo Rege, an. 874. Duda Monialis Abbatissam multis criminibus accusaverat, ut in ejus locum subrogaretur; claustra reliquerat, ut facilius propositum exequeretur: in Monasterium redux cum Humberto Sacerdote rem fœdam habuerat. In hoc concilio Humbertus deponitur, Duda coram sororibus flagellatur, per sex annos stare debet in pœnitentia, & septimum post annum ei permittitur communio Corporis & Sanguinis Christi, si digne pœnituerit.

Pontigonense sub Joanne Papa VIII. & Carolo Calvo Imperatore; an. 876. Carolus coronatus Romæ an. 875. proclamatur anno sequenti in concilio Ticini habito: postea in hac Synodo Pontigonensi confirmat capitula 15. in bonum Ecclesiæ edita. Interfuere 19. Episcopi.

Ravennatense sub Joanne VIII. & Carolo Calvo Imp. ann. 877. in quo editi sunt 19. canones ad mores & disciplinam pertinentes, & depressi sunt deprædatores bonorum Ecclesiæ, & jussum est, ut electi Episcopi quantocius consecrarentur. 130. Episcopi interfuere.

Tricassinum sub Joanne Papa VIII. & Ludovico Balbo Rege, an. 878. Joannes Papa venit in Galliam auxilium a Rege imploraturus, Trecis congregat concilium, in quo excommunicantur quicumque contra Joannem seditionem moverant. Editi sunt canones 7. & adfuerunt 20. Episcopi.

Romanum sub Joanne VIII. vacante Imperio, an. 879. Photius sæpius excommunicatus, Basilii auctoritate revocatus, mortuo jam Ignatio rogat Papam, ut mittat legatum, qui eum restituat in sedem, ex qua ejectus fuerat, & Petrus ob id Constantinopolim mittitur a Joanne VIII.

Concilium apud Sanctam Mariam sub Joanne Papa VIII. an. 881. in quo editi sunt 8. canones ad mores & disciplinam pertinentes, & provisum est, ne Sacerdotalis dignitas deprimeretur. Qui & quot adfuerint Episcopi, ignoratur.

Moguntiacense sub Stephano Papa V. & Arnulfo Germaniæ Rege, an. 881. in quo 26. capitula edita sunt ad disciplinam & mores pertinentia.

Metense sub Stephano Papa V. Arnulfo Germanorum Rege, & Odone Francorum, an. 888. in quo 13. editi sunt canones contra eos, qui vel decimas usurpabant, vel Ecclesiasticos impune vexabant.

Viennense sub Formoso Papa, & iisdem Regibus, an. 892. in quo 4. canonibus providetur & vitæ & bonis temporalibus Clericorum.

Rhemense sub Formoso Papa & Carolo simplice an. 892. iu quo Carolus simplex filius Ludovici Balbi Rex ungitur, & Odo, qui tyrannice Regnum invaserat, dejicitur. Numerus Episcoporum ignoratur.

Cabillonense sub Formoso Papa & Carolo simplice, an. 899. in quo Gerfredus Monachus accusatus veneno necasse Æduorum Episcopum, addicitur ad purgandum se per receptionem Corporis Christi. Ecclesia hanc purgationem abolevit.

Triburiense sub Formoso Papa & Arnulfo Germanorum Rege, an. 895. Res Ecclesiæ a Laicis diripiebantur: personæ Ecclesiasticæ in nullo erant honore, &c. 58. editi sunt Canones, quibus tantis malis remedium afferretur. 22. Episcopi interfuerunt.

Nannetense incerto anno, in quo constituti sunt 20. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Qui & quot Episcopi interfuerint ignoratur.

Conciliabulum Romanum sub Stephano VI. anno. 897. Stephanus sic auspicatus est suum Pontificatum: corpus Formosi exhumatum, Sacerdotalibus vestibus indutum, tribusque digitis mutilatum, in Tiberim projeçit, omnesque ab eo ordinatos iterum consecrari præcepit.

Rhemense sub Stephano Papa VI. & Carolo simplici Francorum Rege, an. 900. Fulco Rhemensis Archiepiscopus Ecclesiæ suæ rerum defensor acerrimus Balduini jussu crudelissime cæditur: in hoc concilio in auctores illius sceleris excommunicatio vibratur, sed vocibus, quæ vel scelestioribus simo rem incutiant: *Ipsos*, inquiunt Patres, *a Sanctæ matris Ecclesiæ gremio separamus, sintque maledicti in civitate, in agro*, & cetera quæ leguntur in Deuter. *Intestina fundant sicut infelix & perfidus Arius... veniant super illos omnes maledictiones, quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis insfactorem intentavit*, &c. 22. Episcopi huic concilio interfuerunt.

ARTICULUS X.

De Conciliis decimo sæculo habitis.

Constantinopolitanum sub Joanne Papa IV. & Lamberto Imperatore an. 901. in quo Nicolaus Patriarcha Constantinopolit. Leonem Imperat. ab aditu Ecclesiæ prohibuit, eo quod contra Ecclesiæ Græcæ usum quarto nupsisset.

Ovetense sub Joanne IX. & Adelfonso Rege, an. 902. in quo Ecclesia Ovetensis in Metropolim erecta est.

Romanum sub Joanne IX. & Ludovico IV. Imperatore, an. 904. in quo acta Stephani contra Formosum habita rescinduntur. Episcopi, & Presbyteri, qui Stephano consenserant, recipiuntur ad pœnitentiam; & hi, qui fuerant a Formoso ordinati, & a Stephano degradati, restituuntur.

Ravennatense sub iisdem, an. 904. in quo iterum acta contra Formosum improbantur, & coronatio Lamberti Imperatoris, exclusio Berengario, approbatur.

Suessionense sub Sergio III. & Carolo simplici, an. 904. in quo statuuntur constitutiones circa mores, & disciplinam: & primo quidem de honore debito Ecclesiis, Sacerdotibus, & Regi, deinde de Officio Regularium.

Magalonense sub Sergio Papa III. & Carolo simplici Francorum Rege ann. 909. in quo Sinuarius comes cum ejus familia excommunicatus, absolvitur his verbis: *Veniant super vos benedictiones novi, & veteris testamenti, benedicti vos in civitate*, & cetera, quæ leguntur in Deuter. ubi Deus benedicit populum.

Trosleianum sub iisdem an. 906. in quo editi sunt 15. canones circa mores, & disciplinam. 13. Episcopi interfuerunt. Damnantur qui judici contra jura interroganti æquivoce respondent.

Confluentium sub Joanne X. & Carolo simplici an. 912. in quo statuitur, ne Christiani matrimonium intra septimum cognationis gradum contrahere præsumant.

Rhemense sub Joanne X. & Carolo simplici Francorum Rege an. 924. in quo bellum inter Carolum, & Robertum levi de causa initum judicatur, & pœnitentia per tres quadragesimas inflicta est his, qui in hoc bello militaverint. 6. Episcopi huic concilio interfuerunt.

Trosleianum sub Joanne X. & Carolo simplici an. 924. in quo Isaac Comes resipiscens, vadem habens, quo promittit reparare damna illata Ecclesiæ, reconciliatur.

Duisbergense sub Joanne X. an. 927. in quo excommunicantur qui Bennonem Episcopum Metensem excæcaverant.

Grateleanum in Anglia sub Leone Papa VI. & Henrico Imperatore an. 928. in quo capitula legum civilium sub novem titulis, & legum ecclesiasticarum sub tredecim edita sunt. Ibi describitur, quomodo fieri debeat purgatio canonica per aquam ebullientem, ferrum candens, &c. Quod reprobatum est ab Ecclesia in posterioribus conciliis.

Erfordiense sub Joanne XI. an. 932. in quo 4. canones circa mores, & disciplinam editi sunt. 13. Episcopi interfuerunt.

Rhemense sub Joanne XI. an. 935. in quo invasores bonorum ecclesiasticorum ad correctionem vocantur.

Narbonense sub Stephano VIII. an. 940. in quo fines Diœceseos inter Urgelitanum, & Pallatiensem Episcopum controversi definiuntur.

Suessionense sub Stephano VIII. & Ludovico IV. an. 941. in quo agitur causa Hugonis, & Artaldi Archiepiscopatum Rhemensem postulantium. Artaldus amotus est ab episcopatu propter juramentum, quod ediderat, se nullum Archiepiscopatum accepturum: Hugo vero ad Archiepiscopatum evectus est; quippe qui a Clero, & a populo optabatur.

Concil.

Conciliabulum Constant. sub Marino II. an. 944. in quo Tryphon Monachus e Patriarchatu Constantinopolitano dolo, & fraude Protothroni deponitur; & Theophylactus Filius Imper. eligitur: scripserat enim Tryphon ita in charta: *Ego Tryphon Archiepiscopus Constantinopolis, &c.* Et Protothronus in charta desuper contenta scripsit: *Ego Tryphon indignus Episcopatui cedo, &c.*

Verdunense sub Agapito II. an. 949. in quo causa Hugonis, & Artaldi agitur, & ad aliud concilium remittitur.

Concilium Mosomense sub Agapito II. an. 948. in quo eadem causa Hugonis, & Artaldi ad plenius concilium remittitur.

Engilenheimense sub Agapito II. an. 940. in quo Artaldus declaratur legitimus Archiep. Rhemensis, Hugo vero invasor.

Trevirense sub Agapito II. an. 948. in quo Hugo inimicus Regis Ludovici excommunicatur.

Romanum sub Agapito II. an. 949. in quo acta duorum præcedentium conciliorum confirmantur.

Augustanum sub Joanne XII. an. 956. in quo st. statuuntur canones circa mores, & disciplinam. 24. Episcopi interfuerunt.

Meldense sub Jo. XII. an. 992. in quo mortuo Artaldo, qui fuerant a partibus Guidonis, Guidonem voluerunt restituere; sed id frustra tentatum est.

Conciliabulum Romanum tempore Joannis XII. & Leonis VII. sub Othone Imp. an. 963. in quo Joannes accusatus quod in stabulo equorum ordines contulerit, quod infantem annorum decem ordinaverit episcopum, quod concubinam habuerit, quod Joannem Cardinalem occiderit; sed cum non datum fuerit consuetum intervallum dilationum, & Leo ante nominatus fuerit, quam Joannes e gradu dejectus; cœtus iste conciliabulum reputatur. Joannes licet depositus concilium anno sequenti congregavit.

Concilium Constantinopolitanum sub Joanne XII. an 963. in quo Nicephorus electus Imp. Constan. tinopolitanus declaratur posse matrimonium contrahere cum Theophane vidua relicta ab Imp. defuncto; quia nulla impedimenta matrimonium impedientia probata sunt.

Romanum sub Joanne XII. an. 964 in quo Leo Schismaticus, & Antipapa declaratur; & acta conciliabuli Romani rescinduntur.

Conciliabulum Romanum an. 964. in quo mortuo Joanne XII. Benedictus V. legitimus successor degradatur, & in exilium mittitur per Leonem Antipapam.

Ravennatense sub Joanne XII. an. 967. in quo Otho Imperator, celebrato Paschate cum Papa, & Ravennatensem urbem, & alia plura Papæ, & Ecclesiæ restituit.

Anglicanum sub Joanne XIII. & Othone Imper. an. 970. in quo Dunstanus Archiepisc. una cum aliis Episcopis Angliæ definiunt, ut Canonici omnes & omnes Subdiaconi aut caste vivant, aut Beneficiis renuncient.

Romanum sub Joanne XIII. an. 971. in quo privilegia Monasterio Sanctæ Mariæ Glastingeberi concessa a Rege Anglorum confirmantur, & anathema pronunciatur in eos, qui ea violare attentaverint.

Ingelheimense sub Dono Papa, & Othone Imp. an. 972. in quo Udalricus episcopus petit, ut acceptaretur ejus renuntiatio, quam recusarunt Patres Concilii, ne factum illud Ecclesiæ noceret.

Mutinense sub Benedicto VII. an. 973. in quo Petrus & Lambertus, & Germani Proceres mediantibus Episcopis pacem inierunt.

Constantinopolitanum sub Benedicto VII. an. 975. in quo Basilius Patriarcha Constantinopolitanus variis criminibus accusatus deponitur, & Studites in ejus locum substituitur.

Wintoniense sub Benedicto VII. an. 975. in quo tam Laici, quam Clerici Monachorum bona usurpantes cohibentur.

Romanum sub Benedicto VII. an. 983. in quo causa Giselerii Magdeburgensis episcopi agitata est. Dithmarus l. 3. Chronici dicit, Giselerium eam sedem ab Imperatore malis artibus obtinuisse. Adam vero antiquus Chronographus asserit, Giselerium virum sanctum, & Apostolicum fuisse.

Romanum sub Joanne XV. an. 989. in quo sanctus Adelbertus a populo ejectus e sede Pragensi, cum sponte Episcopatui cessisset, & regulam sancti Benedicti amplexus fuisset, iterum a populo resipiscente petitur, & jubente Papa, & concilio in Ecclesiam redire cogitur. *Reddimus*, inquit concilium, *quod juste quærunt male merentes filii*.

Rhemense sub Joanne XV. an. 989. in quo Arnulphus Archiepiscopus Rhemensis eligitur, præstatque juramentum fidelitatis & Hugoni Regi, & Roberto filio Regis.

Sylvanectense sub Joanne XV. & Hugone Capeto, an. 990. in quo Avalgero presbytero prædoni Rhemensis civitatis anathema pronuntiatur.

Conciliabulum Rhemense sub Joanne XV. a. 992. in quo Arnulphus depositus est. & in ejus locum Gerbertus substitutus est.

Romanum sub Joanne XV. an. 993. in quo Udalricus Augustanus Episcopus inter sanctos adscriptus est, seu canonizatus, ut dicunt. 5. Episcopi, & novem Cardinales subscripserunt.

Rhemense sub Joanne XV. & Othone III. Imp. an. 995. in quo conciliabulum Rhemense contra Arnulphum habitum reprobatur; & Gerberto deposito Arnulphus sedi suæ restituitur per Leonem legatum Papæ.

Romanum sub Gregorio XV. & Othone III. Imp. an. 996. in quo determinatur Imperatorem a septem Electoribus Germaniæ principibus imposterum eligendum esse.

Ravennatense sub iisdem, an. 997. in quo prohibetur, ne Subdiaconi, qui assumebantur pro ministrando Episcopis, recens consuratis eam sacram actionem venderent. Episcopi novem interfuerunt.

Sandionysianum sub iisdem, in quo de decimis Ecclesiæ debitis agendum erat: sed variis excitatis tumultibus nihil actum est.

Romanum sub iisdem, an. 998. in quo editi sunt 8. canones ad mores, & disciplinam pertinentes. Episcopi 27. interfuerunt.

Pictaviense sub Silvestro II. & Roberto Franc. Rege, an. 999. in quo tres editi sunt canones. Huic concilio interfuerunt Episc. 5. Abbates 12.

AB-

ARTICULUS XI.

De conciliis undecimo saeculo habitis.

TRemoniense concilium omitto, quia ejus acta omnino perierunt. Item Francfordiense, quia ibi actum est solum de Bambergensi Ecclesia in Cathedram episcopalem erigenda. Item Legionense, in quo referuntur non canones Episcoporum, sed edicta Adelfonsi Regis & Geloriae Reginae.

Anhamense in Anglia sub Joanne XVI. Henrico II. Imper. an. 1099. Sacerdotes eo incontinentiae devenerant, ut palam uxores ducerent, immo ductas repudiarent, & cum aliis commiscerentur. Editi sunt in remedium tanti mali 32. canones. Huic Concilio interfuerunt non modo Episcopi, sed & viri cujuscumque conditionis, modo docti; ideo vocantur promiscue *Angli eruditi*.

Ticinense sub Benedicto VIII. & Henrico II. Imperatore. Verum tempus ignoratur. In coetu illo 7. eduntur capitula, quibus definitur, ut filii Clericorum servi sint Ecclesiae, eisque nullus judex libertatem promittat. Henricus hae capitula auctoritate sua confirmavit. Episcopi sex interfuerunt.

Ravennatense sub Benedicto VIII. & Henrico II. Imper. an. 1044. Cum Arnoldus factus Episcopus Ravennatensis deprehendisset multas illicite factas ordinationes, per undecim annos, per quos haec Ecclesia vacaverat, declaravit in hoc concilio, omnes ordinationes sede vacante factas illicitas, donec licitae validae probarentur. Multi interfuerunt Episcopi, sed horum numerus ignoratur.

Aurelianense sub Benedicto VIII. & Roberto Francorum Rege, an. 1017. in quo Lusojas & Stephanus Sacerdotes, mulieris Italae somniis delusi, Gnosticorum mores restaurabant. Solemni depositione vestibus sacris induti iisdem exuuntur, & brachio saeculari traditi igne combusti sunt. *Dispositio fuit ad Concilium Constantiense, in quo idem actum est contra Hieronymum Pragensem, & Joannem Hus.*

Salgunstadiense sub Benedicto Papa VIII. & Henrico II. Imper. an. 1022. in quo editi sunt 20. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Episcopi interfuerunt 6.... Eodem anno habitum est Aquisgranense concilium, in quo Monasterium Burritho. Leodiensi potiusquam Coloniensi Episcopo subjectum est.

Ansanum sub Joanne XVIII. & Roberto Francorum Rege, an. 1023. in quo Burchardus Viennensis Episcopus, qui contra usum Ecclesiae extra suum territorium in Monasterio Cluniacensi ordines habuerat, veniam petere cogitur a Gualfino Matisconensi Episcopo, & dare cogitur *sufficientiam olei de olivis ad conficiendum chrisma* quoquo an. 12. Episc. interfuerunt. *Executio est Niceni vetantis Pontificalia extra suum territorium ab Episcopo exerceri.*

Bituricensis sub Joanne XVIII. & Henrico I. Francorum Rege, an. 1031. in quo editi sunt 24. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Anno sequenti sub iisdem sedes Pampelonensis, quae ob incursiones Barbarorum in Monasterium Lirinense statuta fuerat, in urbem Pampelonensem transfertur.

Lemovicense sub iisdem, an. 1031. in quo Martialis Apostolus & sub hoc nomine invocandus declaratur. Episcopi interfuerunt 7.

Romanum sub Leone Papa IX. & Henrico II. Imper. an. 1049. in quo simoniace ordinati quadraginta dierum poenitentiae subjiciuntur, qua peracta, in accepto ordine possunt ministrare, sed non ulterius ascendere.

Rhemense sub iisdem an. 1048. in quo quidam Episcopi simoniae convicti condemnantur ... Damnatur item Archiep. in Gallicia ex eo quod sibi vindicaret *Culmen Apostolici nominis*.

Moguntinum sub Leone IX. & Henrico III. Imp. an. 1050. quo Sibico Episc. Spirensis adulterii accusatus, purgatione canonica examinatus est. Simonia interdicta, & pellices mulieres longe a Clericis ejectae: *ne malesuada pellicum vicina castos violaret obtutus.*

Rhotemagense sub Leone IX. & Henrico I. Francorum Rege, an. 1050. Cum omnia sacra venalia essent, editi sunt 19. canones, quibus malum illud reprimeretur.

Romanum I. sub Leone IX. & Henrico Imper. an. 1049. in quo Leo statutam a Clemente II. legem confirmavit, qua praescribebatur, ut quicumque simoniace ordinatus esset scienter, quadraginta dierum poenitentiae subjiceretur, & sic in accepto officio ministraret.

Romanum II. sub Leone IX. & Henrico III. Imp. anno 1050. in quo Berengarius Haereticus declaratur, Lanfrancus e contra innocens.

Vercellense sub Leone IX. & Henrico III. Imper. an. 1050. in quo Joannis Scoti Liber, & Berengarii Doctrina condemnatur. *Dispositio fuit ad Doctrinam Tridentini circa Eucharistiam, sicut & duae priores Synodi.*

Coyacense sub Leone IX. & Ferdinando I. Castellae Rege, an. 1050. in quo editi sunt 13. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Novem Episcopi interfuerunt.

Romanum III. sub Leone IX. Henrico III. Imp. anno 1052. in quo Gregorius Vercellensis accusatus adulterii, etiam absens excommunicatur, sed postea veniens in priori officio restituitur.

Sandionysianum sub Leone IV. & Henrico Francorum Rege, an. 1053. in quo aperta est S. Dionysii arca, & in ea repertum est integrum Dionysii corpus exceptis duobus ossibus, uno de collo, altero de brachio, & revocatum diploma, quo Papa dixerat Dionysii corpus ad Monasterium S. Emerani fuisse delatum. Huic concilio interfuere 8. Episcopi, & 8. Abbates. Eodem anno habitum est concilium Romanum IV. in quo Geraldus inter Sanctos adscriptus est.

Narbonense sub Leone IX. & Henrico I. Franc. Rege, an. 1054. in quo cum omnia bello devastarentur, statutae sunt treguae certis diebus observandae, & edita sunt 29. capita. Interfuerunt decem Episcopi cum Raymundo comite, & Berengario vicecomite, & multis nobilibus ad confirmandam treguam.

Concilium Florentinum, in praesentia Victoris Papae II. & Henrici Imper. habitum, ann. 1055. in quo excommunicantur invasores bonorum Ecclesiae, & Berengarius condemnatur.

Tuto-

Digitized by Google

Turonense sub Victore Papa II. & Henrico I. Francorum Rege, ann. 1055. Berengarius hæresim solemniter ejurat. Episcopi minitantur Ferdinando excommunicationem, si Imperatoris titulum usurpet, cui admonitioni acquiescit. Qui & quot Episcopi interfuerint, ignoratur. *Dispositio est ad Doctrinam Tridentini circa Eucharistiam.*

Lugdunense sub iisdem, an. 1055. in quo Hildebrandus reus simoniæ interrogatus, an crederet Spiritui sancto, numquam potuit recitare *Gloria Patri &c.* teste Baronio, donec suum crimen confessus, salutarem pœnitentiam accepit.

Concilium apud sanctum Ægidium sub Victore II. & Henrico Francorum Rege, an. 1056. in quo determinatur, conditiones treguæ esse observandas. 24. Episcopi interfuerunt. Eodem anno Coloniæ, procurante Victore Papa, & Balduinus & Godofridus Flandriæ Comites Henrico reconciliati sunt.

Landavense in Anglia sub Victore Papa II. & Henrico IV. Imperatore, an. 1056. nonnulli ex familia Regis vim nepoti & medico Hergualdi Episcopi intulerant, plagis & verberibus affecerant. In hoc concilio decretum anathema contra familiam Regis. Rex pro familia lacrymatus est; & ut ejus familia ab hac pœna solveretur, prædia & bona plura Ecclesiæ contulit.

Tolosanum sub Victore II. & Henrico I. Franc. Rege an. 1056. in quo editi sunt canones ad mores & disciplinam pertinentes, sed præcipue contra simoniam. Episcopi 18. subscripserunt.

Compostellanum sub Victore II. an. 1056. in quo statutum est, ut Sacerdotes quotidie Missam celebrarent, & in publicis calamitatibus Litanias dicerent, & cilicio induerentur. Sutrinum prope Romam an. 1059. Benedictus Antipapa cognomento Minciut, depositus est, & omni Sacerdotali honore privatus.

Romanum sub Nicolaö Papa II. & Henrico Franc. Rege, an. 1059. in quo Berengarius tertio hæresim suam abjurat. Editi sunt 13. canones. Electionem Papæ a Cardinalibus faciendam esse definitum est. Episcopi 113. interfuerunt.

Parisiense sub Nicolao II. an. 1059. in quo, congregatis 21. Episc. Philippus præstito juramento de conservandis ecclesiæ juribus coronatus est.

Turonense sub Nicolao Papa II. & Henrico I. Francorum rege, an. 1060. in quo editi sunt decem canones, præcipue contra incontinentiam Clericorum. Episcopi decem subscripserunt.

Jaccitanum in Hispania sub Nicolao II. an. 1060. in quo post confirmatos canones ad mores & ad disciplinam pertinentes episcopatus, qui erat Oscæ, Jaccam translatus est.

Conciliabulum Basileense in causa electionis Papæ, an. 1061. in quo tursum est Imperatrici, quod filius ejus deberet in Pontificatu, sicut in Regia dignitate, succedere.

Concilium Osboriense in Germania, an. 1062. in quo acclamantibus omnibus Cadalous Pseudo-papa condemnatus est, & confirmata est Alexandri II. Electio.

Aragonense sub Alexandro II. & Ranimiro Aragonum Rege, an. 1062. in quo sub pœna excommunicationis comminatoriæ jubetur, ut Episcopus Aragonensis eligatur a Monachis, & ex Monachis Monasterii S. Joannis Rupensis.

Romanum sub Alexandro II. & Henrico IV. Imp. an. 1063. in quo editi sunt circa mores 12. canones, sed præcipue contra simoniam & incontinentiam Clericorum.

Mantuanum sub Alexandro II. & Henrico IV. Imp. an. 1064. in quo Cadalous Antipapa duo opponebat Alexandro: primum, quod simonia Papatum obtinuerat: secundum, quod non fuerat electus auctoritate Imper. Alexander declaratur immunis a vitio simoniæ, & statuitur auctoritatem Imperatoris non esse necessariam ad electionem Papæ. *Dispositio est ad doctrinam de electione Papa.*

Barcinonense eodem anno, & sub iisdem, leges Gothicas, quibus utebantur Catalauni, abrogavit, & electionem Alexandri II. confirmavit.

Romanum I. & II. sub Alexandro II. an. 1065. in quo procurante Damiano damnati sunt quidam Juris periti, qui licita putabant quædam conjugia, quæ tamquam incestuosa habebat Ecclesia, quique volebant gradus consanguinitatis in Matrimonio licuti in successionibus esse computandos. *Dispositio fuit ad doctrinam Lateranensis & Tridentini circa impedimenta Matrimonii.*

Auscense sub Alexandro II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1068. in quo statuitur, quod omnes Ecclesiæ Diœcesis Auscensis, exceptis Ecclesiis S. Orientii juxta antiquum usum quartam decimarum partem dabunt Ecclesiæ Cathedrali Auscensi.

Wintoniense sub Alexandro II. an. 1069. in quo Stigandus Cantuariensis Ecclesiæ invasor per legatum sedis Apostolicæ deponitur. Eodem anno habitum est Moguntiæ concilium in quo rex Henricus Bertam uxorem, quam volebat repudiare, suscepit, procurante Damiano legato Apost.

Anglicanum sub Alexandro Papa II. & Guillelmo Domitore Angliæ Rege, an. 1672. in quo decernitur, quod Eboracensis Ecclesia debet agnoscere primatum Ecclesiæ Cantuariensis.

Rothomagense sub Alexandro II. & Philippo Franc. Rege, an. 1072. in quo editi sunt 24. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Conciliabulum Ecphordiense tempore Alexandri II. an. 1073. in quo Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus mediam partem decimarum Thuringiæ Regi tradendam determinavit.

Rothomagense sub Gregorio Papa VII. & Guillelmo Anglorum Rege, an. 1074. in quo editi sunt 14. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Romanum I. sub Gregorio VII. & Henrico IV. Imp. an. 1074. in quo Summus Pontifex duo vitia in Clericis insectatur, incontinentiam scilicet, & simoniam. Hoc decretum edixit, scilicet, *ut secundum instituta antiquorum canonum Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur.* Quidam in Germania Episc. hanc constitutionem quasi hæreticam insectantur, dicente Apostolo: *melius est nubere quam uri.* Alii vero dicunt, *malle se Sacerdotium quam conjugium deserere.* Tamen Gregorius pristinam Ecclesiæ disciplinam semper tuitus est; tandemque Moguntiæ in concilio an. 1075. hæc constitutio suscipitur. *Executio est Niceni circa cælibatum Sacerdotum.*

Lon-

Londinense sub Gregorio VII. & Guillelmo Angliæ Rege, an. 1075. in quo prohibetur Monachis peculium, multa autem, quæ superstitionem paganorum redolebant, interdicuntur omnibus christianis.

Romanum II. sub Gregorio VII. & Henrico Imp. an. 1075. in quo plures Episcopi Romam citati sunt, ibique judicati.

VVintoniense I. sub Gregorio VII. an. 1076. in quo unicum decretum editum est, scilicet: *Nullus canonicus uxorem habeat: habentes uxores non cogantur ut dimittant: non habentes interdicantur ut habeant.* Hæc cohabitatio tolerata est; quia forte dicebant, se non vovisse castitatem. VVintoniense II. sub iisdem & eodem anno vetat, ne Monachi publice Ecclesiis deserviant, & ne conjugium absque benedictione Sacerdotali celebretur: alioquin nullum habeatur.

Conciliabulum VVormatiense, an. 1076. in quo Episcopi Theutonici jussu Henrici IV. Imp. congregati Papam excommunicarunt dicentes: *nulli nostrum amodo erit Apostolicus.*

Conciliabulum Romanum III. ann. 1076. in quo Gregorius cum 119. Episc. Episcopos Theutonicos, qui Ecclesiasticam unitatem scindere attentaverant, excommunicavit.

Papiense conciliabulum tempore Gregorii VII & Henrici IV. Imper. an. 1076. Papa excommunicavit Sigifridum Moguntinum Arch. & alios Episc. eo quod in damnum Ecclesiæ Henrico in investiturarum negotio adhærebant. Isti Episcopi Papiæ seu Ticini congregantur, & Papam excommunicant. Alii vocant istud concilium Parisiense.

Augustodunense sub Greg. VII. & Philippo Franc. Rege, an. 1077. in quo Manasses Archiepiscopus Rhemensis accusatus simoniæ & intrusionis, Romam remittitur, ut ibi judicetur. Ec Gebuinus Lingonensis Archidiaconus eligitur Archiepiscopus Lugdunensis in locum Humberti, qui ab ea sede ob simoniam fuerat depulsus.

Romanum IV. sub Greg. VII. & Henrico IV. Imper. an. 1078. in quo excommunicatur Guibertus Ravennas, Theodaldus Mediolanensis, aliique plures Episcopi; attamen Gregorius temperavit rigorem excommunicationis, & permisit conversationem cum excommunicatis his, qui hoc carmine continentur: utile, lex, humile, res ignorata, necesse. 100. Episcopi cum multis Abbatibus interfuerunt. *Fuit dispositio ad Bullam Martini V. in Constantiensi editam circa excommunicationes.*

Romanum V. sub eodem, an. etiam 1078. in quo excommunicatus est Imperator Constantin. & constituti sunt undecim canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Romanum VI. sub iisdem, an. 1079. in quo Berengarius quarto errorem suum abjuravit, & panem & vinum in corpus Christi substantialiter converti confessus est. Præter Cardinales huic concilio interfuere quatuor Episcopi. *Dispositio est ad doctrinam Tridentini circa transubstantiationem.*

Romanum VII. sub iisdem, an. 1080. in quo excommunicatio vibratur in eos Principes sæculares, qui investituras Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserint, & Henrici imperium in Rodulphum transfertur, si ab investituris non desistat. *Fuit dispositio ad Lateranense circa investituras.*

Conciliabulum Moguntinum & Brixiense tempore Gregorii VII. & sub Henrico IV. an. 1080. in quibus reprobatur quidquid in Romano concilio circa investituras definitum fuerat, & Hildebrandum seu Gregorium VIII. deponendum judicarunt.

Lugdunense sub Gregorio VII. & Philippo Franc. Rege, an. 1080. in quo Manasses Rhemensis Arch. Synodali judicio depositus est, *tum quia purgare se noluit, tum quia audientiam AEduensis, Pictaviensis, & Lugdunensis Episcoporum subterfugit.*

Romanum VIII. & IX. in utroque Henricus jus investiturarum sibi semper adscribens, & invitis quibuscumque admonitionibus retinens, una cum fautoribus excommunicatur.

Quintilineburgense sub iisdem, an. 1085. in quo Greg. VII. noluit retractare excommunicationem, quam contra Henricum & alios investiturarum Ecclesiasticarum usurpatores vibraverat, & declaratum est privilegium esse, *Nulli umquam licere Summi Pontificis judicium retractare, & de judicio judicare.* Excommunicati sunt qui asserebant Imperatoribus non tantum temporalia, sed etiam spiritualia subjici. *Dispositio erat ad decisionem circa investituras in Concilio Generali faciendam.*

Conciliab. Mogont. an. 1085. in quo Greg. VII. depositus est, & Guibertus ejus loco substitutus est.

Capuanum an. 1086. in quo Victor resumptis Pontificalibus insignibus, quæ resignaverat, utpote præter voluntatem electus, consecratus est Papa.

Beneventanum sub Vict. IV. & Henrico IV. Imp. an. 1087. in quo Victor successor Greg. declaratur. Goibertus qui auctoritate Imp. sedem Romanam invaserat, pro Antipapa habetur. Intrusi declarantur quicumque investituras a Principibus sæcularibus acceperint. *Dispositio fuit ad decisionem circa investituras in Concilio generali faciendam.*

Romanum I. sub Victore, an. 1089. in quo res gestæ sub Gregorio & sub Victore contra Guibertum Antipapam & Henricum confirmantur. 150. Episcopi huic concilio interfuerunt.

Trojanum sub iisdem, & eodem anno, in quo matrimonia inter consanguineos in gradibus prohibitis inita dissolvuntur.

Melphitanum sub Urbano Papa II. & Henrico Imp. an. 1090. in quo editi sunt 16. canones circa mores & disciplinam, & Rogerius dux, utpote Vasallus Romanæ Ecclesiæ, promisit jure jurando se servaturum fidem Romanæ Ecclesiæ.

Suessionense sub Urbano Papa II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1092. in quo damnatus est Roscelinus Abailardi magister, qui docebat *tres Personas divinas esse tres res separatas, sicut sunt tres Angeli; & posse dici tres Deos, si usus admitteret.* Executio fuit Nicæni damnantis Polichristas.

Rhemense sub iisdem, an. 1092. in quo vetitum est Roberto Flandriæ Comiti, ne sibi adscriberet bona decedentium Clericorum.

Stampense sub iisdem, an. 1092. in quo Ivo Carn. qui inordinate ad Episcopatum provectus dicebatur, utpote qui a sede Apostolica consecrationem acceperat, sedem Apostolicam appellavit.

Trojanum sub iisdem, an. 1093. in quo cautum est, ne neglectis consanguinitatis gradibus matrimonia ineantur. Huic concilio centum circiter interfuerunt Episcopi.

Cin-

Digitized by Google

Constantiense sub iisdem, an. 1094. in quo determinatum est, quod jejunium Martii in prima hebdomada quadragesimæ, & jejunium Junii in hebdomada Pentecostes celebraretur.

Æduense sub Urbano II. & Philippo Franc. Rege, an. 1094. Philippus excommunicatur, eoquod repudiata Berta legitima uxore Bertradam Fulconis Comitis Andegavensis uxorem duxerat.

Placentinum sub Urbano II. & Henrico IV. Imperatore, an. 1095. Praxedes uxor Henrici IV. ob inauditas mariti spurcitias ab eo discesserat, & a Summo Pontifice excepta fuerat. Congregatur in aperto campo concilium, cui interfuere 4000. Clerici, 30000. Laici, ut remedium aliquod Reginæ afflictæ pararetur. Promissum auxilium Imperatori Constantinopolitano contra Paganos. Damnati Simoniaci: damnata insuper hæresis Berengarii, hæresis Nicolaitarum seu incontinentium Subdiaconorum.

Claromontanum sub Urb. II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1095. in quo editi sunt 32. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Approbatum est concilium Placentinum. Arch. 13. Episcopi 225. & 90. Abbates interfuerunt. Præter 32. canones multi alii editi sunt qui perierunt.

Anglicanum sub Urbano II. & Henrico IV. Imp. an. 1095. in quo Rex spondet, se pacem Ecclesiæ induturum intra præfixum tempus, quod tamen nequaquam præstitit. Id exigebat Anselmus, aut saltem pescebat sibi discessum permitti.

Turonense sub iisdem, an. 1099. in quo Episcop. Strasburgensis excommunicatus resipiscens absolvitur. Philippus Rex Galliæ resipiscens ab adulterio, ob quod excommunicatus fuerat, pariter absolvitur, & tandem agitur de expeditione Jerosolymitana. Numerus Episcoporum hujus Concilii ignoratur.

Lemovicense sub Urbano II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1096. in quo quæsitum est quomodo fideles se a Saracenorum persecutione possent liberare. Quid determinatum sit ignoratur.

Rothomagense sub iisdem an. 1096 in quo Treuga Dei sub certis conditionibus observanda præcipitur, 8. Canones circa mores & disciplinam editi sunt.

Nemausense sub iisdem, an. 1096. in quo editi sunt 16. canones circa mores & disciplinam.

Barense sub Urbano II. & Henrico Imper. ann. 1079. in quo explicatum est ab Anselmo, quod Spiritus sanctus juxta Patres etiam Græcos procederet a Patre & Filio. Nihil circa hoc definitum. *Dispositio fuit ad concilium Generale Lugdunense, nec in quo hoc definitum est.*

Romanum II. sub Urbano II. an. 1098. in quo induciæ concessæ sunt Regi Angliæ usque ad festum sancti Michaelis, ut ex Anglia testes Romam perduceret.

Romanum III. sub Urbano Papa II. Henrico IV. in quo Guibertus Antipapa excommunicatus est. 150. Episcopi huic Concilio interfuerunt.

Audomarense sub Urbano Papa II. & Philippo I. Franc. Rege, in quo statuitur, quomodo Treuga observanda sit. 5. Canones editi sunt circa mores & disciplinam. 5. Episcopi interfuerunt.

Pictaviense sub Paschale Papa II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1100. in quo editi sunt 16. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Interfuerunt Episcopi 140.

ARTICULUS XII.

De Conciliis sæculo decimo secundo habitis.

Lateranense sub Paschale Papa II. & Henrico IV. Imp. an. 1102. in quo, ut solida pax iniretur inter Sacerdotium & Imperium, hæc formula cusa est. Anathematizo omnem hæresim ... promitto obedientiam Apostolicæ sedi &c.... Eodem anno sub iisdem Londini editi sunt 29. can. ad mores & disciplinam pertinentes.

Trecense sub Paschale Papa II. & Philippo I. Franc. Rege, an. 1104. Silvanectensis Episcopus de simonia accusatus, eoram Legato Papæ suam innocentiam jurejurando comprobavit, & in eodem Concilio electus est Gotfridus Ambianensis Episc. & cum fugere tentaret, retentus est.

Parisiense sub Paschale II. & Philippo I. Franc. Rege ann. 1105. in quo Philippus ob adulterium cum Bertrada iterato excommunicatus absolvitur, juramento prius præstito & a Philippo & a Bertrada, quo sibi omnem carnis copulam interdixerunt. 9. interfuerunt Episcopi. Eodem anno reprehensus in concilio Florentino Fluentius Florentinus Episcopus, qui ob mala, quibus Ecclesia affligebatur, leviter docebat Antichristum venisse. *Northusense* Concilium pro reformandis Ecclesiæ moribus eodem anno congregatum est.

Moguntinum sub Paschale II. an. 1105. in quo Henricus IV. abdicavit Imperium in favorem Henrici V. filii sui, præsentibus Apostolicæ sedis Legatis, & Imperii Optimatibus.

Guastallense sub Paschale II. & Henrico V. an. 1106. in quo cum maximum esset dubium de validitate ordinationum tempore Schismatis factarum, Patres Concilii validas eas ordinationes declararunt, quæ invalidæ probari non poterant; & legitimos esse eos Clericos, qui non poterant probari vel intrusi, vel simoniaci.

Trecense sub Paschale II. & Ludovico Franc. Rege, an. 1107. in quo simoniaci damnati sunt, & proscripti laici Beneficiorum collatores.

Londinense II. sub Paschale, an. 1108. in quo Henricus Anglorum Rex coram Anselmo investituris renuntiat. Eodem anno Beneventi definitum est, ut si quis Clericus investituram Beneficii a Laico acciperet, uterque & Clericus & Laicus excommunicaretur.

Pictaviense sub Paschale II. & Ludov. VI. Franc. Rege, in quo 16. editi sunt canones circa mores & disciplinam. Eodem anno & sub iisdem habitus est Rhemensis Conventus, in quo Ambianensis Episcopus falsi accusavit diploma apostolicum, quo Monachi suam exemptionem ab auctoritate Episc. tueri nitebantur, & variis indiciis compertum est, falsas esse hujusmodi litteras.

Lateranense II. sub Paschale Papa II. & Henrico V. Imp. an. 1112. in quo revocatur privilegium, quod Henricus a Papa extorserat, *in quo continebatur: quod electus canonice a Clero & a populo, a nemine consecraretur, nisi prius a Rege investiretur; quod est contra Spiritum Sanctum & Canoni-*

Interfuerunt 114. Episcopi, 15. Presbyteri Cardinales, & octo Diaconi.

Viennense sub Paschale II. & Ludovico Crasso Franc. Rege, an. 1112. in quo Guido Viennensis Archiepiscopus & postea Calistus Papa, tria definivit. 1. Investituram datam a Laicis hæresim esse in praxi. 2. Privilegium investiturarum extortum a Papa condemnavit. 3. Henricum, qui hoc privilegium extorserat, excommunicavit. Henricus fuit etiam excommunicatus duobus post annis in concilio Belovacensi, & postea in Concilio Coloniensi an. 1116. *Quæ omnia disponebant ad solemnem circa investituras decisionem.*

Beneventanum sub iisdem, an. 1113. in quo terræ aliquæ a Cassinensi Monasterio usurpatæ, re perspecta & examinata, judicio Papæ restituuntur. Et cum anno sequenti idem Papa per Cyperanum Monasterium transiret, accessit Monachus qui questus est, se invicum detrusum fuisse in Monasterium. Papa advocavit Abbatem, qui dixit, se nolle quemquam invitum retinere. Statim Monachus exuit vestem Monasticam coram Pontifice, & eam amplius induere noluit.

Lateranense III. sub Paschale Papa & Henrico V. Imp. in quo ipsemet Paschalis coram toto concilio retractat privilegium datum Henrico. *Feci*, inquit, *ut homo, quia pulvis sum & cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum; illud privilegium condemno.* Respondetunt omnes: *fiat, fiat.* Episcopi aut Cardinales 16. interfuerunt. Eodem anno, immo juxta aliquos in eodem concilio Photius Cluniacensis Abbas, qui se Abbatem Abbatum nominabat, repressus est; & hic titulus ad Abbatem Cassinensem delatus est.

Capuanum sub Gelasio Papa II. & Henrico V. Imp. an. 1118. in quo Henricus V. & Rex Germaniæ & Imperator, & Mauritius Burdinus Antipapa excommunicantur: eaque excommunicatio confirmatur in conciliis Viennensi, Fritsellariensi, & Coloniensi, an. 1119. Et tandem, ut hæc excommunicatio solennior haberetur, congregatum concilium Rhemense, in quo 215. Episcopi & multi Abbates, quilibet accensam habens candelam præ manibus, excommunicationem in prædictos pronuntiarunt, & statim candelas extinxerunt.

Suessionense sub Callisto II. & Ludovico VI. Franc. Rege, an. 1120. in quo Abailardus vir in Academia Parisiensi magni nominis docuit quædam circa Trinitatem, quæ ad Sabellianismum accedebant; damnatus est præsente, ut fertur, legato sedis Apostolicæ.

Lateranense sub Calisto Papa II. & Henrico V. an. 1123. in quo Henricus liberas Clericis & Monachis relinquit Episcoporum & Abbatum electiones, & Papa concedit, ut electi ab Imper. Regalia acciperent: & sic redduntur quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari: & ea conditione inita est pax inter Imperatorem & Papam, & absoluti sunt ab excommunicatione quotquot ea de causa fuerant excommunicati. Huic concilio interfuerunt nongenti & nonaginta septem partim Episcopi, partim Abbates. Editi sunt 22. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Anno sequenti congregatum Tolosæ concilium, quo condemnati sunt quidam ficti Monachi contra Sacramenta hæreses multas disseminantes.

Londinense I. sub Honorio II. an. 1125. in quo editi sunt 17. canones ad mores, & disciplinam pertinentes. Londinense II. sub eodem an. 1127. in quo editi sunt 12. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Londinense III. sub iisdem, an. 1129. in quo adlaboratum, ut incontinentiæ Clericorum remedium aliquod inveniretur. Londinense IV. sub Innoc. II. & Stephano Anglorum Rege, in quo statuti sunt 17. can. circa mores & disciplinam. Decem & octo interfuere Episcopi.

Nannetense I. sub Honorio Papa II. & Ludovico IV. Franc. Rege an. 1127. in quo cavetur, ne successione hæreditaria Beneficia obtineantur.

Trecense sub Honorio Papa, & Ludovico Crasso Franc. Rege an. 1128. in quo 27. capitibus ordinata est Templariorum regula.

Claromontinense sub Innoc. II. an. 1130. in quo Anacletus Antipapa declaratur, & excommunicatur. Idem definitur in Stampensi concilio eodem anno. Idem confirmatur in concilio Rhemensi, an. 1131. Idem confirmatur in concilio Placentino, an. 1132.

Londinense sub Innoc. II. Conrado Imper. V. & Ludovico Crasso Francorum Rege anno 1133. in quo editi 17. Canones circa mores & disciplinam. 18. Episcopi interfuerunt, & duo Legati sedis Apostolicæ. Eodem anno habitum est concilium Nortemphoniense in Anglia, in quo duæ conferuntur Abbatiæ.

Lateranense II. Generale X. sub Innoc. II. Conrado Imp. & Ludovico Crasso Francor. Rege ann. 1139. in quo Anacletus intrusus declaratur, & Innoc. II. pro legitimo Papa agnoscitur, & 26. canones eduntur circa mores & disciplinam.

VVintoniense sub Innoc. II. an. 1130. contra Stephanum Regem Angliæ, qui bona Ecclesiastica invaserat, & multos Episc. in carcerem detruserat.

Senoniense sub Innoc. Papa II. & Ludovico VII. Franc. Rege, an. 1140. in quo damnatus est Abaillardus, de quo dicebatur; *Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium, cum de gratia, sapit Pelagium, cum de persona Christi, sapit Nestorium.* Isto eodem tempore Radulphus Patriarcha Antiochenus accusatus est simoniæ & incontinentiæ coram Legato summi Pontificis, cui cum nollet respondere, depositus est, & in carcerem conjectus: a quo elapsus venit Romam, ubi veneno interfectus est.

Londinense sub Cælestino Papa II. & Stephano Anglorum Rege, an. 1143. in quo constitutum est: *Ne aliquis, qui Ecclesiam Cœmeteriumque violaverit, vel in Clericos aut viros Religiosos manus violentas injecerit, ab alio quam a Papa possit absolvi.* Item statuit, ut aratra sint æque tuta in campis, ac si in cœmeterio essent.

Bituricense & Vizeliacum sub Eugenio Papa III. & Ludovico VII. Franc. Rege, an. 1146. in quo statuta est expeditio contra Turcas, ad quam S. Bernardus oratione habita adhortatus est. Eadem res statuta est in concilio Carnuti habito.

Parisiense sub Eugenio III. & Ludovico VII. Franc. Rege, an. 1147. in quo damnatus est Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus, qui asserebat divinam essentiam non esse Deum, & quod pro-

prie-

Digitized by Google

prietates personarum non essent ipsæ personæ &c. Idem examinatum an. 1147. in Concilio Rhemensi, in quo editum est symbolum prædictas opinationes Gilberti condemnans, cui decisioni Gilbertus acquievit. In illo concilio damnatus est *Eon*, qui stulte direbit se esse *Eum*, qui venturus est judicare vivos & mortuos: & cum de variis criminibus convictus esset, igni addictus est.

Conciliabulum Papiense tempore Alexandri III. sub Friderico I. Imper. an. 1160. in quo auctoritate Imperatoris Pontificatus Romanæ Ecclesiæ Alexandro III. eripitur, & Victori Antipapæ adjudicatur. Idem confirmatur in Conciliabulo Laudensi in præsentia Friderici, an. 1161.

Concilium Anglicanum sub Alexandro III. & Henrico Anglorum Rege, in quo Victor Antipapa declaratur; & Alexander III. pro Papa canonice electo habetur. Idem statuitur in Concilio Turonensi sub Alexandro III. & Ludovico VII. Franc. Rege, an. 1163.

Conciliabulum Clarandenense tempore Alexandri III. & sub Henrico II. Anglorum rege an. 1164. in quo multi Episcopi subscripserunt quibusdam articulis libertati Ecclesiasticæ contrariis, quibus invitus subscripsit & Th. Cantuariensis Archiep. sed ipso lapso quasi excitatus resipuit. Postea vero in Conciliabulo Northamptonensi quasi perjurus condemnatus est ob id solum, quod Conciliabulo cui invitus subscripserat, nollet adhærescere.

Cassiliense sub Alexandro III. & Henrico II. in quo editi sunt 8. canones ad mores & disciplinam pertinentes, an. 1172. Eodem anno habitum est concilium Abrincatense, in quo Henricus II. qui morti Thomæ Cantuariensis occasionem dederat, absolvitur, sed certis conditionibus ei a Legato Apostolicæ sedis præscriptis. An. 1175. habitum est Londinense concilium, in quo editi sunt 19. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Lateranense sub Alexandro III. & Friderico I. an. 1178. in quo Imper. Fridericus Victoris Antipapæ defensor, & Alexandro Papæ infensus, ut schismatis auctor, ex Alexandri sententia Imperio privatus declaratur.

Venetum sub Alexandro III. & Friderico Imper. an. 1177. Post decem & novem annos schismatis inter Alexandrum & Fridericum, tandem Venetiis ambo Alexander, & Fridericus pacem inierunt: *hicque Deum in Alexandro venerans Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit; quem Alexander Papa cum lacrymis benigne elevans recepit in osculo, & benedixit*, & absolvit ab omnibus censuris, eumque in Ecclesiam deduxit, in qua pronunciatum anathema in eos omnes, qui eam pacem dissolvere tentaverint, his verbis: *Sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æterna visionis lumine & claritate priventur*: cumque candelæ projectæ essent, & extinctæ, Imperator alta voce cum aliis, *fiat, fiat* pariter acclamavit. Et sic finitum concilium & extinctum schisma. Quod autem Papa pedibus conculcavit Imperatorem dicens, *conculcabis leonem & draconem*, nullo monumento Ecclesiastico probari potest.

Lambariense sub Alexandro III. & Ludovico VII. Francorum Rege, an. 1176. in quo hæretici Albigenses damnati sunt. *Dispositio fuit ad Concilium Lateranense.*

Lateranense sub Alexandro III. & Friderico Imperatore, an. 1179. in quo damnati sunt Albigenses, qui vetus Testamentum rejiciebant, & de novo Testamento pauca solum admittebant: Eucharistiam conficere & absolutionem impendere esse penes quemcumque Christianum asserebant, &c. Eadem hæresis damnata est in concilio Senonensi, an. 1198.

Parisiense sub Clemente V. & Philippo Augusto Franc. Rege, an. 1188. in quo cum Saladinus Palæstinam occupasset, & Christiani auxilium postularent, institutæ sunt decimæ saladinæ, quo tributo dabatur decima pars omnium mobilium & omnium redituum.

Eboracense sub Cælestino III. & Richardo I. Angliæ Rege, in quo editi sunt duodecim canones ad mores & disciplinam pertinentes. Eodem fere tempore in concilio Londiniensi editi sunt 14. canones circa mores & disciplinam.

Divionense sub Innoc. III. & Philippo Augusto Francorum Rege, an. 1199. in quo regnum Galliæ interdicto subjicitur, eo quod Rex repudiata legitima uxore aliam subintroduxerat; sed interdictum illud sublatum est an. 1200. in Nigellensi & Suessionensi concilio, eo quod dimiserat Rex adulteram.

ARTICULUS XIII.

De Conciliis decimo tertio sæculo habitis.

Montiliense, *Montelimar* sub Innoc. III. Papa & Philippo Augusto Francorum Rege, in quo Raymundus Tolosæ Comes Albigensium hæreticorum fautor a Milone Legato sedis Apostolicæ excommunicatus declaratur, nisi pro fidei cautione cedat septem castra, alioquin subditi Raymundi obsequii erga eum maneant liberi. Raymundus duris illis conditionibus acquievit, & sic absolutus est. Pro eadem causa habitum concilium *Vaurense*, & *Monspeliense*. Vaurense concilium, an. 1213. vetuit Petro Aragoniæ Regi, qui copiis Tolosam venerat, ne suppetias ferret Raymundo Comiti Tolosano ejus affini; Petrus relicto Tolosæ præsidio militum ab urbe discessit. Episcopi in oppido *Muret* eodem anno congregati Petrum Aragoniæ Regem dehortantur, ne Albigensibus copias suppeditet. Concilium Monspeliense, an. 1215. Simoni Monfortiano Comiti donat Comitatum Tolosanum, ex quo Albigenses hæreticos ejecerat: quod donum confirmatum est in concilio Lateranensi eodem anno celebrato.

Avenionense sub Innoc. III. & Philippo Augusto Francorum Rege, an. 1209. in quo editi sunt 21. canones ad mores & disciplinam pertinentes. 20. interfuerunt Episcopi.

Parisiense sub iisdem, an. 1210. in quo damnatus est Almaricus, qui negabat resurrectionem, Paradisum, & infernum; negabat pariter revelationem supernaturalem; dicebat, Deum sic locutum fuisse in Ovidio, sicut in Augustino. Eo tempore interdicta fuit doctrina Aristotelis, & ejus libri de Metaphysica combusti, eo quod dedissent ansam illit erro-

erroribus. An. 1212. alterum habitum concilium Parisiis sub iisdem, in quo editi sunt 20. canones ad mores & disciplinam pertinentes. Et sub iisdem habitum est concilium Monspeliense, a. 1212. in quo editi 46. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Lateranense IV. Generale XII. sub Innoc. III. & Friderico Imp. in quo damnata jam Albigensium & Almarici doctrina solemni judicio anathematizatur, & liber Abbatis Joachim Arianismum circa Trinitatem renovans, reprobatur, & editi sunt 67. canones mores & disciplinam respicientes.

Oxeniense sub Honorio III. & Henrico III. Anglorum Rege, an. 1222. in quo editi sunt 49. canones circa mores & disciplinam. *Germanicum* sub iisdem, an. 1225. in quo contra incontinentiam Clericorum, eorumque avaritiam tredecim canones editi sunt. *Narbonense* sub iisdem, an. 1227. in quo editi sunt 20. canones ad conservandum jus Ecclesiasticæ jurisdictionis. *Tolosanum* sub iisdem, an. 1229. in quo editi sunt 45. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Turiasonense sub Honorio III. an. 1229. in quo ex consensu mutuo partium Matrimonium Jacobi Aragoniæ Regis & Eleonoræ Castellæ dissolutum est, & Alphonsus puer ex hoc matrimonio natus declaratur verus hæres, & ab omnibus vassallis tamquam Rex & dominus agnoscitur.

Apud Castrum Gonterii sub Gregorio IX. & Ludovico IX. an. 1231. in quo editi sunt 37. Can. ad mores & disciplinam pertinentes. *Biterrense* sub iisdem, an. 1233. in quo editi sunt 26. Canones circa mores & disciplinam.

Narbonense sub iisdem, an. 1235. in quo Dominicanis Inquisitoribus præscriptus est modus procedendi contra hæreticos. *Turonense* sub iisdem an. 1236. in quo 14. capitula edita sunt, quibus mores reformantur, & disciplina dirigitur. *Turonense* alterum sub iisdem, an. 1239. in quo cum simplices Curati auctoritate propria excommunicarent, & excommunicationes ex frequenti usu despicerentur, additæ sunt novæ circumstantiæ, quibus solemnior & terribilior fieret excommunicatio, quales sunt solemnitates, quæ modo circa id observantur.

Cantuariense sub Gregorio IX. & Henrico III. Anglorum Rege, an. 1236. Cum Ecclesia Anglicana maxima reformatione egeret, constituti sunt in hoc concilio 41. Canones & mores & disciplinam respicientes. Sub iisdem *Londiniense* concilium an. 1237. 31. Canones ad eumdem finem constituit, & *VVigoriensis* Synodus sub iisdem, an. 1240. Capitula 59. sancivit, quibus remedium aliquod tantis malis afferretur.

Lugdunense I. Generale XIII. sub Innoc. IV. & Ludovico IX. an. 1245. Cum Fridericus Imperator Romanum Pontificem Innocentium IV. una cum Cardinalibus intercipere meditaretur, non procul a Roma, quo pacis promovendæ specie Imperator accesserat; Innoc. IV. Genuam primo, deinde Gallias evasit, ibique concilium Lugdunense convocat, cui interfuere Patriarchæ tres, Episcopi 140. Imperator Constantinopolitanus, Tolosanus Comes, Oratores Regis Galliæ, & Angliæ, & aliorum Principum, immo & Orator Friderici, in quo damnatus est Imperator Fridericus, & insuper declaratus privatus imperii dignitate, & Regno Siciliæ.

A Lugdunensi I. usque ad Lugdunense II. multa celebrata sunt concilia, quæ mores & disciplinam solum respiciunt.

Biterrense sub Innoc. IV. & Ludovico IX. anno 1246. in quo editi sunt 46. canones.

Valentinum sub iisdem, an. 1248. in quo editi sunt 23. canones. *Insulanum* sub iisdem, an. 1251. in quo editi sunt 13. canones. *Salmuriense* sub iisdem, an. 1253. in quo editi 32. canones. *Albiense* sub Alexandro IV. & Ludovico IX. in quo editi sunt 12. canones, *Burdigalense* sub iisdem, anno 1255. in quo editi sunt 29. canones. *Cesriniacense* sub iisdem, an. 1255. in quo statuti sunt 39. canones. *Roffiacense*, an. 1258. in quo 10. editi sunt canones. *Monspeliense* sub iisdem, in quo 8. editi sunt canones. *Cesriniacum* sub iisdem, an. 1260. in quo 119. editi sunt canones. *Arelatense* sub iisdem, an. 1260. in quo editi sunt 17. Canones. *Coloniense* sub Alexandro IV. & Friderico II. Imperatore, an. 1260. in quo editi sunt 42. canones, quorum 14. Clericos, 28. vero Monachos respiciunt. In Anglia sub Alexand. IV. & Henrico III. habitum concilium *Lambethense*, an. 1261. in quo editi sunt 20. canones: & concilium *Londinense* sub Clemente IV. & Henrico III. in quo editi sunt 54. canones, *& constitutio Henrici III.* contra non residentes. In Gallia illis temporibus multa habita sunt Concilia mores & disciplinam præcise spectantia. *Copriniacense* sub Urbano IV. & Ludovico IX. an. 1263. in quo editi sunt 7. Canones. *Burdigalense* sub iisdem, an. 1262. in quo editi sunt 7. canones. *Parisiense I.* sub iisdem, an. 1263. in quo centesima pars bonorum Ecclesiasticorum addicta est ad quinquennium subsidio terræ sanctæ. *Nannetense* sub iisdem an. 1264. in quo editi canones 9. *Parisiense II.* sub iisdem, an. 1264. in quo edicitur ut blasphemis vel labia, vel lingua ferro candenti inusta perforentur. Sub Clem. IV. & Ludov. IX. habita sunt hæc concilia etiam circa mores & disciplinam. *S. Ludovici Pragmatica Sanctio*, an. 1266, *Apud Castrum Gonterii* Concilium sub iisdem, an. 1268. in quo editi sunt canones 8. *Andegavense* sub iisdem, an. 1269. in quo editi sunt canones 2. & cautum ne domini temporales impedirent legata fieri Ecclesiæ. *Senonense* sub iisdem an. 1269 in quo editi sunt 6. canones. *Compendiense* sede Romana vacante sub Ludovico IX. an. 1270. in quo actum est contra Ecclesiasticorum bonorum invasores. *Avenionense* sub eodem an. 1270. in quo editi sunt 8. canones. *Apud S. Quintinum* sub eodem an. 1291. in quo editi sunt 5. canones. *Redonense* sub Greg. X. & Philippo III. Franc. Rege, an. 1273. in quo editi sunt 7. canones.

Lugdunense II. Generale 14. sub Gregorio X. & Philippo III. Francorum Rege, an. 1274. in quo inita est concordia cum Græcis & definitum est, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere. Cautum est, ne Cardinales e conclavi discederent, donec electus esset Pontifex. Prohibita est novorum ordinum institutio Papa inconsulto: ac demum decreta est in terram sanctam expeditio. In executionem hujus concilii duplex habita est Synodus

Con-

Constantinopoli: 1. sub Joan. XIX. Papa, an. 1277. in quo facta est professio fidei omnino conformis Ecclesiæ Romanæ. 2. sub Nicolao Papa III. in qua decretum est in Gregorio Nysseno legi hæc verba: *Spiritus vero Sanctus & ex Patre dicitur & ex Filio esse affirmatur;* particula enim EX fuerat abrasa, ut negaretur processio Spiritus sancti a Filio.

Ab an. 1274. usque ad ann. 1300. si quæ habita sint concilia Provincialia, ea omnia ad mores & disciplinam pertinent. *Arelatense* sub Gregorio X. & Philippo III. Francorum Rege, an. 1275. in quo editi sunt 22. Canones. *Salmuriense* sub iisdem, ann. 1276. in quo editi sunt 24. Canones. *Bituricense* sub iisdem, anno 1276. iu quo editi sunt 16. Canones. *Langesiense* sub Nicolao III. & Philippo III. an. 1278. in quo editi sunt 16. Canones. *Apud pontem Audomari* sub iisdem, an. 1279. in quo editi sunt 24. Canones. *Avenionense* sub iisdem, anno 1279. in quo editi sunt 24. Canones. *Avenionense* sub iisdem, anno 1279. in quo editi sunt 15. Canones. *Budense* sub iisdem, ann. 1279. in quo editi sunt 69. Canones. *Andegavense* sub iisdem, ann. 1279. in quo editi sunt 5. Canones. *Coloniense* sub iisdem, an. 1280. in quo editi sunt 18. Canones. *Pictaviense* sub iisdem, an. 1280. in quo 11. Canones statuti sunt.

Salisburgense sub Martino IV. & Rodulpho Imperatore, an. 1281. in quo editi sunt 18. Canones. *Lambethense* sub Martino IV. & Eduardo, an. 1281. in quo editi sunt 27. Canones. *Avenionense* sub Martino IV. & Philippo III. an. 1282. in quo editi sunt 10. Canones. *Santonense* sub iisdem, an. 1281. in quo editi sunt 5. Canones. *Turonense* sub iisdem, anno 1282. in quo editi sunt 13. Canones. *Nemausense* & *Pictaviense*, anno 1282. in quibus renovati sunt Canones in prioribus conciliis editi. *Ravennatense* sub Honorio IV. & Rodulpho Imperatore, an. 1285. in quo 9. editi sunt Canones. *Bituricense* sub eodem Papa sub Philippo III. in quo editi sunt canones 35. *Exoniense* sede vacante & sub Eduardo, an. 1288. in quo 55. Canones editi sunt. *Herbipolense* sede vacante, & sub Rodulpho Imperatore, ann. 1287. in quo editi sunt 4. Canones. *Insulanum* sub Nicolao IX. & Philippo IV. Francorum Rege, ann. 1288. in quo editi sunt 18. Canones. *Cicestrense* sub Nicolao IV. & Eduardo Anglorum Rege, an. 1289. in quo editi sunt 41. Canones. *Nugaroliense* sub Nicolao IV. & Philippo IV. an. 1290. in quo editi sunt canones 22. *Salmuriense* sub iisdem, an. 1249. in quo editi sunt 5. Canones. *Rothomagense* sub Bonifacio VIII. & Philippo IV. Francorum Rege, an. 1289. in quo 7. editi sunt canones. *Bajocense* sub iisdem, an. 1300. in quo collecti sunt can. 113. *Auscitanum* sub iisdem, in quo editi sunt 12. Canones.

ARTICULUS XIV.

De Conciliis sæculo decimo quarto habitis.

Isto sæculo unicum habitum est Concilium Generale, *Viennense* scilicet. Concilia Provincialia, quæ habita sunt, mores & disciplinam respiciunt, his exceptis Synodis, quæ fuerunt dispositiones ad Concilium *Viennense*, aut ejus executiones, quæ omnia Concilia breviter persequar.

Auscitanum sub Clemente IV. & Philippo IV. Francorum Rege, ann. 1308. in quo 5. editi sunt canones, quibus cavetur, ne Canonici per alios munera sua obeant, & ne Mendicantes ad alium Ordinem transeant. *Posoniense* in Hungaria sub eodem Papa, anno 1309. in quo editi sunt canones novem, quibus præcipitur, ne suscipiatur Carolus Rex, & vetatur ne Catholici contrahant Matrimonia cum hæreticis aut schismaticis.

Salisburgense sub Clemente Papa V. & Henrico VII. Imperatore, an. 1310. in quo 3. Canones editi sunt, quibus cavetur ne Clerici tabernas frequentent, & artem mimicam exerceant. *Coloniense* sub iisdem, an. 1310. in quo editi sunt 29. Can.

Viennense in Gallia Generale XV. Templarii Religiosi erant, qui armis contra infideles templum Jerosolymitanum tuebantur, & peregrinos euntes Jerusalem ab infidelium incursibus vindicabant. Multas victorias contra infideles retulerunt, sed infandis criminibus accusati sunt in Ravennatensi concilio, an. 1310. in quo decretum est, ut res maturius examinaretur. In concilio Moguntinensi, cum eadem res proponeretur judicanda, veniunt 20. Templarii armati, & ad futurum appellant concilium. Quocirca congregatur Viennense concilium, an. 1311. in quo ordo Templariorum extinguitur, bona eorum temporalia in Hospitalarios Jerusalem, quos equites Melitenses vocamus, translata sunt. In eodem concilio damnati sunt Beguardi & Beguinæ fornicationem ut licitam habentes, orationem & jejunium condemnantes, &c. Decreta est insuper expeditio in Terram sanctam. Post hoc concilium habita sunt frequentia concilia Provincialia, quæ mores & disciplinam solum respiciunt.

Ravennatense II. sub iisdem anno 1311. in quo editi sunt 32. Canones. Ravennatense III. sede & Imperio vacante an. 1314. in quo editi sunt 20. Canones ad Monasticam disciplinam pertinentes. *Nugariolense* sede vacante sub Ludovico X. ann. 1315. in quo permissum est, ut damnatis ad supplicium mortis Sacerdos concederetur, qui eos absolveret, quod utique eis in variis locis negabatur. *Ravennatense* sub Joanne alias XXII. imperio vacante an. 1317. in quo editi sunt 24. canones. *Senonense* sub eodem Papa, & Carolo IV. Rege Franciæ anno 1320. in quo festum Corporis Christi institutum est. *Parisiense* sub iisdem, in quo idem festum celebrandum præcipitur an. 1323. *Avenionense* sub iisdem an. 1326. in quo a Papa obtentæ sunt indulgentiæ pro eis, qui devote idem festum celebrarent. *Marciacense* sub iisdem anno 1326. in quo collecta sunt capitula 56. *Sylvanectense* sub iisdem an. 1327. in quo circa mores & disciplinam capitula septem edita sunt. *Ruffiacense* sub iisdem an. 1327. in quo cavetur, ne sæculares judices in Clericos sine prævii monitionibus judicium exerceant. *Compendiense* sub iisdem an. 1329. in quo cautum est ne Beneficiorum Ecclesiasticorum redditus dividerentur. *Conventus* Parisiensis inter *Bertrandum* Æduensem Episcopum, & *Petrum* de *Cugneriis*, in quo agitata est quæstio de limitibus jurisdictionis Ecclesiasticæ & civilis. Rex respondit se nolle in aliquo jurisdictionem Ecclesiasticam infringi.

In Anglia sub Joanne XX. alias XXII. & Eduardo II. habitum est multiplex concilium circa mores & disciplinam. *Londinense* I. anno 1321. in quo editi sunt 8. Canones. *Londinense* II. sub iisdem an. 1328. in quo editi sunt 6. canones: & *Lambetense* sub iisdem a. 1330. in quo collectæ sunt 20. constitutiones.

In Hispania sub Joanne XX. alias XXIII. & Alphonso II. habitum est duplex concilium circa mores & disciplinam. *Toletanum* a. 1324. in quo editi sunt can. 8. & Complutense anno 1316. in quo habiti sunt Canones 2.

In Gallia sub Benedicto PapaXI. & Philippo VI. Francorum Rege habitum est multiplex Concilium circa mores & disciplinam. *Rothomagense* a. 1335. in quo 13. editi sunt Canones. *Apud Castrum Gonterii* sub iisdem a. 1336. in quo editi sunt 12. Canones. *Avenionense* sub iisdem anno 1337. in quo editi sunt 70. Canones: quibus addi potest *Toletanum* sub eodem Papa, & Alphonso XI. anno 1339. in quo editi sunt 5. Canones.

In Anglia sub Clemente VI. & Eduardo III. habitum est multiplex concilium circa mores & disciplinam. *Londinense* I. a. 1342. in quo editi sunt 12. Canones. *Londinense* II. an. 1342. in quo editi sunt 17. canones.

In Gallia sub Clemente VI. & Philippo VI. habitum est multiplex Concilium circa mores & disciplinam. *Noviomense* a. 1334. in quo editi sunt 17. Canones. *Parisiense* sub iisdem a. 1346. & editi sunt 13. canones. Biterrense sub iisdem a. 1351. in quo editi sunt canones 8.

In Hispania sub Clemente VI. & Alphonso XI. habitum est *Toletanum* a. 1347. in quo 4. editi sunt canones ad mores & disciplinam pertinentes: cui addi potest *Toletanum* alterum sub Innocent. VI. & Alphonso XI. in quo omnes leges ex æquo obligarent & ad culpam, & ad pœnam.

In Gallia sub Urbano V. & Joanne Francorum Rege, habitum est multiplex concilium mores & disciplinam respiciens. *Andegavense* anno 1365. in quo 14. editi sunt canones. *Vaurense* sub iisdem an. 1368. in quo collecti sunt 133. Canones.

In Anglia sub Urbano V. & Eduardo III. habitum est concilium *Eboracense*, in quo editi sunt Canones 10. mores & disciplinam respicientes: cui addi potest *Londinense* sub eodem Papa, & sub Richardo II. an. 1382. quo exceperunt errores VVicleffi condemnari. *Dispositio fuit istud Concilium ad concilium Constantiense*.

Salisburgense sub eodem Papa, & Vvenceslao Imperatore a. 1386. in quo actum est de modo concionandi. *Palentinum* sub eodem Papa, & Joann. Castellæ Rege, in quo 7. canones editi sunt circa mores & disciplinam.

ARTICULUS XV.

De Conciliis sæculo decimoquinto habitis.

TOto isto sæculo Ecclesia schismate dilacerata est, cujus schismatis historiam refero in synopsi methodica reducente conciliorum canones ad certa capita; ideo hic dicam solum nomina conciliorum, quæ isto sæculo habita sunt,

Oxoniense sub Gregorio XII. & Henrico IV. anno 1408. in quo condemnantur errores VVicleffi.

Pisanum 1409. in quo Gregorius XII. & Benedictus XIII. deponuntur & eligitur Alexander IV.

Constantiense sub Joanne XXIII. in quo depositi sunt Gregorius XXII. & Benedictus XIII. Joannes XXIII. Papatum abdicavit, & electus est Martinus V. In eodem concilio damnati sunt errores VVicleffi, qui idem fere docebat, quod docuerant Albigenses, & postea docuerunt Calvinistæ, & Lutherani.

Senense sub Martino V. & Sigismundo Imperatore anno 1423. in quo nihil fere actum ob grassantem pestem; sed præparatio fuit ad concilium Basileense.

Basileense sub Martino V. & Eugenio IV. an. 1431. in quo multa circa mores edita sunt: dissolutum fuit ab Eugenio, ut dicemus.

Florentinum generale XVI. sub Eugenio in quo sopitum est schisma, & facta est unio Ecclesiæ Latinæ cum Græca.

Frisingense sub Eugenio IV. & Friderico III. anno 1440. in quo decreta concilii Basileensis cum quadam restrictione accepta sunt.

Rothomagense sub iisdem an. 1434. in quo editi sunt 40. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Andegavense sub Nicolao V. & Carolo VIII. Francorum Rege an. 1448. in quo editi sunt 17. canones ad mores & disciplinam pertinentes: cui addi potest *Senonense* sub iisdem anno 1485. in quo editi sunt 26. canones ad mores & disciplinam pertinentes.

Coloniense sub Nicolao V. & Friderico III. Imperatore anno 1452. in quo cautum est, ne frequentius & sine debito cultu Corpus Christi palam in Ecclesia exponeretur.

Toletanum sub Sixto IV. & Henrico IV. an. 1473. in quo collecta sunt 29. capitula ad mores & disciplinam pertinentia.

ARTICULUS XVI.

De Conciliis sæculo decimosexto habitis.

LAteranense V. sub Julio II. & Leone & Maximiliano Imperatore an. 1512. in quo reprobatum est Conciliabulum *Pisanum*, quod in Julium II. quidam Cardinales congregaverant; actumque est de reformandis Ecclesiæ moribus, de uniendis Principibus Christianis, & de promovenda in Turcas expeditione sacra. Tandem confirmata sunt concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Gallorum Regem inita.

Bituricense sub Clemente VII. & Francisco I. an. 1528. in quo damnati sunt Lutheri errores, & cautum est, ne libri quamvis boni lingua vernacula ederentur, ne error hæreticorum fraudulenter proderet. *Senonense* sub iisdem, eodem ann. 1528. in quo contra Lutheranos editi sunt 16. tituli circa fidem, quibus titulis nihil doctius; & 40. circa mores & disciplinam.

Coloniense sub Paulo III. & Carolo V. in quo editi sunt capita 325. in quatuordecim partes divisa, quo opere nihil doctius, & solidius fieri potest.

Augustense sub iisdem an. 1548. in quo edita sunt decreta 33. inter quæ 19 explicant, quibus neganda sit Eucharistia. *Coloniense* sub iisdem an. 1549. in

Digitized by Google

1549. in quo statuuntur leges pro instauratione studiorum, examine ordinandorum, officiorum perfunctione, Ecclesiarum visitatione, Synodorum celebratione, & jurisdictionis Ecclesiasticæ restitutione, & insuper 37. capita pro quibusdam aliis abusibus reformandis, *Moguntinum* sub iisdem, in quo edita sunt 104. capitula fidem, mores, & disciplinam respicientia. *Trevirense*, sub iisdem in quo circa idem 20. capitula edita sunt.

Tridentinum sub tribus Romanis Pontificibus Paulo III. Julio III. Pio IV. & Carolo V. & Ferdinando Imperatoribus, ab an. 1545. usque ad an. 1563.

Mediolanensis 1. 2. 3. 4. 5. 6. sub Cardinali Borromæo, ab an. 65. usque ad an. 82. in quo multiplici concilio varii eduntur canones circa mores & disciplinam, eo tendentes, ut concilium Tridentinum observetur. In eumdem finem multa habita sunt alia concilia Provincialia, in Gallia *Rhemense* sub Pio IV. & Carolo IV. præsidente Cardinali a Lotharingia an. 1564. *Rothomagense* sub Gregorio XIII. & Henrico III. sub Cardinali Borbonio an. 1581. *Rhemense* sub Gregorio XIII. & Henrico III. 1583. præsidente Cardinali a Guisa, *Burdigalense* sub Gregorio XIII. & Henrico III. an. 1582. præsidente Antonino Sansaco Archiepiscopo Burdigalensi. *Turonense* & Andegavense sub Greg. XIII. & Henrico III. an. 1583. præsidente Simone Mailleo Arch. Turonensi. *Bituricense* sub Greg. XIII. & Henrico III. an. 1584. præsidente Reginaldo Belenenli.

Aquense sub Sysio V. & Henrico III. anno 1585. præsidente Alexandro Coignaco Archiepiscopo. *Tolosanum* sub Sisto V. & Henrico III. præsidente Cardinali Joyosa Archiepiscopo Tolosano an. 1590. Extra Galliam hab ta sunt multa concilia Provincialia ad executionem Tridentini, v. g. *Mechliniense* duplex, & *Petricoviensa* multiplex.

ARTICULUS XVIII.

De Conciliis sæculo decimo septimo habitis.

Decimoseptimo sæculo nullum habitum est concilium Generale, sed habita sunt aliqua concilia particularia ad exequendum ea, quæ in Conc. Trid. decreta fuerant. In Gallia hæc habita sunt. *Narbonense* sub Leone an. 1609. præsidente Ludovico de Vervius Archiepiscopo Narbonensi.

Senonense sub Paulo V. & Ludovico XIII. anno 612. Præsidente Davio Perronio. *Aquense* sub Paulo V. & Ludovico XIII. an. 1612. præsidente Paulo Hutalto Hispitalio Aquensi Archiepiscopo. Duo ista concilia præcipue habita sunt contra librum, cui Titulus *de Ecclesiastica & politica potestate*. *Burdigalense* sub Urbano VIII. & Ludovico XIII. an. 1624 præsidente Cardinali de Sourdis Archiepiscopo Burdigalensi.

Non adulor, me nullum omisisse concilium in hac Synopsi historica; nam quædam ex industria præterii, quæ mihi visa sunt exigui momenti, sed ea retuli, quæ vel Labbæus vel Baluzius collegerunt, quando mihi alicujus momenti apparuerunt: sed jam ad utiliora veniamus.

Hic tradenda esset Synopsis continens omnes morum & disciplinæ canones qui editi sunt in variis conciliis tum Generalibus, tum Provincialibus. Quos ego canones ubi collegi, non de verbo ad verbum, sed solum quoad sensum; tamen hæc collectio ita excrevit, ut vix in uno volumine valeat contineri. Eam ergo omnino omitto; poteris tamen suo tempore prodire, si cognoscam quod lectori non sit displicitura. Interim sit.

CAPUT III.

In quo proponitur methodus, qua Concilia Generalia & particularia & facilius addiscantur, & firmius retineantur.

PROOEMIUM.

Experientia constat, quod ex multiplici tantarum rerum in tot Synodis sancitarum varietate oritur insuperabilis difficultas, quæ memoriam obruat, animos frangat, & pene ad desperationem adducat vel mediocris utilitatis ex hoc studio percipiendæ; dum enim aliquis posterioribus conciliis addiscendis insistit, priorum obliviscitur, & sic studentium deficit animus: immo contingit sæpius, ut omnino deseratur conciliorum studium, licet viris Ecclesiasticis pernecessarium. Cui malo ut remedium aliquod afferam, hanc methodum propono, donec aliquis eruditus auctor & faciliorem & tutiorem proferat.

Quadruplex propono principium, ad quod omnes reducuntur canones, qui vel fidem, vel mores, vel disciplinam respiciunt, licet illi canones & diversis temporibus fuerint editi, & in diversis conciliis definiti. Rursus eosdem canones in tres diversas classes distribuo scilicet, in canones fidei, morum, & disciplinæ, & quamlibet Ecclesiæ decisionem ad suam classem revocans: primo intuitu propono quæ fidem respiciunt: secundo quæ mores spectant: tertio vero quæ antiquam & recentem Ecclesiæ disciplinam manifestare possunt, eaque usus methodo, futurum spero, ut singula, aut saltem insigniora Ecclesiæ decreta in hac brevi methodo comprehendantur. Utrum propositum meum fuerim assecutus, tuum esto judicium, amice Lector: interim tua ipsiusmet industria adde quod deest, reseca quod superest, immuta quod tibi male distributum videbitur; & ista proposita methodo utere, donec offeratur nobis aliqua nova collectio conciliorum, qua lectio Synodorum viris Ecclesiasticis omnino necessaria, facilior, ac suavior efficiatur.

Primum principium.

Quæcumque in Conciliis stabilita sunt, pertinent vel ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam, idest in Conciliis præscribitur quid credendum, quid non credendum, ut simus sinceri in fide. Determinatur quid agendum, quid non agendum, ut simus sancti in moribus. Stabilitur quis modus servandus tum a superioribus erga inferiores, tum ab inferioribus erga superiores, qualisque debeat esse principatus in Ecclesia, & quæ consuetudines servandæ, ut regimen Ecclesiasticum sit bene ordinatum.

Prob. 1. Script. Ex c. 15. Actuum Apostolorum constat, quod ab Apostolis post adventum Spiritus Sancti celebratum fuit concilium: qui quidem conventus, cum sit præcipuus ab Apostolis celebratus, debet esse regula & norma aliorum: quia, ut di-

cunt, *Primum in unoquoque genere est mensura ceterorum*: atqui in hoc concilio determinatum est aliud pertinens ad fidem, aliud pertinens ad mores, & tertium pertinens ad disciplinam: ergo quidquid decernitur in conciliis, pertinet vel ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam. Quod in hoc concilio determinatum sit aliquid pertinens ad fidem, aliud ad mores, aliud ad disciplinam, patet ex lectione Actuum Apostolorum. Nam primo dicitur a Piscatoribus: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: quo tamquam de fide determinatur infallibilitas conciliorum, quæ in Christi nomine congregantur. Secundo additur: *Visum est nihil imponere vobis oneris præter hæc necessaria, scilicet ut abstineatis a fornicatione, & a contaminationibus simulacrorum*: quibus verbis duos ad mores præscribunt: vetant scilicet Apostoli fornicationem & idololatriam, vitia gentilibus communia, & maxime apud ipsos usitata. Tertio addunt... Visum est, *ut abstineatis a sanguine & suffocato*: quibus verbis cum præcedentibus connexis ceteras legis Mosaicæ cæremonias abrogant; solam abstinentiam a suffocato & sanguine præscribentes, quod quidem pertinet ad disciplinam. Permittunt, immo jubent ad tempus, aliquid a Synagoga observatum, ut eam, inquiunt Patres, cum honore sepelirent, & ut ostenderent legem Moysis esse a Deo, paganismum a Diabolo: ex illa voluerunt aliquid in nova lege retineri; verum ex illo nihil voluerunt observari.

2. *Rat.* Quod exigitur ab homine Christiano, istud est. Primo ut humiliter credat; quia *sine fide impossibile est placere Deo*. Secundo, ut sancte vivat; quia *fides sine operibus mortua est*. Tertio, quod Ecclesiæ, cujus est membrum, se conformet; quia, ut monet Paulus, quilibet fidelis consuetudinem Ecclesiæ tamquam regulam vivendi debet sibi proponere: *Si quis*, inquit, *contentiosus voluerit esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. Ergo ut fidelis sit plene instructus per concilia, debet in conciliis resolvi: primo, quid credendum, quid non credendum, ut fides sit pura: secundo debet determinari, quid agendum, quid non agendum, ut mores sint sancti: tertio debet stabiliri, qualis debeat esse principatus in Ecclesia, & quæ consuetudines servandæ, ut regimen Ecclesiæ sit bene ordinatum: ergo quæcumque tractantur in conciliis, reducuntur vel ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam.

Secundum principium.

Tria hæc, scilicet, fides, mores, & disciplina, eo ordine stabilita fuere in conciliis, ut exortis divino permissu hæresibus, articuli fidei magis necessarii prius explicarentur, posterius vero minus necessarii; secundo dogmata morum magis necessaria prius resolverentur, posterius vero minus necessaria: tertio capita disciplinæ optimo Ecclesiæ regimini magis necessaria prius stabilirentur, posterius vero minus necessaria; adeo ut juxta majorem vel minorem Ecclesiæ necessitatem, prius posteriusve determinata fuerint in conciliis quæ ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam pertinent.

Prob. 1. Script. *Necesse est, ut veniant scandala*, inquit Christus Matth. 18. vers. 7. *Oportet hæreses esse*, inquit Paulus 1. ad Cor. c. 11. v. Ergo pertinet ad Dei providentiam, *quæ in sui dispositione non fallitur*, permittere, ut ea, quæ erant magis Ecclesiæ necessaria, prius ab hæreticis impeterentur; posterius vero, quæ erant minus necessaria, quatenus ex illis hæreticorum factionibus Episcopi occasionem sumerent definiendi, & clarius explicandi quæ in Scriptura, vel traditione a Christo per Apostolos dimanante continebantur; idque eo ordine, ut juxta cujuslibet materiæ vel majorem, vel minorem necessitatem definirentur a conciliis primo quæ magis erant necessaria, posterius vero quæ minus necessitatis habebant.

2. *Rat.* Ecclesia Respublica est, non ab hominibus fundata, sed ab ipso Deo per Christum stabilita; cum ergo *perfecta sint Dei opera*, Ecclesia in sui exordio plenam habuit integritatem, sive fidem spectes, sive mores considetes, sive disciplinam inspicias, ut patet ex Ecclesia Jerosolymitana, quam describit Lucas act. c. 1. & 2. sed quia Deus voluit Ecclesiam ab hæreticis quidem impeti, minime vero tantisper per eos concuti; ideo permisit, eo ordine hæreticos in Ecclesiam insurgere, ut articulos fidei magis necessarios prius adorirentur, posterius vero minus necessarios: item, ut dogmata morum magis necessaria prius corrumperent, posterius vero minus necessaria: demum, ut fundamenta disciplinæ præcipua primo attingerent, postremo vero minus præcipua, ut hac occasione in conciliis explicarentur primo ea, quæ erant magis necessaria, postremo vero quæ minus habebant necessitatis. Ergo juxta majorem vel minorem necessitatem prius vel posterius definita sunt in conciliis quæ pertinent vel ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam.

Tertium principium.

Concilia Generalia simpliciter, ad quæ convocantur totius Orbis Episcopi, concilia non generalia simpliciter, ad quæ non convocantur omnes totius Orbis Episcopi, sed convocantur solum vel Episcopi alicujus nationis, vel Episcopi alicujus Provinciæ, eo ordine antecedunt se, & consequuntur se, ut vulgo concilia particularia, quæ præcedunt generale, sint dispositiones ejus generalis concilii, quod præcedunt; & concilia particularia, quæ subsequuntur concilium Generale, sint executiones ejus concilii Generalis, quod præcessit.

Prob. 1. Ex Script. juxta Matthæum c. 5. v. 21. Apud Judæos duplex erat tribunal, scilicet, *Judicium*, & *Concilium*. *Judicium* erat parvum *Synedrium*, & constabat ex triginta tribus judicibus. *Concilium* erat magnum *Synedrium* constans ex multo pluribus judicibus; ergo a pari in Ecclesia duplex est concilium, parvum & magnum: parvum, quod vocatur Provinciale: magnum, quod vocatur generale: atqui juxta Augustinum, ut notat Duhamel in notis in Matth. magnum *Synedrium* definitivam sententiam habebat, & parvum *Synedrium* aut præparabat ad sententiam irrefragabilem, aut eam exequebatur: ergo a pari in Ecclesia solum concilium Generale irrefragabilem facit decisionem, concilium vero Provinciale, aut ad illam decisionem disponit, aut eam exequitur.

2. *Rat.* Ea est divini Numinis sapientia, *quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia*

suavi-

suaviter, ut effectus a Deo per causas secundas producendus, primo a causa particulari sumat exordium, a causa universali complementum; & iterum a causa particulari applicetur ad usum.

Sic in naturalibus germen a rustico, tamquam a causa particulari, in terram præparatam injicitur; a sole & terra, tamquam a causis universalibus, ad maturitatem perducitur; & iterum a rustico, tamquam a causa particulari, colligitur, & in horreum mittitur, humanis usibus applicandum.

Sic in politicia lites incipiunt a privatis procuratoribus, & causarum patronis judicum subalternorum, quorum sententiis non tam finiuntur lites, quam elucidantur, mox ad supremos judices evocantur tamquam ad causas universales; demum istorum judicium executioni mandatur per privatos ministros.

Nihil ergo mirum, si in Ecclesia res eodem fere modo se habeant; scilicet, si quæ pertinent ad fidem, mores, & disciplinam, primo a particularibus conciliis pertractentur; deinde veniatur ad concilium Generale; postmodum vero concilii Generalis statuta, per concilia particularia executioni mandentur: & ita concilium particulare sit dispositio ad concilium Generale, quod antecedit, & concilium particulare sit executiu concilii Generalis, quod præcessit.

Quartum principium.

Canones fidei sunt hi, qui reducuntur ad Symbolum Apostolorum, & qui sunt uberiores ejusdem Symboli explicationes. Canones morum sunt hi, qui reducunrur vel ad Decalogum, vel ad Evangelium, & sunt fusiores vel Decalogi, vel Evangelii expositiones. Statuta disciplinæ sunt ea, quæ reducuntur ad legem mere Ecclesiasticam, & sunt variæ Ecclesiastici regiminis explicationes.

Prob. Dogmata fidei continentur in Symbolo, ideo dicitur summa credendorum. Regulæ morum continentur vel in decalogo, vel in Evangelio: ideo Lex naturalis & Evangelica dicitur norma agendi. Statura disciplinæ continentur in Regimine Ecclesiæ; ideo praxis Ecclesiæ dicitur usus, cui nos conformare oporteat. Ergo canones fidei sunt hi, qui reducunrur ad Decalogum; canones disciplinæ sunt illi, qui reducuntur ad merum Ecclesiæ usum.

APPLICATIO PRÆDICTORUM PRINCIPIORUM

SECTIO I.

Qua methodo ad certa capita reduci queant omnes Canones fidei.

HÆC Sectio duos complectetur articulos. In primo reducentur ad certa capita omnes Canones fidei in conciliis Generalibus editi. In secundo ad certa capita reducentur omnes canones fidei editi in Conciliis particularibus.

ARTICULUS I.

Qua methodo ad certa capita reduci possint omnes Canones fidei in Conciliis Generalibus editi.

NOta ex dictis, Symbolum Apostolorum editum esse ab Apostolis. 1. Ut Prælati omnes haberent unam eamdemque fidei regulam, quam singuli omnibus prædicarent. 2. Ut quilibet fidelis brevem fidei formulam memoriæ mandaret facilius, frequentiusque profiteretur. 3. Ut tam Prælati quam populi brevi hac professione & ab hæreticis distinguerentur, & contra eorum fraudes præmuniri possent. Quod Symbolum in doctrina fidei ita se habet, sicut principia per se nota in scientiis naturalibus: & sicuti conclusiones sunt uberiores principiorum explicationes: ita canones fidei in conciliis Generalibus editi, sunt uberiores symboli expositiones, ut dicitur in Ephesino in relatione ad Theodosium, de Nestorio deposito. *Fides*, inquit, *initio quidem a sanctis Apostolis tradita, postea vero a trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna exposita*. Quo indicatur, canones fidei in conciliis Generalibus editos, nihil aliud esse, quam uberiores Symboli Apostolici expositiones.

Prop. unica. Ut fiat methodica reductio canonum fidei, qui editi sunt in conciliis Generalibus, concilia Generalia debent in duas classes distribui. In prima debent poni ea concilia, quæ explicant priorem Symboli Apostolici partem. In secunda vero classe debent statui ea concilia, quæ explicant posteriorem Symboli Apostolici partem.

Prob. Symbolum Apostolorum commode dividi potest in duas partes. Siquidem in prima parte proponit Deum unum in essentia & trinum in personis, & Christum verum Deum & hominem, dum dicit: *Credo in Deum Patrem*. *Credo in Jesum Christum*. *Credo in Spiritum Sanctum*. In secunda vero parte proponit Ecclesiastic. Hierarchiam, dum dicit: *Credo Ecclesiam*, &c. Proponit gratiam Christi, & Sacramenta, dum dicit: *Remissionem peccatorum*. Proponit futurum alterius vitæ statum, dum dicit: *Carnis resurrectionem, vitam æternam, amen*. Ergo ut fiat methodica reductio conciliorum generalium, ea concilia debent in duas classes distribui. In prima classe collocantur ea concilia, quæ explicant Trinitatem, & Incarnationem: & hoc factum est in septem prioribus conciliis Generalibus. In secunda collocantur ea concilia, quæ explicant doctrinam de Ecclesia, de gratia Christi, & sacramentis, de futuro alterius vitæ statu: quod utique factum est in conciliis Generalibus, quæ habita sunt a concilio Generali octavo usque ad Tridentinum; ideo duos paragraphos proponemus. In primo referentur septem priora concilia Generalia, usque ad concilium quartum Constantinopolitanum octavum generale. In secundo referentur alia concilia Generalia, quæ habita sunt a quarto Constantinopolitano, usque ad Tridentinum.

Digitized by Google

§. I. *Referuntur Concilia Generalia a Concilio Apostolorum usque ad Concilium septimum.*

P R O OE M I U M.

QUÆ nobis per se primo revelantur, & per Ecclesiam tamquam per regulam infallibilem proponuntur, sunt primo ipsa Dei veracitas, & ipsa Ecclesiæ infallibilitas: deinde Deus unus in essentia, & trinus in personis: postea Verbum Incarnatum, qui est Christus Jesus, verus Deus, & verus homo, habens unam personam eamque divinam, & duas naturas alteram divinam, alteram humanam, qui quatenus homo visibilibus imaginibus repræsentari potest. Hæc omnia septem prioribus conciliis Generalibus exposita sunt, ut ex sequentibus consectariis patebit.

Consect. 1. Post propositam in Symbolo Apostolorum generalem quamdam credendorum notionem, statuenda erat infallibilitas Ecclesiæ, quæ custodit revelationem, eamque fidelibus proponit; quippe, ut ait August. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoverit auctoritas.* Hæc autem Ecclesiæ infallibilitas declarata fuit in concilio Apostolorum, quod habetur Actor. c. 15. ubi Apostoli audenter hæc pronunciant: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*: innixi hoc Christi promisso: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum*, Matth. 18. confisi hac Christi voce: *Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret omnia, quæcumque dixi vobis.* Et sicut hæc decisio est quasi præambula ad omnes decisiones, & quasi illarum basis; ita fuit determinanda in concilio Apostolorum, quod futurum erat veluti typus & causa exemplaris omnium aliorum Conciliorum.

Consect. 2. Statuta Ecclesiæ infallibilitate, explicandum erat objectum primarium fidei nostræ, quod non est aliud, nisi Deus ipse, unus in essentia & trinus in personis: & hoc fit in conc. Nicæno, in cujus Symbolo declaratur, quod Deus sit unus & non multiplex, ut volebant Politheistæ: quod sit trinus in personis & non unus, ut volebant Sabelliani: quod sit factor visibilium & invisibilium, quod negabant Manichæi. Et quia Christus erat auctor religionis Christianæ, & in nomine Christi omnia fiebant in Ecclesia, statuendum erat, an esset vere Deus, vel solum Homo divinus, ut volebat Arius; ideo divinitas Christi stabilita est his verbis: *Credo in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum*, hoc est ex substantia Patris, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum homo-usion, hoc est substantialem patri.*

Consect. 3. Post indicatam divinæ essentiæ unitatem, & trinitatem Personarum, post stabilitam divinitatem Christi, qui est fundator Ecclesiæ, statuenda erat expressius divinitas Spiritus sancti, qui est inspirator ejusdem Ecclesiæ. Quod quidem factum est in concil. Constantinopolitano I. his verbis: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum.*

Consect. 4. Post statutam divinitatem Filii & Spiritus sancti, & explicatum mysterium Trinitatis, quod est objectum primarium nostræ fidei, explicandum erat mysterium Incarnationis, utpote propinquius objecto primario fidei nostræ, & in quo dignitas fundatoris Reipublicæ Christianæ maxime elucebat: & hoc factum est in concilio Ephesino tertio Generali, in quo definitum fuit contra Nestorium, unicam esse in Christo personam, eamque divinam, scilicet personam Verbi, in duabus naturis, humana scilicet & divina. Statuti sunt duodecim anathematismi Cyrilli, qui omnes eo tendunt, ut probent Christum subsistere per suppositum divinum. Hæc definiuntur. *Emmanuel verus est Deus, & virgo est Deipara.* 2. *Verbum Dei secundum hypostasim est carni unitum.* 3. *Unio divinitatis in Christo est secundum naturalem unionem, non secundum dignitatem aut auctoritatem tantum.* 4. *Dicta de Christo in Scripturis non possunt tribui duabus personis.* 5. *Christus est verus Deus & non tantum Deifer.* 6. *Verbum est unus idemque Deus & homo.* 7. *Christus non est alter a Verbo.* 8. *Homo assumptus non est tamquam alter adorandus cum Deo, sed una & eadem adoratione honorandus.* 9. *Christus non est a Spiritu sancto tamquam a virtute a se aliena glorificatus.* 10. *Christus pro nobis solis, non pro seipso sacrificium obtulit, quippe qui nullum peccatum commisit.* 11. *Caro Christi est vivifica, ipsique Verbo propria.* 12. *Verbum secundum carnem est passum, seque ut Deus vivificavit.*

Consect. 5. Stabilita unica persona in Christo, & quidem divina, supererat exponendum, qua ratione in Christo convenirent duæ naturæ, divina scilicet & humana; an distinctæ, an confusæ; an ex duabus naturis una coalesceret, sicut ex duobus liquoribus fit tertius liquor; an salva reali naturæ humanæ & naturæ divinæ in Christo distinctione in una persona Verbi, in Christo vere invenirentur natura divina & humana. Hoc postremum definitum est in concilio Chalcedonensi, ubi hæc habentur: *Eos denique, qui duas ante unionem Domini naturas profitentur, unam autem post unionem faciunt, anathemati subjicit . . . Jesum prædicamus Deum verum & hominem verum, eumdem ex rationali anima & corpore, substantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis æqualem absque peccato.*

Consect. 6. Ex his duobus conciliis nata est nova difficultas, quæ non ad rem fidei, sed ad factum pertinet, scilicet, quid sentiendum de his auctoribus & scriptis, quibus Nestorio favebatur. Hi auctores erant Ibas Episcopus Edessenus, Theodoretus Episc. Tyri, Theodorus Mopsuestenus Episc. Scripta vero erant Epistola Ibæ, scripta Theodoreti. Tria hæc capitula, scilicet, 1. Epist. Ibæ, 2. Scripta Theodoreti, 3. Persona Theodori, licet jam mortui, damnantur in Conc. Constantinop. II. Generali quinto. Hæc capitula adversus Origenem edita sunt. 1. *Animæ hominum non præextiterunt, nec in corpora supplicii causa dimissæ.* 2. *Anima Christi prius non exstitit, nec ante Incarnationem Deo Verbo unita fuit.* 3. *Corpus Christi Domini prius formatum non fuit, nec postea Verbum & Anima adunata.* 4. *Verbum omnibus cælestibus Ordinibus non est assimilatum.* 5. *Homines resti non orbiculari specie suscitabuntur.* 6. *Sol, luna, stella, & aquæ, quæ super*

tales

Digitized by Google

calos sunt, non sunt animata virtutes. 7. Christus in futuro sæculo nec pro dæmonibus, nec pro hominibus crucifigetur. 8. Finita non est Dei potestas, nec tanta fecit, quanta comprehendere potuit. 9. Supplicium dæmonum & impiorum hominum finem non habebit. Anathema Origeni ejusque nefariis sectatoribus.

Hæc Capitula contra Nestorium ac Eutychianos. 1. *Trium personarum una est natura, una virtus ac potestas, Trinitas consubstantialis, una Deitas in tribus personis adoranda.* 2. *Duæ sunt Dei Verbi nativitates, una sine tempore, altera in tempore.* 3. *Idem Deus Verbum, qui miracula fecit, & qui passus est. Deus Verbum est, unus idemque D. J. Christus, Dei Verbum incarnatum & homo factum.* 4. *Unitio Dei Verbi ad carnem animatam secundum compositionem, sive secundum subsistentiam facta est; & ideo una est subsistentia composita, qui est unus de Sancta Trinitate.* 5. *Non sunt in mysterio Christi duæ subsistentiæ seu personæ introducendæ.* 6. *Gloriosa Virgo Maria est vere Dei genitrix, idea Christipara nuncupanda.* 7. *Dualitas in Christo naturarum, sed unitas personæ.* 8. *Idem.* 9. *Duæ adorationes, una Deo Verbo, altera homini non sunt introducendæ. Nec una adoratio Deitati & humanitati confusis, sed Deo Verbo debetur.*

Consect. 7. Statuto uno supposito in Christo, & admissis duabus naturis realiter distinctis, supererat difficultas non modica, scilicet, utrum esset unica operatio in Christo, sicuti unum suppositum; quia *actiones sunt suppositorum*: vel utrum in Christo essent duæ operationes, duo intellectus, duæ voluntates, sicuti erant duæ naturæ: & definitum est in Concilio Constantinopolitano tertio, generali sexto contra Monothelitas, duos esse in Christo intellectus, duas voluntates, duas operationes, sicuti duæ erant naturæ, scilicet, divina & humana. Hæc eduntur capitula. 1. *Concilium Chalcedonense confirmatur.* 2. *Epistola Leonis ad Flavianum, & Epistola Cyrilli adversus Nestorium, & ad Orientales Episcopos recipiuntur. Item quinque antecedentia Concilia.* 3. *Christus verus Deus, & verus homo declaratur.* 4. *Virgo vera Dei genitrix agnoscitur.* 5. *In Christo unica persona & duplex natura definitur.* 6. *Demum in Christo duæ voluntates non sibi contrariæ admittendæ. Non est alia fides tradenda.*

Consect. 8. Ubi definitum est, unum esse Deum in natura, & Trinum in Personis, Patre scilicet, Filio, & Spiritu Sancto, & ipsum Christum esse verum Deum, & verum hominem, unam tantum personam divinam habentem, duas vero naturas, duos intellectus, duas operationes, & hoc modo adorandum.

Statim nova insurrexit difficultas, utrum ipsæ imagines saltem Christi, sicut & aliorum Sanctorum, colendæ forent; immo, utrum etiam possent imagines vel Dei, vel Angelorum efformari & coli. Ad hoc ergo determinandum congregatur septima Synodus, secunda Nicæna, ubi statuitur juxta sanctorum Patrum magisterium, atque Ecclesiæ Catholicæ traditionem, figuram crucis, sanctas imagines Christi, Virginis, & Sanctorum Angelorum in Ecclesiis, aliisque locis proponendas, eisque non latriam, sed honorariam adorationem impertiendam, traditionesque Ecclesiæ factas manibus esse habendas.

Vidimus hactenus quid circa Trinitatem, Incarnationem, imagines Christi definierint septem Concilia Generalia in Ecclesia Græca habita; jam videamus quid definierint posteriora alia Concilia: quæ singula, excepto Constantinopolitano generali octavo, celebrata sunt in Ecclesia Latina.

§. II. *Referuntur Concilia Generalia, quæ habita sunt a tempore octavæ Synodi usque ad Tridentinam Synodum inclusive.*

PROOEMIUM.

Christus venit ut Rex, ut Redemptor, ut judex. Quatenus Rex, Rempublicam instituit, Ecclesiam scilicet, cujus regimen spirituale est, & a potentia sæculi penitus independens. Quatenus Redemptor, gratia sua, suisque Sacramentis inductam per peccatum Adami stragem reparat. Quatenus Judex, bonis æternam mercedem, malis vero æternum supplicium præparat. Quotquot ergo exortæ sunt hæreses contra Ecclesiæ regimen, contra Gratiam & Sacramenta, contra futurum tum salvandorum, tum damnandorum statum, eæ omnes examinatæ sunt ex professo in Conciliis Generalibus, habitis a Concilio octavo Generali usque ad Concilium Tridentinum inclusive, uti sequenti inductione patebit. Quod si eæ quæstiones in prioribus Conciliis agitatæ sint, id divina providentia factum est, ut difficultates illæ longius discussæ & frequentius examinatæ, solidius resolverentur.

Consect. 1. *De Ecclesiast. Hierarchia.* I. Post statutum in septem prioribus Conciliis Mysterium Trinitatis & Incarnationis, per posteriora Concilia statuenda erat doctrina Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quandoquidem Christus fundator est Ecclesiæ. Et primo quidem stabiliendum erat, an Ecclesiastica Hierarchia spiritualis esset, an sæcularis, an ejus regimen a Christo fundatore deflueret, an a regia potestate emanaret: & hoc decernitur in Concilio IV. Constantinopolitano & VIII. Generali, in quo Photius constitutus Patriarcha per Imperatorem sæcularem, ob id solum intrusus declaratur; & Ignatius canonice electus, & injuste ejectus, tamen pro vero Patriarcha habetur. *Anathematizamus Photium*, inquit Synodus, *propter nequissimam invasionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cum aliis malis operibus suis.* Cui decisioni acquiescere noluit Photius, sed post obitum Ignatii, rursus artibus Sanctabareni, & favore Basilii per Pseudo-Synodum revocatur in vacuam sedem Constantinopolitanam anno 878. & inchoatum est schisma Photianum, quod Græci deinde tuiti sunt, quodque adhuc perseverat.

II. Statuto, quod Princeps sæcularis in electionibus, promotionibus, ordinationibus Prælatorum Ecclesiasticorum nullam haberet auctoritatem spiritualem, sed solum inspectionem, qua providetur electiones, promotiones, & ordinationes juxta sacros canones fieri; inquirendum supererat, quid juris haberent sæculares Principes circa Beneficia Ecclesiastica, v. g. circa Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Canonicatus, &c. Henricus V. Imperator, aliique Principes sæculares jus conferendi Beneficia usurpabant, & dabant investituram.

contra hanc usurpationem congregatum fuit Concilium primum Lateranense, & inita est pax inter Callixtum II. & Henricum V. & hic est tenor pacis initæ: *Ego Henricus ..... Dimitto Deo & Sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem.... quæ ablata sunt, & quæ habeo, restituo; quæ autem non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Ego Callistus.... Tibi concedo, quæ ad Regnum tuum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas; electus autem per sceptrum a te recipiat regalia.*

III. Statuto, quod penes Ecclesiam sola esset potestas eligendi, ordinandi, consecrandi Pastores, & potestas conferendi Beneficia, examinandum superetat, quæ electio esset canonica, quæ vero non; ideo permittit Deus oriri schisma in Ecclesia Latina, cujus occasione hæc materia discutitur. Mortuo Callisto II. Cardinales in duas partes scinduntur. Saniores quidem & numero plures eligunt Gregorium sancti Angeli Cardinalem Diaconum, dictum postea Innocentium II. alii vero pauciores eligunt Petrum, Filium Leonis civi Romani potentissimi, dictum postea Anacletum II. Ecclesia suscipit Innocentium, tamquam legitimum Papam: & quidem *merito*, inquit Bernardus ep. 125. *Illum recipit Ecclesia, cujus opinio clarior, & electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens & merito*. Anacletus II. utpote filius civis Romani potentissimi, Basilicam sancti Petri, & alias Romæ invadit Ecclesias. Innocentius II. se recepit in Galliam, adjutus auctoritate Ludovici VI. & Lotharii Imperatoris. Mortuo Anacleto, Victor in locum Anacleti suffectus consentit Innocentii II. electioni, & ita schisma sopitur, & Innocentius in Concilio Lateranensi II. verus Papa declaratur, & ea electio canonica habetur, quæ vincit aliam numero & merito.

IV. Statuto, quod ea electio pro canonica habenda esset, quæ a majori & saniori parte facta esset, adhuc examinandum occurrebat, num auctoritatem aliquam haberet qui a pauciori numero electus fuisset, & quid opus facto, si hunc præ alio Imperatores sæculares pro vero Pastore habendum esse proponerent: ideo permittit Deus novum schisma oriri in Ecclesia Latina, cujus occasione hæc materia exactius discuteretur. Itaque Adriano IV. defuncto congregantur Cardinales. Contigit quod unus supra viginti elegerunt Rolandum, dictum postea Alexandrum III. & tres elegerunt Octavianum, dictum postea Victorem IV. Galli, Hispani, Britanni, Alexandrum III. tamquam legitimum Papam habent. Fridericus Imperator vult Victorem IV. tamquam legitimum Papam habendum esse. Imperator, licet sæcularis, mandat celebrari Concilium Papiæ, & citat Alexandrum III. qui respondet, se venerari Imperatorem, tamquam defensorem & advocatum, sed se nullam in eo auctoritatem spiritualem agnoscere. Conciliabulum Papiæ congregatum declarat Victorem legitimum Papam, & Alexandrum III. excommunicat, qui se recipit in Galliam, & Turone congregat Concilium, in quo Victor Antipapa excommunicatur. Moritur Victor, & ejus loco Callistus eligitur; sed ipse paulo post cum Federico tamquam verum Papam Alexandrum III. agnoscit. Hic congregat Concilium Lateranense III. in quo ad futura deinceps vitanda schismata determinatur, nullum habendum esse tamquam legitimum Papam, qui non esset a duabus tertiis partibus Cardinalium electus.

Extincto illo schismate, celebratur Concilium Lateranense IV. pro recuperanda Terra sancta. Postea congregatur Concilium Lugdunense I. pro dirimendis controversiis inter Innocentium IV. & Fridericum II. Deinde congregatur Concilium Lugdunense II. pro statuenda unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Fuit congregatum insuper Concilium Viennense pro extinctione Templariorum, pro recuperanda Terra sancta, & pro exterminandis erroribus Beguardorum & Beguinarum: quæ omnia inserviunt ad firmiorem Ecclesiæ statum constituendum.

V. Præscripto modo, quo eligendus esset Summus Pontifex, & statuto, quod ille, qui a minore parte esset electus, etiamsi Imperatoria potestate munitus, pro illegitimo Papa habendus esset: difficultas oriri poterat, quid faciendum esset, si duo eligerentur, & uterque haberet vel æqualia suffragia, vel æqualia rationum momenta, quibus juste dubitaretur, uter verus esset Papa; ideo permittente Deo, nascitur novum schisma inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. Ambo de Papatu contendunt; & cum neuter pro bono pacis dignitatem Papalem abdicare vellet, Pisis congregatur Concilium, & uterque post trinam monitionem excommunicatur, & Alexander V. eligitur: quo defuncto eligitur Joan. XXIII. & fiunt tres contendentes, & oritur schisma non duorum, sed trium, qui jus ad Papatum contendunt habere. Cui malo ut remedium afferat Joannes XXIII. congregat Concilium Constantiense, pollicitus se liberter cessurum, si bonum pacis id exigeret: interim noctu ex Concilii loco egreditur: citatur, & alii pariter citantur: qui cum nollent obedire, deponuntur, & Martinus eligitur, & ad medendum schismati Concilium istud definit: *Ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata, legitime generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris*.

Et ut efficacius futuri schismatis tolleretur occasio, statutum est, ut post quinquennium celebraretur Synodus universalis prima, postea vero altera celebraretur post septennium, & tandem quolibet decennio generale Concilium haberetur. Martinus V. declaravit Concilium proxime futurum Papiæ celebrandum esse; sed cum ibi lues grassaretur, Concilium Senas translatum est; quod cum ob instantia bella dissolutum fuisset, cœtum illum Basileam transferendum indixit Martinus V. qui paulo post moritur: in ejus locum Eugenius IV. eligitur, qui Concilii Basileensis indictionem tatam

Digitized by Google

ratam habuit. Conveniunt multi Patres Basileam. Legati Imperatoris & Regum rogant Eugenium, ut ipse cum Cardinalibus Basileam se conferat, aliter in eum Synodus procedet; quod quidem effectum est; nam Eugenius depositus est a Concilio, & electus Amedæus, qui dictus est Felix V. Defuncto Sigismundo Imperatore, Eugenius Concilium Basileense abrogat, & præscribit Patribus Ferrariam, ut ibi celebraretur Concilium, quo adducti sunt Patriarcha Constantinopolitanus, & Episcopi Græci, & Imperator eorum. Ex eo tempore dissolvitur Concilium Basileense, & in duas partes scinditur, altera remanet Basileæ, altera ad Eugenium Ferrariam venit; & vocatis de jure vocandis, incœpit Concilium Ferrariense; quod deinde ob pestem Ferrariæ grassantem Florentiam translatum est, incepitque Concilium Florentinum, in quo unio Ecclesiæ Græcæ cum Latina conclusa est, finitum omnino schisma; Felix enim V. sponte sua dignitatem Papalem lubens abdicavit.

VI. Statuta in Concilio Pisano, Constantiensi, & Basileensi Papæ erga Generale Concilium subjectione, durante schismate, qualis debeat esse nostra subjectio ad Papam, non stante schismate, definiendum erat.

Et hoc factum est in Concilio Florentino unanimi Græcorum & Latinorum consensu, in quo sequens Canon editus est: *Item definimus*, inquiunt Patres, *Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere: & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.*

Consect. 2. De credendis circa gratiam. Primum, quod circa gratiam erat stabiliendum, est constitutio naturæ humanæ in justitia originali in Adamo omnium nostrum capite, & lapsus ejusdem naturæ humanæ ab illo statu per peccatum Adami, & reparatio peccati per Christum. Hoc explicatur in triplici concilio Carthaginensi, in duplici Africano, in Gallicano, Milevitano, in variis operibus August. & demum in concilio Trident. Sess. de peccato originali, ubi contra Pelagium definitur peccati originalis communicatio, non imitatione, sed transfusione.

Secundum quod statuendum erat, est necessitas gratiæ: quod utique factum est in concilio Arausicano secundo, & in variis operibus Augustini & Prosperi: & demum in Trid. sess. de justificatione, ubi definitur contra Pelagianos & Semipelagianos, gratiam esse absolute necessariam ad singulos actus, eamque operari in nobis, & nobiscum initium, progressum, & consummationem operis salutaris, specialiter vero conferre ipsam perseverantiam in bono.

Tertium, quod statuendum erat, est suavitas gratiæ, & unio ejusdem gratiæ cum nostra libertate: & hoc feliciter factum est in concilio Arausicano, & Tridentino, & in pluribus Augustini operibus, ubi contra Manichæos, Calvinistas & Lutheranos definitur, gratiam non tollere libertatem: *Deus enim sic velle donat hominibus, ut possibilitatem, qua possint nolle, non auferat.*

Quartum, quod statuendum erat, est doctrina justificationis ab hæreticis ultimi temporis miserandum in modum labefactata: & hoc factum est in Tridentina Synodo, in qua singula, quæ ad justificationem pertinent, exactissime recensentur.

Consect. 3. De credendis circa Sacramenta. Doctrinam Sacramentorum tam in communi, quam in particulari varie labefactarunt hæretici: Male baptismum admiserunt rebaptizantes: Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium negarunt Lutherani, & Calvinistæ: Eucharistiam male admiserunt iidem hæretici, Christum in ea solum figurative contineri contendentes: ideo in diversis conciliis diversa de Sacramentis tradita sunt dogmata; sed ex professo de singulis Sacramentis tradita est instructio ab Eugenio IV. ad Armenos: & quia hæc instructio non est fœtus concilii, sed Papæ, ideo providit Deus, ut eadem doctrina de Sacramentis in conc. Trid. proponeretur, & multa alia adderentur, quibus clare constaret, quæ sit materia, quæ forma, quæ vis, quæ efficacia cujuscumque Sacramenti in particulari, quis minister potens conferre, quod subjectum potens recipere, quæ denium dispositiones requirantur tum ad recipiendum, tum ad conferendum Sacramenta. Quibus singulis explicatis, nihil est, quod circa eam materiam desiderari possit.

Consect. 4. De credendis circa ea, quæ spectant vel beatitudinem salvandorum, vel æternam infelicitatem damnandorum. Statuta doctrina sacramentorum quibus ad gloriam ducimur, qualis futura esset illa beatitudo, explicandum supererat, & fusius explicandum, quis futurus esset invariabilis tam salvandorum quam damnandorum status. Et hoc quidem factum est in pluribus conciliis, sed præcipue in Florentino, in quo determinatum est, animas, non plene sanctificatas, in Purgatorio ad certum tempus detineri, plene purgatas in Paradisum in æternum evehi; infectas vero peccato vel originali, vel actuali mortali in infernum descendere, supponens jam definitum in concilio Constantin. I. priorum beatitudinem, sicut & posteriorum infelicitatem perpetuam atque æternam fore, cum dicit in Symbolo: *cujus Regni non erit finis.* Verba Florentini sunt hæc: *Si vere*, inquit, *pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari; & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia; Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta: illorumque animas, quæ post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & unum*

sicuti

scuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel originali solo decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Consect. 5. Post explicatam in variis Conciliis Generalibus fidem Catholicam circa Trinitatem, Incarnationem, Ecclesiam, Gratiam Christi, & Sacramenta, & futurum tum salvandorum tum damnandorum statum, unum adhuc necessarium videbatur, scilicet, concilium aliquod generale, in quo quasi in brevi epilogo omnia colligerentur, quæ erant in variis conciliis dispersa: & istud ultimum providit Deus, dum Conc. Trid. in magnum Ecclesiæ bonum & congregari & terminari voluit, in quo nihil omnino deest, quod vel ad fidem explicandam, vel ad reformandos mores, vel ad disciplinam instituendam inservire possit, præcipue si ei adjungatur Catechismus ad parochos, & uterque liber legatur consulendo loca, quæ in margine adnotantur. Si enim ea diligentia adhibeatur, tum planum fiet, Concilium & Catechismum Trid. nihil aliud esse, quam brevem Christianæ & Catholicæ Religionis summam, quam concise quidem, sed clare proponit, quamque in variis tum conciliis, tum Patribus, tum Auctoribus Ecclesiasticis fusius tractatam appositis ad marginem notulis indigitat.

Consect. 6. Post traditam in variis conciliis generalibus irrefragabilem credendorum divisionem, & post propositam in Tridentino omnium præcedentium conciliorum Œcumenicorum summam, unum adhuc desiderari potuisset ad maximum fidei nostræ incrementum, ut scilicet quodlibet fidei nostræ Mysterium, ab hæreticis impugnatum, speciale haberet concilium aliquod Provinciale, in quo quasi ex professo fuisset propugnatum. Et istud ultimum fidei nostræ fulcimentum non denegavit Deus Ecclesiæ suæ; quinimmo ita abundanter providit, ut nullum sit Mysterium Catholicæ Religionis ab hæreticis impetitum, quod non solum in aliquo concilio Generali, sed etiam in pluribus conciliis particularibus non fuerit ex professo stabilitum. Sic Mysterium Trinitatis & Incarnationis habes exactissime explicatum in concilio Toletano XI. Doctrinam circa Ecclesiam, ejusque proprietates & dotes habes exaratam in concilio Senonensi. Doctrinam de gratia Christi reperies in concilio Arausicano II. Brevem simul & distinctam de Sacramentis instructionem continet Eugenii IV. decretum ad Armenos. Tandem, quis sit futurus damnandorum & salvandorum status definit Scriptura dicens: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Æternam Christi & Sanctorum beatitudinem his verbis profitetur Symbolum Constantinopolitanum: *Cujus regni non erit finis*: & Trid. anathemate percussit *illos, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes esse invocandos.* Sess. 25. de invoc. Sanct. & Toletanum IV. c. 1. sic habet: *Percepturi sunt autem, a Domino in die novissima, alii pro justitia meritis vitam æternam, alii pro peccatis supplicii æterni sententiam.*

ARTICULUS II.

Qua methodo ad certa capita reduci possint omnes Canones fidei in Conciliis Provincialibus editi.

Nota ex dictis, quod concilia Provincialia sunt ut plurimum vel dispositiones ad concilium generale, quod præcedunt, vel executiones concilii Generalis, quod subsequuntur.

Nota insuper, quod omnia concilia Generalia fidem respicientia agunt vel de Deo, vel de Trinitate, vel de Incarnatione, vel de Ecclesia, vel de Gratia, aut de Sacramentis, vel de futuro alterius vitæ statu.

Prop. un. Ut fiat methodica reductio Canonum fidei, qui editi sunt in conciliis Provincialibus, concilia Provincialia debent distribui penes concilia Generalia, quæ vel præcedunt, vel subsequuntur, & penes dogmata fidei in conciliis Generalibus definita.

Prob. Concilia Provincialia sunt vulgo vel dispositiones ad concilium Generale quod præcedunt, vel executiones concilii Generalis quod subsequuntur; & proinde eorum canones sunt pariter, aut dispositiones ad concilium Generale quod præcedunt, aut executiones illius concilii Generalis quod sequuntur: ergo concilia Provincialia commode dividi possunt penes concilium Generale, quod vel præcedunt, vel sequuntur, & penes dogmata in illis conciliis definita, & penes hæreticos, qui in quolibet concilio Generali damnati sunt; quia relativum distinguitur ratione termini, ad quem ordinatur; & quia in quolibet Generali concilio damnatus est aliquis error capitalis, sub damnatus aliquis hæreticus, v. g. in Nicæno damnati sunt Ariani, in Constantinopolitano I. Macedoniani, in Ephesino Nestoriani, in Chalcedonensi Eutychiani &c. juxta diversos illos hæreticos distingui possunt concilia Provincialia, adeo ut concilia particularia fidem respicientia sic distribuantur: *Concilia particularia contra Arianos: Concilia particularia contra Nestorianos*; & sic per varias classes percurrantur omnes hæretici.

Consect. un. in quo exemplum singulare proponitur, ut ex illo appareat, quo pacto ad certam classem reduci possint omnia concilia particularia fidem respicientia, quæ aliquod concilium Generale vel præcedunt, vel sequuntur. Sumo v. g. Nicænum, & sic procedo. Inquiro quid sit in ea Synodo determinatum de fide, & reperio quatuor ibi esse definita. 1. Deum esse *factorem visibilium & invisibilium*, contra Manichæos. 2. Deum esse patrem, filium, & Spiritum S. seu esse in Deo tres personas realiter distinctas, contra Sabellium. 3. *Jesum Christum esse Filium Dei, natum ex Patre ... Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero ... Patri consubstantialem*, contra Arianos. 4. In forma Ecclesiæ baptizatos non esse rebaptizandos, bene tamen eos, qui essent indebite baptizati: Can. 19. Hoc facto inquiro, quot fuerint habita concilia particularia sive ante, sive post Nicænum contra Manichæos, quot contra Sabellianos, quot contra Arianos, quot demum contra rebaptizantes. Immo inspicio, an habita fue-

rint

rint aliqua conciliabula pro illis hæreticis: & in prima classe constituo omnia concilia particularia, vel conciliabula, si quæ sint, quæ pertinent ad Manichæos: in secunda classe ea, quæ respiciunt Sabellianos: in tertia ea, quæ spectant Arianos, vel Semiarianos: in quarta demum classe ea, quæ ad rebaptizantium disputationem conducere possunt: & sic ad certas classes reduco omnia concilia particularia, quæ sunt vel dispositiones ad concilium Nicænum, vel ejus executiones in canonibus ad fidem pertinentibus. Quod feci circa Nicænum, illud idem facio circa omnia alia concilia Generalia: & juxta illum ordinem, brevem edideram omnium Synodorum particularium collectionem, sed timui, ne nimis volumen istud excresceret: ideo illam collectionem suppressi; sed ne omnino omissa videatur, in Synopsi Historica Conciliorum notavi identidem quem errorem Synodus illa confoderet, & cujus concilii Generalis esset vel præparatio, vel executio, ut sic quilibet dispersas variis locis, variis temporibus Synodos Provinciales ad certas classes possit reducere, & ea methodo labilem memoriam juvare.

SECTIO SECUNDA.

Qua methodo ad certa capita reduci possint omnes Canones ad morem pertinentes, sive editi sint in conciliis Generalibus, sive in Provincialibus.

PRop. un. Canones, qui mores respiciunt, optima methodo reduci possunt ad præcepta Decalogi per legem Evangelicam determinata.

Prob. Canones, qui mores respiciunt, nihil aliud sunt, quam uberiores Decalogi per Evangelium explicati expositiones: ergo canones morum ad tot classes reduci possunt, quot sunt præcepta Decalogi: & quia sunt decem præcepta Decalogi, ad decem classes reduci possunt: & quia officia cujuscumque conditionis reducuntur ad præcepta Decalogi, canones pariter morum possunt reduci juxta varia cujuscumque status officia.

Consect. un. in quo proponitur singulare exemplum, quo apparet, quo pacto canones morum reduci possint. Sumo v. g. primum Decalogi præceptum, video quod juxta moralem a me traditam primo præcepto imperatur singulis hominibus Fides, Spes, Caritas, & Religio. Inter legendum concilia video, qui canones inservire possunt ad explicandum exercitium Fidei, Spei, Caritatis, & Religionis, & canones respicientes fidem, qui non sunt citati in Morali Christiana, speciali nota designo, vel asterisco confodio, & sic quid concilia circa fidem exercendam dixerint, nitor addiscere. Quod dixi de primo præcepto, idem de aliis præceptis dictum existima: v. g. exemplo sit famosissima hæc quæstio: *An reus contra formas juris interrogatus, possit absque peccato jurare æquivoce.* Inter legendo concilia reperio, eam quæstionem examinatam fuisse in Concilio Troslejano an. 909. can. 11. & reprobatam esse eam sententiam, quæ permittebat, reum in his circumstantiis posse jurare *æquivoce*: tunc rem aeu designo, & textum Concilii aliis auctoritatibus a me allatis adjungo. Quod de hac quæstione dixi, de aliis dictum puta.

SECTIO TERTIA.

Qua methodo ad certa capita reduci possint omnes Canones ad disciplinam pertinentes, sive editi sint in conciliis Generalibus, sive Provincialibus.

PRop. un. Canones disciplinæ optima methodo reduci possunt ad præcepta mere Ecclesiastica, & ad leges mere positivas, quas Ecclesia constituit.

Prob. Canones, qui disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, sunt hi, qui determinant jus mere Ecclesiasticum: quia per hujusmodi canones nihil aliud intelligimus: ergo optima methodo reduci possunt ad præcepta mere Ecclesiastica, & ad leges mere positivas, quas Ecclesia instituit.

Consect. un. in quo proponitur singulare exemplum, quo appareat, quo pacto canones disciplinæ reduci possunt. Sumo v. g. primum Ecclesiæ præceptum, video quid circa sanctificationem Festorum jus positivum Ecclesiasticum statuat, & canones id respicientes speciali nota designo.

CAPUT IV.

De vero usu conciliorum in resolvendis casibus conscientiæ.

ARTICULUS I.

In quo per varios paragraphos explicatur, quæ sint necessaria ei, qui summa conciliorum uti voluerit ad casus conscientiæ resolvendos.

§. I. QUi resolvendis casibus conscientiæ incumbit, summam Conciliorum sibi primo comparet, qualis est, v. g. summa Caranzæ, Coriolani, Joverii, &c. Non debet insistere his quæstionibus, quibus circa Concilia occupantur critici; illæ enim quæstiones ad resolvendos casus conscientiæ nihil inserviunt. Sufficit ergo, ut moralis Theologus legat simplicem textum canonum, & eorum sensum conetur assequi; neglectis variis dissertationibus, quæ sæpe circa diversa, & inutiles materias agitantur. Tempus enim, quod legendis longis illis disceptationibus infructuose teritur, legendo textui canonum utiliter occupatur.

§. II. *Quæ sint scitu necessaria ad assequendam canonum intelligentiam.*

Nota ex dictis, quod concilia de tribus agere solent. 1. De his, quæ pertinent ad fidem: 2. De his, quæ pertinent ad mores. 3. De his, quæ spectant ad disciplinam. 4. Aliquando agunt de his, quæ pertinent ad jus civile. Jus enim civile, & canonicum, interdum se mutuo juvant. Canones fidei explicant, quid credendum; quid non credendum. Canones morum explicant, quid agendum, quid non agendum circa mores. Canones disciplinæ determinant, quale debeat esse regimen Ecclesiasticum: quod enim in Republica civili vocatur politia, in Republica Christiana vocatur disciplina Ecclesiastica. Regulæ canonicociviles sunt illæ, quas Ecclesia instituit ad confirmandum jus civile.

Nota 2. quod cum canones conciliorum non uno eo-

eodemque tempore scripti sint, inde est, quod non in omnibus idem reperiatur stylus; nec eædem loquendi formulæ: modo ad mores unius regionis, modo ad instituta alterius nationis fit allusio; nunc occurrunt voces primæ, & purioris latinitatis, immo & aliquando canonibus inseruntur verba infimæ, & barbaræ latinitatis; quæ singulæ difficultatem causant non mediocrem. Accedit ad majoris difficultatis incrementum, quod eadem vox modo unum modo aliud penitus diversum significat juxta varium tempus, in quo usurpatur, & juxta diversam materiam, in qua sumitur: quæ quidem singula non possunt nisi magnam confusionem legentibus parere. Qui ergo verum, & legitimum conciliorum sensum voluerit assequi, legat glossarium *Ducanges* ibi enim vocis cujuscumque in conciliis usurpatæ intelligentiam, & significationem reperiet: quot v. g. significationes admittat hæc vox *communio*, hæc vox *impositio manuum &c.* Quod si librum illum habere nequeat, legat quæ de conciliis scripsit Pater Annatus in suo Theologiæ apparatu; ibi enim explicantur solide & nitide quæcumque ad intelligentiam conciliorum conducere possunt.

ARTICULUS II.

In quo explicatur, quid sit faciendum ei, qui uti voluerit summa conciliorum ad casus conscientiæ resolvendos.

PRop. 1. Qui summa conciliorum uti voluerit ad resolvendos casus conscientiæ, debet primo optime nosse, quinam sint fidei canones, quinam canones morum, & quinam canones disciplinæ, & demum quænam regulæ canonico-civiles.

Prob. rat. Canones fidei sunt invariabiles; quia fides, quam explicant, est invariabilis: Deus enim non potest opposita revelare; v. g. hodie revelare, quod sit trinus, postea vero declarare, quod non sit trinus; sic enim sibi manifeste contradiceret. Canones morum sunt pariter invariabiles, quia 1. Præcepta Decalogi, quæ explicant, variare non possunt; jubent enim quod est ab intrinseco bonum, & vetant quod est ab intrinseco malum. 2. Præcepta Evangelica, quæ exponunt, sunt pariter invariabilia; quia legi Evangelicæ non debet alia lex divina succedere, ut docet passim Scriptura, & Paulus ex professo ad Gal. c. 1. ubi hæc dicit: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Canones disciplinæ variabiles sunt: sicut enim politia sæcularis varia est juxta diversas tum loci, tum temporis, tum personarum differentias, ita & politia, seu disciplina Ecclesiastica. Regulæ canonico-civiles non plus habent firmitatis, quam leges civiles, cum eo fine constituantur, ut jus civile in suo robore permaneat. Ergo qui conciliis uti voluerit ad resolvendos casus conscientiæ, isthæc omnia debet distinguere, ne confundat regulas variabiles cum invariabilibus.

Consectaria hujus doctrinæ.

Consect. 1. Qui prædictos canones non distinxerit, omnia in moralibus confundet, ut hac brevi inductione patebit. Hæreticus est Doctor, qui cum pertinacia asserit, usuram non esse peccatum: minime hæreticus est mercator, qui amore pecuniæ usuras accumulat. Unde hoc? Quia Doctor peccat contra canonem fidei, quo determinatur usuram esse peccatum: & mercator peccat contra canonem morum, quo inhibetur usuram exercere. Rursus nec contra fidem, nec contra mores, sed contra disciplinam peccat ignarus Parochus, qui publicum usurarium sepultura Ecclesiastica non privat, modo illud non fiat malitiose. Unde hoc? Quia Parochus nec canonem fidei, nec canonem morum, sed canonem disciplinæ violat. Unde ut hæc regula ad praxim reducatur, Doctor non potest absolvi nisi hæresim retractarit, mercator nisi damnum temporale repararit; Parochus nisi consulto prius Episcopo probe noverit, quid hoc in casu sibi faciendum sit. Sic docet quis aquam veram, & naturalem non esse materiam baptismi. Alius fidem habens Ecclesiæ circa materiam baptismi, licet minister ad hoc consecratus, baptizat in affectu peccati existens. Tertius demum ex timore mundano contra vetitum Ecclesiæ baptizat extra casum mortis, non in Baptisterio Ecclesiæ, sed in domo aliqua privata. Primus peccat contra fidem, qua jubemur credere aquam veram, & naturalem esse materiam baptismi. Secundus peccat contra mores, quibus tenemur sancte sancta tractare. Tertius peccat contra disciplinam, quæ vetat baptismum extra Baptisterium conferri, nisi erga Principes, vel erga privatos, cum adest periculum mortis.

Consect. 2. Qui prædictos canones distinguere voluerit, magna utatur meditatione, necessarium est, quia nihil est difficilius, quam exacte distinguere, quinam sint canones fidei, quinam canones morum, quinam canones disciplinæ; tum quia ista hæc sæpe in uno & eodem objecto connexa, & quasi indistincta reperiuntur; v. g. in baptismo ad fidem pertinet, quod scias baptismum constare rebus, & verbis; conferri in aqua vera & naturali, sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris & filii & Spiritus sancti.* Ad mores spectat, quod adultus non recipiat baptismum, nisi cum sanctis dispositionibus, & quod minister consecratus, non conferat, nisi sit extra affectum peccati. Ad disciplinam vero spectat, quod baptismus talibus vel talibus ritibus accidentalibus conferatur: qui ritus non fuerunt semper iidem.

Difficultatem distinguendi inter canones fidei, & morum, & disciplinæ, auget mutua eorum canonum ab invicem dependentia; nam regulæ disciplinæ moralia præcepta determinant, & moralia præcepta fidem vivam efficiunt: v. g. quam sterilis est hæc fides: Credo Deum esse adorandum, nisi fides illa exerceatur per illud præceptum, *memento ut diem Sabbati sanctifices?* & istud præceptum, *Sabbatum sanctifices*, quam vagum est, nisi per præceptum Ecclesiasticum determinetur, quod ea die audienda sit Missa, & divinis Officiis assistendum?

Prop. 2. Qui canones fidei, morum, & disciplinæ distinguere voluerit, hæc tria attendat necessum est... 1. Symbolum Apostolorum, ut cognoscat canones fidei. 2. Decalogum explicatum per Evangelium, ut cognoscat canones morum. 3. Præcepta mere Ecclesiastica, ut cognoscat canones disciplinæ.

Prob.

Digitized by Google

Prob. ratione. Canones fidei nihil aliud sunt, quam uberiores Symboli Apostolorum explicationes: canones morum nihil aliud sunt, quam fusiores Decalogi expositiones: canones disciplinæ nihil aliud sunt, quam certæ juris Ecclesiastici applicationes. Ergo qui prædictos canones distinguere voluerit, tria hæc attendat necessum est, quia canones fidei cognoscet, si eos ad Symbolum comparaverit; canones morum percipiet; si eos cum Decalogo componat; demum canones disciplinæ perspectos habebit, si eos cum præceptis mere Ecclesiasticis comparaverit.

Dixi, cum præceptis mere Ecclesiasticis; quia cum præcepta Ecclesiastica fidem præcipiunt, vel mores injungunt, tum vel ad fidem vel ad mores pertinent, & sunt invariabilia, sicut præcepta fidei & morum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnes illi canones, quibus determinatur, Deum esse unum in essentia & trinum in personis, & cetera, quæ in Symbolo continentur, sunt canones fidei. Omnes illi canones, quibus explicantur præcepta affirmativa, & negativa, quibus jubentur actus interiores & exteriores fidei, spei, caritatis, & religionis, circa hæc mysteria exercendi, aut quibus vetantur actus hujusmodi mysteriis repugnantes, sunt canones morum; quia sunt uberiores explicationes hujus præcepti Decalogi: *Dominum Deum tuum adorabis*. Item omnes illi canones, quibus determinantur Festa, & solemnitates circa Trinitatem, Incarnationem &c. sunt canones disciplinæ: quia nihil aliud sunt, quam præcepti Ecclesiastici applicationes.

Consect. 2. Omnes illi canones sunt de fide, quibus determinatur, Ecclesiam Rempublicam esse non politicam, sed sacram, non ab hominibus fundatam, sed a Deo institutam, constantem non puris hominibus, sed civibus sacro baptismate initiatis, & Prælatis, v. gr. Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis per sanctam ordinationem consecratis, quia hæc omnia pertinent ad istum articulum: *Credo unam Sanctam Ecclesiam*. Sic canones illi, quibus determinatur, quales debeant esse dispositiones sanctæ eorum, qui vel præsunt, vel subsunt in Ecclesia, sunt canones morum, quia sunt fusiores explicationes hujus præcepti Decalogi: *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Sic illæ omnes regulæ, quibus determinatur tempus, & locus, quibus possunt recipi Ordines sacri, aut præscribuntur vestes quibus distingui oporteat Clericos a non Clericis, sunt canones disciplinæ.

Sic omnes illi canones, qui pertinent ad substantiam Sacramentorum, sunt canones fidei; v. g. ad fidem pertinet, quod homines non recipiantur in Ecclesia nisi per Baptismum, non roborentur nisi per confirmationem, non nutriantur nisi per Eucharistiam, quia sunt uberiores explicationes hujus articuli: *Credo in remissionem peccatorum*: quo articulo indicatur, nos justificari per Sacramenta, aut per eorum votum. Ad canones morum pertinet, quod nonnisi cum sanctis dispositionibus recipiantur ab adultis; & cum sanctitate conferantur a Ministro consecrato; sed ad meram disciplinam pertinet, quod baptismus non conferatur solemniter, nisi in Festo Paschatis, vel Pentecostes; quod confirmatio detur immediate post baptismum ut fiebat olim, vel in adulta ætate ut fit modo. Ad fidem pertinet, debere esse non unum, sed plures Episcopos, Apostolorum successores; ad mores vero, quod sint vocati a Deo & non intrusi, sancti & non vitiosi, docti & non ignari: sed ad disciplinam spectat, quod talia sit extensio illius Episcopatus; talis vero alterius; quod enim limites illius Episcopatus sint majores, istius minores, res est disciplinæ; limites enim Episcopatuum crescunt, vel decrescunt, juxta arbitrariam Ecclesiæ determinationem.

Quod sacri Ecclesiæ Præsules sancta ordinatione consecrentur, res est fidei: quia explicat istum articulum: *Credo Ecclesiam Sanctam*. Quod sacra ordinatione consecrati debeant Laicis eminere sanctitate, res est ad mores pertinens, quia explicat hunc locum: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*. Sed quod Prælati instituti sunt, modo sorte ut Mathias; modo ad preces populi, ut septem Diaconi; modo electione, ut fit adhuc in locis quibusdam; modo per præsentationem a Rege factam summo Pontifici, ut fit in Gallia, res est solius disciplinæ. Ad fidem pertinet, quod Matrimonium sit Sacramentum: ad mores, quod habeat ea omnia, quæ ad essentiam contractus pertinent: ad disciplinam vero, quod talia, vel talia impedimenta habeat, jure positivo vel civili inducta.

Prop. 3. Canones fidei & morum sunt omnino invariabiles quoad circumstantias temporis, loci, & personarum.

Prob. Ratione. Quod pertinet ad jus naturale, est omnino invariabile quoad circumstantias temporis, loci, & personarum; quia lex naturalis habet pro objecto non id quod est indifferens, sed id quod est necessarium; atqui canones fidei & morum pertinent ad jus naturale, cum pertineant ad Decalogum: ergo sunt invariabiles quoad circumstantias temporis, loci, & personarum, ita Canones fidei & morum ubique locorum, ubique gentium, & generatim ab omnibus sunt admittendi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Canones fidei & morum ita sunt omnino invariabiles quoad substantiam, ut nulla umquam in illis contigerit variatio, nisi quoad expressionem; quia doctrina fidei & morum venit ad nos non humano documento, sicuti scientiæ humanæ, v. gr. Physica quæ mutatur juxta varia, quæ nobis offeruntur, incognitorum Phenomenorum experimenta, sed doctrina fidei & morum venit a revelatione Dei, qui, utpote infinite sciens, non potest nova cognoscere, & utpote invariabilis non potest rebus jam revelatis contradicere; & ita posteriores canones morum & fidei non possunt prioribus derogare, sed possunt solum eos explicare. Sic v. g. unitas Personarum in Divinitate ante Nicænum exprimebatur, quod Personæ essent quid unum, post Nicænum vero, quod essent consubstantiales, &c.

Consect. 2. Canones disciplinæ, quatenus exprimunt fidem vel mores, sunt omnino invariabiles, quia ea parte pertinent ad jus naturæ, & variabiles solum quoad modum, quo vel fidei exercitium determinant, vel præcepta Decalogi ad usum appli-

Digitized by Google

applicant; quia ea parte pertinent ad legem positivam.

Sic v. g. Canones, quibus Ecclesia determinavit solemnitatem Festorum, austeritatem jejuniorum, &c. sunt invariabiles ea parte, qua pietatem erga Deum, vel sobrietatem erga nos ipsos præcipiunt; quia secundum illud munus pertinent ad jus naturale: sed sunt variabiles quoad modum, vel celebrandi festa, vel exercendi jejunia; quia secundum illud munus pertinent ad jus positivum.

Prop. 4. Canones disciplinæ ea etiam parte, qua sunt variabiles, mutari non debent privata auctoritate, sed solum auctoritate Ecclesiæ vel decernentis eam mutationem, vel eam justis de causis permittentis.

Prob. Ratione. Ex dictis ubi de lege, nulla lex privata auctoritate mutari potest; quia decet privatum subesse legi, minime vero ei dominari. Atqui canones disciplinæ sunt lex inducta auctoritate Ecclesiæ: Ergo privata auctoritate mutari non possunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Canones disciplinæ tamdiu censentur vigere, quamdiu Ecclesia statuit vel pœnas novas contra infractores, vel jam statutas renovat, aut demum aliquid molitur, quo vigorem eorum canonum tueatur; quia tunc nec mutationem decernit, nec permittit, sed eidem mutationi totis viribus obsistit. Sic canones antiqui, quibus Monastica disciplina instituitur, & Cleri reformatio decernitur, suum etiam nunc vigorem habent quantum ad ea, quæ pertinent ad substantiam votorum & essentiam Clericatus; Trident. enim antiquos Canones renovat.

Consect. 2. Canones disciplinæ tunc vigere desinunt, cum Ecclesia contrariam legem statuit, aut usum contrarium non reclamando permittit; quia tunc aut mutationem decernit, aut saltem tolerat. Sic præceptum recipiendi quater in anno Eucharistiam, mutatum est in præceptum recipiendi semel in anno, ut habetur canone *Omnis utriusque sexus*. Primum ergo præceptum per aliud præceptum mutatum est. Sic concilium Ravennatense anno 1317. canone 12. vetans celebrare Missas privatas, dum solemnis dicitur, cessavit contrario usu ab Ecclesia permisso. Sic jejunium non tam rigide urget, quam urgebat tempore Divi Thomæ, quo comestio fiebat tertia hora post meridiem, jam vero fit circa meridiem; tunc non fiebat cœnula, seu collatio, ut dicunt; jam vero permittitur in Religionibus etiam strictioribus. Sic pœnitentiæ peccatoribus imponendæ taxatæ olim erant per Canones; jam vero permittente Ecclesia ad prudentiam Sacerdotum relinquuntur. Sic ex concessione Pontificum plures Ordines Religiosi (modo observent quod est de substantia votorum) in aliquo temperant severitatem antiquæ regulæ, quia satius est eos Ordines sic subsistere, quam omnino extingui.

TRACTATUS ULTIMUS.

De usu juris canonici, & civilis, & de vero usu casuistarum.

Paraveram synopsim juris Canonici, & Civilis, juxta praxim Gallicanæ jurisprudentiæ; sed quia tomus iste in immensum cresceret, ideo tantum quædam de his quæ dicturus eram, indicabo.

CAPUT I.

De jure canonico, in quo per varios paragraphos explicantur ea, quæ sunt necessaria iis qui corpore juris canonici uti voluerint ad resolvendos casus conscientiæ.

§. I. *Quid sit corpus juris canonici.*

Corpus juris Canonici est collectio eorum Canonum, idest regularum, quibus Christiani diriguntur.

Corpus juris Canonici aliud est antiquum, aliud novum, aliud novissimum: & illud dividitur in commune omnibus Christianis, & alicui nationi particulare.

Corpus juris Canonici antiquum est illud, in quo per varios auctores collecti sunt Canones, quibus Ecclesia, prioribus sæculis, per octingentos annos usa est. Si eam collectionem legere volueris, eam habes in Bibliotheca Justelli duobus tomis comprehensa, impressa Parisiis apud Billaine anno 1561. eo opere nihil utilius ei, qui jus Ecclesiasticum antiquum addiscere voluerit.

Corpus juris Canonici novum est illud, in quo hodie in scholis, & in foro utimur. Eam habes collectionem in volumine, quod vulgo corpus Canonicum nuncupatur.

Corpus autem illud Canonicum constat decreto Gratiani, 5. libris decretalium Greg. IX. Sexto decretalium Bonif. VII. Clementinis, Extravagantib. Joannis XXII. & Extravagantibus communibus.

Corpus juris Canonici novissimum est illud, quod coalescit ex decretis Conciliorum recentiorum, v. g. Constantiensis, Basileensis, Florentini, Trid. ex constitutionibus post Extravagantes communes editis, & in Bullario contentis, & ex regulis Cancellariæ Romanæ.

Corpus juris Canonici novissimum, aliud est commune singulis Christianis, aliud est aliquibus nationibus peculiare.

Corpus juris Canonici novissimum commune singulis Christianis est illud, quod coalescit ex prædictis constitutionibus, & regulis apud omnes Christianos receptis.

Corpus Canonicum novissimum peculiare est illud, quod constat ex Pragmaticis Sanctionibus, & Concordatis regalibus: tale est jus Canonicum Gallorum, Germanorum, Hispanorum, &c.

Sic jus Canonicum novissimum Gallorum constat Pragmatica Sanctione per Carolum VII. in Bituricensi Conventu de rebus Ecclesiasticis promulgata, anno 1438. ex Concordato inter Leonem & Franciscum primum inito, anno 1516. & ex libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

§. II.

§. II. *Quot sint partes juris Canonici veteris, & quomodo citari soleat.*

Jus Canonicum antiquum potest considerari secundum triplicem collectionem, primam, secundam, & tertiam. Prima dici potest Stephani Ephesini Episcopi. Secunda dici potest Dionysii Exigui. Tertia Orientalium.

Collectio prima, quam dicimus Stephani, continet solum Canones septem Conciliorum, duorum universalium, scilicet Niceni & Constantinopolitani: & quinque Provincialium, scilicet Ancirani, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni & Laodiceni. Prima hæc collectio fuit approbata a concilio Chalcedonensi, & fuit in Latinum translata ab auctore nobis incognito.

Collectio secunda est, quam dicimus Dionysii Exigui Abbatis. Hæc collectio est paulo amplior alia; ultra enim prædictos Canones continet adhuc Canones Conciliorum Chalcedonensis, Ephesini, & Sardicensis, & quinquaginta Canones Apostolorum, & aliquot Canones Africanos: immo continet Decretales summorum Pontificum a Siricio usque ad Anastasium; tres insuper Epistolas Canonicas Basilii ad Amphilochium complectitur. Abbas Dionysius Græcos Canones, & Græcas Epistolas Basilii in Latinum transtulit, ejus translatio Latina est longe accuratior ea, quam ediderat Auctor, qui priorem collectionem Latinam fecerat. Collectionem Dionysii in Galliam detulit Carolus Magnus anno 787. eamque Galli ceteris collectionibus præferunt.

Collectio tertia, quam dicimus Orientalium, est prima & secunda collectione paulo latior; ultra enim utriusque binæ collectionis decreta, addit triginta quinque Canones quinquaginta prioribus Apostolorum, & ita adnumerat octoginta quinque Canones Apostolicos: complectitur insuper Canones Trullanos, & Canones in Concilio Nicæno secundo habitos.

Jus Canonicum antiquum non aliter citari solet, quam citantur Concilia, aut Patres, e quibus extractum est. Sic v. g. si velim ostendere ex jure antiquo Diaconos non ordinari Sacerdotes, nisi trigesimum annum attigissent, ut docet Concilium Neocæsareense, & Siricius Papa, sic loca illa cito. Conc. Neocæs. can. 2. Siric. Epistol. 1. idest, ea disciplina exprimitur in Concilio Neocæsareensi Canone secundo, & in Decretali Siricii Epistola prima. Quæ duo reperies in collectione Dionysii Exigui.

§. III. *Quot sint partes juris Canonici novi, & quomodo citari soleat.*

Jus Canonicum novum, quale explicatur in Scholis, quinque libris continetur, qui vulgo dicuntur, *Decretum*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinæ*, *Extravagantes*.

Decretum Gratiani in tres partes dividitur: Prima pars continet distinct. numero centum & unam, & qualibet distinctio suos habet Canones. Secunda pars continet triginta sex causas, & causa qualibet suas habet quæstiones, & qualibet quæstio suos habet Canones; & causa trigesima tertia de pœnitentia, utpote diffusior, continet septem distinctiones.

Tertia pars continet quinque distinctiones de Consecratione: quæ omnia his carminibus exprimunt juris Canonici Doctores.

Decretum centum distinctiones dat, & unam,
Triginta causas, & sex addit sibi mixtas,
Distinguit septem pœnitentia. Consecra quinque.

Decretales continent quinque libros, quilibet liber continet certos titulos, & quilibet titulus certa quædam capitula.

Sextus liber additus quinque libris Decretalium continet etiam quinque libros, quilibet liber continet certos titulos, & quilibet titulus certa capita.

Clementinæ continent pariter quinque libros, & quilibet liber certos titulos, & quilibet titulus certa capitula.

Extravagantes continent pariter quinque libros, liber quilibet certos titulos, & quilibet titulus certa capita.

Extravagantes autem sunt duplicis generis. Aliæ sunt Jo. XXII. quia ab illo fuerunt vel editæ, vel collectæ. Aliæ sunt communes; quia fuerunt ex aliorum Pontificum Decretalibus collectæ.

Ut autem scias, quomodo citationes juris Canonici cognoscere valeas, debes isthæc advertere. Quoties in libro, quem legis, reperis hæc signa, *Can.* vel *Cap. dist.* tali, v. g. 5. primam partem Gratiani debes adire, quæ distinctiones centum & unam complectitur. Quoties reperis, *Canon.* vel *cap.* 11. *caus.* qu. 3. secundam partem Gratiani debes adire, quæ causas triginta sex complectitur: & si reperias *dist.* de *pœnitentia*, trigesimam causam debes adire, ubi sunt distinctiones septem de *pœnitentia*. Quoties reperis hæc signa, *Can.* vel *cap. dist.* de *consecr.* tertiam partem Gratiani debes consulere, in qua sunt quinque distinctiones de *consecratione*.

Si vero reperias hæc signa, *Can.* vel *cap.* de tali materia, v. g. *de feriis*, *de simonia*, tum Decretales debes adire, quæ continent quinque libros, & liber quilibet certos titulos, & titulus quilibet certa capita.

Si vero reperias eadem signa, scilicet, *Cap.* vel *Can.* de tali materia, v. g. *de feriis*, & insuper hanc notam *in* 6. vel *in* 7. tunc statim debes consulere; quia liber ille vocatur *sextus*, eo quod additus sit quinque libris Decretalium.

Si vero reperias eadem signa, scilicet, *cap.* vel *can.* cum isto addito *Clem.* tunc Clementinas debes adire.

Si vero eadem signa reperias, v. g. *cap.* vel *Can.* de tali materia, v. g. *de feriis*, cum isto addito *Extrav.* 22. tum Extrav. Joan. XXII. debes adire; si vero reperias Extrav. *comm.* tum Extrav. communes debes consulere.

Scias adhuc, quod ne nimio labore fatigeris in quærendis citationibus in jure Canonico contentis, initio vel fine Gratiani appositus est index alphabeticus primæ vocis Canonum, qui in Gratiano continentur, & cum additione vel distinctionis, vel causæ, vel distinctionis de consecratione; immo notatur pagina, in qua prædictus Canon reperiatur, ut sic facili negotio Canonem, quem quæris, possis invenire. Idem habes initio Decretalium, initio libri Sexti, initio Clementinarum, & Extravag. v. g. ut Canonistæ probent

Cle-

Clericum, vel Beneficiatum, vel in Sacris, teneri ad recitandum horas canonicas, sic procedunt: hoc habetur inquiunt Can. *Presbyter*. 2. dist. 91. & *extra*. cap. *Dolentes*. 9. de celeb. Missæ. Quære ergo in illo indice alphabetico vocem *Presbyter*, & reperies paginam, in qua Canon ille reperiatur: & si error intervenisset in designanda pagina, incuria Typographorum, quære in prima parte Gratiani distinctionem secundam & Canonem nonagesimum primum: Item quære in indice alphabetico Decretalium vocem illam *Dolentes*, & reperies in qua pagina sit illud caput: quod si forte error contigisset in designanda pagina, quære titulum de celebratione Missæ, & caput nonum, & tunc caput *Dolentes* reperies. Ceterum istud magis exercitio quam studio addiscitur. Sed ne deterreatis variis abbreviationibus, quibus utuntur Auctores in citando jure Canonico, hæc addidisse non erit forte inutile his, qui sunt minus exercitati in legendo jure Canonico.

§. III. *In quo explicantur breviata juris Canonici citationes*.

Can. 1. Dist. 31. Idest canone primo distinctione trigesima prima primæ partis.

Can. *Sciendum* dist. 31. Idest canone, qui sic incipit *sciendum*, qui reperitur distinctione trigesima prima primæ partis.

Can. *Clericum* 74. XI. q. 1. Id est canone, qui sic incipit *Clericum*, qui canon est septuagesimus quartus, & qui reperitur causa undecima, quæstione prima secundæ partis.

Can. *Reperiuntur*. 2. dist. de pœn. Id est canone, qui sic incipit *Reperiuntur*, qui reperitur in secunda distinctione de pœnitentia, quæ distinctio reperitur in causa trigesima tertia secundæ partis.

Can. 82. dist. 2. de consec. Idest, canone octuagesimo secundo, qui reperitur in secunda distinctione tertiæ partis.

Cap. *Novit*. Extra de *judiciis*. Id est capite, cujus initium est vox ista, *Novit*, quod reperitur extra Gratianum, scilicet in Decretalibus lib. 2. in quo est titulus de judiciis, & in quo titulo de judiciis est caput, cujus initium est vox ista *novit*. Si forte citatio fiat hoc modo, cap. *Fin. de judiciis*, tunc signum est caput, de quo est quæstio, esse ultimum. Si forte ponatur apud Greg. signum est, id reperiri in Decretalibus, quarum auctor censetur Gregorius nonus.

Cap. *Cum singula*. De præb. & dign. in 6. vel in 6. Id est capite, cujus initium est hæc gemina vox, *Cum singula*, quod caput reperitur in titulo de præbendis, & dignitatibus, qui titulus reperitur in libro tertio sexti, qui additus fuit quinque libris Decretalium.

Cap. 1. De jure Patron. Clem. Idest, capite primo tituli decimi secundi, qui est de jure Patronatus, qui titulus reperitur in libro tertio Clementinarum.

Clem. *Si furiosus*. De homic. volunt. & casual. idest, Clementina, cujus initium est gemina ista vox, *si furiosus*, in titulo de homicidio voluntario vel casuali, qui titulus reperitur in libro quinto Clementinarum.

Cap. *Execrabilis* de Præbend. & dign. extr. 22. idest capite, cujus initium est ista vox, *execrabilis*, quod caput reperitur in titulo de præbendis & dignitatibus in libro Extravagantium Joannis XXII.

Cap. *Sancta Romana*. De elect. exter. com. idest capite, cujus initium est duplex ista vox, *Sancta Romana*, in titulo *de Electione* qui titulus reperitur in Extrav. communibus. Illæ autem Decretales vocantur Extravag. eo quod vagantur extra collectionem *Decretalium*, & *Clementinarum*.

§. IV. *De jure Canonico novissimo, & quomodo citari soleat*.

Jus Canonicum novissimum est illud, quod coalescit ex variis legibus Ecclesiasticis, quæ institutæ sunt a tempore Joannis XXII. qui Extrav. collegit. Hæ autem leges continentur vel in conciliis, in quibus statutæ sunt, vel in Bullario continente omnes constitutiones summorum Pontificum. Jus autem novissimum non aliter citari solet, quam citentur concilia, vel Bullæ Pontificum. Sic v. g. cum citatur concilium Basileense, Constantiense, Florentinum, Tridentinum, ea concilia quærenda sunt in summa conciliorum: & cum citatur aliqua constitutio summi Pontificis, ea constitutio quærenda est in Bullario.

§. V. *Quomodo utendum sit jure Canonico in resolvendis casibus conscientiæ*.

Jus canonicum coalescit ex variis Scripturæ textibus, ex variis Sanctorum Patrum auctoritatibus, & ex variis conciliorum canonibus, & summorum Pontificum decretis, totumque suum robur mutuatur ex locis, quibus componitur. Qui ergo jure canonico utitur ad decisionem casuum, videat quid ex jure canonico extrahat, an textum Scripturæ, an auctoritatem Patrum, an canones conciliorum, an Pontificum decreta. Si Scripturam ex jure canonico mutuetur, eas servet regulas, quas circa Scripturam adhibendas statuimus. Si vero canones extrahat, eas observet leges, quas circa concilia observandas esse censuimus. Si vero vel auctoritatem alicujus Patris, vel decretum alicujus Papæ ex jure canonico educat, eas sibi præscribat regulas, quas statuimus in primo Tomo circa verum usum Patrum, & decretorum Pontificum.

CAPUT II.

De jure Civili.

§. I. *Quid sit jus Civile*.

JUS Civile est collectio earum legum, quibus homines diriguntur in bonum Reipublicæ. Totuplex potest esse Jus Civile, quotuplex est Respublica: sed Jus Romanum ceteris longe præfertur; ideo de eo solo agimus.

Jus Civile Romanum est duplex, antiquum, & novum.

Jus Civile Romanum antiquum est illud, quod constat ex codice Hermogeniano, Gregoriano, & Theodosiano.

Jus

Jus Civile novum est illud, quod constat ex his libris, qui in scholis explicari solent, & integrum corpus Juris civilis constituunt.

Corpus autem civile sic ordinatur. I. Occurrunt quatuor libri Institutionum: quilibet suos habet titulos, & titulus quilibet suos paragraphos.

II. Occurrunt Pandectæ, seu libri quinquaginta Digestorum: quilibet liber suos habet titulos, & quilibet titulus suas leges.

III. Occurrunt duodecim libri Codicis: quilibet liber suos habet titulos, & quilibet titulus suas leges.

IV. Occurrunt Novellæ diversorum Imperatorum.

V. Feudorum Constitutiones.

VI. Extravagantes.

Quæ singula vix explicari possunt, nisi oculis intuentium, libros evolvendo, ostendantur.

§. II. *Quomodo citari soleat Jus civile.*

Ut scias, quomodo citari soleat Jus civile, oportet, ut probe noris notas librorum, quæ sunt hujusmodi.

I. idest Institutiones.
D. vel ff. idest, Digesta, seu Pandectæ.
C. idest Codex.
N. idest Novellæ.
E. idest Edicta Justiniani Imperatoris.
N. J. idest Novellæ Justini.
C. T. idest Constitutiones Tiberii.
C. JJ. idest Constitutiones Justiniani Justini.
L. idest Leonis Novellæ.
C. I. idest Constitutiones Imperiales.
F. idest Feudorum consuetudines.
Ex. idest Extravagantes.

Sic ergo citantur varii libri Juris civilis. Inst. lib. 3. T. 16. §. 2. De verb. oblig. Idest, Institutionum libro tertio, titulo decimo sexto, paragrapho secundo de verborum obligationibus.

L. 42. ff. verb. obl. Idest lege quadragesima secunda, ff. idest digestorum, seu Pandectarum, titulo de verborum obligationibus; ideoque quærendum, in quo libro sit ille titulus.

L. 4. c. de obl. & act. Idest lege quarta, C. idest Codicis, de obligationibus, & actionibus; & quærendum est, in quo libro sit ille titulus.

Nov. 7. c. 3. §. 2. idest Novella septima, capite tertio, paragrapho secundo.

§. Fi. Et tit. in quib. mod. feud. amit. Idest paragrapho finali, & titulo, in quibus modis feudum amittatur.

Sicuti diximus, quod in Jure canonico ponitur index alphabeticus primæ vocis Canonum, qui apud Gratianum reperiuntur, vel Capitulorum, quæ reperiuntur extra Gratianum; ita in Jure civili ponitur index alphabeticus primæ vocis cujuscumque legis, quæ vel in Digestis, vel in Codice, vel in aliis libris reperitur: & sicut diximus, quod in illo indice Juris canonici designatur pagina, in qua reperitur vel Canon, vel Capitulum; ita in Jure civili designatur liber, & titulus, in quo reperitur lex, cujus citatur initium. Qui ergo voluerit sibi comparare prompta facilitate quascumque inveniendi Juris civilis citationes, legat illum indicem, & in quærendis illis legibus seipsum exerceat.

C A P U T III.

De vero usu Casuistarum.

Circa usum *Casuistarum* duæ sunt sententiæ omnino oppositæ: alii nullos Casuistas legendos putant: alii vero omnes indiscriminatim & legendos & suscipiendos arbitrantur. Utrumque extremum vituperandum; periculosum est nullis credere Casuistis, sed singulis credere periculosius. Quæ ergo cautio, inquies, adhibenda est in re tam lubrica? Quid circa hoc sentiam paucis accipe.

Primo, Divum Thomam, Divum Bonaventuram, Divum Raymundum, & Divum Antoninum potes legere intrepide & inoffenso pede, & utar verbis D. Hieronymi loquentis de S. Hilario: Sancti illi Doctores nimis sunt toto Orbe Christiano celebres, quam ut nostra commendatione egeant. Secundo, alios inferioris notæ Casuistas non lege, nisi prius attente pervolveris & diu meditatus fueris *Censuram* a Clero Gallicano editam an. 1700. ut hac saluberrima antidoto & laxiores & rigidiores Casuistas emendes, & quid in utrisque fugiendum sit, repetita ejusdem *Censuræ* lectione prænoveris, ... ea enim *Censura* maximam apud omnes Christianos, præcipue apud nos Gallos, debet habere auctoritatem, tum propter dignitatem & eruditionem eorum, qui huic operi concinnando incubuerunt, tum maxime quia nihil aliud præstitisse videntur Gallicani Præsules, quam solemniter *intimare eas*, quas summi Pontifices censuras ediderant contra vel rigidiores, vel laxiores casuum arbitros; adeo ut post tam solemne tum Romanæ, tum Gallicanæ Ecclesiæ judicium, de ea *Censura* dici quodammodo possit, quod de Synodis universalibus dicit Senonense Concilium, anno 1529. *Quod si ubi duo vel tres in nomine Domini congregantur, licet sibi ipsis relicti falli possint, continuo tamen in medio eorum sit Dominus: quanto magis ubi summus Pontifex ceterique primores Ecclesiastici conveniunt, ut hæresibus pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum subortis exturgent zizaniis.* Quæ duo in hujus censuræ concinnatione intervenerunt, cum ex una parte præcesserit Ecclesiæ Romanæ judicium; ex alia vero Gallicani Patres latam a Romanis Pontificibus sententiam & susceperint, & solemniter promulgaverint. Sicut ergo, ut loquitur idem Senonense, *sancta & inviolabilis est Conciliorum universalium auctoritas; cui quisquis refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet*; ita, sed inferiori quidem modo, *sancta & inviolabilis* Christianis omnibus, & præcipue nobis, debet esse Cleri Gallicani Conventus auctoritas cui refragari nefas esset, cui vero acquiescere nemini potest esse inglorium. *Si toto isto opere quid exciderit fidei minus consonum*, illud lubens diffiteor & ejuro: si quid vero minus recte dictum, monitus sponte emendabo.

Domine Deus une, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui, si qua de meo, & tu ignosce & tui, Amen. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 61.

F I N I S.

INDEX

RERUM OMNIUM NOTABILIUM, QUÆ IN TOTA HAC MORALI CONTINENTUR, ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS.

Numeri Romani indicant Tomos: Arithmetici paginam.

A

Æqui-

Digitized by Google

B

Digitized by Google

C

Digitized by Google

Digitized by Google

pturæ,

Digitized by Google

D

Disci-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Fo-

fitum.

Digitized by Google

In-

Digitized by Google

Pro-

Digitized by Google

Pro-

Luxu-

M

Digitized by Google

Digitized by Google

N

O

Pro-

Digitized by Google

quam

Digitized by Google

ad

Digitized by Google

Digitized by Google

vitio-

Digitized by Google

Pro-

Digitized by Google

FINIS INDICIS ALPHABETICIS.

Digitized by Google

APPENDIX

IN QUA

Plurium SS. Pontificum Bullarum Synopſes ad morum ſanam Doctrinam attinentium, nec non Epiſtolæ Doctrinæ Moralis & Canonicæ ex Conſtitutionibus, aliiſque Operibus BENEDICTI XIV. P. M. excerptæ, una cum Monitis S. Caroli Borromæi ad Confeſſarios, Canonibus Pœnitentialibus, Propoſitionibus damnatis, caſibus reſervatis, aliaque ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantia continentur.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITUTIONUM PONTIFICIARUM
SYNOPSES.

DE BAPTISMO.

De cognatione in Sacramento Baptismi contracta.

PIUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum illius &c.*

MOta fuerant dubia circa cognationem spiritualem, quæ contrahitur in hoc Sacramento.
Sed Pius declarat præter personas a Concilio Tridentino nominatas, hoc est *Inter baptizantem, & illius patrem, & matrem, nec non baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, inter suscipientes & susceptum, susceptique patrem, & matrem*, inter alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & suscepti nullam aliam dari spiritualem cognationem. N. O. *Nulli ergo &c.*
D. Romæ apud S. Petrum IV. Kal. Dec. P. a. I. a. D. 1566.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Permittitur Indiarum Episcopis succus quidam pro balsamo adhibendus in Sacro Chrismate.

PIUS V. ad p. r. m.

Inc. *Digna reddimur &c.*

CUm in Indiis non possent Episcopi reperire balsamum, quo possent Sacrum Chrisma conficere, esset autem *succus quidam mira odoris fragrantia, & ad sananda vulnera admodum conducens, qui communiter habetur pro vero balsamo*, Episcopi earum partium supplicarunt Pio, ut liceret sibi adhibere liquorem hunc pro balsamo requisito in confectione Sacri Chrismatis.
Id illis permittit Pius; quoniam succus ille eas qualitates habet, quæ significantur a Sacramentis, in quibus hoc Chrisma adhibetur. N. O.
D. Romæ apud S. Petrum die II. Aug. P. a. IV. a. D. 1571.

Episcopi Portugalliæ, & Algarbiorum possunt conficere Chrisma cum balsamo Orientali.

SIXTUS V. ad f. r. m.

Inc. *Cum Balsamum &c.*

ROmana Ecclesia semper consuevit conficere Sacrum Chrisma cum Balsamo Vallis Hierico. Sed cum a Turcis arbores liquorem illum producentes pene omnes rescissæ fuissent, fortasse in odium Christiani nominis, factum erat rarissimum.
Permittit itaque Sixtus Portugalliæ, & Algarbiorum Episcopis ob summam difficultatem balsamum hujusmodi inveniendi, uti in conficiendo Chrismate balsamo Orientali, præcipue cum nulla sit Ecclesiastica traditio, vel jussio, quæ velit, Balsamum Vallis Hierico esse de necessitate adhibendum, sed satis sit, si Episcopus Balsamo utatur.
Ita egerunt Pius IV. Gregorius XIII. qui Episcopis Brasiliæ permiserunt uti Brasiliæ Balsamo. N. O.
D. Romæ apud S. Petrum die XXX. Ap. a. V. a. D. 1590.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Fieri confessio non potest inter absentes pœnitentem, & Confessarium.

CLEMENS VIII.

Inc. *Sanctissimus in Christo, &c.*

EXaminatam in Congregatione Cardinalium Sacræ Inquisitionis hanc propositionem, *Num liceat per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata confiteri, & ab eo absente obtinere absolutionem?*
Eadem Sacra Congregatio damnat ut falsam, temerariam, & scandalosam.
Ac proinde qui eam defenderit, excommunicationis pœnam a solo Pontifice solvendæ incursurum esse denuntiat.
Indict. XV. die XIX. Julii P. a. XI. a. D. 1602.

In sollicitantes ad turpia in Confessione.

PIUS IV. Archiepiscopo Hispalensi in Hispania hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali.

Inc. *Cum sicut, &c.*

FActus certior ex multorum relatione Pontifex, Sacerdotes quosdam in Hispaniis abuti Confessionis Sacramento, & mulieres pœnitentes in Confessione sollicitare ad turpia.
Inquisitori Generali mandat, ut hos inquirat, vel inquirere faciat, & in eos, ut in hæreticos procedat.
Et juxta gravitatem delicti eos puniat, etiam si opus fuerit, degradet, & judicio sæculari tradat. N. O. *Nulli ergo, &c.*
D. Romæ apud S. Petrum die XIV. Ap. P. a. II. a. D. 1561.

Explicatio prædictæ Constitutionis de sollicitatione

GREGORIUS XV. ad p. r. m.

Inc. *Universi Dominici, &c.*

APprobata Constitutione Pii IV. quæ est proximæ præcedens, præceptaque ejus inviolabili observantia.
Ne dubium enasci possit quandoquam procedendum sit contra hos Confessarios Sacerdotes sæcu-

 lares,

lares, vel regulares exemptos, & non exemptos *sollicitantes ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet peragenda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea; vel post immediate, seu occasione, seu praetextu Confessionis, etiam Confessione non sequuta, in confessionario, vel loco ad confessiones audiendas electo simulantes audire confessionem, habentes inhonestos sermones* ab inquisitione puniendos decernit.

Et praecipit Cardinalibus Inquisitoribus, ne sinant hoc crimen impunitum *ob probationum defectum, cum difficilis sit probationis.*

Confessores scientes, aliquas fuisse sollicitatas a Confessoribus, eas moneant, ut Inquisitori nomen sollicitantis deferant. N. O.

D. Romae apud S. M. Maj. II. Kal. Sept. P. a. D. 1622.

Confirmatio praedictarum Constitutionum: poenitentibus falso accusantibus Confessores absolutio negetur: complices scelerum ne admittantur ad Confessionem.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Sacramentum Poenitentiae, &c.*

NE Sacramentum Poenitentiae a Christo Domino institutum, ut tanquam tabula eriperet a naufragio fideles, converteretur in fidelium exitium ab ejus ministris, multa praecaverunt Pontifices, praecipue Gregorius XV. multa Congregatio S. Officii, multas propositiones circa eam damnavit Alexander VII.

Ii, qui in ruinam Christi fidelium tam salubrem medicinam convertunt, sunt Confessarii ad turpia, & inhonesta poenitentes suos sollicitantes.

Contra hos igitur Benedictus praedicta omnia confirmat, & mandat Inquisitionibus, & Ordinariis, ut nullo habito respectu, inquirant in hos Confessarios saeculares, vel regulares, qui vel in Confessionalibus, vel aliis in locis ad Confessiones excipiendas destinatis id peragunt.

Mandat etiam Confessariis, ut si aliquis poenitens sollicitatus ad eos accedat, obligent ad denuntiandos sollicitantes, & absolutionem eis denegent, si id facere recuset.

Quia vero accidere potest, ut quidam mali homines aliquem bonum ministrum tanquam sollicitantem denuncient falso, vult iis denegari absolutionem extra periculum mortis, eam soli Pontifici reservans.

Ad hoc autem, quantum fieri potest, praecavendum, inhibet cuicumque Confessario, licet approbatus sit, & gaudeat exemptionibus, & privilegiis, ne complices harum turpium rerum ad Confessiones admittat, nullam declarans futuram datam absolutionem, nisi immineat, & urgens adsit necessitas.

Aliter faciens incurrat ipso facto excommunicationem soli Romano Pontifici reservatam absolvendam. N. O.

Ordinarii jubentur in approbatione Confessariorum Confessariis haec omnia nota facere. *Nulli ergo, &c.*

D. Romae apud S. M. Maj. k. Junii P. a. I. a. D. 1741.

Dubitationes exortae ad partem ultimam praecedentis Constitutionis de socio scelerum solvuntur.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Apostolici muneris, &c.*

CUm ex praecedenti constitutione, in ea parte, in qua vetat Pontifex, Confessarium socio sui sceleris contra sextum praeceptum impertiri posse absolutionem, *nisi in casu necessitatis, hoc est in mortis articulo*, dubitationes essent ortae, sui muneris putat esse eas solvere.

Eam ergo constitutionem rursus confirmat, & ait, si periculum mortis non adsit, Sacerdotem hunc non posse absolvere socium sui criminis, & si adsit alius Sacerdos, debere hunc, non illum audire morientis confessionem; & si se ingesserit ut audiat Confessionem, valide quidem morientem esse absolutum: presbyterum autem non debere effugere poenas jam statutas.

Ulterius si adsit infamia, scandalum, si veniet alius Sacerdos ad audiendam confessionem morientis, hic Sacerdos socius non possit confessionem audire, sciat autem, se graviter deliquisse, quia exposuit morientem gravi peccandi periculo.

D. Romae apud S. M. Maj. die VIII. Febr. P. a. V. a. D. 1745.

Apponitur & Decretum generalis Inquisitionis, quo jubetur, ut haec Benedicti Constitutio publicetur ab Ordinariis, & semel in anno feria quinta post octavam Assumptionis B. M. Virginis legatur apud Regulares in capitulo vel refectorio.

5. Aug. a. 1745.

Ne exquirantur a Confessario socii criminis a poenitente.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopis, Episcopis regnorum Portugalliae, & Algarbiorum.

Inc. *Suprema omnium, &c.*

INtroductus fuerat in regna Portugalliae, & Algarbiorum abusus pessimus a quibusdam Confessariis, putantibus se bene agere, & volentibus etiam damnabilem opinionem defendere, scilicet a poenitentibus etiam sub minis denegandae absolutionis exquirendi & sciendi socios eorum criminum.

Hinc falso zelo commoti hi Confessarii hos socios, quorum nomina, & habitationem inquirebant, corrigebant. Hinc odium summum in confessionem, quae adeo religiose sacramentale observare debet silentium, enascebatur.

Opposuerant sese huic malo duo Cardinales, supremus Inquisitor, & Patriarcha Lisbonensis: sed Doctores quidam perversis scriptis ausi sunt tam pravam opinionem tutari.

Quam Pontifex volens tollere funditus, eam, ut scandalosam, ut injuriosam famae proximi, ut tendentem ad violationem Sacramentalis sigilli damnat.

Et Episcopos eorum regnorum monet, ut Ecclesiastica remedia adhibeant contra hos Confessarios ita agentes.

D. Romae apud S. M. Maj. die VII. Jul. P. a. V. a. D. 1745.

Poe.

Pœna excommunicationis non absolvenda nisi a R. Pontifice infligitur Sacerdotibus detorquentibus in alium sensum praedictam Constitutionem.

BENEDICTUS XIV. ad f. r. m.

Inc. *Ubi primum*, &c.

MOrem introductum in Regna Portugalliæ, & Algarbiorum sciendi socios delictorum a pœnitentibus, narrat Benedictus, & quam constitutionem ediderit (quæ est proxime superior, quam inseruit & in hanc) affert, quam confirmat.

In hac autem constitutione pœnam excommunicationis latæ sententiæ non absolvendæ nisi a Romano Pontifice & in mortis articulo minatur iis, qui audebunt detorquere sensum prædictæ constitutionis, & praxim defendere: & sub præcepto strictæ obedientiæ omnibus Confessariis utriusque Cleri injungit, ut eam observent.

Tum contra delinquentes doctores, male interpretantes eam, procedendi modum præscribit inquisitoribus fidei, jubens, ut scientes aliquem Confessarium ita agere, denuntient.

Quod si actus hic fuerit *imprudens*, & *simplex* in Confessario, nullæque adsint circumstantiæ, ex quibus appareat, ex malitia egisse Confessarium, puniatur ab Ordinariis: & ita decernit observari ab omnibus hæc. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. in arce Gandulphi IV. Non. Junii P. a. VI. a. D. 1746.

Confirmatio prædictarum Constitutionum de sociis.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Ad erudiendam*, &c.

TErtio confirmat Benedictus primas litteras editas contra Confessarios exquirentes socios de lictorum a pœnitentibus. Nimium enim cordi est Pontifici, ut abusus circa hoc Sacramentum tollantur, cum jam satis per se hoc Sacramentum sit grave, etiam si non addatur timor fractionis sigilli.

Et præfatas litteras ad universos, & singulos Confessarios utriusque cleri extendit. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. IV. Kal. Oct. P. a. VII. a. D. 1746.

Pœnitentes requisiti a Confessariis de sociis, Confessarios denuntient Inquisitoribus, & Inquisitores in eos procedant.

BENEDICTUS XIV. ad f. r. m.

Inc. *Apostolici ministerii*, &c.

REpetit Benedictus, quæ ediderit decreta contra Confessarios exquirentes a pœnitentibus nomina, & habitationem sociorum, quod malum erat præcipue in Portugalliæ, & Algarbiorum regnis.

Ut hoc malum funditus evellat hæc decernit ulterius, ut omnes, exceptis pœnitentibus in caussa propria, denuntient hos Confessarios Inquisitioni.

Ubi fuerit delinquens Sacerdos denunciatus, Procurator Ordinarii de more in Tribunali Inquisitionis assistens, si crediderit causæ cognitionem spectare ad Ordinarium, afferat scriptas rationes intra tempus constitutum, & controversia *de pertinentia* caussæ examinetur in ipso Tribunali Inquisitionis, & in edenda sententia justitiæ, tantum habeatur ratio, & ut decisum fuerit vel ab Inquisitione, vel ab Ordinario, fiat processus.

Hasque litteras perpetuo valituras decernit. N. O. *Nulli ergo*.

D. Romæ apud S. M. Maj. V. Id. Dec. P. a. X. a. D. 1749.

Opinionem quorumdam Sacerdotum non approbatorum ab Ordinariis, se posse audire Confessionem vigore Bullæ Cruciatæ damnat Innocentius.

INNOCENTIUS XII. ad p. r. m. M.

Inc. *Cum sicut*, &c.

PRætextu Bullæ Cruciatæ, quamvis Conc. Tridentinum noluerat, quemquam nisi approbatum ab Ordinariis audire Confessiones, multi Regulares, & sæculares Sacerdotes non approbati eas audiebant, dicentes, id sibi licere vigore ejus Bullæ.

Hanc opinionem ut falsam, erroneam, temerariam & in praxi perniciosam damnat Innocentius.

Eamque defendere, & propugnare sub pœna excommunicationis ab ipso Pontifice absolvendæ cuicumque vetat.

Vultque observari decreta ejusdem Concilii, & Pontificum Constitutiones jubentium, nullum Sacerdotem, qui non sit approbatus ab Ordinariis, Confessiones audire posse. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIX. Ap. P. a. IX. a. D. 1700.

DE MATRIMONIO

Provisiones, ne facile matrimonio dissolvantur.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Dei miseratione*, &c.

MAtrimonia, quorum indissolubilitatem Christus ipse testatus est illis verbis, quod *Deus conjunxit, homo non separet*, cum scivisset Pontifex in quibusdam Curiis Episcopalibus facile dissolvi, hanc edit constitutionem, ut abusum hunc contra Sacramenti institutum, contra Ecclesiasticas sanctiones, contra Ecclesiasticam disciplinam introductum prorsus tollat.

Multas autem anumat Pontifex esse posse caussas hujus abusus.

I. Vel quia nullus adest judex, ad quem in secunda instantia appelletur.

II. Vel quia si adest, justa de caussa appellari nequit; *deputati enim a Sede Apost. vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia solvenda, & ex quacumque levi caussa ea invalidant.*

Digitized by Google

III. Vel id accidit ex parte conjugum; una enim tantum pars comparet; proinde, altera non comparente, nec contradicente, judex Matrimonium solvit.

IV. Vel dissoluto Matrimonio nulla pars appellat ad alium Judicem.

V. Vel conjuges specie sunt discordes, intus tamen gaudent illud esse dissolutum.

VI. Vel quia pars, quæ stabat contra dissolutionem, dissolutione audita, ne se immergat in longissimas lites, voluntatem mutat.

VIII. Vel non appellant, quia pecuniam non habent ad appellationem.

Providet egregie Pontifex his omnibus, & primum quoad Judices ait, se providisse, cum jussit Episcopis, ut una cum Capitulo nominent judices aptos, & doctos, & integros.

Hac in constitutione jubet, ut in singulis Diœcesibus eligatur aliquis, si fieri potest, Ecclesiasticus, qui sit defensor Matrimoniorum, data Episcopo facultate eum removendi, & alium substituendi, si causa subest. Hujus officium erit defendere validitatem Matrimonii, comparere coram judice, data sententia contra validitatem, appellare &c. Et ideo det jusjurandum, se omnia integre, estque præstiturum: si pro validitate data sit sententia, defensor matrimonii non appellet.

Quoad conjuges vult, ut post primam sententiam prolatam neuter sponsus nubat, nubens incurrat pœnas in Polygamos denuntiatas.

Si detur appellatio vel ad Metropolitanum, vel ad Nuncium S. Sedis, vel ad viciniorem Episcopum, defensor, qui erit destinandus ab ipso judice appellato, præstet omnia, quæ diximus præstanda a defensore primo.

Tunc liceat nubere, cum duplex sententia conformis pronuntiata fuerit, dummodo aliquod impedimentum aliquis conjux non habeat, & modo aliquid non detegatur, quod causam in pristinum deducat.

Huic porro defensori merces (si modo nolit in Dei reverentiam agere) vel a parte validitatem volente, vel a Judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ decernatur, a quo sit solvenda.

Quod si Judices sint Commissarii, Episcopus ex multis eam solvat. Idem servari vult in Romana Curia, in qua eligetur defensor a Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum.

Neque in Curia unica sententia valeat pro dissolutione.

Quia tamen sæpe accidit, ut a Sacra Congregatione petatur dispensatio matrimonii rati, non consummati; tamen vult Pontifex, ut deinceps libellus supplex porrigatur ipsi Pontifici cum tota facti clara, & sincera expositione, ut ipse Pontifex possit decernere, utrum concedenda sit, an non. Quod si libellus remittitur ad aliquam Congregationem examinandus, Congregatio nihil possit decidere, sed tantum consulere.

Et harum litterarum valorem vult esse perpetuum. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. III. Non. Nov. P. a. III. a. D. 1744.

Responsio Epistolæ Archiepiscopi Goani interrogantis, quid agendum de Matrimoniis initis a mutantibus domicilium.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopo Goano.

Inc. *Paucis adhuc*, &c.

Scripserat Pontifici Archiepiscopus Goanus, quosdam Diœcesanos suos, spretis Tridentini Concilii Decretis de Matrimonio ineundo coram proprio Parocho, se conferre Sundam, ubi aderat Missionarius, ajentes se ibi domicilium velle figere, ut Matrimonio cum assentia hujus Missionarii contracto, in patriam redirent.

Dubitabatur proinde, an hæc Matrimonia essent valida, seclusis jam impedimentis aliis omnibus; alii *cum Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 18. q. 4. a n. 17.* ea valida putabant, ibi enim acceptatum in hac parte Concilium non est: alii putabant invalida, quia per fraudem facta.

Ad tollendas controversias has rogat Archiepiscopus Benedictum, ut decernat hæc Matrimonia esse invalida, sicut declaraverat Urbanus VIII. Const. proxime præcedenti.

Tum eum rogat, ut sicut antecessori suo, sibi ad decennium facultatem condendi privata oratoria concedat. Goa. 16. Dec. 1754.

Quatuor annos post (tam tot annos post litteras Archiepiscopi Benedictus acceperat) ei respondet.

Sanchium quidem, nonnullosque alios ita sensisse, sed multo plures, quos recenset Pontifex, in contrariam abiisse sententiam.

Post emanatum Decretum Sacræ Congregationis Concilii ad dubia Archiepiscopi Coloniensis, confirmatum ab Urbano VII. hæc Matrimonia nemo valida putat: sunt enim facta vel in fraudem, ut fugiantur formæ a Concilio Trid. præscriptæ, vel in contemptum, quasi essent illæ superfluæ.

Certe Sacra Congregatio semper invalida esse censuit postea Matrimonia ejusmodi.

Ut autem clarior evadat res, exponit cum Fagnano, & cum Natali ab Alexandro, ut dicatur quasi domicilium aliquis in loco aliquo habere, requiri saltem spatium unius mensis, ut ibi, ubi vult contrahere Matrimonium, moretur, ita ut sit cognitus: quantum autem temporis post nuptias initas nupti morari ibi debeant, nec Theologi nec Canonistæ præscribunt.

Qui primus publicationes Matrimoniorum invexit, ut dignoscerentur impedimenta, fuit Odo de Soliaco Parisiensis Antistes, qui vixit sub sæculi XIII. initium; qui laudabilis mos ad alias Galliæ Diœceses permeavit: hæ denuntiationes dicebantur *Bannum*.

Innocentius III. morem publicandi Matrimonia *in Conc. Lateranensi IV. propagavit ad universam Ecclesiam*; quem postea Tridentinum Concilium confirmavit, & præscripsit, quarum publicationum omissio licet Matrimonium non invalidet, tamen *culpa gravi non caret*; ac proinde jubetur interessens Matrimonio Parochus publicationes requirere, si aliquis ex contrahentibus sit ex aliena parœcia, quod Concilium Aquense confirmatum a Sixto V. a. 1585. decrevit, & Rituale Romanum injun-

Digitized by Google

jungit: multoque ante hoc jussum fuerat in secunda Collectione Decretalium *Cap. primo de Clandestina desponsatione*.

Ex his igitur efficitur, debere Missionarium Sundæ his Matrimoniis assistentem requirere publicationes a nubentibus, quas si non habent, ne assistat.

Optimum autem erit facto, si Archiepiscopus, postquam uniti Sundæ redierint in patriam, horum matrimoniorum publicationes fieri mandet ad revelanda impedimenta, si qua erant. Sic paulatim abolebitur usus migrandi Sundam.

Tum transit Pontifex ad loquendum de matrimoniis clandestinis, de quibus adeo disputatum est in Concilio Tridentino inter eos Patres, alios volentes ea aboleri, alios ea defendentes.

Qui nolebant ea tolli, ajebant, Ecclesiam ea abrogare non posse; cum enim mutuus consensus matrimonium efficiat, etiam clandestina, quæ per expressum mutuum consensum fiunt, debere esse, & censeri vera matrimonia, nec ab alio immutari posse, nisi ab institutore. Sed ut colligitur ex D. Th. quolibet. 5. q. 8. ar. 15. ad primum, reponebant alii, cum possit Ecclesia non immutare formam, & materiam Sacramentorum, sed conditiones apponere, quod etiam concedit Petrus Franciscus Courayer ad Historiam Concilii Tridentini Pauli Sarpii, cur non potuit conditionem hanc apponere etiam Sacramento Matrimonii, ut debeat fieri in facie Ecclesiæ, hoc est coram Parocho?

Reddit autem rationem Benedictus, cur Ecclesia hæc matrimonia sustulerit. Multi enim etiam habentes uxorem promovebantur ad ordines, ad beneficia promovebantur.

Oppositores reponebant, horum connubiorum irritationem exasperaturam hæreticorum animos; illegitima enim declarabatur per hæc matrimonia suscepta proles. Sed cum adjecerint prudentissime Patres, *post dies triginta a die publicationis robur* habere debere hoc decretum in iis locis, ubi matrimoniorum horum usus erat, nemo Decretum publicasset, atque ita suscepta proles nunquam illegitima fuisset declarata.

Sed quomodo constabit in his, illisque locis acceptatum fuisse Concilium? ex diutina nimirum observatione ejus Decretorum.

Dat Archiepiscopo facultatem ad annos decem circa Oratoria privata, qualem ejus Antecessor habebat.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIX. Mart. P. a. VIII. a. D. 1758.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Non satisfaciunt præcepto communicantes a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis extra parochiam sine Parochi licentia.

SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Circumspecta Romani*, &c.

DUbitatum fuit in Diœcesi Brixiensi, an communicantes extra Parochiam suam sine licentia Parochi in Paschate satisfaciant præcepto?

Et an communio Paschalis limitetur ad ipsum diem Paschatis?

Respondet Sixtus, non satisfieri præcepto; sed requiri licentiam Parochi.

Et communionem Paschalem posse fieri a die Palmarum usque ad Octavam Paschatis. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die IX. Aug. P. a. II. a. D. 1586.

Sacerdotes Missam celebrantes non tenentur cuique petenti Eucharistiam ministrare.

BENEDICTUS XIV. Patriarchis, Primatibus, &c.

Inc. *Certiores effecti*, &c.

SCiens Benedictus in quibusdam Italiæ urbibus esse controversiam (incepit Cremæ) de obligatione, qua Sacerdotes Missam privatam celebrantes adstringuntur administrandi inter eam Eucharistiam Christi-fidelibus petentibus, ne ulterius cum fidelium scandalo ea serpat, hanc edit constitutionem ad Ecclesiarum Prælatos missam.

I. Ait, neminem dubitare debere, quin Missæ, in quibus soli Sacerdotes communicant sese, sint veræ Missæ. Contrariam enim opinionem anathemate percellit Concilium Tridentinum Sess. 22. c. 8. & optandum esse, ait idem Concilium, ut omnes Christifideles essent ea puritate, *ut in singulis Missis astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent*.

II. Neque idcirco reprobandus est mos communicandi fideles *Eucharistia servari solita*; neque vetat Ecclesia viceversa, Sacerdotem satisfacere *pietati astantium Missæ*, & *petentium admitti ad consortium ejusdem sacrificii*.

III. *Sed quia est in Ecclesia opus cuncta ordinate disponere*, debent astores Curare, ne pietas fidelium destruatur ex ea non participatione, & itidem curare, *quin ulla in laudabilibus institutis oriatur perturbatio*.

IV. Ergo ne querantur fideles injuriam sibi factam, *si Episcopus minime opportunum duxerit, a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui astant; quibus eo ipso tempore facilis, & obvia suppetit ratio ad eandem mensam accedendi pluribus locis instructam*.

V. Facile autem Pastores Fidelibus id persuadebunt, si iis veterem disciplinam explicabunt. Una enim tunc dicebatur Missa, ac proinde astantes ad eam solam communicabant.

VI. Ulterius, sicut omnia Sacramenta, ita & Eucharistiam solus Parochus administrare poterat. Ad ejus Missam tantum ergo debent communicare.

VII. Quod si non acquiescant fideles, hæc contumacia animum refractarium ostendet, *ac proinde minime compositum Eucharistiæ, qua par est, pietate percipiendæ*.

VIII. Concludit epistolam Pontifex verbis illis S. Pauli ad Corinthios, *Obsecro vos, Fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIII. Nov. P. a. III. a. D. 1742.

Digitized by Google

utcumque sit de consilio ejusdem Congregationis, ita agendum esse Pontifex decernit c. 5.

Ait tamen, Decretum Concilii non esse intelligendum de Missa quotidiana, sed de Missa diebus tantum festis de præcepto, illis, quibus populus tenetur audire Missam, idque probat ex eodem Concilio sess. 5. c. 2. & sess. 24 c. 4.

Si tamen proventus beneficii sunt ita exigui, ut vix parochus sustinere se possit, dat facultatem Ordinariis providendi; inveniat Parochus aliquem, a quo accipiat eleemosynam die festo, sed Missam offerat pro populo die aliquo infra hebdomadam. Ideo Vicariis consulendum est, ut habeant sufficientem congruam, ne egeant eleemosyna Missarum diebus Festis. Hæc de Parochis.

In Conventualibus autem, & Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis Missæ conventuales, & horæ Canonicæ dicantur quotidie pro benefactoribus. Ita docent Canones; & ita sæpe decidit sacra Concilii Tridentini interpretum Congregatio, quæ decreta confirmat Benedictus.

Nec satisfit præcepto, si ea Missa dicitur pro uno benefactore tantum; nec valet excusatio, si dicatur in iis Ecclesiis esse statuta anniversaria, & preces. Ideo antiquis temporibus perhibent historiæ, consuevisse haberi catalogum nominum eorum, qui auxissent Conventus, & Ecclesias, & eum fuisse solitum apponi coram Sacerdotibus Missam celebrantibus, ut pro iis specialiter orarent. Proinde contraria consuetudo est amandanda; & si celebrans Missam conventualem debeat eo die applicare pro alio, ejus obligatio per alium Sacerdotem est adimplenda, ut quotidie pro benefactoribus celebretur. Eleemosyna autem est desumenda a massa distributionum. Quod si summa sit in his Ecclesiis inopia, Ordinarii certiorem Congregationem faciant.

In quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis non una tantum, sed interdum duæ, tres debent dici Missæ conventuales, ut in Rubricis Generalibus præscribitur. Hæ omnes suntne applicandæ pro benefactoribus? Congregatio respondit alias, dandam esse exemptionem ab applicatione pro benefactoribus secundæ, & tertiæ Missæ. Idque Pontifex concedit.

In fine jubet horas Canonicas dici non præpropere, sed cum pausa; & decernit etiam Canonicos teneri ad psallendum, & in casum adduci privilegia exemptionum: id jubet Concilium Tridentinum, id Concilia plura provincialia, ob id iis dantur præbendæ, & distributiones quotidianæ.

Mandat Episcopis, ut hæc publicari jubeant, & observari.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Aug. P. a. IV. a. D. 1744.

DE DIEBUS FESTIS.

Dispensatio super observatione Festorum in quibusdam locis.

CLEMENS VII. Archiepiscopo Valentino, Episcopis, &c.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

Clemens VII. & Paulus III. decimas concesserant Carolo V. pro excavatione alveorum fluminum Iberi, & Gialonis super bonis, quorum reditus augerentur ex hac excavatione.

Etiam Julius id concessit Carolo alia flumina deducenti: deditque facultatem Ordinariis dispensandi operarios ab observatione Festorum, ne opus interrumperetur.

Philippo idem opus peragenti in insulis Canariis & decimas & dispensationem Festorum Gregorius XIII. indulsit.

Cum aggressurus quoque esset Philippus opus idem circa flumen Tibis in Regno Valentiæ, & dispensationem Festorum, & decimas postulat a Clemente.

Et illam, & has impetrat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVII. Sept. P. a. III. a. D. 1594.

Pro licentia impetranda ab Episcopo Carthaginensi vacandi rei sericæ diebus Festis in mensibus Martii, &c. nihil solvi debet.

URBANUS VII. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

Supplicarunt Pontifici oppidani Murciæ, ut liceret sibi interdum etiam diebus festis pro præparatione rei sericæ in mense Martio usque ad ejus confectionem huic operi vacare.

Id illis concedit Pontifex; neque vult ob has gratias consequendas ab Episcopo quicquam ab iis solvi, sed gratis eas ab illo dari. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Junii P. a. XIV. a. D. 1637.

Assignatio dierum Festorum.

URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Universa per orbem, &c.*

Multitudo Festorum ex devotione in qualibet Diœcesi adeo exereverat, ut difficile internoscerent festi de præcepto ab his; ulterius pauperes, qui opera sibi victum quærunt, ob tot festa nesciebant, quomodo familiis suis opitularentur.

Ordinarii ergo rogarunt Pontificem, *ut aliquam congruam rationem in his iniret.*

Ergo de Consilio Congregationis Rituum describit Urbanus numerum festorum.

Omnes dies Dominicos, Nativitatem D. N. Circumcisionem, Epiphaniam Pascha, cum duobus sequentibus diebus, Pentecosten itidem cum sequentibus diebus duobus, Ascensionem, Corporis Christi diem, inventionem Crucis.

Purificationem, Annuntiationem, Assumptionem, Nativitatem, Conceptionem Deiparæ.

Dedicationem S. Michaelis, Nativitatem S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, Andreæ, Joannis, Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, S. Matthiæ, Innocentium, S. Laurentii, S. Silvestri, Josephi, Annæ, omnium Sanctorum, Patronorum principalium regni, provinciæ, Urbis, Oppidi, Pagi.

Ab observantia aliorum Festorum populum eximit, & hanc constitutionem publicari mandat ad omnium notitiam. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Sept. P. a. XX. a. D. 1642.

Dimi-

Digitized by Google

Diminutio Festorum in Diœcesi Calaguritana, cum praecepto audiendi Missam diebus festis imminutis.

BENEDICTUS XIV. Episcopo Calaguritano.

Inc. *Cum sicut, &c.*

IN provincia Ipascoana, cujus pars est Diœcesis Calaguritana praeter festos dies ab Ecclesias praescriptos plurimi alii *sive pietatis sive alia de causa celebrabantur*, ita ut ii homines, qui sibi victum manu quaerunt, vix se alere possent.

Quare pro parte Philippi Hispaniarum Regis Episcopus supplicavit Pontifici, ut eos dies imminueret.

Ergo Pontifex praescribit, ut non celebrentur, nisi dies festi per totam Ecclesiam; festus patroni, & titularis alicujus loci, fiat ab hominibus illius loci tantum.

Reliquis diebus institutis a Synodis, a pietate, a votis permittit, ut homines servilia exercitia faciant, integro permanente praecepto audiendi Missam.

D. Romae apud S. M. Maj. Die III. Sept. P. a. III. a. D. 1742.

Similia indulta dedit quibusdam Universitatibus & Diœcesibus a. 1743. 1744. 1745. in Hispania.

Imminutio dierum Festorum in Diœcesi Niciensi.

BENEDICTUS XIV. Episcopo Niciensi.

Inc. *Inter sollicitas, &c.*

UT in Calaguritana Diœcesi redegit Pontifex numerum dierum festorum, ita redigit in Diœcesi Niciensi.

Praescribitur tantum praeceptum audiendi Missas iis diebus ex voto factis, & operae serviles permittuntur.

D. Romae apud S. M. Maj. Die XI. Apr. P. a. V. a. D. 1745.

Dies festi infra hebdomadam in mensibus aestivis transferuntur in dies Dominicos in Diœcesi Posnaniensi.

BENEDICTUS XIV. Episcopo Posnaniensi.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

IN Diœcesi Posnaniensi rustici, qui agrorum culturae incumbunt, inviti in mensibus aestivis, quibus praeparanda est & jacienda messis pro venturo anno, & colligendum triticum, ad Ecclesias ibant diebus festis intra hebdomadam.

Episcopus ergo supplicavit Pontifici, ut provideret, praecipue cum ii dies jam male celebrabantur a communitatibus.

Ergo dat facultatem Benedictus dies festos inter hebdomadam recurrentes mensibus Julii, Augusti, Septembris transferri in dies Dominicos, excepto tamen festo Assumptionis B. M. Virginis, qui celebrandus erit eo die, quo recurrer. In choro tamen nihil innovetur circa officium, & Missam. N. O.

D. Romae apud S. M. Maj. Die I. Sept. P. a. VI. a. D. 1745.

Imminuit dies Festos ex voto in regno utriusque Siciliae Benedictus.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopis, Episcopis Regni Siciliae.

Inc. *Cum sicut, &c.*

UTriusque Siciliae Rex Carolus supplicavit Pontifici ut imminueret dierum festorum numerum.

Pontifex requisitis consiliis Episcoporum ejus regni, qui omnes has supplicationes approbarunt, reducit ad praefixum numerum, omnes dies festos ex voto institutos imminuens.

Quod si Episcopus aliquis duabus Ecclesiis canonice unitis praesit, quod potissimum accidit in Regno Neapolitano, jubet Pontifex, ut populus subjectus huic Ecclesiae eum festum diem, veluti Patroni, celebret, non autem populus alterius Ecclesiae.

His diebus festis imminutis populus audiat Missam de praecepto, & postea operibus servilibus incumbat.

D. Romae apud S. M. Maj. Die XII. Dec. P. a. IX. a. D. 1748.

Reddita ratione imminutionis Festorum a se facta, vetat super ea quicquam scribi Benedictus.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Non multi, &c.*

VIX ac in Petri solium assumptus fuit Benedictus, preces oblatae ei fuerunt, ut reduceret numerum dierum festorum ad numerum dierum in satis nota Urbani VIII. Constitutione praefixorum.

Ergo Pontifex ne quidquam ageret in hac re nisi maturo judicio, & prudentia, quadraginta virorum scientia rerum Ecclesiasticarum ornatorum sententiam requisivit, qui ex magna parte censuerunt esse minuendum numerum, variaruntque unice in hac re, utrum generalis constitutio edenda esset, an privata ad instantiam Ordinariorum, & Principum imminutionem exposcentium.

Maluit Benedictus ad preces quorumcumque Ordinariorum id agere.

Quo pacto festa imminuerit, exponit, intactum scilicet relinquens praeceptum de audienda Missa, & permittens opera servilia.

Vix dici potest, quot fuerint hominum judicia ad has reductiones concessas, non solum usurpata sermonibus, sed scriptis etiam edita. (Quod fecerunt Cardinalis Angelus Maria Quirinus, Brixiensis Episcopus, & Ludovicus Muratorius.)

Pontifex voluit examinari haec scripta, an forte inter contendendi ardorem aliquid contra fidem irrepserit. Et praeter contumelias Catholicis scriptoribus prorsus indignas nihil aliud, quod reprehenderetur, fuit repertum.

Statuit itaque hac constitutione Benedictus, ne ulterius quicquam super hoc Decretum scribatur, neque super Decreta concedenda in hoc genere.

Et ne

Et ne iterum edita opera imprimantur *in pœnam inobedientiæ, & contumaciæ, & in indicem librorum prohibitorum relationis*, quibuscumque personis cujuscumque gradus, & dignitatis infligendam, si sint scriptores Ecclesiastici.

Laicis minitatus pœnam excommunicationis non majoris latæ sententiæ; Clericis non presbyteris non promotionis ad alios ordines; Presbyteris, & Prælatis suspensionis ab officiis.

Quam sententiam ad omnium cognitionem publicari locis solitis mandat.

D. Romæ in Palatio Apostolico Quirinali Die XIV. Nov. P. a. IX. a. D. 1748.

DE JEJUNIO.

Hortatio ad Episcopos ut leges jejunii observari faciant; neque faciles sint in dandis ab eo dispensationibus.

BENEDICTUS XIV. Primatibus, Patriarchis, &c.

Inc. *Non ambigimus, &c.*

INter Christianæ disciplinæ capita etiam Jejunium Quadragesimale locum sibi vindicat, quod a Lege, & a Prophetis inculcatum, consecratum postea fuit a Christo, & a primordio sui ab Ecclesia conservatum, stabilitum a sacris Canonibus, & a sanctis Patribus tanquam medicamen patràtorum delictorum commendatum.

At quam dissona sit observantia ejus nunc ab observantia antiquorum temporum, testes appellat Episcopos, ad quos hanc Constitutionem mittit Benedictus.

Uno verbo boni Catholici indignantur, tam male observari hoc Jejunium, & levissimis de causis frangi, hæretici autem Catholicorum Jejunia irrident.

Hortatur ergo eos Pontifex, ut pravam hanc consuetudinem conentur avellere, neque sint adeo faciles in concedendis licentiis; sed eas dent tantum ob causas legitimas, & a medico cum juramento probatas; multo vero minus dent eas universitati alicui, nisi urgentissima causa aliqua subsit jam a Sacris Canonibus præfinita.

Et etiamsi detur dispensatio a quadragesimalibus cibis, tamen unica comestio est facienda, & interdictæ epulæ minime erunt apponendæ.

Hortatur ergo eos Benedictus, ut populum commoneant, ut ab ipsis jejunium servetur.

Quod si quispiam nullo modo illud servare possit, illud redimat piis operibus.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Maji P. a. I. a. D. 1741.

In jejunio unica est facienda comestio; neque permiscendi sunt simul cibi liciti, & interdicti.

BENEDICTUS XIV. Patriarchis, Primatibus, &c.

Inc. *In suprema &c.*

OCcasione prædictæ proxime constitutionis, qua jubetur unica comestio, *per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illusiones, quidam aliis, sibique persuadent unicam comestionem servari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudinis quidem indiscriminatim ob urgentem necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam de utriusque medici consilio dispensatur.*

Pontifex ut malam hanc opinionem destruat, clarius hic explicat sententiam suam; declarans *quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem necessitatem, sive singulis ob legitimam causam de consilio utriusque medici, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario contingat in quadragesima, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus & ovorum, & lacticiniorum, & carnium usus est prohibitus, dispensari contigerit, unicam comestionem servandam, & licitas, & interdictas epulas minime apponendas esse.*

Episcopos ergo hortatur, ut hoc edicant fidelibus, eosque ad pœnitentiam hanc pro peccatis expiandis alacri animo suscipiendam commoneant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Aug. P. a. II. a. D. 1741.

Explicatio primæ constitutionis ad Archiepiscopum Valentiæ.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopo Valentiæ.

Inc. *Cognovimus in Fraternitatis, &c.*

AD epistolam primam Pontificis in Regno Valentiæ controversiæ multæ sunt ortæ circa ejusdem intelligentiam, quas sedavit Archiepiscopus.

Tum idem Archiepiscopus requisivit a Pontifice explicationem ejusdem epistolæ.

Pontifex collaudat illum, quod rixas compescuerit, tum respondet, se noluisse definire, *an qui ecclesiastica auctoritate ab jejunio eximuntur non solum vetitis cibis uti, sed jussa pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant; sed voluisse præcipere Ordinariis, ut nemini cibis vetitis, & carnibus vescendi veniam tribuant nisi sub gravi necessitate, imperata simul unica comestionis norma.*

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Maji P. a. II. a. D. 1742.

Solutio dubiorum circa jejunium propositorum ab Archiepiscopo Compostellano.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopo Compostellæ.

Inc. *Si Fraternitas tua, &c.*

PUrgat Benedictus Archiepiscopo Compostellano, qui quædam dubia enata occasione publicationis Pontificiæ constitutionis de jejunio, Pontifici exposuerat, tarditatem responsi non aliunde natam nisi a farragine negotiorum pro tota Ecclesia peragendorum.

Dubia erant hæc,

I. An jussis in Constitutione de non permiscendis cibis, & de unica comestione obliget sub gravi?

Respondet Pontifex, & eum, qui dat facultatem vescendi carnibus diebus jejunii, & eum, qui habet hanc facultatem, teneri sub gravi; ille enim tenetur dare licentiam sub his conditionibus, ut unicam comestionem faciat, & cibos interdictos non edat; alter tenetur has conditiones observare.

II. An

II. An qui habet licentiam vescendi carnibus, in refectione vespertina possit vesci carnibus & quantitate, quæ conceditur edentibus cibos quadragesimales?

R. P. non potest, sed debet vesci eo cibo, & ea uti porrione, quibus utuntur homines *rectæ, & meticulosæ conscientiæ*.

III. An habentes licentiam vesci carnibus cum unica comestione, horam jejunantibus, propriam servare debeant?

R. P. observandam esse.

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur conjungi cum interdictis?

R. P. Licitas pro edentibus carnes esse carnes; interdictas epulas esse pisces, & simul cum carnibus non posse conjungi: edentibus autem ova, & lacticinia ex indulto esum piscium permitti.

V. An præceptum de non admiscendis cibis servari debeat etiam diebus Dominicis?

R. P. Ita.

VI. Utrum hæc constitutio extendatur & ad eos, qui ex Bulla Cruciatæ edunt ova, & lacticinia?

R. P. Nihil esse statutum in litteris Pontificiis, quod *gratiosum illud respiciat diploma*. Qui illo gaudent, illud perpendant, & ex ejus sententia se gerant.

Caveant tamen, ne se putent solutos legibus ibi præscriptis.

VII. Utrum ea duo præcepta obligent & in aliis jejuniis per annum?

R. P. Obligant.

Laudat Pontifex Episcopum, qui, ne erraret, consuluit S. Sedem; illum tamen monet, ut in detegendis Pontificalium Constitutionum sensibus, habeatur ratio scopi, quem sibi Pontifices proposuerunt.

Pontifex præfixit in ea constitutione sibi reprimere quorundam Theologorum bonitatem, qui omnia concedebant jejunantibus.

Demum illum monet, ne patiatur controversias ex controversiis super constitutionibus Pontificiis erui.

D. Romæ apud S. M. Maj. D. VIII. Julii P. a. IV. a. D. 1744.

Permittit quibusdam Hispaniarum Regnis in Sabbatis, quibusdam exceptis, edere carnes Benedictus.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopo Nazianzeno Nuntio S. Sedis in Hispaniarum Regno.

Inc. *Jampridem a delicto, &c.*

IN Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum mos est, ut Sabbatis vescantur ii populi extremitatibus animalium, pedibus, alis, collo, intestinis: in aliis Hispaniæ Regnis non viget hæc consuetudo. Imo neque in illis regnis carnes sunt iis Sabbatis, in quæ aliqua vigilia incidit indicta ab Ecclesia, vel in Sabbatis Quadragesimæ.

Nomine Philippi V. Hispaniarum Regis supplicatum fuit Pontifici, ut ad tollendos scrupulos permitteret, totum animal edi.

Scire voluit Pontifex Cardinalis Bellugæ, quem plurimi merito faciebat, opinionem. Isque rescripsit, ita anxios esse populos de his extremitatibus edendis, ut credat necessarium indultum.

Tum reputans secum Pontifex, etiam in Græca Ecclesia esse hanc consuetudinem, consuetudinem magni fuisse factam ab Innocentio III. a Gregorio VII. quosdam Populos oratos potius, quam jussos fuisse, ut die Sabbato abstinerent sese ab esu carnium, concedit privilegium edendi totum animal.

Excipit ea loca, in quibus hæc non est consuetudo; excipit Sabbata, in quibus est aliqua Ecclesiastica vigilia, & Sabbata Quadragesimæ. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Janu. P. a. V. a D. 1745.

Disserit de licentia dispensationis quotannis petenda, de causis particularium, & generalium dispensationum Benedictus.

BENEDICTUS XIV. Patriarchis, Primatibus, & c

Inc. *Libentissime quidem, &c.*

CUm Concilium Tridentinum jusserit sess. 25. de Reform. Episcopis, ut Fideles doceant, *quæ ad mortificandam carnem conducunt*, sunt inter quæ præcipue *ciborum delectus, & jejunia*, non alienum Benedictus putat pauca de jejunio disserere.

Jam tum cum erat Archiepiscopus Bononiensis, in suis institutionibus multa tradiderat, multasque controversias solverat, & difficultatibus satisfecerat. Pontifex electus de consilio gravissimorum Theologorum & indixit unicam comestionem, & vetuit promiscuos cibos carnes, & pisces.

Tribunali Pœnitentiariæ post publicationem ejus constitutionis plura dubia fuere delata ab Archiepiscopo Compostellano, quæ fuere a Pontifice soluta. Sed cum interim Archiepiscopus mortuus fuisset, verensque Pontifex, ut edantur solutiones, earum exemplar ad Ordinarios omnes mittit.

In hac porro constitutione alios abusus circa jejunium tollere tentat; nempe nimis multos petere licentiam; tum quasdam regiones, cum semel obtinuerint dispensationem super ovis, & lacticiniis, putare nunquam alias opus esse eam petere, sed quolibet anno ea uti ac si impetrata ea anno fuisset.

Sed cum Concilium Tridentinum moneat Ordinarios, ne sint tam faciles in dandis his licentiis, eos ad hoc agendum hortatur Pontifex.

Deinde hoc in more positum fuit semper, ut hæ generales licentiæ universitati alicui non concederentur nisi habito testimonio Ordinariorum. Ergo quolibet anno hæc licentia petenda est.

Tum descendit ad ostendendas caussas, ob quas peculiares dispensationes dari debent. Sunt autem hæ, vera ægritudo, vetus languor, ætatis impossibilitas.

Ad concedendas autem licentias generales non est satis, si ova, & pisces magni veneant, nec militum stationes, non timor morbi; 1. sed summa inopia piscium, & olei.

Ita concessa fuit dispensatio Insulæ S. Dominici in America Mediolani, ob inopiam summam piscium. 2. Morbus epidemicus.

Et tunc attendendæ sunt medicorum relationes.

Ad hæc observanda in dandis dispensationibus particularibus, & generalibus hortatur Ordinarios.

D. Ex Arce Gandulphi Die X. Junii P. a. V. a. D. 1745.

Vigi-

Vigilia S. Mathiæ incidens in ultimum Bacchanaliorum diem anticipari nequit.

INNOCENTIUS XII. Decretum.

Inc. *Quæsitum fuit, &c.*

INcidebat an. 1604. vigilia S. Mathiæ Apostoli die Martis post Dominicam Quinquagesimæ, qui erat dies ultimus Bacchanaliorum.

Quæsitum fuit a Sacra Rituum Congregatione, num Jejunium vigiliæ anticipari posset?

Congregatio respondit, negative.

Responsum confirmat Pontifex.

Die XXIII. Jan. a. D. 1695.

Vigilia S. Mathiæ incidens in extremum Bacchanaliorum diem, transfertur.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopis, Episcopis Ecclesiasticæ Ditionis. Epistola Encyclica.

Inc. *Prodiit jampridem, &c.*

OCcurrebat vigilia S. Mathiæ ultimo Bacchanaliorum die an. 1751. Episcopi Pontificiæ ditionis scripserunt Pontifici, quid esset sibi agendum? an deberent eam vigiliam in alium diem transferre?

Pontifex respondit, noscere se, non leves esse caussas recursus, primo quia periculum ingens erat, ne jejunium violaretur, deinde ne, etiamsi pœna violatoribus imponeretur, jejunium servaretur.

Translationes vigiliarum interdum fieri v. gr. cum Corporis Christi dies festus incidit in vigiliam S. Joannis Baptistæ; & quoties dies lunæ est festum cum vigilia, vigilia fit in Sabbato.

Prudentis esse aut leges non publicare, aut eas moderari, si prævideat eas minime observandas.

Sunt Theologi, qui putant transferre vigilias spectare ad ordinariam Episcoporum auctoritatem; alii, esse id de jure Sedis Apostolicæ tantum.

Sed jejunii S. Mathiæ dispensatio spectat præcipue ad S. Sedem. Etenim jam fuit controversia, utrum deberet hoc jejunium fieri, cum S. Mathias non fuerit Apostolus electus a Christo Domino.

Sed Innocentius III. & ante eum Alexander III. decidit, servandum esse jejunium.

Ergo Pontifex permittit Episcopis, ut illud jejunium transferant in sabbatum ante Dominicam Sexagesimam (nisi error impressionis, & legendum sit Quinquagesimam).

Novum non est, ait Pontifex, quædam capita Ecclesiasticæ disciplinæ fuisse immutata ad evitanda mala.

Sacerdotes tamen regulares, & sæculares hortatur, ut in ipso die in quem incidit vigilia, illam celebrent.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Jan. P. a. XI. a. D. 1751.

DE DUELLIS.

Damnatio duellorum.

JULIUS II. ad p. r. m. M. P.

Inc. *Regis Pontifici, &c.*

AD quamlibet levem injuriam tempore Julii *fiebant diffidationes, & diffidati* ibant ad aliquem Marchionem, aut Comitem, qui illis assignabat locum tutum.

Morem hunc, damnatum jam a Deo, qui solus est auctor vitæ, & mortis, damnatum a natura, quæ jubet conservationem sui, damnatum alias a summis Pontificibus, & a Principibus, in quorum potestate secundum Deum est hominum vita, tollere volens Pontifex, decernit, hujusmodi duellantes incurrere pœnam excommunicationis ipso facto.

Et vult, judices in hujusmodi homines inquirere, ut in homicidas, si occiderint hostem, vel ut in vulneratores, si vulneraverint.

Et eadem pœna erunt puniendi qui locum tutum ad pugnandum præbuerint.

N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Martii P. a. VI. a. D. 1509.

Confirmatio damnationis prædictæ.

LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Quam Deo, &c.*

HÆc Leonis Bulla est confirmatoria Bullæ Julii II. & præter pœnas in ea enuntiatas, Leo vult, memoriam duellantium esse infamem, bona proscripta & confiscata.

Nobiles, Comites duellum in suis castris, & terris permittentes cadere dominiis, & juribus, quæ possident.

Nobiles duellum spectantes solvant summam ducatorum quingentorum; & homines mediocris fortunæ centum; ignobiles vigintiquinque, & etiam in pœnam excommunicationis incidant.

Executores Bullæ deputantur Cardinalis Camerarius, & Clerici Cameræ. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. August. P. a. VII. a. D. 1519.

Nova Confirmatio.

PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Ea, quæ, &c.*

COnfirmativa est hæc Pii Bulla aliarum Superiorum Pontificum Bullarum contra duellantes.

Pius autem pœnas indictas in aliis Bullis extendit *tam ad pugiles taliter pugnantes, quam ad eos ad id tentantes, & procurantes, seu campum ad pugnandum dantes, seu concedentes, ac in illis adstantes, & interessantes, & certantes, comitivam præstantes, nec non chartas duelli subscribentes, afferentesque ad invitatos, seu diffidatos.*

Et hanc constitutionem extendit Pontifex extra statum Ecclesiasticum ad omnes nationes.

Proinde omnes Principes Christianos hortatur, ne suæ potestati, quæ sola potest hominibus ju-

Digitized by Google

stit de causis mortem infligere, patiantur hanc læsionem fieri; eosque hortatur, ut pravum hunc morem a suis terris tollant, & reos hujusmodi severissime puniant. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Non. P. a. I. a. D. 1560.

Decretum Concilii Tridentini de duellis extenditur etiam ad duellantes privatim.

GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Ad tollendum*, &c.

TRidentinum Concilium ad tollendum detestabilem morem duellorum, excommunicationem, & alias gravissimas pœnas extendit in concedentes locum ad pugnam, in pugnantes, in patrinos, in consulentes, in suadentes, & spectatores.

Credebant multi has pœnas infligendas pugnantibus in duello publice, non pugnantibus privatim, & remotis arbitris.

Pontifex has pœnas ad hos quoque privatim duellantes pertinere decidit. N. O. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Dec. P. a. XI. a. D. 1582.

Constitutiones de duellis extenduntur & ad privata duella.

GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Firmum ita*, &c.

DEtorquebant quidam Constitutiones Pontificum, Decretorumque Concilii Tridentini contra duella, ut dicerent ea tantum esse vetita, quæ fierent *propositis pugnantium ad pugnam libellis, Patrinis intervenientibus &c.* non autem duella privata.

Declarat hic Gregorius, hæc quoque esse vetita, pœnasque inflictas duellantibus his quoque esse denuntiatas.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Nov. P. a. XI. a. D. 1582.

Vim Bullarum prædictarum extendit Clemens ad milites, qui in castris existentes inter se privatim pugnant.

CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Illius vices*, &c.

APprobatis omnibus in Bullis prædecessorum Pontificum contentis contra duellantes, ulterius decernit Clemens, easdem pœnas incurrere eos milites qui pugnantes in justo bello, unum ex hac acie, alterum ex alia sese invicem provocant ob privatas simultates ad singulare certamen.

Etiam duces eorum id permittentes intelliguntur obnoxii iisdem pœnis.

Prohibet Pontifex omnia scripta ad duellum invitantia, quæ manifesta, seu diffidationes, seu fides vulgo appellantur, sint quomodocumque scripta, etiam per modum Epistolæ.

Fautores, complices, &c. comprehenduntur iisdem pœnis.

Principes sæculares hortatur, ut pœnas minitentur temporales in duellantes. *Nulli ergo*, &c.

D. Romæ in Monte Quirinali XVI. Kal. Sept. P. a. I. a. D. 1592.

Damnantur quædam propositiones circa duellum.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Detestabilem ac Divina*, &c.

LIcet tam severe Pontifices duellum prohibuerint, & tam minute omnes casus exposuerint, in quibus nullo modo illud est permissum, sitque sole clarius, illud esse vetitum jure divino, naturali, & Ecclesiastico, *nonnulli tamen harum legum interpretes per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus æquo faventes Apostolicas sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes, & temperantes* docuerunt has de duello propositiones.

I. *Licet viro Equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

II. *Licet, defensione occisiva vel ipsis Clericis, & Religiosis tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat.*

III. *Licet pulsare damna, quæ ex iniqua judicis sententia imminent.*

IV. *Licet defendere non solum quæ possidemus sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus.*

Harum propositionum prima proscripta ab Alexandro VII. reliquæ ab Innocentio XI. fuerunt.

His non obstantibus prodiere quidam, qui in quibusdam casibus duellum permissum esse docuerunt, & has quinque propositiones substinuerunt;

1. *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

5. *Asserta sententia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

Pontifex has novas propositiones examinari voluit, auditisque suffragiis Cardinalium, & Theologorum, eas ut falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicit, damnat, & prohibet; vetatque eas defendi publice, & privatim tractari, multoque minus ad praxim reduci sub pœnis solitis, &c.

Con-

Digitized by Google

Confirmat prædecessorum Pontificum sanctiones, injungens de novo, ut interfectori in duello nemo præstet asylum, immo ei nullus sit immunis locus, sed possit undecumque extrahi, observatis, quæ præscribit Benedictus XIII. de immunitate Ecclesiastica in Bulla *Ex quo divina*, *&c.*

Interfectus autem in duello careat Ecclesiastica sepultura, etiamsi a censuris absolutus fuerit.

In fine hortatur Christianos Principes, ut exitiosæ duellorum licentiæ obsistant, sciantque se quoque pollui, si ob suam negligentiam in suis statibus duella fiant. *Nulli ergo*, *&c.*

D. Romæ apud S. M. Maj. IV. Id. Nov. P. a. XIII. a. D. 1752.

DE CENSIBUS.

De censibus annuis.

PIUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum onus*, *&c.*

GRavissima hæc constitutio agit de censibus annuis;

I. Qui, ut creentur, *constitui nullo modo possunt, nisi in re immobili, vel pro immobili habita, de sui natura fructifera, & intra certos fines designata.*

II. In pecunia numerata, præsentibus testibus, & notario.

III. Solutiones anticipatæ nec possunt fieri, nec in pacta deduci.

IV. Conventiones directe, aut indirecte obligantes eum, qui de natura contractus non tenetur, non valent; idem dicatur de casibus fortuitis.

V. Nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam valet.

VI. Si vendatur, dominus rei datæ pro cautione anteferatur omnibus emptoribus.

VII. Nulla sunt pacta, morosum debitorem census teneri ad interesse lucri cessantis, ad expensas census, vel debere amittere partem rei &c.

VIII. Nec ex censibus non solutis annuatim augeri potest census principalis;

IX. Nulla sunt pacta rejecta in debitorem, quæ antea spectabant ex jure, & ex natura contractus ad creditorem.

X. Re, super qua census est erectus, pereunte ex parte, ex parte perit & census, & pereunte tota, etiam totus census perit.

XI. Census, si debeat extingui, per duos menses ante debet id denuntiari creditori.

XII. Contractus aliter facti fœnerarii sunt.

XIII. Addit etiam Pontifex, census semel factos nec posse augeri, nec minui.

Et hæc servanda sunt non modo in censibus faciendis, sed etiam in factis, quocumque tempore renovandis. N. D. *Nulli ergo*, *&c.*

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. Febr. P. a. IV. a. D. 1659.

Explicatio quorumdam dubiorum ad præcedentem Constitutionem.

PIUS V. ad p. r. m.

Inc. *Etsi Apostolica* *&c.*

DUbia quædam enata circa præcedentem Constitutionem Pontifici proposita solvuntur ab illo.

I. Dubium primum. Num debeat intelligi infructuositas annalis, an temporalis, ad hoc ut pereat census?

Respondet Pontifex, intelligitur res infructuosa, quæ ex toto, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur.

II. D. S. An morosi debitores liberentur etiam a solvendis expensis factis in judicio a creditoribus, ut satisfaciant?

R. P. Prohibentur expensæ, quæ promittuntur ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita.

III. D. T. An possit procedi tam pro expensis, quam pro censu recuperando? & an possint dari fidejussores, & hypothecari prædia? an possit fieri census super pluribus rebus inter se divisis, & diversis?

R. P. Non prohibentur dari fidejussores, vel hypothecari prædia, & potest procedi, & potest fundari census super plures res.

IV. D. Q. An in dotium assignatione census creari possit?

R. P. *In dotium assignandarum casu censuum creatio respectu actualis numerationis coram Notario, & testibus facienda locum non habet. Sed in hoc casu census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declarat Pontifex.*

In locis, ubi est periculum, ne pecunia aufferatur, si pecunia haberi non potest ad manum, permittitur Apoca, seu cedula bancaria.

D. Romæ apud S. Petrum die X. Junii P. a. V. a. D. 1570.

Explicatio de usuris circa mutuum.

BENEDICTUS XIV. Patriarchis, Primatibus, &c.

Inc. *Pervenit*, *&c.*

VIx ac audivit Pontifex *ob novam controversiam (nempe an quidam contractus validus debeat judicari)* quasdam sententias non valde sanas disseminari per Italiam, muneris sui esse duxit afferre remedium, ne malum silentio vires acquireret, *& incolumes adhuc Italiæ civitates labefactaret.*

Advocavit ergo Pontifex plures Theologos ex ordinibus mendicantibus, ex Clericis Regularibus, & iis exposuit casus naturam, & iis injunxit, ut de usuris dicerent sententiam suam; scriptas ergo tradiderunt singuli sententias suas. Hæc porro communi consensu statuerunt.

I. Usuram esse peccati genus, *quod in contractu mutui suam habet sedem, & est positum in eo, ut ex ipsomet mutuo, quod ex sua natura tantum, & non plus reddi expostulat, plus sibi reddi velit, quam est datum.* Omne ergo hoc lucrum, quod sortem exsuperat, illicitum, & usurarium est.

II. *Neque vero ad istam labem purgandam ullum subsidium accersiri poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam summam sit relicturus otiosam, sed eam conferat ad suas fortunas amplificandas.* Contra mutui liquidam legem, quæ necessario in dati, & reddi æqualitate consistit, agere ille convincitur quisquis, æqualitate illa posita, plus aliquid vult, quam mutuum postulat.

III. Non

III. Non negatur, interdum plures titulos concurrere posse, ob quos aliquid plus exigatur, neque negatur alias esse rationes impendendi pecunias absque mutuo, ut plus aliquando, quam a mutuo percipiatur.

IV. Ergo in omnibus contractibus, si non servatur æqualitas, usura est, & propterea onus restituendi incumbit.

V. Nunquam demum justi tituli possunt esse, cum mutuo ut plus exigatur, quam æqualitas postular.

Ita illi respooderant; quam responsionem Pontifex approbans, nihil dicit de aliis contractibus, nihil de casu illo, qui caussam dedit huic constitutioni.

Monet ergo Ordinarios, ut curent ostendere populo peccatum grave, quod committit, qui hujusmodi contractus facit.

Deinde ostendant errorem illorum, qui quamlibet sortem ex pecunia vitiosam ducunt.

Tum errorem aliorum, qui nullam usuram illicitam putant.

Postea qui volunt pecuniam dare, exponant conditiones quibus volunt eam pecuniam date; ut a foro externo comprobentur.

Demum reprimant sermones eorum ineptorum, qui quæstiones de usura appellant puras, putasque quæstiones de nomine. Nam magna differentia intercedit inter contractus ultra sortem, & hi contractus in nullo foro confirmantur, & contractus infra sortem, qui in utroque foro confirmantur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die I. Nov. P. a. VI. a. D. 1745.

Contra cambia, & recambia.

PIUS IV. ad p. t. m. M. P.

Inc. *Cum sicut, &c.*

Cito ditescere volentes quidam mercatores dabant curialibus egentibus pecunias cum censu ultra jus inter mercatores statutum.

Deinde non solventes curiales tempore convento eosdem nummos ad *recambia* iis dabant maxima cum eorum jactura.

Hos coercendi datur facultas Gubernatori urbis, ita ut hos ponentes nummos ad cambia, & recambia tanta cum usura possit damnare in duo millia ducata auri in auro applicanda cameræ, & banoire, præter pœnam excommunicationis in eos latam.

Possit eos citare, summarie judicare, libros eorum, & rationes invisere. N. O.

P. M. P. I. a. 1569.

Cambiorum illicitorum explicatio, & damnatio.

PIUS V. ad p. t. m.

Inc. *In eam, &c.*

Ut reprimeret usuras, quæ ex cambiis oriuntur, hanc edit Pius constitutionem.

Igitur damnat cambia sicca, quibus fingitur, aliquem, qui accepit in his nundinis pecuniam, dare numeranti pecuniam litteras, vigore quarum alio loco pecuniam correspondente accipiet.

Interim hæ litteræ non dantur.

Census Cambii exigitur, & solvitur pecunia eo loci, ubi fuit numerata.

Et damnatur illud cambium, cum datur pecunia nomine cambii, vel depositi solvenda cum lucro eo loci ubi fuit data.

Etiam illud damnatur cum datur pecunia sub nomine cambii ut restituatur eo tempore; ita tamen inter se conveniunt acceptans, & dans, ut acceptans differat tempus, dans accipiat pecuniam cum lucro.

Ergo in cambiis designanda est distantia locorum pro justo cambiorum pretio, neque cambia pro primis nundinis differantur in alias nundinas ex convento.

D. Romæ apud S. Petrum V. Cal. Februar. P. a. VI. a. D. 1571.

DE PENSIONIBUS.

Pensiones Beneficiorum transferendi facultas revocatur.

PIUS V. ad p. t. m.

Inc. *Sacrosanctum Ecclesiæ, &c.*

Tam immoderate de rebus Dominicis etiam extra ordinem largitiones excreverant, ut Pius æquum duxerit modum iis imponendum.

Collegiis ergo, & officialibus omnibus Romanæ Curiæ revocat data indulta transferendi pensiones; quas a conjugatis, & a Laicis possideri minime vult in posterum.

Immo neque fratres militiarum conjugatos, aut bigamos eas vult posse possidere contra ac a prædecessoribus Pontificibus fuerat statutum.

Item inhibet his fratribus militiarum gratias expectivarum, & suppressionum, earum tamen, quæ nondum fuerunt adimpletæ.

Irritat etiam privilegium testandi de bonis Ecclesiasticis, de rebus immobilibus, & se moventibus; & decernit, bonorum relictorum testamentis nondum adimpletis dimidiam partem ad militias, ad hospitalia, ad loca pia, unde exierunt debere spectare.

Nec aliter quisquam hæc interpretetur. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Sept. P. a. III. a. D. 1566.

Reservationum pensionum perpetuarum super beneficiis revocatio.

URBANUS VIII. Decretum.

Inc. *Sanctissimus in Domino, &c.*

Revocat Urbanus *omnes reservatione pensionum perpetuarum super fructibus certis, vel incertis quorumvis beneficiorum, non tamen jurispatronatus laicalis in favorem quorumcumque collegiorum, universitatum, personarum, etiam Cardinalium.*

Revocat etiam indulta imponendi pensiones ad tempus super quibusvis beneficiis, jurispatronatibus laicalibus exceptis. P. P. D. M.

Die XX. Jul. P. a. IV. a. D. 1627.

EPI-

Digitized by Google

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS, ET CANONICÆ.

ABBATES Regulares, nullam animarum Curam gerentes, ad Synodum Diœcesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex Decretis Sacræ Congregationis, *De synodo Diœcesana lib. 3. cap. 2. §. 3.* iterumque *lib. 7. cap. 65. §. 2.*

ACTUS FIDEI.

Actus fidei non debet comprehendere tantum in genere quidquid fides dictat, sed debent etiam credi explicite ea Mysteria, quæ sciri debent. *Instit. Eccles. 72.*

Vide Tom. I. Tract. 4. Dist. 2. num. 11. 16. 17. ac seq. item num. 23. & 24.

ADVOCATUS.

Rescripta, & brevia pro exercendo Advocati munere Monachis, etiam canonicis Regularibus, nunquam conceduntur, quod conforme est canoni *Ex parte tua.* De postulando. *De Syn. Diœces. lib. 13. c. 10. §. 12. nov. edit.*

Sæcularibus vero clericis, etiam beneficiatis, tum & sacris ordinibus initiatis conceditur, ut Advocaturam exerceant in Tribunalibus Ecclesiasticis; in laicalibus, & coram Judice sæculari cum agitatur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quamquam in Brevibus libere conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles, & criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin & tandiu munus illud exercere permittitur, donec certos Ecclesiasticos redditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel beneficium residentiale obtineat. *De syn. Diœces. lib. 13. c. 10. §. 12. nov. Edit.*

ALIENATIO.

Alienatio rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, vetita est quoque Regularibus, etiam speciali commemoratione dignis, *ex decreto Urbani VIII. sub die 7. Septembris* 1624. Hæc tamen intelligenda sunt de bonis Ecclesiæ incorporatis. Quæ vero non sunt incorporata & debent alienari, ut sunt res relictæ PP. Reformatis S. Francisci, non possunt eorum Sindici procedere ad earum venditionem, nisi præfixo edicto, ut magis offerenti vendantur. *Ita ex decreto Sac. Cong. Conc. Inst. Eccles. 69. §. 8.*

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quæ comprehenduntur in Cap. *Terrulas* debent etiam a Regularibus fieri de licentia Episcopi. *Institut. Instit.* 69. §. 9.

Alienantes, & recipientes bona alienata contra Extravag. *Ambitiosæ* incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam. *ibid.* P. 10. Regulares vero ultra hanc incurrunt ipso facto pœnam privationis Officiorum *ex Decreto Urbani VIII. ibidem.*

Quamquam ex Can. *Bona* 12. *Quæst.* 2. jus sit Episcopo molienti novum Monasterium in sua Ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem redituum Ecclesiæ suæ; cum tamen Episcopi in sua consecratione jurent se non alienaturos possessiones ad Mensam suam pertinentes; hinc optime intulit S. Cong. interdictam esse Episcopo hanc, & aliam quamcumque alienationem. *De synod. Diœc. lib. 7. c. 7. pag. 12.*

ALTARE.

Sacerdotibus Latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam præsentibus, quam futuris, conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, missam celebrent super Antimensis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen latino sacrum agere illis injunctum est. Sunt Antimensia lintei quidam Episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt. *Constitut. Imposito nobis. Bullar. Tom. III. Constitut. XLVI.*

ALTARE PRIVILEGIATUM.

In Brevibus pro Altari privilegiato solet definiri numerus Missarum, quotidie in Ecclesia celebrandarum. Si forte accidat, ut aliquibus diebus numerus iste Missarum desit, dummodo sæpius in hebdomada tot Missæ celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non sufficere, declaravit S. Congregatio die xx. Septembris 1694. Decretumque illud approbavit Innocentius XII. ex quo resultat necessarium esse singulis diebus numerum Missarum definitum. *Instit. Eccles.* 56. §. 16.

Vide Tom. I. Tract. 12. Distinct. 3. junctis Additionibus n. 78. & seq.

Indulgentiæ Altaris cum definito numero Missarum, si forte contingant tempore Adventus, & Quadragesimæ, ut in Ecclesiis Regularium impleri non possit numerus, remanent suspensæ. Reliquis anni diebus, si forte id raro contingat, non remanent suspensæ, sicut nec remanent, ob infirmitatem Sacerdotum tam Sæcularium, quam Regularium, raro tamen si id contingat. Ita Sacrosancta Congreg. die 31. Julii 1706. *ibid.* §. 17.

APPELLATIO.

Appellationes omnes, & inhibitiones per quas retardetur executio, aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tridentino, vel Constitutionibus Apostolicis commissa est Lo-

corum Ordinariis addita clausula, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, ne a tribunalibus recipiantur, statuit Pontifex in Bulla AD MILITANTIS *Bull. tom. 1. num.* 48. Quæ si appellationes, inhibitionesque concedantur, præterquam hoc ejus statutum violatur, nullæ sunt. *ibid.* §. 38.

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint singulares ab hac regula eximendi; tunc vero ne dentur monitoria, citationesque vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eandem circumstantiam verificante. *ibid.* §. 39.

Vide Tom. II. Tract. 13. *Distinct.* 1. *num.* 36. *& seqq. Addit.*

ASPERSORIUM.

Episcopo ingredienti aliquam Ecclesiam collegiatam porrigi debet aspersorium non ab Archidiacono, seu aliis de capitulo, sed a digniori illius Ecclesiæ. Si vero cum suo capitulo cathedrali capitulariter cum indumentis canonicalibus ad aliquam Ecclesiam suæ Diœcesis procedat, porrigi illi debet a digniori de capitulo cathedralis. *Institut. Eccles.* 105. §. 128. *Ex Decretis Sac. Congreg. Rit.*

BAPTISMUS.

Natis infantibus baptismus conferri quam primum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt: tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723. ut intra triduum infans lavetur. *Institut. Eccles.* 98. §. 3.

Non licet absque necessitate baptismum conferre in privatis domibus. *Inst. Eccl.* 98. §. 9.

Vide Tom. II. Tractat. 14. *Distinct.* 3. *Addit. post num.* 34.

Nihil officit validitati baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia, & forma nihil innovetur. *De synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 6. §. 9.

Infans, cujus corpusculum nondum e matris utero prodidit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est, & moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari, sed sub conditione baptizandus est. *De syn. Diœces. lib.* 7. *c.* 5. §. 6.

Vide ib. Addit. post n. 20.

Si vero infans aliqua sui corporis parte, non vero capite prodierit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcumque illa fuerit; quemadmodum Rituale Romanum præscribit, (quicquid in contrarium Theologorum plures sentiant) quando pars illa est de principalioribus, ut pectus, scapulæ, brachia &c. iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si vero caput unice detectum fuerit, baptismate absolute tingendum est. *ibid.* 7.

Vide ibid. n. 18. *& seq.*

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethalis culpæ crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat an antea validus baptismus collatus sit. *ibid. cap.* 6.

Vide ib. Addit. 5. *post n.* 39.

Si de administrato baptismate unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc Sacramentum reiterandum; siquidem illa interrogata, materiam, & formam hujus Sacramenti probe se scire demonstret. Idemque præstandum est in locis, ubi obstetrices antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite baptismum edoceri solent. *ibidem* §. 4.

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum baptismum. Can. *Parvulos*, & Can. *Cum itaque de Consecr. Distinct.* 4. *Institut. Eccl.* 98. §. 13.

At si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus; quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiam si schedulam de suscepto baptismate e collo suspensam ferat, uti pro expositis in Hospitali de S. Spiritu in Saxia de Urbe, respondit Sacra Congregatio Concilii die 5. Januarii 1724. *De synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 6. §. 5.

Si vero agatur de baptizatis ab Hæreticis, qui ad Fidem Romanam venire petunt, tunc oportet investigare, nunquid in secta illa Hæreticorum innovatum sit aliquid circa materiam, & formam baptismi. Quod & si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio baptismate agendum est. Hoc dubium rationabile censendum est in baptismate hæreticorum Hollandiæ apud quos mos invaluerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare & nunc pariter, ut in re dubia cum illis agendum est, uti & cum hæreticis Angliæ, quemadmodum ex Silvio, aliisque statuitur. *ibid.* §. 8.

Irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur etiam si baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. *Instit. Eccl.* 84. §. 18. Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut & ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed & ab exercitio jam susceptorum ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti. *ibidem.* §. 8.

Vide ibid. n. 38. *&* 39.

Admittendum esse ad baptismum infantulum Hebræum, postulante Avia paterna Christiana, licet reclamet mater Hebræa defuncto marito, & tutores testamentarii, censet Pontifex in epistola ad R. P. Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Assessorem, ex eo quod Avia comprehendi possit sub appellatione parentum, & favore Religionis facile prævalet matri, & cæteris tutoribus testamentariis; sicut mater Christiana postulans baptismum pro filio prævalet Patri infideli reclamanti, & si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est Religioni. Hanc Epi-

stolam

Digitized by Google

ftolam habes in Bullario Benedicti XIV. *Tom. III. num.* 54.

Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tamquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumpserit, potest illi lavacrum salutare impertiri etiam Synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero Pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui pœniteat, & nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc ille qui baptizavit peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet, at penes Christianos educari. Porro in eo casu Baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi femina sit, vel etiam si sit ille, qui Baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Vide ib. n. 8 & seq.

Hæc de pueris ante usum rationis; qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum ætatis annum, si sese sponte obtulerint Baptismo, possunt baptizari, quod verum est etiam si non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si vero hoc dubium præcedat septennium, tunc debet puer retineri apud Christianos, suspenso interim Baptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi Baptismi, adeo ut illam nec in ipso actu, nec antea habuerint, tunc baptismus est invalidus. Validus autem est si antea fuerit habita, & numquam interim retractata. Quod si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quæ invalide baptizatum pronuntiat.

Si post Baptismum affirmet neophytus se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, & denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari velle, remittendus est. Hæc omnia late disputat Pontifex in Epist. ad Vicesgerentem POSTREMO MENSE *Bull. tom. I. num.* 28.

Si mulier gravida decedat, potest Episcopus injungere, ut per sectionem cæsaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum Baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus. *De Syn. Diœcef. Lib. II. Cap. 7. §. 13. nov. edit.*

Vide ib. Addit. post n. 20.

Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur Episcopus, eum ille sit tanquam causa universalis, quæ non per se, sed per particulares, id est per Parochos operatur, si tamen alius adsit qui præstare id possit. *De Synod. Diœcef. Lib. II. Cap. 7. §. 13. nov. edit.*

Vide ib. Dist. 2. Addit. 5. & 6. in Append. post num. 71.

BARBITONSORES.

In Diœcesi, ubi adest Consuetudo exercendi artem barbitonsoriam, etiam die festo, permitti potest, sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus, *Inst. Ecc. 43. per totam.* Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum. *ib.* §. 2.

Vide Tom. I. Tract. 10. Distinct. I. Addit. post num. 35.

BENEDICTIO.

Benedictio sacrarum Vestium utrum ab Episcopo simplici sacerdoti committi possit quæstio est anceps inter Scriptores. Insignes tamen Episcopi facultatem hanc plerumque a S. Congregatione petunt. *Inst. Eccl.* 21. §. 9. & 10.

Vide Tom. II. Tract. 14. Dist. 5. Append. 3. Addit. I.

Utrum benedicendum sit cingulum, pluviale & sacra pyxis quæstio est inter Doctores. Probabilior tamen censetur opinio quæ benedictionem exigit, cum pro pyxide sit peculiaris benedictio in Rituali. *ibid.* §. 12.

Si ex veteri sacro vestimento novus alius diversæ formæ conficiatur, ut si ex stola manipulus &c. benedictio iteranda est. *ibid.*

Episcopi titulares, jus nullum habent consecrandi sacro chrismate vasa sacra, quia eum in his adhibendus sit usus Pontificalium, non datur illis hisce uti in aliena Diœcesi. *ib.* §. 15.

Vide ib. Addit. 3.

Abbates Regulares benedicere campanas, & calices pro usu alienarum Ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit Alexander VII. *In suo decreto die 27. Septembris* 1659. Consulta Sacra Congregatio num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis ecclesiis, eo quia obtinuerint indultum Apostolicum; responsum fuit, exhiberi illud indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum; ac interim abstinerent. *ib.* §. 19.

Benedictiones, & unctiones campanarum cum Capitularibus Caroli Magni indicentur, antiquissimæ sunt. *Inst. Eccl.* 47. §. 10. eisque nomen alicujus Sancti imponi consuevisse ex Alcuino discimus. *Inst. Eccl.* 47. §. 16.

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approbantur, neque id tribui posse impressioni aeris a campana impulsæ asseritur. *ib.* §. 37.

Solus Episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare. *ib.* §. 38.

Ex præcepto Pontificalis Romani campanæ ecclesiarum benedici debent. *ib.*

Potest episcopus suspendere sonum campanarum, quæ ab episcopo benedictæ non fuerint, ut ex Decretis S. Congreg. *ibidem.*

Benedictionum equorum, & aliorum animalium die festa S. Antonii Abbatis formula habetur *Inst. Eccl.* 27. §. 12.

Benedictiones in vermes, & insecta habentur *ibid.* §. 20.

Ee 2 Be-

Digitized by Google

eligitur, uti definitum est in cap. *Quoniam de jure Patronatus*. Si tamen ille, quem præsentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter præsentari a paucioribus, ut ex Lambertino traditur *De synod. Diœces. lib. 7. cap. 70. §. 6.* Valere tamen jud cata est constitutio synodalis Episcopi Pampilonensis, quæ vetuit admitti præsentatum a minori parte, ob rationes in *Tractatu de synod. Diœces. lib. 7. cap. 70. §. 6.* ponderatas.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat debet a Sede Apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure Patronatus etiam laici; nam Concilium Tridentinum permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, & nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere Sacram Congregationem constat. *Instit. Eccles.* 91. §. 7.

Hæc tamen non valet in cappellaniis de jure Patronatus laicorum, neque in legatis piis, ut ex alio decreto S. Congreg. *ibid.* §. 8.

Ex alio decreto Sacræ Congregationis, de quo *ibidem*, eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria, vel quatuor beneficia insufficientia ex Episcopi auctoritate obtinuissent. *ibid.*

Cum beneficium resignatum fuerit in manu Episcopi, vel Collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineos, affines, vel familiares suos, ut ex Bulla 68. S. Pii V. *ibid.* §. 9.

Quin neque affines, consanguinei, & familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in concursu; primo quia Bulla S. Pii, quæ legit *admittentium consanguineis*, mendose excusa est, cum legendum fuerit *dimittendum consanguineis*, ut monet Fagnanus in cap. *Non sine. De Arbitris*. Secundo quia Sacra Congregatio disposuit ut in eo casu neque familiares Episcopi, neque consanguinei resignantis admitterentur. *ibid.* §. 11. *& de synod. Diœces. lib. 13. cap. 24. §. 2. nov. Edit.*

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt quando illud cecidit in manus Episcopi per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita *de synod. Diœces. ibid. §. 6. ex Decr. S. Congreg.*

Consuetudines Ecclesiarum reservandi heredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valet; nihil enim derogat juri illius qui in beneficium recens investus est, cum & ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetud nis sæpius a Sac. Congregatione decisum est. *De synod. Diœces. lib. 7. cap. 70. §. 3.*

Beneficiorum Parochialium, & Vicariarum tam sæcularium, quam regularium capaces esse canonicos regulares Præmonstratenses, etiam non intercedente Apostolica dispensatione definit Pontifex in Bulla ONEROSO &c. *Bull. Tom. III. Num. XXXIII.*

De filiis illegitimis clericorum circa beneficia parentum in eadem Ecclesia qui possint, & non possint &c. Vide *Irregularitas*.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a Patre præhabitum, esset enim species hereditariæ successionis. Nihil tamen vetat quominus Pater possit obtinere beneficium a filio præhabitum. Quod verum est etiam de Patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione Sacr. Congregationis. *De synod. Diœces. lib. 13. cap. 24. §. 15. nov. Edit.*

Illegitimi autem alii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex decretis S. Congregationis, partim ex Fagnano *ibid.* §. 16.

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod Pater quidem habuit, sed ab eo transiyit in tertium, & ab isto in eundem filium; respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi, ex cap. *ad extirpandas de fil. Presb.* illegitimis vero non licet, ut ex Bulla Clementis VII. & responsis S. Congr. *ibid.* §. 28.

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtinere avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis S. Congregationis, & Rotali decisione. *ibid.* §. 19.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse & omnes ad patronatus jura vocati jus illud amittunt, ex cap. *In quibusdam de pœnis ibid.* §. 21.

Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita a constitutione S. Pii V. incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ, ex quo fit, ut cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, & familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censentur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, & est jam effœtæ ætatis cum altero, quod est tenue, & obtinetur, sive a suis, sive ab Episcopi consanguineis: vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse; adeoque non est juxta canonicas sanctiones. *De synod. Diœces. lib. XIII. cap. 24. §. 10. nov. Edit.*

Confer Reiffenstuel Tom. I. Tract. II. Distinct. 1. & 2. per tot.

BULLA CRUCIATÆ.

Facultas concessa in Bulla Cruciatæ de absolutione a censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex constitutione Urbani VIII. eruitur; quare constitutiones Hispanicæ aliter statuentes reficiendæ sunt. *De synod. Diœces. lib. 7. cap 65. § 7.*

Vide Tom. II. Tract. 15. Distinct. 2. §. 2. n. 22.

CADAVER.

In sectione cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunica-

nic.....nem Bonifacii VIII. de qua in Cap. I. *de Sepulchris*, cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera, ea lacerant, & alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu DD. *Institut. Eccles.* 64. §. 10.

Si instituta processione, & præcedente Cruce associandum sit cadaver ad sepulturam, & transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin & leges illæ a jure canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur. *Instit. Eccles.* 89. §. 25.

Si cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, & ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia Regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit S. Congregatio Concilii. *Instit. Eccles.* 105. §. 25.

Ex Decretis Sacræ Congregationis Concilii firmatum est non esse levandum cadaver e domo absque præsentia, ac facultate parochi loci, ubi domus sita est. *Ibid.*

Cum distinguitur Ecclesia tumulans a parochiali, processio funebris debet incedere sub Cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine parochus propriam crucem levare, nisi in casu, quo interveniat capitulum Cathedralis, tunc Cathedralis crux sola præcedit. Ita ex Decretis Sacræ Congregationis. *Ibid.* §. 26.

Societates funus comitantes si procedant cum sacco, tenent locum ante feretrum, & ante clerum tam sæcularem, quam regularem, si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis cleri Romani. *Ibid.* §. 30. 31.

Laici regulares non debent comparere cum cappellanis conducitia in processione funebri, ut a muleis firmatur. *Ibid.* §. 32. At si invitatus sit conventus regularis, qui certe constat ex laicis conversis, & sacerdotibus, excludendi non sunt. *Ibidem.*

Regulares cogi non possunt ut associent pompam funebrem, cum cadaver in eorum Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ expectare. Ita ex Decis. Sacræ Congregationis. *Ibid.* §. 38.

Si quis habitator urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in Ecclesia rurali, sed in sua parœcia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum ipsius, ut decisum cap. *Is qui* de sepulturis in 6.; dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a parœcia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *Ibid.*

Cum e rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce a clero delata, & associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte parochi illius loci, ubi mora accidit. *Ibid.* §. 46.

In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis, gabella minime solvenda est, ut ex DD. *Ibid.* §. 46.

Pro transitu processionis funebris ex una parœcia in aliam nulla petenda est licentia a parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex Bulla Leonis X. 22. & Decretis S. Congregationis firmatur. *Ibid.* §. 49.

Pro sepultura, & exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris canonibus firmum est. *Institut. Eccles.* 104. §. 58. Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quamquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium Ordinarii, ut est in textu cap. *Ad audientiam* 24. *de Simonia*: *Ibid.* §. 58.

C Æ C U S.

Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium Ecclesiasticum, ut ex decreto S. Congregationis in una Pampilonensi die 98. Martii 1733. *Instit. Eccles.* 34. §. 5.

Si tamen ordinato jam Sacerdoti accidat ut oculorum lumen amittat, non tamen ita, ut nihil videat, datur illi a Sacra Congregatione facultas celebrandi diebus quidem festis, & duplicibus Missam B. Virginis votivam, ferialibus, defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper Episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim ac Cæcum penitus evasisse compererint. *Ibid.*

C A M B I U M.

Cambium locale, & per litteras, quando revera litteræ mittuntur, vel transmittitur in alium locum pecunia eo modo, quem apud Theologos describitur, admittitur a Pontifice in Tractatu de *Synod. Diœces. lib. 7. cap.* 48. §. 7.

Vide Tom. I. Tract. 8. Distinct. 4. numer. 81. & sequent.

Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantumdem pecuniæ, quantum mutuo accepit a Cambista in favorem ipsius Cambistæ, vel eidem Cambistæ dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso, sive ab alio tantumdem pecuniæ quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum; atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii; hoc inquam cambium quamvis non reprobatum a nonnullis, & revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est. *Ibid.* §. 9. 10. Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantumdem pecuniæ, quantum a Cambista mutui nomine recepit; tunc vero quidquid lucratur, vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia Cambistæ interterat ut fieret. Id etiam perinde ac prius a Pontifice reprobatur. *Ibid.*

Hæc omnia cambia, quamvis per se saltem quoad nonnulla licita laicis, interdicta esse Clericis ca-

canones magno consensu demonstrant, & evincunt. *ibid. cap.* 48. §. 11.

CANONICI REGULARES.

Canonici Regulares, quamquam sunt capaces beneficii Curati ex textu Cap. *Quod Dei timorem*, *de statu Monachorum*; non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decretis Sacræ Congregationis Concilii approbatis a Gregorio XIII. firmatur. *Institut. Eccles.* 98. §. 2. Sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum. *ibid.* §. 3.

Nec possunt Parochias laicas recipere cum sola licentia Abbatis Generalis, sed requiritur facultas summi Pontificis. *ibid.* §. 5.

CANONICI.

Canonici cathedralis non emittentes professionem Fidei ex præscripto Sacri Concilii Tridentini *non faciunt fructus suos*, fructus tamen præbendæ, non vero distributionum, uti sæpe respondit Sac. Congregatio. *Instit. Eccles.* 60. §. 11. Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex Synodo Farfensi firmatur. *Instit. Eccles.* 57. §. 15.

Professio Fidei a canonicis emittenda ex constitutione Pii IV. non obligat canonicos aliarum collegiatarum, sed cathedralium tantummodo. *Instit. Eccles.* 60. §. 1. ex pluribus decretis Sacræ Congregationis.

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non vero per procuratorem, ut ex decreto Sacr. Congregationis. *ibid.* §. 3. quod adeo verum est, ut si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. *ibid.* §. 3.

Canonici, & beneficiati tenentur ex jure Ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere; Canonici vero cathedralium, vel collegiatarum præstare id in Choro teneantur. *Instit. Eccles.* 107. §. 7.

Vide Tom. I. Tract. 6. *Distinct.* 1. *numer.* 25. 68. *&* 69.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in Choro, adjungentes sese eidem Choro, nec sufficit si tantum adsistant; alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium Apostolicum non præsumptum, nec abrogatum. Ita in Encyclica ad Episcopos Italiæ *Cum semper*. *Bull. Tom. I. num.* 103.

Nec solum tenentur adsistere, sed etiam alta voce recitare, & associare cantum horarum canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. Concilii Trid. *sess.* 14. *c.* 12. *de Reformat.* evincitur *Instit. Eccl.* 107. *n.* 16. Idcirco tenentur canonici, & alii addicti Choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito Sac. Congregationi in causa Murana Mansionariæ die 13. Novemb. 1735. a Secretario ejusdem Congregationis demonstratur. *Instit. Eccl.* 107. §. 16.

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes *Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, sed ut censuit* S. Congreg., non est sublata capitularibus facultas *sese invicem substituendi, dummodo substituens & substitutus eidem servitio adscripti non sint*. Cavendum est tamen ne nimis frequentes fiant istæ substitutiones. Nun possunt uti hac facultate illi canonici qui extra civitatem, vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi canonicus, vel mansionarius, non vero coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis S. Congreg. *ibid.* §. 17. 18.

Si Chorus Ecclesiæ efficiatur incommodus, puta hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua cappella ejusdem Ecclesiæ, ut ex decreto S. Congregat. *ibid.* §. 25.

In ordine ad recitationem horarum præfertur illa sententia, quæ docet eos, qui horis admiscent jocos, risus, & cachinnos, & cetera, & confabulationes in Choro, reos esse peccati gravis, & ad restitutionem teneri. *ibid.* §. 25.

In Decretali *Dolentes* de celebrat. Miss. pœna in eos, qui hæc similia agunt, suspensionis indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III. *in cap.* 3. *de Vita, & Honestate Clericorum*, inserto in quinta compilatione decretalium edita a Cironio. *ibid.* §. 29.

Mos non mulctandi canonicos, nisi cum supervenerint in Choro post absolutum primum Nocturnum cum lectionibus, vel post sex priores psalmos in matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a Sacr. Congregatione Concilii in Interamnensi visitationis die 24. Maji 1674. *ibid.* §. 23.

Quamquam in Choro teneantur recitare semel in hebdomada officium Defunctorum; extra Chorum tamen non tenentur, quod etiam de officio B. M. V. Psalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus definivit S. Pius V. in sua Constit. LXIV. *Instit. Eccles.* 107. §. 9.

Missa conventualia, quamquam non veniat nomine horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii; quare si cathedralis, & collegiatarum canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ. *ibid.* §. 11.

Immemorabilis consuetudo non excusat canonicos cathedralium, & collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus, & ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut canonici aliunde non habentes unde vivant, non habeant. *Institut. Eccles.* 107. §. 2. ex decr. S. Congregat.

Absentia a Choro per tres menses non intelligitur permissa a Tridentino, si Ecclesiæ constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in decreto Sac. Congregationis. *Institut. Eccles.* 107. §. 31. Quæ in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. Congregatio in suo decreto. *ibid.*

Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra Diœcesim consistant; requiruntur autem

Digitized by Google

vicissim si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari; ita ex Decretis S. Congregationis. *Ibid.* §. 36.

Cononici vigore trimestris a Concilio Tridentino sibi concessi non possunt simul abesse a Choro ultra tertiam partem uno, & eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, & Adventus, & in Festis solemnioribus. Ita ex Decreto S. Congregationis. *Ibid.* §. 34.

Pro absentibus habentur, qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 32. Hinc S. Congregatio in aliis Decretis, *ibid.* §. 33. relatis decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem S. Congregatio illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, & non a die in diem. *ibid.*

Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur Distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante Concilium Tridentinum. Ita ex Decreto S. Congregationis. *ibid.*

Canonici qui abfuerint ultra trimestre non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum S. Concilii. *ibid.* §. 37.

Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex Decretis S. Congregationis. *ibid.*

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem Cap. *Ex tua de Cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest incohata jam via procedendi a Concilio præscripta; attamen tunc pergendum non ad sententiam privationis. Ita ex Decret. S. Congreg. *ibid.* §. 38.

Quoad Distributiones Concilium Tridentinum *Sess.* 31. *Cap.* 3. *de Reform.* mandat ut separetur e Massa Capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis adsistentes. Addit vero idem Concilium, quod si dignitas, & personatus Ecclesiarum Parochialium, & Collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur *Fabricæ Ecclesiæ*, *vel alteri pio loco*, *arbitrio Ordinarii*. Quod postremum intelligitur de dignitatibus redditus suos habentibus a Mensa capitulari discretis; nam illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus. *Institut. Eccles.* 107. §. 41.

Vetat insuper sacrum Concilium *Sess.* 24. *Cap. XII. de Reform.* ne chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui Decreto insistens S. Congregatio Concilii semper negavit valere istas condonationes. *ibid.* §. 42.

Hoc tamen non obstante fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. Congregatio. *ibid.* §. 44.

Cæterum cum sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusant; hinc Sacra Congregatio censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin & si quis discedens a civitate sanus proponens reditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 46.

Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper, nam si qui cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit Sacr. Congregatio. *ibid.* §. 47.

Accidere tamen posset, ut qui non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse choro non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. Congregatio. *ibid.* §. 48.

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, & non solum ex ea, qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. Congregatio. *ibid.*

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere Missarum in collegiata eadem S. Congregatio alio Decreto censet. *ibid.*

Quando pestis grassatur (quod judicium Episcopo remittitur) canonici qui se absentant ab Urbe, vel Oppido, distributiones lucrantur, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 50.

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse choro, vexationibus injustis coacti se e loco seducunt, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 51.

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est, quæ omnia ex Decretis S. Congregationis. *ibid.* §. 52.

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, quo reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *ex quo satis*. Hæc omnia ex Decretis Sacræ Congregationis. *ibid.* §. 53.

Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad Distributiones admittit Bonifacius VIII. in c. unic. *De Cleric. non Resid. in Sexto*. Quare absens a choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. Congregatio. *ibid.* §. 8.

Itaque Canonicus Theologus qua die legit, potest non amissis distributionibus a choro abesse, etsi

etsi vacare illi posset, ut censuit sacra congregatio. *ibid.* §. 55.

Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius canonicus ab Episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit confessiones, tuto abest a choro, & distributiones obtines, ut pluries censuit S. congregatio. *ibid.* §. 55.

Si vero abit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit, ut ex aliis Decretis S. congregationis. *ibid.*

Lucratur etiam fructus Præbendæ, non vero distributionum, etsi absens ille, qui habet canonicatui suo adnexam, sed extra civitatem, curam Animarum; tenetur enim in Parœcia residere pro eo tempore, quo in Parochiali Ecclesia residet, & Sacramenta administrat. Ita ex Concilio Tridentino *Sess.* 22. *cap. de Reform.* addita Bulla 65. Sancti Pii V.

Qui vero habet Curam Animarum in ea Ecclesia, in qua est Canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam Animarum, distributiones quotidianas obtinet. *ibid.* §. 56.

Fas est Episcopis servitiis suis adjungere saltem geminos canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum: attamen non potest seligere canonicum, seu Dignitatem, neque etiam coadjutorem. Hos vero lucrari fructus Præbendæ, non vero distributiones constat. Ita ex pluribus Decretis S. congreg. *ibid.* §. 57. 58.

Canonici, quos Episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit S. Congregatio. *ibid.* §. 59.

At si illum comitentur in visitatione Diœcesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucratur duas tertias partes earum, tertia amissa, quæ inservientibus accrescit. Ita ex Decr. S. Congr. *ibid.* §. 59.

Ex lege Concilii Tridentini. *Sess.* 24. *cap.* 12. possunt cogi Canonici *Episcopo celebranti, vel Pontificalia exercenti assistere, & inservire.* Porro ex Decretis S. congregationis discimus Episcopo in Cathedrali celebranti in Pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus Subdiaconi; quod verum est etiamsi Episcopus celebret, seu Ordines ministret extra Cathedralem, intra Diœcesim, & suburbia; tenentur enim etiam tunc præstare munus diaconi, subdiaconi, Presbyteri adsistentis, & duorum illorum canonicorum, qui episcopo ordines ministranti eum Archidiacono adsunt. Ita ex pluribus Decretis S. congreg. *ibid.* §. 60.

Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua cathedrali præsens est Missæ, & divinis officiis diebus Dominicis, & Festis etiam non solemnibus, & in diebus ferialibus Quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis Pontificaliter celebret, vel paratus assistit cum Pluviali, & mitra, aut cum cappa divinis officiis, & Missæ solemni, alia Pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens canonicorum, & ministrorum in Ecclesia Cathedrali remaneat. Ita ex Decreto S. congreg. *ibid.*

Valent etiam hæc dum episcopus in Ecclesia cathedrali adest concioni diebus Quadragesimæ, & aliis intra annum. Non vero si cum cappa assistit concioni, quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis, etiam exemptis. *ibid.* §. 60.

In his omnibus rerum circumstantiis canonici, qui episcopo inserviunt, si actu debeant choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt Episcopo Pontificalites celebranti, non vero Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti. *ibid.* §. 61.

Animadvertendum est Canonicos non præsentes, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes, ut ex Decreto S. Cong. *ibid.* §. 62.

Demum distributiones quotidianas obtinent canonici, & Beneficiari, qui interdum intra annum intra domum Religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi, non tamen si in Adventu, Quadragesima, & festis solemnibus id agunt; & ita agunt, ut servitio chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encyclic. Clementis XI. *ibid.* §. 63.

Distributionibus etiam quotidianis non privantur Canonici, & Mansionarii emeriti, sive si coadjutorem habeant *ibid.* Debent tamen indultum hoc obtinuisse a S. Congreg. vi cujus nec loci residentiæ astringuntur. Quanquam possunt ab Episcopo compelli ad assistendum choro, si cultus divinus detrimentum patiatur. Ita ex Decretis S. congregationis. *ibid.* §. 64.

Porro si Coadjutor sive intra civitatem ægrotat, sive extra, non tenetur Coadjutus assistere choro, & nihilo secius lucratur distributiones. quæ ipsi omnino debentur; etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt. *ibid.* §. 65.

Distributionibus privatur Vicarius Generalis Episcopi, canonicus examinator, quique in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri Cameralea, scilicet subcollectores spoliorum, & Decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique nec Magistri juris canonici, & Sacræ Theologiæ in publicis Universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad S. congregationem, obtinent fructus Præbendæ, & si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis Universitatibus absunt. *ib.* §. 72.

Absentes vero causa studii ex Decreto Innocentii XII. si indultum sibi concessum non exhibuerint Ordinario loci, & in Actis Cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est ac si non adfuissent. *ibid.*

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii. *ibid.*

Studium vero præstari debet in publica Universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo Lector privatam lectionem habet, & non in

Aula

Digitized by Google

Aula publicæ Universitatis, ut ex Decreto facr. congregationis. *Ibid.*

Si eo tempore, quo officia persolvuntur in choro, capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, canonici non possunt absentare sese absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decretis S. Congregationis. *Ibid.* §. 73.

Nec etiam deserere possunt chorum, ut Missas celebrent, vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit; monetur tamen superior ut ab his jussionibus abstineat, in Decreto S. Congregationis Ann. 1572. *Ibid.* §. 74.

Dignitatem novam in cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo summus Pontifex, ut pluries decisum in Sacra Congregatione Concilii notatur. *Tract. Synod. Diœcef. Lib. 7. Cap.* 75. §. 8.

Pro Canonico Theologali concursus indicendus est, ex Bulla Benedicti XIII. *Pastoralis Officii*: ejus tamen collatio pertinet ad Pont.ficem ex Can. *Ad regimen* de Præbend. Concursus iste indicendus est ab episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in Theologia Licentiati, sive sæculares, sive regulares, nec requiruntur Synodales. Concurrentes debent esse Doctores in sacra Theologia, vel saltem intra annum tenentur Doctoralem lauream in aliqua Universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem Bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem, a quo dignior eligetur, ut in eadem Bulla, & *Instit. Eccles.* 57. §. 3.

Nec sufficit laura canonica ex respon. S. Congregationis. *Instit. Eccles.* 57. §. 4.

Nec sufficit etiam si hæc laurea recepta sit ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in Universitate approbata; quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex Bulla 70. S. Pii V. *Id.* §. 5.

Theologus Canonicus satisfacit suo muneri, sive legat facram Scripturam, sive Theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit sacra congregatio. *Ibid.* §. 6. Non tamen si legat Theologiam moralem, ut *Ibid.* §. 7.

Ex Præbenda Theologali segreganda est tertia pars, ex cujus redditibus data proportione solvenda sua portio Sacristiæ Metropolitanæ, respondens diebus, quibus Canonicus deesset suo muneri. *Ibid.*

CAPITULUM.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis præcedere debet capitulo collegiatæ, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definivit Rota Decif. IX. post Murgam ad constit. Apostol. *De Synodo Diœcef. Lib. VII. Cap.* 65. §. 2.

Capitulum cathedralis Ecclesiæ ad Synodum ab episcopo indictam invitandum est; teneturque episcopus de constitutionibus in eadem Synodo condendis, ejusdem capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, & constitutiones suas inconsulto capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. *De Synod. Diœcef. Lib. 8. Cap. 1. per totum.*

Capitulum cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus Synodalibus in iis quæ versantur circa morum, & disciplinæ reformationem, ita declarante S. Congregatione *De Synod. Diœcef. lib. 4. cap. 8. §. 7.*

Exemptio Capituli cathedralis in eo præcipue sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem canonicum fine duobus de capitulo, adjunctis ad normam Tridentini *sess. 25. cap. 6. de Reform.* Quamvis Episcopus fine adjunctis de capitulo potest illud visitare ex Trident. *sess. 6. cap. 4. de Reform. De Synod. Diœcesan. lib. 8. cap. 4. §. 3. & lib. 13. cap. 9. nov. Edit.*

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, & compositiones delinquentium, ut sæpius a S. Congregatione decisum est. *De Synod. Diœcef. lib. 10. §. 4. nov. Edit.*

CAPUCCINI.

Capuccinis vetitum erat ex constitutione quadam sui capituli Generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui Ordinis confessario, etiamsi longe abessent a Monasteriis sui Ordinis, verum Benedictus XIV. die 30. Martii 1742. facultatem fecit singulis eorum Sacerdotibus, & Laicis longe a suis Monasteriis versantibus, ut possent cuicunque sacerdoti sæculari a suo Ordinario approbato, vel regulari a suo pariter superiore approbato peccata sua in confessione aperire, & ab eo absolutionem obtinere; etiam a casibus, & censuris in suo Ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint coram superiore se sistant, & novam ab illis casibus, & censuris absolutionem obtineant. Ita ex constitutione Benedicti XIV. *die 30. Martii 1742.*

CASUS RESERVATI.

Societates quædam ex vi suorum Privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi confessarium, a quo a casibus Episcopo reservatis, fine Episcopi licentia, absolvantur, ut præter Decisiones Sacræ congregationis ferunt litteræ Benedicti XIV. incipientes *Pias Christifidelium* relatæ. *De Synod. Diœcef. lib. 5. §. 9. nov. Edit.*

Denique accedentes in fraudem ad aliam Diœcesim, ut absolvantur a reservatis suæ Diœcesis absolvi non possunt ex Bulla Clementis X. *Superna magni. Ibid.*

Canonicus Pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi peccata Episcopo reservata, ut a sacra congregatione concilii decisum referunt. *Ibid.* §. 8.

CAUSARUM COGNITIO.

Causæ omnes tam civiles, quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram

ram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscendæ sunt, causis privilegiatis exceptis; neque committi possunt etiam Auditori cameræ Apostolicæ nisi per viam legitimæ appellationis. Si autem pendentibus causis in prima instantia impetrentur jeitationes in signatura justitiæ, hæ quidem valent ad comparendum, vel adeundam Signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora *Bullar. Tom. I. Constit.* 48. Ad Militantis §. 4°. *& seq.*

Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit, nec nisi post sententiam definitivam apud Sedem Apostolicam sive in Petitorio, sive in Possessorio est locus sequestrationi fructuum *Clement. Unic. de sequestr. Possess. & fruct.* neque aliter statui potest in Synodis particularium Ecclesiarum. Ita in *Tract. de Synod. Diœces. Lib.* 12. *cap.* 1. *n.* 3.

Causæ omnes etiam civiles, & de re etiam profana, in quibus Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, & in prima instantia in Foro proprii Episcopi, nec etiam de Episcopi consensu transferri possunt in prima instantia ad Curam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a S. Congregatione concilii in *Institut. Eccles.* 40. §. 3.

Si vero clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quanquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad Judicem sæcularem, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere possunt ad Forum Ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad Tribunal Laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quanquam in casu etiam, in quo valet privativa de licentia Episcopi, potest causa ista agitari coram Judice laico. *Ibid.* §. *V.* ut ex Decretis Sacræ congregationis Episcoporum Regularium confirmatis brevi Pauli V. die 9. Martii 1617. *ibid.* §. *V.*

CENSURA.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio, & interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviori culpa, adeo ut suspensio a divinis ad longum tempus sicut & interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne valide quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. *De Synod. Diœces. Lib.* 7. *cap.* 44. §. 3. Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, & ferendæ sententiæ. *Ibid.* §. 5. *Vide Tom. II. Tract.* 13. *Distinct.* 1. *num.* 8. *& sequent.*

Parcissimi esse debent Episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis, cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti Sacræ Congregationis sensu. *Ibid. cap.* 45. *per totum.*

Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur si res vetita fuisset neglecta, rei ipsa ut postulat, ita provideatur. Ita Pontifex defendit constitutionem suam, qua vetuit ne dispensari in Quadragesima a comestione carnium, pisces degustent. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *toto cap.* 46.

Censuræ ab homine latæ a nemine absolvi possunt nisi ab eo, a quo latæ sunt, vel ab ejus Superiore, si agnoscantur injustæ. *Instit. Eccles.* 55. §. 11. Adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinariorum turbetur. *Ibidem.*

CENSUS.

Census realis licitus est, & immunis ab usura; nam venditur, & emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 48. §. 54. *Vide Tom. I. Tract.* 8. *Distinct.* 4. *num.* 61. *& seqq.*

Census vero personalis dubium est num de sua natura sit usurarius, nec ne? Constat tamen vetitum esse ex constitutione S. Pii V. in qua constituuntur Census conditiones. *Ibid.* §. 4. *Vide ibid. num.* 68.

Num conditiones illæ, quoad ea quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cessarint obligare apud quasdam Nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V. concessit non obligare, ut ex Guttierez. *ibid.* §. 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. *ibid.* Monet tamen Pontifex etiam in iis Diœcesibus, in quibus Piana constitutio non viget, ut a censibus personalibus, præsertim utrinque redimibilibus abstineatur. *ibid.* §. 6.

CHOREÆ.

Choreæ quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. *Vide Tom. I. Tract.* 9. *Dist.* 4. *post num.* 84. *Addit. IV. & V.*

Choreas vero a Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt, ut firmatur *Institut. Eccles.* 76. §. *VII.* Quin & prohiberi possunt ab Episcopis clerici omnes, ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus Ecclesiasticis, Canonicalibus, Parochialibus, seu etiam Beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decreti S. Congregationis relati *Institut. Eccles.* 76. §. 8.

CHRISMA.

Ex can. *si quis de alio de Consecr. dist.* 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud Chrisma quam ab Episcopo suo consecratum adhibere. *Inst. Eccl.* 81. §. 2. omni quacunque exemptione exclusa, ut ex Passerino. *ibid.*

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est,

eſt; nec licet abſque neceſſitate veteri chriſmate uti ad Extremam Unctionem, cum novum haberi poteſt, ut ex can. 122. diſt. 4. *de Conſ.* colligunt Doctores. *Ibid.* §. 4.

Licitum eſt oleo conſecrato admiſcere aliquid olei non conſecrati, quod tamen ſit in minori quantitate quam conſecratum; ſed cum poteſt novum haberi, ea admixtione perpetuetur. *Ibid.* §. 4.

Cum Fontes die Sabbati ſancti a Parochis benedicuntur, præſtaret novo Chriſmate ab Epiſcopo die V. in cœna Domini ejus anni benedicto, ritum peragere. *Ibid.* §. 5.

Ex jure communi Can. *Omni tempore* Diſtinct. 4. de Conſecrat. non licet deferre ſacra olea niſi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. *Ibid.* §. 6.

CLAUSURA.

Clauſura virorum quoad eorum Monaſteria aſſeritur in Bulla REGULARIS DISCIPLINÆ *Bullar. Tom.* 1. *num.* 39. ex qua eruuntur ſequentia.

Tanquam abuſus declaratur ingreſſus promiſcue virorum cum feminis intra ſepta, vel clauſtra Monaſterii ſub prætextu comitandi ſolemnes ſupplicationes, quæ fiunt intra eadem ſepta cum SS. Euchariſtiæ Sacramento, ſive cum Sanctorum reliquiis, &c.

Confirmantur conſtitutiones, & ſanctiones omnes Romanorum Pontificum ſuper clauſtra Monaſteriorum. Denique revocantur quæcumque facultates diſpenſandi quoad eamdem clauſuram a quocumque, & quibuſcumque conceſſæ.

Suum tamen jus aſſeritur iis conceſſionibus, quæ ad favorem ſunt quarumcumque nobilium feminarum; eo quod eorum majores fundatores, ſeu inſignes benefactores, ejuſdem Monaſterii extiterint, & de hac conceſsione confirmationem ab Apoſtolica Sede obtinuerunt. Sicut etiam aſſeritur iis feminis, quæ ſunt conſanguineæ, & affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus loci, ubi ſitum eſt Monaſterium, dummodo tamen Apoſtolica conceſsio expedita ſit in forma Brevis, vel ſub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita ſint loci illius Ordinariis; dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per Monaſteria, ſed ſola pietatis gratia, ac de eorum adventu, & ingreſſu certiores antea fiant Superiores, &c.

Quoad Monialium clauſuram proviſum eſt in Bulla SALUTARE IN CATHOLICA *Bullar. Tom. I. num.* 40. qua in conſtitutione hæc continentur.

Confirmantur conſtitutiones omnes antecedentium Pontificum ſub pœnis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes diſpenſandi quoad hunc ingreſſum cuicumque & pro quocumque conceſſæ, & tranſgreſſores ſubjiciuntur iiſdem pœnis, quibus ſubjacent violatores clauſuræ Monialium.

Suum tamen jus conceditur quoad diſpenſationes Ordinariis locorum, & aliis reſpective Superioribus, qui jus obtinent diſpenſandi in caſibus neceſſariis, & ſervatis de jure ſervandis.

Moniales poſt Proceſſionem neque etiam ad breve tempus exire poſſunt e Monaſterio, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. Cauſæ autem ſunt ex Extr. Pii V. incip. *Decori &c.* incendium, lepra, & epidemia. *Inſt. Ecc.* 85. §. XVI.

In Conſecratione tamen ex præſcripto Pontificalis Romani exire debent e clauſura, & ingredi in Eccleſiam ſenioribus Matronis eas comitantibus, & ſtatim ad clauſuram redire. *ibid.* §. 30.

Denique occaſione conſecrationis earumdem Monialium non licet Epiſcopo ingredi in clauſuram, nec multo magis licet id agere Magiſtro cæremoniarum, & conſanguineis conſecrandarum Virginum. Ita ex eodem Decreto *ib.* §. 21.

Violantes clauſuram Monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentarum, non evitant excommunicationem reſervatam Pontifici, quam etiam incurrunt admittentes hujuſmodi violatores, neque excuſantur ex contraria conſuetudine etiam poſt concilium introducta. Ita ex alio Decreto ſac. congregat. *ibid.* §. XXI.

CLERICI.

Clericis omnibus vetari ab Epiſcopo poteſt geſtatio ficti capillitii; beneficiatis vero etiam in ſacris non conſtitutis, ſicut etiam cæteris ſacris initiatis, fas eſt epiſcopo id prohibere etiam ſub excommunicatione, uti ex pluribus Decr. ſacr. congreg. *De Synod. Diœceſ. Lib.* 7. *cap.* 60. §. *V. & Inſt. Eccl.* 96. §. *V.*

Sacerdotibus vero ſacrum operantibus nunquam uti licet eo capillitio, niſi de licentia ſacr. congreg., nec enim ſufficit Epiſcopalis permiſſio, uti ex litteris Innocentii XII. ad Nuncios Apoſtolicos & epiſcopos datis. *ibid.* §. *V. Vide Tom. II. Tract.* 14. *Diſtinct.* 5. *poſt Quæſt.* 10. *Append. III. Addit. II.*

Sententia aſſerens omnem quamcumque venationem a ſacris Canonibus interdictam eſſe clericis magis juri conformis eſt. *De Synodo Diœceſ. Lib.* 7. *cap.* 61. 88. Quare nimii rigoris damnandæ ſunt conſtitutiones illæ Synodales epiſcoporum, quæ indicta pœna clericos ab omni venatione removent. *ibid.* §. 8.

Sententia quorundam aſſerens non fore reos lethalis criminis clericos comœdiis quantumvis turpibus adſiſtentes, ſi hoc fiat citra ſcandalum, & probabile periculum lapſus, erronea, & ſcandaloſa eſt. *De Syn. Diœceſ. Lib.* 7. *cap.* 61. §. 12.

Clerici non conjugati, beneficiati ſine tonſura, & clericali veſte incedentes non quidem gaudent beneficio fori, & canonis, ut ex Tridentino. *Seſſ.* 25. *cap.* 6. *de Reform.* ſed longe probabilius gaudent aliis privilegiis Clericalibus, pura exemptione reali ab oneribus laicalibus, de quibus Cap. *Odoardus de ſolut.* cum Tridentinum non adimat illis niſi tantum privilegium fori, & canonis. *De Synod. Diœceſ. Lib.* 6. *Cap.* 66. §. 2. Quin etiam per legem Tridentini non privatur epiſcopus juriſdictione puniendi illos tanquam ſibi ſubditos; neque enim lex Tridentina aliud operatur, niſi ut Clericus delinquens forum ſæculare declinare nequeat. Ita deciſum refertur a ſacr. congrega-

gregatione apud Sperellum *Decis.* 17. *num.* 33. 34. *ibid.* §. 4. Insuper ex alio Decreto dato Archiepiscopo Neapolitano, jus est episcopo eosdem clericos delinquentes, quando neque a jure, neque ab homine per declarationem non sunt denudati privilegiis clericalibus, e manibus Judicis laici repetere. *ib.* Est autem hoc decisum quoad clericos conjugatos a S. Congregatione Immunitatis in causa Alatrina jurisdictionis die 27. Martii 1683. *ib.* §. 5.

Clericos post dimissionem clericalis vestis committentes delictum, iterumque illam resumentes, si absque dolo, ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat illis non suffragari, si egerint cum fraude. Cognoscere tamen de fraude non est Judicis sæcularis, sed Ecclesiastici. Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc ut Judex laicus possit procedere realiter contra bona clerici, quæstio est inter Doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censeretur ille, qui post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem a judice sæculari, fuga se, vel aliqua ratione subtraxit, tuncque clericalem vestem resumpsit. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 67. §. 1. 2.

Non potest episcopus generali Constitutione cavere ne clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia Episcopi, ut decisum a S. Cong. refertur §. 3.

Ad hoc autem, ut evitentur ex in re dissensiones inter utramque potestatem Ecclesiasticam & Laicam suadendum, ut episcopus per edictum generale mandet clericis, ut incedant in habitu, & tonsura, ac deserviant alicui Ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. *ib.* §. 4.

Ecclesia, cui inserviendum a clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab Episcopo; si tamen alteri a designata inserviat, adhuc gaudeat, ut a sacr. congr. decisum refertur. *ib. cap.* 69. *n.* 3.

Non incedentes in habitu, & tonsura, præcedente admonitione, etiam per edictum suspenduntur ab Ordinibus, officio, & fructibus beneficii ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. *de Reform.* Quin & ex Bulla *Cum sacrosanctam* Sixti V. privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus, & beneficiis simplicibus, ac pensionibus. Ab his vero pœnis excipit in alia Bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de camera. Quæ tamen postrema dispositio cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris Bullæ, quæ ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex sacr. congreg. firmatur. *Institut. Eccles.* 71. *num.* 12.

Clerici ab exercitio sui Ordinis suspensi, si ab eo se abstinuerint, esto absque prævia absolutione ad altiorem ordinem transierint, quanquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt; quæ est magis communis sententia. *De Syn. Diœc. lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 6. *Nova Edit.*

Clericis ne ad sacros, & ulteriores Ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere clericos a Divinis ut a sacr. congregatione decisum traditur *de Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 71. §. 3. Quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem, Sedi Apostolicæ exponere, et ex responso sacræ congregationis traditur. *ibid.* §. 4. Ex quo fit ut, etsi reus appellationem interposuerit, si interim Ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat. *ib.* §. 5.

Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem Theologiæ Moralis præmittere tenentur, ita enim intelligenda est sanctio Tridentini in *Sess.* 23. *cap.* 14. injungens ut ordinandi *ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta idonei comprobentur*; atque hoc injunctum esse a Benedicto XIII. confirmando Bullam *Apostolici ministerii* &c. datam per reformationem clero Hispaniæ, & tanquam normam pro aliis Episcopatibus. *Inst. Eccl.* 2. §. 4. & 5.

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim Episcopis Italiæ, & insularum adjacentium mandavit in encyclica Innocentius XI. & innovavit alia encyclica Clemens XI. *Instit. Eccles.* 104. §. 5.

Non debet Episcopus præcipere, ut clerici minoribus Ordinibus initiati, vel etiam majoribus Subdiaconatus &c. ad sacros Ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum clericorum, qui otio, & vitiis se dedunt; id enim ecclesiasticæ disciplinæ repugnat. *De Synod. Diœcef. Lib. XII. cap.* 4. §. 2. *Nov. Edit.* Id tamen verum est si quidem clerici nullum beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem beneficium, sed non ex illis quibus adnexum est onus suscipiendi sacros Ordines. *ibid.* §. 3. Qui enim obligationem beneficio suo adnexam neglexerint beneficio privantur, ex Trid. *cap.* 12. *Sess.* 24. *de Reform.* nisi tamen justo impedimento excusari possint. *ibid.* §. 6. saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ. *ib.* §. 7.

Sacerdotum penuria non satis est causa, ut Clerici illiterati ad sacros Ordines promoveantur, ut a sacr. congregatione Concilii decisum refert Fagnanus in cap. *Quæris n.* 18. *de Ætat. & Qualit. præficiend.*

Clerico interdictum est ex Constitutione S. Pii V. *Quæ Ordini*, ne quid in testamento relinquat filiis suis illegitimis, eorumque filiis, ac descendentibus, consanguineis, & affinibus, sive ex redditibus ex bonis Ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis, etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit quominus alimenta filiis illegitimis debean-

tur

tur etiam ex redditibus Ecclesiasticis. Cum vero veratur legatum in favorem consanguineorum ejusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta ejus consanguineis per quendam circuitum cedant in commodum ejusdem filii illegitimi. *De Synod. Diœces. lib. 13. cap. 24. §. 21. Nov. Edit.*

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Consuetudo contraria Decretis Sacri Concilii Trident. non est attendenda, quia in Bulla Pii IV. quæ legitur in fine ejusdem Conc., legitur Decretum irritans ea omnia, quæ obstent eidem S. Concilio, ex quo fit ut irritatio ista cadar supra omnia obstantia singulis Capitulis ejusdem. *Inst. Eccl. 60. §. 7.*

Cum in sanctionibus Concilii additur *salva semper auctoritate Sedis Apostolicæ*, quæ semper addita voluit idem Concilium *Sess. 25. cap. Final.* cum de reformatione morum, & Ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus a Romano Pontifice concessis semper intelligitur derogatum sanctioni ejus Concilii, etiamsi hæc derogatio non exprimatur juxta ac definivit S. Pius V. in suo motu proprio apud Garciam *de Benef. Part. 4. cap. 5. num. 32. & 33. &* censuit sacra congregatio Conc. *De Synod. Diœces. cap. 24. §. 23. Nov. Edit.*

CONCIO.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis Ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innocencius XIII. in sua constitutione pro reformanda disciplina Regum Hispaniæ, quam Benedictus XIII. confirmavit ut esset norma cæteris Ordinariis. *Instit. Eccl. 10. §. 3.* Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit S. Congregatio die 8. Augusti 1732.

Concionatores Regulares tenentur petere ab episcopo benedictionem, etsi velint in Ecclesia sui Ordinis conciones habere, ex Bulla Clementis X. *Suprema Inst. Eccles. 27. §. 8.* In alienis vero Ecclesiis licentia, & benedictio Episcopi etiam Regularibus requiritur ex Tridentino Sess. 5. cap. 2. *ibid.*

Interdici potest Regularibus prædicatio etiam in suis Ecclesiis facta eo tempore, quo episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia Ecclesia. *De Synod. Diœces. lib. 7. cap. 43. §. 7.*

Si vero Episcopus coram se prædicare faciat, seu prædicationes etiam in sua Ecclesia audiat pro consueto more Adventus, & Quadragesimæ, prohibere non potest Regulares eodem tempore in suis Ecclesiis prædicent. Nequeunt vero prohibente episcopo prædicare eo tempore, quo Episcopus ex publica causa convocatis Clero, Magistratu, & populo coram se prædicare facit, quod ex Clementina, *Dudum de sepulturis*, eruitur. *De Synod. Diœces. lib. 7. cap. 43. §. 7.*

Concionem proprii Parochi, quam in Parochiali Ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synod. Diœces. lib. 7. cap. 64. §. 13.*

Concionatores si per scurrilitatem *Verbum Dei, veluti in scenam adducunt, non levem culpam* admittunt, *sed grande piaculum*, ita ex verbis encyclicæ sacræ congregationis Concilii sub Innocentio XI. datæ 6. Julii 1680. *Instit. Eccles. 27. §. 15.*

CONCURSUS.

In Concursu ad Parochialem, si collatio pertinet ad Episcopum, judicium de digniori ex approbatis ab examinatoribus pertinet ad illum; si vero beneficium sit Patronatus Ecclesiastici, tunc prælatio ad Patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab Examinatoribus deputatis approbandum, sed sine concursu, patronus debet eligere. Si tamen in Patronatu laicali plures sint patroni, & a singulis suus præsentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc concursus instituendus, & ad episcopum pertinet prælectio inter approbatos, ut ex Decreto sacr. congregationis apud Barbosam. *De Synod. Diœces. lib. 4. cap. 8. §. 8. & 9.*

Sede vacante in concursibus electio est Vicarii capitularis, nam ad illum tota jurisdictio Capituli devolvitur. §. 10.

In Concursu examinatores tenentur judices esse non tantum doctrinæ, sed & cæterarum dotum, quæ necessariæ sunt ad Parochiale officium. Ita Pontifex in Bulla CUM ILLUD *Bullar. Tom. I. num. 68.* In concursu habendo hæc servanda. *ib.*

Habita notitia vacationis Ecclesiæ, Episcopus Vicarium deputet cum emolumento ejus arbitrio assignando.

Episcopus publicet edictum concursus, præfinito tempore ejus habendi, intra quod tempus concurrentes deferant personæ ab episcopo deputandæ suarum qualitatum, meritorum, & munerum documenta sincera, sive judicialia, sive extrajudicialia, quæ eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta, summa eorum documentorum a Cancellario Episcopali confecta tradatur illi, qui Concursui præest, & singillatim omnibus Examinatoribus. Tum habeatur concursus, assignatis singulis concurrentibus iisdem quæstionibus, eodemque evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes præscribant. Hæc omnia dictentur omnibus eodem pariter tempore, & in eodem conclavi clausis; assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa subscribat tum Cancellarius Concursus, tum Superior, qui præest, ac demum examinatores singuli.

Tenentur etiam ab examinatoribus concurrentes qua peritia polleant in lingua latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis Patribus, sive de Conc. Tridentino, aut Catechismo Romano, quod oretenus fieri potest.

Resp.

Digitized by Google

Responsa ita subscripta etiam ab examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradantur cancellario custodienda, penes acta secreto nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit a mala relatione examinatorum, vel irrationabili judicio episcopi, coram Judice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis non visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat, tam respectu doctrinæ, quam morum.

Si in casu dictæ appellationis episcopus censeat significandum Judici appellationis secretam causam, ob quam morus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam Judici etiam per literas significare.

Quod si Episcopo suspecta sit fides Judicis de secreto illo prodendo, literis suis eadem deferat sacr. congregationis Concilii Præfecto.

Judex appellationis, quando appellatio fit a malo judicio Episcopi, seu mala relatione examinatorum, cognoscere debet non solum de doctrina, sed etiam de cæteris dotibus electi ab episcopo.

Si Judicis appellationis sententia conformis sit electioni episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est. Secus vero si acciderit, liceat prælecto episcopali secundo, & tertio appellare. Demum cui duæ conformes adsistunt sententiæ, ille victor habeatur.

Si vero beneficium curatum, Dignitas, & Canonicatus a Sede Apostolica conferendum sit, tunc concursus non expectata ulla Pontificis venia, ab episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, & reservatum sit tantummodo ratione mensium, episcopus eligat magis idoneum, & illum Datariæ significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenetur transferre. Vicissim transferat illa, & suspendat a ferendo judicio, si reservatio ex alio quovis capite sit. Licebit tamen episcopo denuntiare illum, quem credit magis idoneum fore Beneficio, sicut & si alicui occulta aliqua causa obsit, ne Beneficium obtineat. *ibid. Confer. Reiffenstuel Tract. 11. Distinct. 1. n. 38. & 39. & Dist. 3. n. 41. & 42.*

CONFESSARIUS.

Confessarii temere interrogantes pœnitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiæ ferendæ incurrunt, peccant graviter, & sunt denuntiandi, si agnosci possit hanc sibi praxim tanquam licitam statuisse. Sicut etiam denuntiandi sunt, qui id licere docent. Ita Benedictus XIV. in Constit. *Ad eradicandum* &c. Ibi etiam additur pœnitentes illos, quos ad prodendum nomina complicum confessarius adegerit, non teneri ad denuntiandum eosdem confessarios, id agentes ex quadam imprudentia, ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii pœnitentes suos ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem pœnitente, quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi confessarius sit simples sacerdos & jurisdictione careat.

Etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens consenserit.

Etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum jam effluxerit.

Etiamsi sollicitatio fiat a confessario non pro se, sed pro alio.

Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denuntiaturos quamprimum poterunt. Ita in Bulla SACRAMENTUM POENITENTIÆ, Bull. *Tom. 1. n. 20. Vide Tom. II. Tract. 14. dist. 8. a n. 57. ad 72.*

Confessarius caret omni auctoritate, & jurisdictione absolvendi socium criminis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; & si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam, quæ absolutio socii criminis neque in ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ Cruciatæ impendi valet. *ibid.*

In mortis vero articulo si adsit quicunque alius Sacerdos, qui præsenti necessitati provideat, & confessarius socius criminis nihilominus pœnitenti alias disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at confessarius lethaliter peccat, & excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere confessarius, nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex, qui impertiri eandem absolutionem possit, vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam ad hoc ut ipse se subtrahat, & alium si fieri possit substituat. Ita Pontifex in declaratione prioris Bullæ *Sacramentum Pœnitentiæ* nova sua Bulla *Apostolici muneris*. Bull. *Tom. 1. n. 20.*

Injungitur Ordinariis, ut in approbatione confessariorum constitutionem Gregorii XV., & præsentem Benedicti XIV. ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, & observari curent. Ita in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*. Bull. *Tom. I. num. 20.*

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii est invalida. Encyclica: *Etsi minime*. Bull. *Tom. I. num. 42.*

Si vero ignoret pœnitens necessaria necessitate præcepti, & rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat. *ib. §. 12.*

Confessarius si audierit pœnitentem, & non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis, in scriptis debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet se illum absolvisse, nec tunc pariter eum illum absolverit, nam alias si de aliquo hoc attestatus fuisset, & de aliquo non, revelationis confessionis periculum subiret. *Inst. Eccl. 45. §. 10.*

CONFESSIO.

Nemo unquam quodcumque privilegium obtinens audire potest confessiones sæcularium absque approbatione Ordinarii, idque valet etiam pro Con-

Confessionibus venialium, & mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt, ut ex Bulla Benedicti XIV. *Institut. Eccles.* 86. §. 8. *Vide Tract.* 14. *dist.* 8. *num.* 2. *& seq. & n.* 14.

Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti sæculari, vel Regulari ab episcopo approbato satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus* ex Constitutionibus Clementis VIII. ann. 1592. & Innocentii V. ann. 1645. incipiente. *Exponi nobis*, constat. *de Syn. Diœces. lib.* 7. *Cap.* 44. §. 4.

Etiam non commissa gravi culpa præceptum annuæ confessionis obligat, ut quis se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex D. Th. *in* 4. *Sent. dist.* 17. Q. 3. *A. C. Quæstiun.* 3. *Institut. Eccles.* 18. §. 4. *Vide Tom. I. Tract.* 10. *Distinct.* 3. *num.* 13. *&* 14.

Parochus quamvis plerumque credere debeat Parochiano suo asserenti confessionem peregisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia. *Institut. Eccles.* 45. §. 15.

Si pœnitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss. Ibid.* §. 16.

Possunt episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint. *Institut. Eccles.* 86. §. 9.

Quoad confessionem factam laico in necessitate dum non adest copia Sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, & etiam apud S. Thomam, recte docet Pontifex, neminem ex veteribus illis ignovisse laicum esse verum ministrum hujus Sacramenti, sed eam confessionem testimonium esse animi demissi, & humiliati, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem & justificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc nunquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia. *De Synod. Diœces. cap.* 25. *per totum*; ubi recte ex Decreto Clementis VIII. illicita esse, & invalida Confessio facta Sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris, ut ex Cardinali De Lugo. *Instit. Eccles.* 86. §. 12.

CONFIRMATIO.

Confirmationem Sacramentum esse novæ legis constat tum ex definitione Tridentini Sess. 7. Can. 1. cum ex Actnum 8. illis verbis: *Imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum. Institut. Eccles.* 6. §. 3.

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum episcopi, & prece. Quandonam illud instituerit Christus, qui unicus est auctor Sacramentorum, incertum, num tunc cum imposuit manus capiti puerorum, *Matt.* 19. num instituerit tantum, num ministraverit; num in ultima cœna cum dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum*: nom tandem ipsa Pentecostes die, ignoratur. *ibid.* §. 5.

Quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modo cessavit, id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur. S. Aug. teste, *de Baptism. lib.* 3. *cap.* 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur & firmitatem quandam spiritalium virium, quibus Diabolo resistamus. *ibid.* §. 7.

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quædam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quæ a perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit ut reiterari non possit. *ibid.* §. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam hujus Sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, & quidem divini tempore persecutionis. Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali culpa si non instent, ut subjecti sibi parochiani, & quos habent subjectos confirmationem ab episcopo parato recipiant. *ibid.* §. 9. *&* 10.

Quoad ætatem Chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc Sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa non vetatur, quin possit etiam ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus Episcopi accessus &c. Ita in Bulla pro Cophtis *Anno vertente*, & de Synod. Diœcef. *lib.* 7. *cap.* 10.

Confirmationis minister ordinarius est episcopus; extraordinarius vero de Pontificis mandato Sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licet olim Doctores quidam dubitaverint. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 7. *per totum*. Utitur tamen simplex Sacerdos Chrismate ab episcopo benedicto, quamquam probabilis est eorum opinio, qui tenent Chrisma illud ex commissione Summi Pontificis benedici a simplici Presbytero posse: nec desunt, rara quidem, exempla. *ibid. cap.* 8. *per totum*. Cæterum tenendum est irritam fore confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam; nam Romanus Pontifex ex consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite sibi hanc facultatem servasse censendus est. Hæc etiam reservatio, ut pote jurisdictionem restringens valet utique ad hoc ut Episcopus jurisdictione ad delegandum careat. *ibid.* §. 8. *per totum*.

Confirmationis Sacramentum cum oleo, & Chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico Antistite benedictis conferri a P. Guardiano S. Sepolchri Ordinis Minorum de Observantia, si defuerit Episcopus latini ritus, in sua Diœcesi residens, conceditur a Pontifice suo Brevi incipiente *Cum ad infrascriptam*. Id tamen personale esse privilegium datum Guardiano petenti constat. Extat Bulla in Bull. *Tom. I. num.* 10.

Idem

Idem etiam concessum est a facr. congregatione, & confirmatum a Benedicto XIV. in sua constitutione *Anno vertente* Bull. *Tom.* 3. *num.* 30. Præfecto Missionum Ægypti, donec aliquis catholicus episcopus in Ægypto habeatur.

Confirmatio a Græcis sacerdotibus collata in locis Græcorum, in quibus mos ille non est expresse improbatus a Sede Apostolica valere censenda est ex consensu tacito Romani Pontificis. *De Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 9. & constit. pro Cophtis catholicis, *Bull. Tom.* 3. *num.* 30. quæ constitutio incipit *Anno vertente*. In qua tamen monetur Chrisma illud benedicendum esse ab episcopo.

Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc Sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum pœnitentiæ. *Instit. Eccles.* 6. *n.* 11.

Corporis dispositiones, non tamen necessario præmittendæ, sunt plerumque confirmandi, & confirmantis jejunium, quod consulit Pontificale Romanum. *ibid.* §. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, maribus, feminæ feminis, qui etiam Patrini debent esse confirmati. *ibid.* § 13.

Mares feminis a temnus accedere par esses, ut honestiori res peragatur, ut ex Concilio Mediolanensi, *ibid.* §. 13. porro patrinus manum suam dexteram dextero humero Confirmandi imponat. *ibid.* §. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur episcopus hoc sacramentum ministrare, cum sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis. *De Synod. Diœcef. lib.* 13. *cap.* 19. §. 6. *nov. Edit.*

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante pennicillo, nec sane valeret sic collata, cum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certe non fieret cum alio medio, quam pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. *De synod. Diœcef. lib.* 13. *cap.* 19. §. 77. *Nov. Edit. Consule Reiffenstuel de Confirmatione Tract.* 14. *Distinct.* 3. *Quæst.* 5. *per tot.*

CONFRATERNITATES LAICORUM.

Duæ confraternitates ejusdem instituti in uno, eodemque loco esse non possunt ex Bulla 105. Clementis VIII. Cum tamen amplior est Civitas, vel populus frequens, binæ tolerantur. *Institut. Eccles.* 105. §. 86.

Si confraternitas sit erecta in Ecclesiis regularium exemptorum, subest tamen jurisdictioni, & visitationi episcopi, cui jus est etiam visitare eorum cappellas ibidem positas, in iis tamen, *quæ Confraternitatum gubernationem respiciunt*; etsi confratribus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, sicut & ornamenta Altaris, onera Missarum, & divinorum officiorum ibidem celebrationem &c. Ita ex resolutione sacræ congregationis. *ibid.* §. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab Archiconfraternitatibus Romanis, nisi prævia approbatione Ordinarii loci, seu episcopi cum interventu duorum de capitulo. Ita ex constit. 115. Clem. VIII. additis Decretis sacr. congregationis. *ibid.* §. 89. Aggregatarum vero administratores rationem episcopo reddere tenentur, ut ex eodem S. Congreg. Concilii Decreto. *ibid.*

Hæc omnia valent etiam pro confraternitatibus aggregatis capitulo S. Joannis Lateranensi, sicut etiam pro illis quæ fundatæ jam sese eidem Basilicæ annui tributi solutione submittunt, ut sæpe decisum est. *ibid.* §. 90.

In Solo vero Lateranensi fundatæ ecclesiæ, vel Oratoria ex Bulla xix. Sixti V. non subsunt jurisdictioni ordinariæ episcopi sed ut firmat Rota, utitur jure delegato concesso illi a Tridentino. *Sess.* 6. *cap.* 4. & *sess.* 24. *cap.* 3. *de Ref.* vi cujus potest per se, & per alium eas visitare, ut etiam probat Decretum sacræ congregationis. *ib. num.* 90.

Confraternitates laicorum in Ecclesiis parochialibus erectæ dependent a parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus ut ex Decreto sacr. congregationis Rituum die 12. Januarii 1704. *ibid.* §. 93. Quare eædem confraternitates erectæ in cappellis, vel oratoriis adnexis parochialibus ecclesiis, & ab eis dependentibus eandem a parocho dependentiam habent, ex eodem Decreto. *ibid.*

Erectæ tamen in Ecclesiis publicis, seu privatis, ab Ecclesiis parochialibus sejunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem Decreto. *ibid.*

Quare Benedictiones, & distributiones candelarum, cum non sint de juribus mere Parochialibus, sicut etiam Benedictio mulierum post partum, Fontis Baptismalis (quæ tamen ambo fieri debent a Parocho) ignis, seminis, ovorum, & similium, functiones omnes hebdomadæ sanctæ, celebratio Missæ solemnis in feria V in cœna Domini, (quæ tamen spectat ad Parochos) pulsatio campanarum in Sabbato Sancto, (quæ tamen spectat ad Ecclesiam digniorem) celebratio Missæ solemnis in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ, vel Oratorii, expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populo, expositio sacrarum Reliquiarum, vel imaginum, fieri possunt in oratoriis confraternitatum, etiam parocho respective contradicente, ut in eodem decreto, *ibid.*

Insuper in iisdem privatis confraternitatum oratoriis cantari possunt absque licentia parochi horæ canonicæ, ex eodem. *ibid.*

In oratoriis eorum privatis licita est celebratio Missæ privatæ assentiente ordinario tantum.

Earum Cappellani non possunt Populo denuntiare festivitates, & vigilias, contradicente parocho, ex eodem. *ibid.*

Nequeunt parochi invitis confratribus in eorum oratoriis a parochiali separatis docere doctrinam christianam ex eodem. *ibid.*

In eorum Ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante parocho conciones per totam quadragesimam, & Adventum publicæ, ex eodem. *ibid.*

Vicissim non potest in dictis ecclesiis, nisi aliter disponente episcopo, celebrari, seu cantari Missa ante parochialem, ex eodem. *ibid.*

Ad parochum tamen spectat officium funebre facere super cadaveribus sepeliendis in supradictis ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia illa.

Digitized by Google

In Processionibus confraternitatum extra ambitum suæ Ecclesiæ (quæ tamen fieri non possunt absque licentia seu episcopi, seu parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) Cappellani illarum extra Ecclesiam propriam stolam deferre non possunt. Ex eodem. *ibid.*

Accedenti episcopo ad Ecclesias eorum publicas quæ non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habent, aspersorium a parocho exhibendum non est. *ibid.*

Ex solo jure parochiali cessante aliquo titulo non potest parochus cappellanos illarum cogere ad assistendum functionibus Ecclesiæ parochialis. Ex eodem. *ibid.*

Absque Indulto Apostolico non licet in dictis Ecclesiis, quæ non sint parochiales, neque regularium, retineri SS. Eucharistiæ Sacramentum, neque si ea facultas adsit, absque ordinarii licentia potest ibidem dictum Sacramentum publice exponi. Ex eodem. *ibid.*

Parochus nequit se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ. Ex eodem. *ibid.*

Dummodo non impediant functiones, & divina officia, possunt confraternitates etiam erectæ in Ecclesia Parochiali pro libito se congregare absque licentia, & præsentia parochi, sicut & possunt propria bona administrare, & de illis disponere independenter ab illo. Ex eodem. *ibid.*

Non potest parochus tamquam delegatus ordinarii, assistens earum congregationibus suffragium decisivum ferre. Ex eodem. *ibid.*

Plura tamen ex his, quæ exigere a confratribus parochus nequit, possunt fieri de mandato episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus sæpe decisum est a sacra congregatione. *ibid.* §. 98.

Confratres non possunt quæstuare etiam per propriam Ecclesiam, nisi de licentia ordinarii, ut ex Decreto sacræ congregationis. Missas vero ex quæstuis illis collectas, celebrandas esse in eadem Ecclesia, non vero in parochiali censuit sac. congr. Concilii. *ibid* §. 112.

Inter confraternitates Laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi; & cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex constit. 84. Gregorii XIII. constat. *Instit. Eccles.* 105. §. 84.

Sed in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, Confraternitas SS. Sacramenti, si sacco induitur, præcedit cæteras, ut decisum in Rota Romana. *ibid.* §. 85.

CONSECRATIO.

Si parietes Ecclesiæ sint destructæ, & a fundamentis iterum reædificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex tit. ul. *de consecr. Eccles. vel Alt.* firmant canonistæ, *Institut. Eccles.* 67. §. 1. Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda. *ibid.* §. 6.

Altaris consecratio plane distincta est a consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur. *ibid.* §. 8.

CONSUETUDO.

Consuetudo rationabilis, & legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam ex textu *in cap. final. de Consuet.* nefas est tamen episcopo juxta consuetudinem Diœcesis suæ contra Canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia Superioris Legislatoris. Nimiæ autem esset arrogantiæ, si episcopus legem conderet contra legem Superioris. *De Synod. Diœcef. lib. 7. cap.* 71. §. 7.

CONTRACTUS.

Contractus trium contractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a Pontifice præcise non improbatur, sed facultatem permittit episcopis, ut in suis Synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo. *De Synod. Diœcef. lib. 7. toto capite* 50.

Contractus *collatici* is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti lege hac adjecta, ut si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino, & bubulco commune. Si vero pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a Theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt a S. congreg. Concilii die 9. Decemb. 1730. *De Synod. Diœcef. lib. 7. cap.* 51. §. 2.

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam, prædium tamen retinet tanquam conductor & pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor a confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter, & venditor interrogandus est num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est; secus vero non. *De Synodo Diœcef. cap.* 51. *lib.* 7. §. 5.

C R U X.

Crux eminens inter candelabra statuenda est in Altari, ubi Missa celebratur, nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum Crucifixi figura. Nec decet ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis; quare in ENCYCLICA sua ad Ordinarios ditionis Ecclesiasticæ mandat Pontifex, ut amoveantur cruces istæ parvulæ, Vid. Bull. *Tom. I. num.* 17. ACCEPIMUS PRÆSTANTIUM.

Num vero apponenda sit Crux de more etiam cum exposita est adorationi Sacra Eucharistia, congregatio sacrorum Rituum consulta semel mandavit apponi; iterum vero causa reposita die 2. Septembris anno 1721. decrevit, ut quælibet Ecclesia consuetudinem suam retineret. *ibid.*

Num etiam necessaria sit Crux si in tabula Altaris primam imaginem exhibeat Crucifixus, sacra congregatio censuit hanc sufficere. *ibid.*

Deni-

Digitized by Google

Denique num committat peccatum grave celebrans in Altari, in quo crux abest, communis sententia tenet id quidem nonnisi venialem culpam inducere. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 13. §. 1.*

DISPENSATIO.

Dispensationes sacræ pœnitentiariæ cum diriguntur ad confessarium ex approbatis ab ordinario, executioni mandari debent a confessario approbato ab ordinario illius loci, in quo dispensatio illa præstari debet; nec valet si actu confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, & dispensatio petatur a femina. *Instit. Eccles. 87. §. 31.*

Cum dirigitur confessario Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, requiritur laurea Theologiæ, vel Juris Canonici in publica Universitate; nec aperiri litteræ illæ possunt a simplici Regulari confessario, nisi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit. *ibid. §. 21.*

Si semel apertum fuerit Breve pœnitentiaeii ab eo qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen viriatur rescriptum, sed sufficit si alteri habenti requisita consignetur. *ibid. §. 33.*

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quamquam non desunt Doctores, qui oppositum opinentur. *ib.*

Executor certiorem se reddere debet de veritate caussarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi aliter ipse eandem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis Doctorum sententia. *ibid. §. 34.*

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere; nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez. *ibid.*

In ejusmodi dispensationis litteris, mandatur executori, ut dispenset audita prius Sacramentali confessione, & in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent. *ibid. §. 35.*

Cum pœnitentia in litteris definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio confessoris, non est illi liberum & ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit. *ibid. §. 37. 38.*

Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum si tantum septem, vel octo in Civitate id resciant; in oppidis vero si quinque, vel sex, quam sententiam Scriptores, qui mentem sacræ pœnitentiariæ probe norunt, tuentur. *ibid. §. 15.*

Si vero occultum impedimentum fuerit in loco ubi executioni mandanda dispensatio est, publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, & de hac novitate sacram pœnitentiariam certiorem facere. *ibid. §. 46.*

Delictum olim publicum, nunc occultum si a die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censeri occultum judicant periti eorum Theologi. *ibid. §. 48.*

Si quis rem vetitam præstiterit, sed publice creditur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad hunc effectum creditur occultum. Si vero commississe delictum resciatur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur. *ibid. §. 48.*

Clausula *dummodo occultum sit* exigit, ut nullo modo probari possit. *ibid. §. 44.*

Si delictum deductum sit ad Forum contentiosum, a S. pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, & non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus &c. adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum. *ib. §. 49.*

De Dispensationibus S. pœnitentiariæ. Vide Reiffenstuel Tom. II. Tract. 14. Distinct. 15. fere per tot.

DOCTRINA CHRISTIANA.

In Ecclesiis ruralibus longe dissitis a parochiali decernant episcopi, ut sacerdotes ibi sacris operantes populum doctrinam Christianam doceant. Encyclica *etsi minime* Bull. *Tom. I. num. 42.* Caveat tamen parochus ne nimium tribuat alienæ operæ, sed cum pueri ad Sacramentum Eucharistiæ, & Confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tentet quid didicerint. *ibid. §. 14.*

Non est tolerandus mos in nonnullis Diœcesibus obtinens, ut pueri unius parœciæ in alia parœcia doceantur doctrinam Christianam, quemadmodum rescripsit sacr. congregatio Concilii ad Cardinalem Lambertinum die 9. Augusti 1732. *Instit. Eccles. 9. §. 10.* sed singuli parochi erudire suos debent, vel saltem curare ut in parœcia erudiantur. Non tamen reprehendendi sunt illi, qui in Ecclesiis suis, licet non sint parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant parochis nomina eorum, qui eo frequentant. *ibid. §. 13.*

Ludi Magistri, tam conducti a communitate, quam non conducti, tam clerici, quam laici hortandi sunt prius, ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi, ex Decret. congreg. Concil. ad Archiepisc. Spalatrens. die 17. Julii 1668. *ibid. §. 14.*

Doctrinam Christianam non omnes scire æqualiter necesse est: plura enim scitu sunt necessaria Ecclesiasticis quam laicis, plura adultis, quam pueris, & puellis; plura valentibus ingenio, quam hebetibus. *Instit. Eccles. 72. §. 19.*

Si quis non credat explicite ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est illum nec valide absolutionem potuisse suisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio, nec potest Confessarius tuto uti opposita huic sententia, & absolutionem illis, qui hæc explicite ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI. constat. *ibid.*

Si quis vero ignoret ea, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doceat, & proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex Theologis. *ibid.*

DOS.

Cum puellis, quæ virgines non sunt, petuntque subsidia dotalia relicta virginibus, dispensat in occultis, & in foro conscientiæ tantum major pœnitentiarius, tam pro obtentis, quam pro obtinendis, quatenus tantum illæ in posterum honeste vivant. Bulla *Pastor bonus &c.* Bull. *Tom.* 1. *n.* 95. §. 27.

DUELLUM.

Benedictus XIV. an. 1752. die IV. Idus Novembris has propositiones ad Duellum attinentes damnavit.

I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet Duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet; culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia Duellum acceptantes, vel ad illum provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit Ecclesiasticas pœnas contra Duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans Duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre Duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Vetat Pontifex in eadem Bulla, ne easdem propositiones quis defendat, publice vel privatim, divisim, aut conjunctim, etiam disputandi gratia; alioquin incidat ipso facto in excommunicationem reservatam Romano Pontifici. Mandat, in virtute S. obedientiæ, ne quis eas, & ne unam quidem in praxim deducat.

Confirmat præcedentium Romanorum Pontificum constitutiones de Duello, atque edicit, ut si quis in Duello, sive publice, sive privatim indicto hominem occiderit, sive ille obierit in loco conflictus, sive extra, ex vulnere in Duello accepto, perinde habeatur ac homicida voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi e loco sacro possit, data ab episcopo facultate, quam illi Pontifex impertitur. Addit quod si adhuc vivat graviter vulneratus in Duello, & percussor recurrerit ad asylum, ac merito timeatur futurum, ut si mors acciderit vulnerati ille se proripiat, tunc si judicio peritorum grave vitæ periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, præmisso decreto episcopi, & cum assistentia Clerici ab eodem episcopo deputati, & teneatur carceribus clausus, exacta tamen a Judice promissione, ut si forte vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio præscriptum, restituat illum Ecclesiæ; alioquin incurrat pœnas a Benedicto XIII. in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis, & non restitutis constitutas. Demum privationem sepulturæ, quam incurrunt Duellantes in sanctione Tridentini, declarat incurri etiam ante sententiam Judicis, si forte decedat etiam extra locum conflictus ex vulnere in Duello publico, vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa pœnitentiæ dederit, & absolutionem a censuris obtinuerit, nec dispensari ea in re ab Episcopis posse decernit.

Vide Tom. I. Tract. 9. Distinct. 3. Addit. post num. 45.

ECCLESIA.

In Ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat episcopus, ne permittat, ut Missa celebretur ante parochialem. Encyclica ET SI MINIME Bull. *Tom.* 1. *num.* 42. §. 14.

Ecclesia Parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire Fabrica si adsit; sin minus tenetur parochus non quidem ex redditibus suis patrimonialibus, sed ex redditibus Beneficii, si ad suam sustentationem supersint, quanquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem parochi. Tertio loco qui habent beneficium ecclesiasticum in illa Ecclesia. Quarto loco si parœcia est de jure patronatus, suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra præfixum ab episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat Juspatronatum illud. Denique ultimo loco tenetur populus, & qui in ea parœcia habitant; etiamsi conducant domos alienas, & dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex Canonistis *Instit. Eccles.* 100. *per totam.*

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium *Cap. Proposuisti de Consecr. Eccles.* Si in ea magna vis humani sanguinis effundatur. Cum *Eccles. de Consecr. distinct.* 1. Si sponte effundatur semen humanum, *sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam ex eodem textu, &c. cap. Si Ecclesia de Consecr. Eccles.* Si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur Cap. *Consuluisti de Consecr. Eccles.* Item si ibi sepeliatur Ethnicus Can. *Ecclesiam de Consecr. dist.* 1. De Sacrificio Missæ *Lib.* 3. *cap.* 7. §. 4.

Vide Tom. 1. *Tract.* 4. *Distinct. a num.* 121. *ad* 136.

EPISCOPUS.

Episcopi consecratio ab uno ne, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quanquam est quæstio inter Theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt episcopi, ut ab uno tantum episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere ut episcopo consecranti adjungantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis *De Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 8. *nov. edit.* Ibi pariter decernitur valere consecrationem episcopi ab

Digitized by Google

pi ab uno Antistite, uno tantum adjecto Presbytero confectam; quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat. *De Synod. Diœces. Lib. 7. cap. 3. §. 9.*

Pactiones initæ a Capitulo electore, & juratæ ab episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obsistere officialibus capitula, si quid egerint, & decreverint: pactiones inquam illæ si electionem præcedant, nullæ omnino, & irritæ declarantur ab Innocentio XII. Constitutione incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*. Quæ vero subsequuntur, illam executionem suspendunt, donec Sedes Apostolica judicium de illis ferat. *ibid. §. 17.* Hæ vero pactiones vetitæ, & irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ, ut ex DD. *ibid. §. 19.* Insuper adsunt ea de re litteræ Apostolicæ Benedicti XIII. in forma Brevis, legendæ. *ibid. §. 23.*

Episcopi suffraganei si decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitis; quin & vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. *De Synod. Diœces. Lib. 13. cap. 5. §. 2. nov. Edit.*

Pallii honore non decorantur latini Patriarchæ titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur. *ibid. §. 17.*

Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant episcopi, non admittuntur a Congregatione Consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in cap. *Cum pridem de renuntiat.* quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet ipsos plebis suæ saluti prodesse amplius non posse. *ibid. cap. 16. num. 3. nov. Edit.*

Episcopi Regulares si se abdicaverint episcopatu, tenentur claustra suæ Religionis repetere, nisi aliter concessum sit a S. Pontifice. Ita Benedictus XIII. in sua Bulla CUSTODES *ib. §. 4.*

Causæ resignationis non tam rigorose examinandæ sunt in ordine ad Cardinales Episcopatum residentes, dum volunt se conferre Romam, ut adsistant Romano Pontifici. Ita ex Fagnano. *ibid. §. 5.*

Episcopus translatus ex uno in alium Episcopatum frui potest redditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a summo Pontifice in Consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ absolvitur; ex tunc enim prior Ecclesia vacare censetur, ut ex definitione Congregationis Concilii per Urbanum VIII. approbata. *Ib. §. 7.*

Neque idem episcopus post absolutionem a vinculo, jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum in Tribunalibus Romanis. *ibid. §. 9.*

Interim tamen post pronunciationem, scilicet Pontificis in Consistorio quoadusque hæc pronunciatio innotuerit Episcopo, remanet in eodem Episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad Diœcesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem Decreto, seu in Brevi illud confirmante Urbani Papæ VIII. *ibid. §. 10.*

Si episcopus in manus paganorum, aut Schismaticorum incidat, & fiat captivus, Ecclesiæ administratio transit in Capitulum, quoadusque aliter disponat Sedes Apostolica Can. *Si episcopus supplen. neglig. Prælat. in 6.* quæ tamen vera sunt si, carcer episcopi sit adeo arctus, ut episcopum suum nequidem per litteras adire Diœcesani valeant. *ibid. §. 11.*

Episcopis ex constitutione Pontificis incipiente *Firmandis* Bull. *Tom I. num. 109.* fas est in Ecclesia Parochiali a Regularibus administrata in Pastorali visitatione inspicere Altare illud, in quo Tabernaculum SS. Eucharistiæ tenetur; item Fontem Baptisterii, confessionale Parochi, pulpitum e quo Parochus jus habet annuntiandi verbi Dei, sacrarium, in quo servatur sacra supellex ad Sacramenta ministranda, sepulchrum. Cœmeterium Parochiæ. Turrim etiam campanariam, si adsint Campanæ ad Parochiam spectantes. Ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea Baptismi, & Extremæ Unctionis, demum pilam aquæ benedictæ.

Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt non tantum ad certum tempus, quemadmodum limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in Diœcesi, cujus intuitu illam obtinuerunt, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes quotquot judicaverint opportunos, ut ipsis episcopis impeditis eandem indulgentiam conferant. Subdelegati vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diœcesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi episcopus delegans obierit; Demum facultates istæ deinceps conceduntur perpetuæ omnibus, & singulis episcopis, qui litteras ea de re petierint, quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, & activa jurisdictione in Clerum, & populum. Ita sanxit Pontifex sua Constitutione, *Pia Mater*, edita anno 1747. nonis Aprilis, in qua etiam Ritum hujus benedictionis præbet. *Bul. tom. II. n. 34.*

Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de Fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in Cap. *Vestra* deducitur, *Syn. Diœces. Lib. 6. Cap. 4. § 7.*

Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter DD. controversam definire, sed praxim prohibere, uti e.g. non licet illis pronuntiare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Benedicti XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii vescendas obtinuerant, unicam comestionem servarent, *De Synod. Diœces. Lib. 7. Cap. 3. §. 1.*

Episcopo ex epicheja fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, nec facile Summus Pontifex consuli potest, circa jus commune relaxare, ut decisum a Sacra Congregatione Concilii refertur *De Synod. Diœces. Lib. 7. c. 71. §. 1.* Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. *ibid. §. 2.*

Ad Diœcesanum episcopum pertinet Ecclesias con-

consecrare, eique fas est id muneris demandare alteri episcopo, minime vero Presbytero etiam cum oleis ab ipso episcopo benedictis. Ita ex DD. *De synod. Diœcef. lib.* 13. *cap.* 15. §. 2. *nov. Edit.*

Consecratas insuper ecclesias, atque pollutas nemo præter episcopum Diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare presbytero quamquam cum aqua ab episcopo benedicta. Si tamen ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, ecclesia polluta reconcilietur.

Episcopo curandum est, ut Legata pia impleantur, quod præstare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset a Testatore; ut ex Cap. *Tua nobis de Testam.*

Quod si Testator executorem reliquerit sui Legati, & in casu quod segniter agat, alterum substituat, tunc episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam ejus exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Tridentino *sess.* 22. *de Reform. cap.* 8. valet etiam non solum pro episcopis, sed etiam pro Prælatis inferioribus, habentibus territorium separatum, & jurisdictionem quasi episcopalem. *De synod. Diœcef. lib.* 13. *cap. ult.* §. 1. & 2. *nov. Edit.* valet etiam pro Vicario Capitulari, sede Vacante, ut Legato de Missis statuit sacr. congregatio. *Ibid.* §. 2.

Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni episcoporum in ordine ad Legata Pia, & Missarum onera, nisi post annum ab obitu Testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi judicium cœptum, ab episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat. *De syn. Diœcef. lib.* 13. *cap. ult.* §. 2. *nov. edit.*

EUCHARISTIA.

De frequentia SS. Communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius, nihil innovandum supra Decretum Innoc. XI. die 12. Febr. 1679. Omnia scilicet referenda esse docti, & prudentis confessarii judicio. Inferri tamen ex eodem Decreto licet frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhærent. *Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 12. §. 9. *Vide Tom.* 1. *Tract.* 10. *Distinct.* 3. *num.* 50. & *seqq.*

Eucharistiam una tantum die Paschatis Resurrectionis distribuere sæcularibus vetitum est regularibus in suis ecclesiis; cæteris vero Paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. Ita in *T. de synod. Diœcef. lib.* 6. *cap.* 42. §. 3.

Paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto ab Eugenio IV. sua constitutione *Fide digna* definitum est, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet episcopo, etiam in Synodo tempus istud latius prorogare. *De synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 69. §. 9.

Paschali præcepto de Eucharistia fumenda in Parochiali ecclesia non satisfit, recipiendo illam in ecclesia Metropolitana, ut ex Decretis sacr. Cong. firmat de Lugo *Resp. Mor. lib.* 1. *Dub.* 15. Ita *Inst. Ecc.* 18. §. 12.

Qui præcepto Paschali de Eucharistia fumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, & cogi potest pœnis ad Eucharistiam sumendam. *Instit. Eccl.* 45. §. 15. *Vide Reiffenstuel ib. n.* 37. & *seq.*

Famuli, & famulæ sæculares inservientes Monasteriis sæcularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem Paschalem in ecclesia Parochiali, intra cujus fines situm est Monasterium, recipere; ut ex Decreto sacræ congregationis sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa, ac domos Monasteriorum, quod requiritur a Tridentino, ut famuli eximantur a parœcia. *Institut. Eccles.* 55. §. 7. & 8.

Sacerdotes Missam celebrantes non tenentur præcepto Paschali satisfacere in sua parœcia; si tamen raro intra annum celebrant, nec volunt, seu possunt celebrare Missam in Paschate, tenentur tunc communicari in parœcia. *ibid.*

Peccatori occulto publice Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturale ad famam id expostulet. *De synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 11. §. 4. *nov. edit.*

Occulte vero petenti & noto sacerdoti aliunde quam ex confessione tuto negatur. Si vero pariter aliunde & simul etiam ex Confessione sciat, exprimere debet Sacerdos, se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit. Si vero noverit rem tantum ex Confessione perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat altissimum confessionis sigillum. *Instit. Eccl.* 89. §. 2.

Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a Judice, sed etiam qui per evidentiam facti quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. *Ibid.* §. 8. & *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *c.* 20. §. 4.

Eucharistiæ sumptionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedenti cœptum. Nec refert si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante sacram Communionem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumpta post celebratam Missam admittenda ab eo est, qui eo die alias Missas celebrare permittitur, ut die Nativitatis Domini, quo in casu, nec licet celebrare & ad dandum ægroto Viaticum; nam præceptum Viatici obligat quando conferri potest juxta ritum Ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex Rubrica Missalis constat. Vicissim si quis ante quam somno se dederit parum facchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomachum delabatur; id utique jejunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, & statim expueret, hæc non esset fractio jejunii. *De Miss. Sacrif. Lib. III. toto cap.* 18. *Vide eundem Tract.* 10. *Distinct.* 3. *n.* 30. & *seqq.*

In

Digitized by Google

In dubio num quis fregerit jejunium, disputant Theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstaret tamen abstinere a percipienda communione. *ib.* §. 7.

Sacerdos extra Missam Eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Potest vero seipsum suis manibus communicare si absit scandalum, & suppetat causa, quæ perceptionem Sacramenti exigat, nec alius sacerdos præsto sit. Causa vero est solemnis aliqua Festivitas. *De sacrif. Miss. lib.* 3. *c.* 17. §. 10.

In Missis Defunctorum Eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum Decretum sacr. congr. Rituum non vetet exhiberi illam poscentibus, & docti Rituum scriptores admittant, administrari tuto posse, in quacunque demum Missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem Missa consecratas, & reliquas, quæ in Tabernaculo asservantur. *ibid. cap.* 18. §. 12.

Nocte Natalis Domini ex Decretis S. Rituum Congregationis vetitum est ministrari in Missa sacram communionem fidelibus adstantibus; quin nec sacerdos eadem nocte alias duas Missas celebrare permittitur. *ibid.* §. 13.

Feria VI. in Parasceve, & Sabbato sancto nullus, nisi ad Viaticum est communicandus, ut ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est. *ib* §. 14.

Sacerdos in peccato mortali ministrans Eucharistiam graviter ostendit irreverentiam tanti sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio S. Th. *ibid. c.* 19. §. 2. Ex quo infertur peccare illum graviter, qui sacramentum suscipit a sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicat, *ibid.* §. 3.

An unico peccato peccet sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus sacramentum Eucharistiæ administrat, dissident inter se DD., alii enim unicum agnoscunt, quando per continuatam actionem pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles. *ib.* §. 3.

Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetuit S. Cong. Conc. Decreto approbato ab Innoc. XI. die 12. Feb. 1678. *ib.*

Peccatori parato recipere in peccato sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum Idololatriæ, tum respectu suscipientis, tum adstantium. *ibid. cap.* 20. §. 4.

Purgatio quæ olim fiebat per Eucharistiam, qua sacerdos Fideli communicaturo denunciabat, Corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez, hodie tamen cum abrogata fuerit per Text. ex Cap. *Ex Tuarum* in usum revocari non potest. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *c.* 20. §. 5.

Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem, & mortem, quo species Eucharistiæ consumantur. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 20. §. 6.

Si alicujus sacerdotis negligentia aliquid Eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ Missalis servandæ sunt; quanquam fatendum est canonicas pœnas obsolevisse. Si vero fragmentum aliquod in feminæ pectus deciderit, præstat ut femina suis ipsa manibus levatum in os injiciat. *ibid.* §. 7.

Parochus Eucharistiam deferens vel cadaver associans, si impeditus sit transire per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest a domino; id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. *Institut. Eccles.* 89. §. 2.

Si quis sacerdos ægrotus viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente sacerdote, damnari non mereretur. *De syn. Diœcef. lib.* 13. *c.* 19. §. 27. *nov. Edit.*

Si quis episcopus vetet ne in Missa in hot, vel illo altari celebranda Eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi esset, nec turbæ ciendæ. Encyclica *die* 12. *Novembris Anno* 1742., & *de sacrif. Miss. lib.* 2. *c.* 22. §. 17.

Si quis surripiat hostiam, vel particulas e Tabernaculo, vel e sacra Pyxide, vel ex Ostensorio, & extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ, quare reo competet demonstrare non esse consecratas. Ita in Bulla AB AUGUSTISSIMO Bull. *Tom.* 1. *n.* 43.

Ex ipso autem quod quis id sacrilegii egerit præsumitur uti voluisse ad malum finem; quæ pariter præsumptio valet contra eum qui in actu communionis, vel post illum a suo, vel alieno ore extractam particulam asportaverit. *ibid.*

Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio sæculari, præcedente in ecclesiasticis degradatione reali. *ibid.*

Si quis mane sumpserit Eucharistiam, vesperi vero decidat in lethalem morbum, integrum erit parocho, si vel illum denuo communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab episcopo ad utrumlibet adigi. *Syn. Diœcef. c.* 11.

Quoad Eucharistiam pueris administrandam recte admonet Pontifex non eandem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis qui recte valent. In morituris judicio parochii permittendum est, qui diligenti examine investiget, num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant, & adorent. *De synod. Diœcef. Cap.* 12. §. 3.

Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione, & reverentia ad sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter & decimum quartum ætatis. *ibid.* §. 2.

Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante potest, & debet semel, iterum, tertio Viaticum conferri petente maxime ægroto, sed quoties, & quantum temporis intercedere necesse sit inter unam, & alteram communionem nihil definiendum Pontifex censet. *De syn. Diœcef. lib.* 7. *c.* 12. §. 4.

Eucharistiam in Oratoriis privatis administre-

Ff 4 re,

re, quamvis multi vetitum non esse credunt, tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in Diœcesi Bononiensi. *Instit. Eccles.* 34. §. 12.

Sacerdotes omnes cujuscumque sint Collegiatæ teneantur Feria V. in Cœna Domini Sacramentum SS. Eucharistiæ recipere e manibus celebrantis, ut edicunt Decreta plura S. Congregationis apud Bissum V. *Communio* n. 383. *Instit. Eccles.* 38. §. 10.

EUNUCHUS.

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio Medici ad servandam vitam; & quanquam Theologi quidam admittunt, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit; adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant vero Canonistæ num ex vi capitis *Significavit* sub titulo *de corpore vitiatis* Sacerdos, qui id in se commiserit possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere; certum est, ex vi ejusdem capitis, sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis administrare de licentia episcopi: constat tamen Eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi. *De Synod. Diœces. Lib.* 11. *Cap.* 7. §. 4. & 5. *nov. Edit.*

EXAMINATORES.

Examinatores, si in Synodo fuerint designati tantum nomine Officii, uti sunt v. g. Prior S. Dominici, non ex hoc intelligitur quod successor in eodem munere habendus sit ut examinator Synodalis, nam est electa industria personæ. *De syn. Diœces. lib.* 4. *cap.* 7. §. 5.

Electi in synodo examinatores, si interim ante novam synodum decedant, tunc si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini, tunc non possunt alii in eorum locum substitui ab episcopo. Si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab episcopo quidem approbante Capitulo. *ibid.* §. 7. Qui tamen examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim synodus non celebretur, ut ex Decreto Clementis VIII. In hoc casu quo synodus post annum a priori synodo non celebretur, tunc si non supersint saltem sex in priori synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est ut si post annum concursus ad vacantes Parochiales instituendus sit, petatur a S. Congregatione facultas, ut novi examinatores extra synodum deputentur, quæ facultas si obtineatur, uti semper obtinetur, tunc episcopus debet quos designavit proponere Capitulo a majore ejusdem parte approbandos. Capitulum vero tenetur illos approbare si habeant qualitates a Tridentino requisitas. *ib. n.* 10.

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam communicando secum invicem, tum indicendo Notario hunc, vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex in *syn. Diœces. lib.* 4. *c.* 8. §. 4.

In judicio examinatorum nulla fert suffragia episcopus, vel Vicarius loco episcopi præsidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia; tunc enim potest episcopus quibus censuerit partibus accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem examinatoribus. Ita ex Garcia. *ibid.* §. 5.

EXCOMMUNICATIO.

A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini absolvere potest major pœnitentiarius: Regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiæ tantum; quanquam & illos potest absolvere in utroque foro in censuris publicis latis a jure, Apostolicæ Sedi reservatis, & etiam nominatim declaratis, vel latis nominatim ab homine, si exspiraverit jurisdictio Judicis delegati, a quo latæ fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad Romanum Pontificem, vel quando proprios Judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti, alioquin recidunt in eandem censuram. Si vero hæc satisfactio a parte recusatur, tunc major pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata, nihil ultra agendum est. Bulla *Pastor Bonus* Bull. *Tom.* 1. *c.* 95. §. 7.

Si episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus, declaretque illos statim fore evitandos; licet publice, ac nominatim denuntiati non sint, quia facti notorietate dignoscitur illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet Constitutioni Martini V. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in Cap. *Quod a Prædecessore num.* 55. *de Schismat.* De Syn. Diœces. *lib.* 7. *cap.* 78. §. 4.

Excommunicatio in Bulla Cœnæ, qua vetatur fidelibus deferre arma &c. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id pergant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. *De synod. lib.* 13. *cap.* 20. §. 6. *nov. Edit.*

Ad postulata episcoporum Albanensium rescriptum fuit a Congregatione de Propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad Turcas nullo bello inter Christianos, & Turcas furente, transvehant sclopos majores, aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, & alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, & quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est: quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrocesque persecutiones evitare. *ibid.* §. 7.

De Excommunicatione vide Reiffenstuel Tom. 2. 13. *Distinct.* 2. *a num.* 1. *ad num.* 75. *juxta App.*

EXEM-

Digitized by Google

EXEMPTIO.

Exemptio Ecclesiastici a jurisdictione sui episcopi non conceditur a Cong. nisi evidenter probetur sævities contra se exercita, aut justus timor ne exerceatur; & nec tunc nisi prius audito Ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat. *De syn. Diœcef. lib. 13. c. 10. §. 30. nov. Edit.*

Tunc autem plerumque nihil fit aliud nisi ut prohibeatur Ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem &c. nisi prius obtenta a Congregatione, vel a Metropolitano facultate. Imo si reus in fraganti crimine deprehendatur; tunc non intelligitur subtracta facultas Ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.*

EXEQUIÆ.

Si testator jusserit sepulturæ mandari corpus suum sine precibus, & psalmis, & missis, associatione Clericorum, candelis ardentibus, ejus voluntas non est attendenda, ut decidit S. Rota coram Molines in Romana Funeralium *die 15. Junii 1699. Instit. Eccles.* 36. §. 22.

Clemens XI. mandavit in edicto legendo in ejus Bull. pag. 317., ut in associatione funeris cujuscumque serventur leges Ritualis Romani in tit. *De exequiis §. Const. tempore.* Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam præscribat Rituale; quod tamen fieri non debet absque episcopi scientia, uti ex gr. si deferendum sit Cadaver in curru tecto, quod sæpe alias prohibuit Sacra Congregatio apud Petra *in Const. Apost. Tom. 2. n. 10.*

Parochi associantes funus ad Ecclesiam Regularium arceri non possunt ab ingressu Ecclesiæ illius cum cruce, & Stola, ut ex Bulla *Pretiosus* Benedicti XIII. §. 26.

Cadavera Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum exponi non possunt in Ecclesia, alia induti veste quam Sacra sui Ordinis, ut ex Dec. Clementis XI. *ibid.*

EXORCISMUS.

Non licet Regularibus, contradicente episcopo exorcizare in propriis Ecclesiis. Encyclica ad episcopos Poloniæ *Magno cum animi* Bull. *Tom. III. num.* 48.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

Expositio SS. Sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab Ordinario approbata, etiamsi ecclesia sit Regularium, quod ex Tridentino *Sess.* 21. *c.* 8. evincit, & statuit S. Congregatio Concilii. Quanquam ex causa privata licet Regularibus in propriis Ecclesiis exponere Sacramentum, dummodo non extrahatur e Tabernaculo, & Hostia sit velata, ut ex pluribus S. Cong. Decretis firmatur. *Institut. Eccles.* 30. §. 11. & 12.

Reprobatur apud frequentes Scriptores usus exponendi palam SS. Eucharistiam in festis Sanctorum. *ibid.* §. 15.

Si exponatur SS. Sacramentum intra Tabernaculum apertum, & in Pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent ex sensu S. Congregationis. *ibid.* §. 21.

Verum si extra Tabernaculum id fiat in Ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ. *ibid.* §. 23.

De Expositione SS. Sacramenti vide Reiffenstuel tractantem Tom. II. Tract. 6. Dist. 7. post num. 43. nec non Append. II. Addit. II.

EXTREMA UNCTIO.

Extremam Unctionem verum esse novæ legis Sacramentum a Christo Domino institutum, per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum, & promulgatum Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat olei speciem, validitati Sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione, sive expressa, sive tacita Romani Pontificis a simplici Sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo Ecclesiæ Orientalis eruitur; ita docet Pontifex in *Tract. de syn. Diœcef. lib. 7. cap. 16.*

Unctionis Extremæ forma in Rituali Romano expressa, est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æque ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut Sacramentum fiat; aliæ necessitate, uti vocant præcepti; aliæ vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum, & renum unctio; hæc enim in feminis omittitur; illa vero cum gravi incommodo præteriri potest. Ceteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt; num vero singulæ ita sint necessariæ, ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. *De Synod. Diœcef. lib. 7. c.* 18.

Sacramenti hujus ministros esse sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita definiente Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 4. Quanquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensuum

cum

cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde a pluribus sæculis in Latinam ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat sacramentum, cum mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. *De Synod. Diœcef. lib. 7. cap. 9. §. 5.* Laudabile tamen fuerit si dom res facia peragitur plures adsistant sacerdotes, vel saltem probi viri, *ut oratio totius Ecclesiæ* ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S. Th. *cap. 43. lib. 4. Contra Gentes. ibid. §. 5.*

Ministrare istud sacramentum valide omnes sacerdotes possunt; uni tamen parocho de jure competit; cum sit ejus Minister Ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate contra statutum in Catechismo Romano peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minime a parocho petita venia, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt Apostolicæ Sedi reservatam *in Clementina I. de Privilegiis*: excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum caritatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de Latinis sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc sacramento conferendo septem sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. *ibid. §. 8.*

Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudentet timeatur; quare denegandum est iis, quibus certum adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum sacramentum, increpandi acriter sunt, & prohibendi; sicut tunc etiam cum ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentes inungunt. *ibid. cap. 10. per totum.*

Providendum est tamen a parocho, ne in hoc sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc sacramentum, quanquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel ille negaret, vel non efferret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur ægrotum negantem recipere sacram unctionem, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu sacramenti id renuere merito censeri possit. *ibid. c. 22.*

Pueris ante usum rationis ex perpetua ecclesiæ doctrina non datur, quanquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, quia sacramenti pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes, & furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans inquam; nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *ibid. c. 21.*

Sed quid si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti, aliorum sacramentorum remedio juvare se non possint. *idem c. 21. per totum.*

Ordo in hoc sacramento conferendo quanquam non idem fuerit semper in tota ecclesia, cum alii statim post sacramentalem absolutionem ante Viaticum ægrotos inunxerint; alii post Viaticum: cum tamen Ecclesiæ Romanæ disciplina in Catechismo Conc. Tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur. *ibid. cap. 23.*

Eodem morbo, & periculo perseverante, repetere sacramentum illud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recesserit periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, & novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est; *ibid.* in dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit ut ad sacramenti iterationem parochus propendeat. *ib.*

Peccat graviter ille, qui tandiu differt Extremam Unctionem conferre, *cum jam ægrotus omni salutis spe, vita, & sensibus carere incipiat.* Verba hæc sunt Catechismi Romani de Extr. Unct. *ibid. §. 18.*

An teneatur parochus sacramentum hoc administrare peste laborantibus dictum est V. *Parochus.* An valeat si instrumento, nempe penniculo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen ritum in ecclesia hucusque fuisse institutum. *De Synod. Diœcef. lib. 13. cap. 19. §. 17. nov. Edit. De hoc Sacramento agitur Tom. II. Tract. 14. Dist. 2. fere per totum.*

F E S T I D I E S.

Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis. Conceduntur tamen, si urgeat vera, & non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festam transferrentur. Petenda est tamen a Superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet episcopus parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent onератio plaustrorum, collectio frugum, & fructuum, herbam secare, colligere fœnum, quando periculum imminet veræ tempestatis, vel quando die sequenti transferendæ sunt in Civitatem, nec posset id commode differri. *Instit. Eccl. 55. §. 33.* &c.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua, seu jumentis, seu vento volvatur; non possunt inquam, seclusa consuetudine, vel necessitate; quæ necessitas, si adsit in Diœcesi Bononiensi, facultas non a parocho, sed a Curia Archiepiscopali conceditur. *ib. §. 37.*

Piscatio inter opera servilia, die festa vetita recensenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id rara præ-

præstent die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alex. III. *De Synodo diœcef. Lib. 13. cap. 18.* §. 10. *nov. Edit.*

Vide Tom. I. Tract. 10. Dist. 1. in tribus Additionibus post n. 18. 32. & 53.

F I D E S.

Actus Fidei, Spei, & Caritatis debent per accidens elici, cum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valeamus, nisi efficacia illorum actuum. *Instit. Eccles.* 72. §. 20.

Non sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu Caritas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur. *Institut. Eccles.* 72. §. 10.

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis, illum versari in periculo æternæ salutis firmatur. *ibid.* §. 21.

Vide Tom. I. Tract. 4. Distinct. 2. num. 27. 28. 29. & 32.

Non licet Christianis degentibus sub Turcarum imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, Turcica sibi nomina, vel retinere, vel imponere, hoc enim pertinet ad externam Fidei professionem, Const. *Inter omnigenas* ad incolas Regni Serviæ, & finitimarum regionum; & congregatio universalis Inquisitionis in rescripto ad postulata episcoporum Albanensum idem edixit. *De Syn Diœcef Lib.* 13. *Cap.* 28. §. 9. *novæ Edit.*

Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad Fidem, tenentur coram fidelibus publice abjurare apostasiam; at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ Religionis, & curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, etiam cum periculo vitæ. Ita ex Decreto S. Inquisitionis. *ib.* §. 17. At in Decreto servato in Archivio S. Inquisitionis non legitur hoc additamentum: *curent ut successu temporis &c.* quare ad id non esse obligandos fideles additur. *ib.* §. 18.

G R Æ C I.

Græci in Italia degentes Ordinem suscipere non possunt nisi ab episcopo Græco Romæ constituto; sive ab altero Græco episcopo in Calabria in Oppido S. Benedicti Ullani Bisinianensis Diœcesis, ut ex Const. Clementis VIII. 34. quam & Benedictus XIV. confirmavit Bulla 57. *Tom. I. De Synod. Diœcef. c.* 12. *nov. Edit.*

Quanquam vero habeant aliquando Vicarios suos Apostolicos ex Græcis assignatos, adhuc tamen & Vicarius, & cæteri Græci omnimode jurisdictioni Latinorum episcoporum subsunt. *ibid.* §. 8.

H Æ R E T I C I.

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori Pœnitentiario, vel de ejus mandato. Occulti vero sunt, qui etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarunt, nemo tamen illus vidit. Ita in Bulla *Pastor Bonus* Bull. *Tom. I. num.* 95. §. 9

Potest etiam major Pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos Hæreticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denuntiare, illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis, non vero si illi vivant, ubi Inquisitionis officium viget. *ibid.*

Princeps, vel qui Vicario nomine statui præsunt, Dominia, & Respublicæ, illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, episcopi, & Superiores Prælati, in casibus publicis contentis, in Bulla Cœnæ Domini, (ubi recepta est,) ab illo absolvi nequaquam possunt. *ibid.* §. 11.

Vide. Tom. I. Tra. 4. Distinct. 4. Addit. post num. 27.

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incursura censura omnes quicumque etiam S. R. E. Cardinales, qui vivente Romano Pontifice de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusque, aut pactiones fecerint. *ibid.* §. 12.

Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judiciariam per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, & morte Romani Pontificis tunc existentis inquisierint. §. 13.

Denique nec potest in casibus publicis violatæ immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, etiam non deductis in judicium §. 14.

Tenetur episcopus etiam in locis ubi Officium S. Inquisitionis viget, sedulo curare, ut ereditam sibi Diœcesim ab Hæreticis purget; & si quem reperit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne Fidei Inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero hæreticum ad suum Tribunal non minus episcopus, quam Inquisitor reconciliare possunt ecclesiæ, & pro utroque foro absolvere. Quin & possunt hæreticum postquam errores suos ejuraverit, & ad simplicem Confessarium pro absolutione remittere, quæ tunc data a Confessario in foro Sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. Ita *in Tract. De Syn. Diœc. Lib.* 7. *cap.* 32. §. 3.

Ab hæresi mere interna, & mentali, nullo exteriori signo manifestata simplex Confessarius absolvere potest; cum hæresis sit summo Pontifici reservata per censuram adnexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex Confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo, vel facto Fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quamquam in foro externo tamquam hæreticus puniretur, & nequidquam obrenderet se in eorde fidem retinuisse. *ibid.* §. 4.

Si vero agatur de hæresi externa occulta nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit episcopis a Conc. Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 6. ut per se, non vero per Vicarios suos illam absolverent in foro conscientiæ. Sed cum in Bulla singulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresis crimine, & in ea Bulla derogetur omnibus contrariis Decretis cujusvis Concilii, hinc quæ-

Digitized by Google

quæstio agitatur apud Theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi hæreticos in foro conscientiæ. Neganda tamen est illis hæc facultas, nam illis verbis *non obstantibus cujusvis Concilii Decretis*, omnis Concilii Tridentini facultas Episcopis adimitur. Quam in rem multa Congregationis S. Officii, & Congregationis Concilii afferuntur decreta, adjiciuntur S. Pii V. Gregorii XIII. Clementis VIII. vivæ vocis oracula, ne quid de tertia de propositione inter damnatas ab Alexandro VII. *Sententia asserens Bullam Cœnæ* (ubi recepta est) *solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio* S. Congregationis *Emm. Cardinalibus visa, & tolerata est.* Ingenue quidem fatendum hanc propositionem ideo continere ex falsa assertione de approbatione S. Congregationis, quæ nulla fuit. Vix tamen creditur Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac S. Congregationis approbatione ab ea propositione, nisi & eamdem ipsam propositionem improbabilem judicasset. *De Synod. Diœc. Lib. 7. cap. 31.* Sed nec credi potest facultatem hæresis hujusce absolvendæ Gallicanis episcopis datam esse, quanquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis *cap. 33.* evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum etiam est Inquisitoribus Hispaniæ, & Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex Bulla Cœnæ sublata est. *ibid. §. 4.*

HOMICIDIUM.

Cum Homicidis, & bannitis etiam in casu Homicidii voluntarii major pœnitentiarius potest dispensare, ut Religionem approbatam etiam tanquam Clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua Bull. *Pastor Bonus* Bull. *Tom. 3. n. 95. §. 17.*

JEJUNIUM.

Dispensatio impetrata in Quadragesima vescendi carnibus non continuo deobligat ab unica comestione; quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas, atque interdictas.* Const. *Non ambigimus.* Bullarii *Tom. 1. num. 19.*

Hac vero admixtione vetita est comestio carnium cum piscibus. Ita declarat Pontifex in Epistola ad Archiepiscopum Compostellæ. *ibid. num. 89.*

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare, quam quod cæteri non dispensati. *ibid.* Debent sicut cæteri horam jejunantibus præscriptam in comestione servare. *ibid.*

Id quod præscribitur de non miscendis carnibus cum piscibus æque servandum est in Dominicis Quadragesimæ.

Utrumque hoc præceptum unicæ comestionis, & cavendæ admixtionis carnium cum piscibus urget etiam in jejuniis extra Quadragesimam. *ibid.*

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis, & lacticiniis, a piscibus abstinere non tenentur. *ibid.*

In petendis a Pontifice dispensationibus generalibus a jejunii disciplina pro Oppidis, & Diœcesibus, monentur episcopi, ne faciles se præbeant, sed prius consulendi medicinæ peritiores, exquirendo ab illis, num morbus sit communis, ita ut nulla ætas libera, & incolumis esse queat, adeoque ad præservationem a morbo multum conducere judicent, si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Alia quæ servanda ab illis sunt, latius explicant Encyclica *Liberiffime. &c.* Bull. *Tom. 1. num. 136.*

Potum cocholatis die jejunii tolerat Pontifex *Institut. Eccles. 15. §. 10.* Vix tamen admittit majorem longe citatum, nec omnino tolerat sæpius eadem die iterare. *ib.*

Filios, seu famulos non servare jejunium Quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus ea quod paterfamilias dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. *Institut. Eccles. 15. §. 25.*

Vide Tom. 1. Tract. 10. Dist. 2. fere per tot.

IMMUNITAS LOCALIS.

Ab immunitate locali præter exemptos in Bull. Gregorii XIV. alios etiam adjungendos censuit Benedictus XIII. in Bulla *Ex quo divina*, scilicet sequentes.

I. Impedientes ne quis recurrat ad locum immunem, vel ex eo violenter extrahant.

II. Interficientes proximum animo præmeditato, ac deliberato.

III. Adulterantes literas Apostolicas.

IV. Reos furti, seu quid falsi committentes in Monte Pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, vulgo *Banco*; Ex quo crimine area pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit.

V. Vitiantes, seu abradentes aureas, argenteasque monetas cujuscumque Principis etiam exteri, cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius, & particeps censeri possit.

VI. Illos, qui curiam simulantes insinuant sese in domus ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium, aut murilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

VII. Homicidam etiam in rixa, si ex processu reus fit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur. Quod valet tantummodo in ecclesiastica ditione. *Inst. Ecc. 41. §. 21.*

In eadem Bulla immunitate privatur ille, qui stans in ecclesia, vel in cœmeterio interficit stantes extra illa loca, & viceversa.

Ab ea vero immunitate excluduntur non solum respectu ejusdem ecclesiæ violatæ, sed & aliarum omnium. *ib. §. 22.*

Declaravit etiam eos censeri grassatores viarum, si unum tantummodo homicidium, seu murilationem commiserint, etiam *in via vicinali*. *ibid. §. 23.*

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum præmium promiserint mandatario, etsi non dede-

Digitized by Google

derint; homicidium tamen, seu mutilatio commissa sit.

Clemens XII. hanc Bullam confirmavit Constitutione sua, *In supremo*, & extendit etiam ad Ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad majores annis viginti, quos omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adjecit indicia ad tradendum reum Judici sæculari sufficere, si talia saltem sint, quæ ad *torturam valeant*. Hæc tamen valere statuit tantummodo pro ditione Ecclesiastica.

Denique Benedictus XIV. in sua Bulla *Officii nostri*. Bull. *Tom.* 3. *num.* 29. confirmavit ea omnia declaravitque comprehendi etiam Ecclesiasticos, & mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo. Exemit vero quando commissum esset homicidium casu, aut necessaria defensione; restringit enim quando id agitur ex odio, & nocendi animo.

Declaravit etiam quod si forte accidat, ut vulneretur quis ad mortem, & percussor statim confugit ad Ecclesiam nondum morte secuta, tunc si chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint; tunc reus servatis servandis possit extrahi ab Ecclesia, & mancipari carceribus; ita tamen ut si vulneratus vivat ultra tempus a legibus constitutum, Ecclesiæ iterum restituatur.

Confirmat Constitutionem Benedicti XIII. in eo quod privative ad episcopos pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium ejusmodi e loco immuni (quæ facultas dari potest cum adsunt indicia ad carcerationem) adeo ut si locus sit nullius Diœcesis, tunc recurrendum voluit pro ea facultate ad episcopum viciniorem, & semper cum fit extractio, semper adsit Ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione construitur processus de mandato episcopi; si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignandus est reus Judici sæculari, (obligando tamen illum sub excommunicatione latæ sententiæ, ut si reus purgaverit indicia, restituatur Ecclesiæ.)

Si homicidium perpetratum est in locis a residentia episcopi remotis, jubet, ut de mandato episcopi Vicarii Foranei indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, statimque ad episcopum transmittant.

Transgressores sacræ immunitatis, etiam quoad pœnas declarat eos, qui sine recursu ad episcopum, retrahunt, sive etiam obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum, ut se dedat Curiæ sæculari. Qui sic egerint, privat eos jure asyli.

Si quæ viget consuetudo inter finitimos Principes, ut homicidæ committentes delictum in alterutrius ditione, capiantur, & transmittantur ad Principem loci, ubi delictum commissum est, ab episcopo loci homicidii exquiri jubet indicia, & transmitti ad episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Hæc tamen bulla lata est tantum pro ditione Ecclesiastica, & pro illis Principibus, qui eam postulaverint.

Hæretici, aut de hæresi suspecti, Judæi post Baptismum in apostasiam lapsi, possunt ab Inquisitoribus extrahi ab Ecclesia, sed vel ante, vel post capturam commoneri debet episcopus. Encycl. ad Inquisit. *Elapso proxime* Bull. *Tom. III. num.* 40.

Qui e loco relationis, sive e carceribus, sive triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum, cur immunitate privantur, jure asyli potitur. *ib.* §. 5.

Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos, qui impediunt, ne Judex Ecclesiasticus cognoscat in causis, in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam *Institut. Eccles.* 40. §. 10.

Si quis reus dolose extrahatur ab Ecclesia, & extra illam capiatur non per vim, aut per salvum conductum; illa dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex Decreto Sacræ Congregationis die 22. Decembris 1716. *Inst. Eccles.* 42. §. 9. *num.* 31.

De immunitate locali multa habes Tom. I. Tract. 12. Dist. I. & II. per tot.

INDULGENTIA.

Indulgentias Plenarias solus Romanus Pontifex conferre potest, cui Thesauri Ecclesiæ clavium commissa est custodia. *De Syn. Diœc. Lib.* 2. *cap.* 9. §. 6.

Omnibus episcopis facultas a jure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, & centum in Ecclesiæ dedicatione, ex Cap. *cum ex de Pœnit.*

Cardinalibus vero centum dierum. Hanc vero Indulgentiam etiam Regulares lucrantur; cum eorum exemptio non debeat illis in damnum converti. *Inst. Eccl.* 63. §. 16.

Vicarius Capitularis oe Indulgentias quascumque conferat abstinere debet. Ita ex Decretis Sacræ Congregationis. *De Synod. Diœces. lib.* 2. *cap.* 9. §. 6.

Pro lucranda Indulgentia non sufficit opera injuncta præstare, ad quæ alias quis tenetur alio titulo, puta justitiæ &c. ENCYCL. *de Quæst. in Jubil. exsitat.* §. 4. Bull. *Tom.* III. *num.* 21.

Indulgentiæ a Pontifice concessæ iis, qui cum confessione, & communione Ecclesiam aliquam visitent, non exigunt ut Ecclesia visitetur post Confessionem & Communionem; sed sufficit, ut si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, & communicandi, ut ex pluribus Theologis firmatur. *Instit. Eccles.* 48. §. 10.

Si quis pluries intra eandem diem Ecclesiam aliquam visitaverit, in qua est Indulgentia, non ideo pluries Indulgentiam acquirit juxta Decretum S. Congregationis sub Innocentio XI. *die* 7. *Martii* 1678. *In Declaratione Quæst. pro Jub. Acquisit.* INTER PRÆCIPUOS Bull. *Tom. II. n.* 5.

Indulgentiæ concessæ Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sæcularis de Pœnitentia S. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit Pontifex, & singulas numeravit, cæteris omnibus revocatis in Bulla de nova concessione ejusmodi indulgentiarum. Bull. *Tom. III. num.* 41. AD ROM. PONTIF. Sunt autem ejusmodi. Indulgentia Plenaria confessis, & sacra Eucharistia refectis ea die, qua in Ordinem ingrediuntur.

Item

Item plenaria confessis, & Communione refectis die Festa S. Francisci, die 4. Octobris S. Claræ, Sancti Titularis Ecclesiæ, Oratorii, vel cappellæ ejusdem Tertii Ordinis, die Dedicationis S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo Ecclesiam ipsam &c. devote visitaverint, & de more oraverint.

Indulgentia Plenaria in articulo mortis constitutis Confessis, & Communione refectis, & ore, vel si non potuerint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus Ecclesiam Tertii Ordinis, seu Oratorium, sive Cappellam diebus Stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, Indulgentiæ illæ conceduntur, quas prædictis diebus visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam, consequuntur.

Confessis, & sacra Communione refectis in festo Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Galliarum Regis, S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ Reginæ, S. Margaritæ de Corrona, atque in duodecim aliis anni feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum eligendis, & a Superioribus Ordinis approbandis, & visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum, septem annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiæ.

Itidem centum dies Indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut divinis Officiis in Ecclesia, ut supra celebrandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis Tertii ejusdem Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint, vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut Processiones de licentia Ordinarii faciendas, SS. Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem si sint impediti ad signum campanæ orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis Fratribus, & Sororibus recitaverint. Item si peccantem ad pœnitentiam redegerint, doctrinam Christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis, vel caritatis exercuerint.

Indulgentiæ pro Fratribus Tertii Ordinis Sancti Francisci de Paula conceduntur a Pontifice instar fere Indulgentiarum pro illis, qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod Indulgentiam Plenariam consequuntur in Festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, & in Festo Omnium Sanctorum, si visitaverint Ecclesiam aliquam Ordinis, si ibi sit, & in defectu unam aliquam Civitatis, vel loci ubi degunt. Cæteræ Indulgentiæ eædem omnino sunt ac superiores pro Tertiariis S. Francisci Assisiensis. Quoad Chordigeros S. Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo Fratre ejus Ordinis, vel ab alio deputato a Superioribus ejusdem Ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi, & sacra communione refecti plenariam Indulgentiam consequuntur, sicut & plenariam in Festo S. Francisci de Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo quo Tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam Indulgentiam centum dierum consequuntur si in honorem Domini Jesu Christi, & SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Chordigeri illi, sicut & Tertiarii pro quolibet bono opere sexaginta dierum Indulgentiam consequuntur, in quo differunt a Tertiariis S. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes Indulgentias applicare pro defunctis possunt. Bulla pro Indulgentiis Tertiariorum S. Francisci de Paula *Inexhausti* Bull. *Tom. III. num.* 56.

Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis ab Episcopis per benedictionem impertiendæ. Vide *Episcopus*.

Docentes rudes homines publice, vel privatim orationis mentalis regulas, & modum, itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes, ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos, & totidem quadragenas de vera Indulgentia. Item si assidue eo convenerint, semel in mense, vere pœnitentes, & sacra Communione refecti, orantesque pro more in Indulgentiis consueto, Indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur; quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes, & confessi, Eucharistiam sumpserint, & orent pro concordia &c. Concedentre hæc omnia Pontifice in Bulla QUEMADMODUM. Bull. *Tom. II. n.* 23. *pag.* 161.

De validitate Indulgentiæ Portiunculæ ejusque extensione ad omnes alias Ecclesias Ordinis Sancti Francisci ambigi non potest; nullo licet extante authentico documento, scientibus, & non contradicentibus Romanis Pontificibus. *De Synodo Diœces. Lib.* 13. *cap.* 18. §. 5. *nov. Edit.*

Item nec de Indulgentiis Ecclesiæ Lateranensis, quas approbavit, & ex integro concessit Benedictus XIV. in Bulla ASSIDUÆ SOLICITUDINIS *ibid.*

Indulgentias *in forma Jubilei* concessas abrogavit Clemens VIII., aliique quidam Pontifices; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris Indulgentia videndum erit, num post ea Decreta concessa fuerit, ut ex Tractatu de Indulgentiis P. Theodori. *Part.* 2. *cap.* 4. §. 2. *ibid.* §. 9.

Clemens XII. in suo Brevi dato *die* 14. *Augusti* 1736. Indulgentiam plenariam, die ad libitum quorannis eligenda, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint Psal. *De Profundis*, vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium defunctorum; dummodo ea die confessi, & communione refecti preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulæ recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur: *Institut. Eccl.* 61. §. 5.

De Indulgentiis plura vide Tom. I. Tract. 12. *Distinct.* 3. *per tot.*

IN-

Digitized by Google

INFIDELITAS.

Signa protestativa Infidelitatis hæc indicat Pontifex in suis Decretis pro incolis Regni Serviæ, incipientibus INTER OMNIGENAS Bull. *Tom. I. num* 89. Nomina Turcica assumere; Infidelium templa, scilicet Mosehæas frequentare; Jejuniorum dies per carnium esum profanare ad effectum, ut Mahumetani credantur. Damnat etiam peccati illos, qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent, cum istorum assistentia, & Mahumeticis adhibitis ritibus.

INTERDICTI.

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ assistere non possunt Missæ, & divinis Officiis, neque coram illis potest Missa celebrari in Ecclesia. Spectat vero ad Ministros Ecclesiæ illos ejicere, si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra; tunc ex Suarez docetur Missam jam incœptam non esse omittendam. *Instit. Eccles.* 55. *num.* 11.

Interdicti ab ingressu ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter DD. *ibid.*

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione Paschali, si contumaces se præbuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur. *Instit. Eccles.* 55. §. 11.

Vide Tom. II. Tract. 13. *Distinct.* 2. *a num.* 90. *ad num.* 110.

IRREGULARITAS.

Major Pœnitentiarius in casibus occultis, & pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum laicis, quam cum Ecclesiasticis, vel sæcularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari Ordinibus, vel in susceptis ministrare, seu superiores gradus ascendere, ac dignitates etiam Cathedrales, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica quandocunque ante dispensationes alioquin canonice obtenta retinere; nec non ut hujusmodi Beneficia & Dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor Bonus* Bull. *Tom. I. n.* 95. §. 15.

Ubi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcunque officia & Beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen Ordinis *Generalatu* in irregularitate ex defectu natalium. *ibid.* §. 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis; in publicis vero in utroque foro, auditis tamen Superioribus. *ibid.* § 32.

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio, & pensione, & ut ex Decis. Rotæ Romanæ. *Instit. Eccles.* 101. §. 18. Quoad hanc irregularitatem hæc accipe. Clericus in sacris constitutus militans, & arma ferens in servitium alicujus laici Principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilibus est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse, vel occidisse, ut ex Decreto Sacræ Congregationis in Ipensi. *Irregularitis* erui posse videtur. *ibid.* §. 19.

Idem forte affirmari potest de Clerico in minoribus beneficiato, dum ea quæ vetantur ordinatis in sacris, etiam beneficiatos clericos comprehendant. *ibid.* §. 23.

Clerici in minoribus; si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserit, seu mutilaverit, inducit in eos clericos irregularitatem; in eo enim casu clericus facit unum corpus cum sociis, & ulterius dat operam rei illicitæ. *ibid.* §. 8.

Porro si ille mutilaverit sub suo Principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare, num justum sit necne, sed potest credere bellum esse justum. *ibid.* §. 17. Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno Principe, quia impossibile esset illi indagare, num sit bellum istud justum, injustumve. *ibid.* §. 17.

Si vero bellum esset injustum, clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex cap. *Petitio de homicidio voluntario*. *ibid.* §. 10.

Demum si bellum sit injustum, & defensivum, si clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem etiamsi occiderit. *ibid.* §. 9.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu; adeoque Ordinum, & Beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus, & Beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex Cap. *Is qui de Filiis Presbyter. in* 6. *De Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 24. §. 11. *nov. edit.*

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia, & pensiones in ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare, neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt, ex Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 25. *de Ref.* Sicut & nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur. *De Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 24. §. 13. *nov. edit.* Quin nec filius illegitimus parochi jam defuncti munus Confessarii obire potest in ea Ecclesia, quam Pater parochus obtinuit, ut ex verbis congregationis vetantis, ne filii illi in ea Ecclesia *quoquo modo ministrent*, & ex responso sacr. congregationis habetur. *ibid* §. 14.

Vicissim autem, si Pater in aliqua Ecclesia munus gessit Capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium, seu pensio, ut ex responsione sacr. congregationis. *ibid.*

Si vero Pater dignitatem in Ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo Missæ semper in eadem celebratæ

Digitized by Google

bratæ non potest fieri particeps emolumentorum, quæ Sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso Sacr. congregationis. *ibid.*

Si Patronus beneficii rectorem interfecerit, ejus filii, & descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex cap. *In quibusdam de Pœnis;* intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante, quæ est interpretatio ab ipsa etiam Sacr. congregatione admissa. *ibid.* §. 21. ita ut ipse, ac reliqui ad patronatum vocati ab eo jure cadant. *ibid.*

Si pater in hæresim inciderit, etiam filius erit irregularis, ex Cap. *Quicunque* & Cap. *Statuit de Hæretic. in 6.* At relicta a Patre hæresi non quidem ejus, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis Sacr. congregationis. *ibid.*

In dispensationibus, quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum apponi solet clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit;* ex quo fit, ut episcopus debeat inquirere in illum, & quærere nunquid per decennium moribus integrum se præbuerit; & si toto decennio nihil indignum admisisse compererit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex Decretis Sacr. congregationis. *De synod. Dioeces. lib. 13. cap. 24. §. 22. nov. edit.*

Vide Tom. II. Tract. 13. Distinct. 3. per tot.

JUBILÆUM.

In Jubilæo anni 1750. Benedictus XIV. suspendit toto eo anno indulgentias omnes etiam non plenarias; exceptis Indulgentiis, alias concessis in articulo mortis, tam illis quas ex concessione Apostolica impertiuntur episcopi, quam aliis quibuscumque communiter, ut personaliter concessis pro eodem articulo: Item illis, quas lucrantur fideles recitantes salutationem Angelicam ad sonum campanæ. Item excepta indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum toties quoties, quas ex concessione Benedicti XIII. durante præterito anno Jubilæi sacramentaliter confessi, & sacra communione refecti, vel saltem vere contriti visitaverint ecclesias, in quibus expositum est Sacramentum Eucharistiæ, & oraverint de more. Item illis, quas concessit Innocentius XII. comitantibus, seu mittentibus facem cum Sacramento Eucharistiæ ad infirmos defertur. Illis quoque quas concedunt Legati de latere, & Nuncii Apostolici, ac episcopi in usu Pontificalium, aut in benedictione impertienda. Item perseverare concedit indulgentias Altarium Privilegiatorum pro defunctis, pro quibus etiam valere statuit alias quascunque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in Brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi a casibus Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi, & dispensandi vota, tollendi irregularitates alias concessas ecclesiis, Monasteriis &c. Piisque locis, Magistris, Superioribus, tam Sæcularibus, quam Mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias, quas solebant coronis, granis, imaginibus, & numismatibus ex metallo &c. Vide Bullam CUM NOS Bull. *Tom. III. num.* 18. Excipit tamen facultates episcoporum, & cæterorum supremorum Antistitum quoad Diœcesanos in iis quæ obtinet ex vi Tridentini, & Pontificum concessione in ordine ad dispensandum, & absolvendum, quod etiam extendit ad Prælatos regulares subditos.

Quoad opera præscripta in hoc Jubilæo mentem suam ita exponit Pontifex in sua Encyclica IN HAC CONSTITUTIONE *Bull. Tom. III. n.* 21. Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul, & spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera injuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem, intra quem Basilicarum visitatio compleri debet, liberum esse incipere, sive a vesperis diei præcedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive a media nocte ad mediam noctem.

Qui iter Romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, & subita impedimenti, vel mortis ineuntione opera injuncta præstare non valuerunt; confessione expiati, & sacra Communione refecti Jubilæum lucrantur.

Facultates absolvendi a reservatis, & dispensandi, omnes se suspendisse declarat, sive quæ quarundam indulgentiarum occasione conceduntur, sive quæ alia de causa collatæ sunt.

Regularium confessiones excipere possunt Romæ pœnitentiarii Basilicarum, licet alias obstent eorumdem regularium constitutiones, vel privilegia a S. Sede approbata.

Minores pœnitentiarii Romæ commutare possunt dispensando non solum vota nuda, sed & quæ confirmata sunt juramento.

Iidem absolvere possunt sacerdotes reos censurarum, & dispensare in irregularitate contracta ob violationem censurarum tantummodo; quod & præstare possunt cum aliis etiam clericis non sacerdotibus.

Si quis est dispensatus a visitatione Basilicarum, non continuo est dispensatus ab aliis operibus injunctis, neque etiam a precibus, *quæ a Basilicarum visitatione separari possunt*. Nec sufficiunt ea opera injuncta, quæ quis ex alio titulo præstare alias tenetur, puta, titulo justitiæ.

Confessarius neque in Jubilæo potest absolvere illum, qui secum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus uti nequeunt pœnitentiarii extra Basilicas, seu ecclesias ibi assignatas, nec nisi in actu Confessionis, neque eum iis, quibus sincera voluntas Jubilæi acquirendi deest. Quos tamen absolvunt, illis pœnitentiam sacramentalem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando Jubilæo.

In censuris absolvendis præmitti, vel saltem promitti cum juramento debet satisfactio parti læsæ. Læsa vero pars non est Judex, sed ille, qui damnum passus est.

In

Digitized by Google

In Constitutionibus Jubilæi alia opera præscri buntur Romanis, vel Urbis incolis; alia peregrinis. Primi nomine designantur illi, qui intra quintum ab Urbe lapidem habitant; sicut & incolæ Urbis dicuntur, qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem transigendi; sicut & intra eorum numerum comprehendi vult Pontifex, qui alia quam Jubilæi consequendi causa Romam advenerint. Cæteri omnes peregrini, aut exteri ad hunc effectum vocantur.

Censet Pontifex valere communem opinionem Theologorum, quæ non obligat præmitti confessionem ad opera præscripta; sufficere enim ad lucrandam indulgentiam credit, si postremum opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, dein ante completa opera recidat in lethale peccatum, non sufficere illi vult si conteratur, & sic contritus opera perficiat. Vult igitur, ut quamvis non teneatur præstitas visitationes repetere, debere iterare confessionem, idemque ab eo præstandum esse dicit, qui in priori confessione, invincibiliter oblitus sit subjicere Clavibus peccatum aliquod mortale.

Puberes qui de jure incapaces censentur communionis, dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad Indulgentiam lucrandam non requiritur, ut per Portam Sanctam quis ingrediatur, & egrediatur.

Si quis visitationes aliquas Basilicarum præmisit, dein per Indultum, quod emitti solet intra spatium Anni Sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes præcedentes, & indulto uti: sicut etiam eadem indulgentia utendum eum illis, qui ante Indultum, numerum totum implessent visitationum, ab Indulto dein emanato præscriptarum.

Mentem esse suam dicit, ut vocalis fiat Oratio in Basilicis, nec sufficere si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera injuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam; sed alios favores, & gratias, quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minime potest; puta iterum absolvi a reservatis, aut novorum votorum commutationes obtinere.

Quanquam concessa est Pœnitentiariis minoribus, & Confessariis, a Cardinali Vicario Romæ deputatis, facultas absolvendi a peccatis reservatis in Bulla Cœnæ, non ideo tamen in ea facultate generali data est facultas absolvendi ab hæresi externa.

Declaravit insuper in sua Constitutione, quæ incipit CONVOCATIS *num.* 54. illum, qui ex intentione recipiendi Jubilæum, absolutionem a censuris, & votorum commutationem obeinuit, si postea mutata intentione, Jubilæum non recepit, non ideo incurrere iterum in censuram, & votis prioribus obstringi; sed inclinat in sententiam, ut reus habeatur peccati mortalis, qui ita voluntatem suam mutat; censet enim hic quemdam tacitum contractum celebrari, ut Confessarius ex sua parte illum participem reddat gratiarum Jubilæi; & ex parte altera pœnitens se obliget ad reliqua opera præstanda.

Præter Pœnitentiarios Basilicarum, & alios a Cardinali Vicario deputatos pro Anno Sancto, sunt etiam Romæ alii Confessarii ordinarii, ex quibus alii Regulares sunt; & ex Regularibus alii a suis Superioribus destinantur ad suos Conregulares auscultandos in Confessione; alii vero Regulares a Cardinali Vicario pro excipiendis Sæcularium Confessionibus approbantur. His postremo a Cardinali Vicario approbatis respectu suorum Conregularium concessæ sunt facultates, quæ dantur Confessariis sæcularium adjecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursa, dummodo sit occulta, quæ tamen facultas non suppetit illis Regularibus, qui tantum a Superiore suo deputati sunt.

Qui vero a Cardinali Vicario consuetam facultatem habent audiendi Confessionem, nec sunt specialiter deputati pro Anno Sancto; illis eadem facultas quoad sæculares remanet, quam prius obtinebant, neque enim suspensio facultatum, quæ fit in anno Jubilæi Confessarios Urbis Romæ comprehendit, eo quod habent locum etiam in Regularibus.

Hæc omnia Pontifex late explicat, & exponit in sua Encyclica ad Pœnitentiarios, & Confessarios Urbis INTER PRÆTERITAS Bull. *Tom.* III. *num.* 21. Ad hanc Encyclicam recurrendum edicit Pontifex in altera Encyclica CELEBRATIONEM MAGNI pro extensione Jubilæi ad universum Orbem Bull. *Tom.* III. *num.* 28.

In altera Bulla, quæ continetur in Bull. *Tom.* III. *num.* 24. conceditur infirmis utriusque sexus, Monialibus, Oblatis, Tertiariis in communitate viventibus, novitiis, & educandis, in eisdem Communitatibus degentibus; item Anachoretis, & Eremitis, viventibus cum clausura, & solitudine, sub regimine saltem Ordinariorum; item captivis, & carceratis quocumque in carcere; denique infirmis tam sæcularibus quam regularibus, senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo Episcopi, & Superiores commutent illis opera injuncta. Insuper concedit Monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice dumtaxat ad effectum Jubilæi consequendi eligere sibi Confessarios, seu Regulares, seu Presbyteros sæculares ex approbatis ab Ordinariis ad audiendas Moniales. Anachoretis vero, Oblatis, Tertiariis, mulieribus etiam in Conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate, ac senectute impeditis omnibus etiam Regularibus facultas datur ad hunc effectum ut possint sibi eligere in Confessarium, sive Presbyteros sæculares, sive regulares cujuscumque Ordinis ad Confessiones sæcularium audiendas approbatos: a quibus absolvi possint a reservatis etiam Apostolicæ Sedi, & in Bulla Cœnæ. Vult tamen, ut in carcere detenti, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, moneantur de obligatione, qua tenentur, Judicibus sæcularibus juridice interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam ut Confessarii illi a Monialibus, Oblatis, aliisque puellis supradictis electi possint dispensare in votis a Monialibus emissis post Professionem, quorum observantia cum Professione Religiosa componi potest. Quoad vero Novitias edu-

educandas, ficut & quoad Tertiarias, & in Confervatoriis degentes concedit, ut possint Confessarii difpensare Vota, etiam jurata, exceptis Apostolicæ Sedi refervatis.

Alia etiam Bulla, quæ incipit PASTORIS ÆTERNI Bull. *Tom.* III. *num.* 24. concedit Apostatis, & fugitivis cujuscumque Ordinis, qui citra Montes intra quatuor, & ultra montes intra octo Menses a publicatione (publicata est die 19. Januarii 1750.) ejusdem Bullæ redierint ad suam Religionem, remissi nem omnium pœnarum propter Apostasiam incursarum, & infligendarum, & insuper impunitatem, dummodo coram Superiore suo culpam deprecentur, & ab eo absolutionem obtineant.

Jubilæi extensio per Universum Orbem ita facta est. Intra sex menses a publicatione Bullæ suæ incipientis BENEDICTUS DEUS Bull. *Tom.* III. *num.* 27. a publicatione, inquam, in qualibet ecclesia facienda concedit Pontifex Jubilæum instar Romani, quod obtineri etiam ab iis possit, qui anno præcedenti jam Romæ illud lucrati fuerunt.

Deputandam vero edicit ab Ordinariis locorum ecclesiam Cathedralem, seu majorem ejusdem Civitatis cum aliis tribus ejusdem Civitatis, seu loci, sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos, vel interpolatos visitare, die incœpta a primis vesperis diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consuetudo.

Navigantes, & iter agentes etsi redierint elapso Jubilæi termino ad sua domicilia, seu alio diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus ecclesiam Cathedralem, vel Majorem, & confessionem, ac sacram communionem exceperint, eandem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis ut pro visitationibus alia opera præstanda designentur a Superioribus suis per se, vel per prudentes Confessarios. Communionem etiam Sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum Communitatibus vero tam Regularium, quam Sæcularium, Capitulis, Congregationibus, Sodalitatibus, Universitatibus, Collegiis processionaliter visitantibus ecclesiam visitationum hujusmodi numerum restringi permittit.

Quoad Moniales, & Novitias concedit, ut eligere sibi possint ad hunc effectum Confessarium quemcumque ex approbatis ad Moniales ab Ordinario actuali loci.

Quoad cæteros omnes etiam Regulares concedit, ut possint sibi eligere quemcumque Confessarium tam Regularem quam Sæcularem ab actuali Ordinario loci approbatum, a quo absolvi possint in foro conscientiæ ab omnibus censuris a jure, vel ab homine latis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, & commutari eorum vota etiam jurata, & Apostolicæ Sedi reservata, excepto voto Castitatis, & Religionis, & iis, quibus jus tertio acquisitum est, & dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo quæ contracta est ob censurarum violationem. Reservat vero de more absolutionem complicis in re venerea. Ac tandem declarat eum, qui prædictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi Jubilæum, non ideo incidere in priores censuras, seu votis astringi, quamquam *a peccati reatu vix immunem censeri posse* judicat. Tandem eos, qui morte prævent visitationum numerum complere nequiverint, confessione, & Sacra Communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in Bulla Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi Bulla absolutionem a criminibus in Bulla Cœnæ expressis in genere permittat, ut decrevit Sacra Congregatio S. Officii die 23. Martii 1656. sub Alexandro VII. *Inst. Eccl.* 48. §. 15.

In Jubilæo Confessarii ab Ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab Ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt, sed modo cessavit. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis *Inst. Eccl.* 84. §. 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem Congregationis additur fideles sic bona fide ab ejusmodi Confessariis absolutos non esse inquietandos. *Ibid.* §. 27.

De Jubilæo fuse agit Reiffenstuel Tom. I. Tract. 25. *Dist.* 3. *a num.* 91. *ad* 130. *Appendicibus & Addit. intra hos num. positis.*

J U D Æ I.

Si Judæus conjugatus ad Fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi Libellum repudii mittere, etiam extra Judæorum domicilium, & coram Notario, testibusque Christianis. Sanctioni huic contravenientes si forte repudium confecerint intra Judæorum domicilium, & ritibus superstitiosis adhibitis, subjacent eisdem pœnis ac Judaizantes: mitioribus tamen puniendus est qui id confecerit extra Judæorum domicilium. Puniuntur pœna pecuniaria Notarii Christiani. Ita in Constitutione APOSTOLICI MINISTERII Bull. *Tom.* II. *num.* 38. Ubi edicitur etiam ne Uxor Hebræa ad Fidem conversa libellum repudii mittat viro in Judaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione cum Hebræis cohabitare; ex Cap. 5. *de Judæis*. De Synod. Diœces. *Lib.* 6. *cap.* 4. §. 1. sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere. *Ibid.*

Vide Tom. I. *Tract.* 4. *Addit.* 3. *post num.* 46.

Hebræi ad Fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec a successione, & Parentum hæreditate excludendi, ut ex Bulla Clementis XI. PROPAGANDÆ. *Ibid.*

Descendentes a Judæis, nisi aliter cautum fuerit in Beneficiorum fundatione, vel nisi aliter Summus Pontifex statuerit, arceri non possunt etiam ex Constitutionibus privatarum ecclesiarum, a consecutione Beneficiorum, ut ex Cap. *Eam te de Rescriptis*. Idem pariter dicendum de illis, qui ex infidelibus descendunt. *De Synod. Diœces. Lib.* 7. *cap.* 75. §. 4. & 5. Idem etiam dicendum de Ordinibus Sacris. *Ibid.* §. 5.

JUDICES SYNODALES.

Synodales Judices, quibus a Romana Curia com-

Digitized by Google

committuntur judicandæ causæ in partibus a Curia remotis, designari debent personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive Canonicatum in aliqua Cathedrali Ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab Episcopis in Synodis; & si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab Episcopo cum consensu Capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina Secretario supplicum Libellorum Pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque Diœcesi, vel plures si amplitudo ejusdem postulet. Constit. QUAMVIS PATERNÆ. Bull. *Tom. I. Constit.* 28.

JURISDICTIO

Inferior Prælatus ad hoc ut Territorium separatum, & jurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem in Clerum, & populum obtineat, cum ipsius Episcopi exclusione, non juvatur per quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum, & subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio Sac. Congregationis Concilii *die 7. Januarii* 1721. dein approbata a Clemente XI. *die 14. Januarii*, & confirmata a Benedicto XIV. in suo Bullario *Tom. II. Constit.* 33. Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior Prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut Episcopus, in cujus Diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, neque in iis se nunquam miscuerit. *De Synod. Diœcef. Lib.* 13. *cap.* 8. § 18. *&* 21. *nov. Edit.*

Episcopi, licet habeant Capitula sua quantumcumque exempta, possunt per se ipsos ne adjunctis de Capitulo visitare Ecclesiam, Canonicos, & Beneficiatos, ut decisum a Sac. Congregatione Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. *De Synod. Diœcef. Lib.* 13. *cap.* 9. §. 6. *nov. Edit.*

Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium & si ambo conveniant in sententiam Episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino *sess.* 25. *cap.* 6. *De Ref.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis sacræ Congregationis Concilii, & ex collatione duorum locorum Tridentini, altero *in sess.* 6. *cap.* 4. altero *in sess.* 25. *cap.* 4. De synod. Diœcef. *Lib.* 13. *cap.* 9. §. 9. *nov. Edit.*

LEGITIMATIO.

Per subsequens Matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, & proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Epistola ad Archiepiscopum Hispaniolæ Bull. *Tom.* I. *num.* 133. REDDITE NOBIS.

Vide Tom. II. tract. 14. *Distinct.* 15. *Addit.* 3. *post num.* 12.

LEX ECCLESIASTICA.

Legi Episcopali, vel Synodali non tenentur illi, qui in Diœcesi quidem degunt, sed extra Diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines Diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se, & immediate Territorium respicit. Verum si quia e Diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccant contra eandem legem. Ita Clemens X. in Constit. *Superna* edixit pœnitentes recedentes e territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. *De Synodo Diœcef. lib.* 6. *cap.* 8. §. 10.

Lex ab Episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio Capituli, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem Episcopi; neque enim habet quid diversum a lege in synodo lata, quam etiam defuncto Episcopo perseverare satis constat. *Synod. Diœcef. lib.* 8. *cap.* 5. §. 1.

Lex synodalia si non acceptetur a populo, quamvis peccent non acceptantes; tamen si id sciat Superior post paucos actus ab eo neglectos, & non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conveniencia. *De Synodo Diœcef. lib.* 8. *cap.* 3. §. 5. Si vero id nesciat Episcopus, tunc decennium sufficere censetur. Hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. *Ibid. lib.* 8. *cap.* §. 3.

Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium, neque enim agitur de præscriptione, qua aliquod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, & adsit consensus legislatoris joridicus saltem, & legalis, qualem scilicet leges requirunt. *De Synod. Diœcef. lib.* 8. *cap.* 5. §. 5.

Lex synodi Diœcesanæ obligans totam Provinciam, si obtinuerit confirmationem a sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: *si juste, canonice, ac provide facta sit, & dummodo sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversetur*: tunc utique abrogari ab Episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, & in confirmatione addatur *ex motu proprio, atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex Pontificia, in qua Episcopus dispensare non potest. *De Synod. Diœcef. lib.* 8. *cap.* 5. §. 11.

MATRES.

An Mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa Theologi quidam adfirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant,

tant, nec ulla sint bruta, quæ natis suis id non præstent. Alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. *De syn. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 58. §. 11.

MATRIMONIUM.

Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus. In encyclica ad Episcopos Poloniæ NIMIAM LICENTIAM. Bull. *tom. I. num.* 90.

Abstinendum Pontifex ab ea censet quæstione inter Theologos agitata, num Parochus sit hujus Sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, & ministri hujus Sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta late exposita videnda sunt in *synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 28. Quanquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractus, & Sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi, qui a contracturis matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ Christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI. & ipse etiam Benedictus XIV. in quadam encyclica, quæ est in ejus Bullario *tom. I. num.* 42. ut parochus ab inituris matrimonium exquirat interrogando, quæ ad salutem necessaria sunt, & si deprehenderit ignorasse, matrimonio jungendi non sunt. Monet insuper cum Giribaldo illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt; ea vero quæ sunt de necessitate præcepti rudi solum modo tenent, illos quidem posse aliquandiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim parochus illos diligenter doceat, & si deprehenderit rudiores esse ingenio, & exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem conjungere. *ib. cap.* 29.

Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus celebrari debet, quæ verba sunt Tridentini *de Ref. Matrimon. sess.* 24. *cap.* 1. Reprehendendum vero censet Pontifex Episcoporum quorumdam oscitantiam, qui in synodis suis edixerunt, celebrandum esse *coram legitimo Ministro*, ex quo ansa data est Theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, parochum esse legitimum Sacramenti matrimonii ministrum.

Si Episcopus generatim interdicat parocho, ne matrimoniis adsistat, adhuc tamen matrimonium valere definivit S. Congregatio Concilii, & firmat Pontifex *in T. de synod. Diœc. lib.* 7. *cap.* 80. §. 11.

Si vero interdictum istud venerit a Pontifice cum Decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto Decretum irritans, matrimonium valet; cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit. *ib.* §. 3.

Parochus coram quo celebrari potest matrimonium est parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum, & sensu Sac. Congregationis constat. *Inst. Eccl.* 33. §. 6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici parœcia, in alterutra matrimonio jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat, *Inst. Eccl.* 33. §. 6. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, & ad rusticana negotia; ita enim perpetuo censuit S. Congregatio. *ibid.* §. 7.

Nullum est Matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonium, non adepto novo domicilio, ita ex sensu perpetuo S. Congregationis. *ibid.* §. 8.

Vagorum Parochus quoad Matrimonium, est Parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurimorum Theologorum. *ibid.* §. 10.

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quæsituri vagantur; peregrini vero qui non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. *ibid.* §. 10.

Scholares, Judices, Medici &c. qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. & Decr. Sacr. Congregationis. *ibid.* §. 11.

Quoad matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia Judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, Parochus loci ubi carcer situs est, est Parochus Matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu Sacræ Congregationis, & DD. *ibid.* §. 12.

Parochus eorum, qui expositi sunt, & in hospitali aluntur quoad Matrimonium non est Capellanus ejusdem Hospitalis, sed Parochus, ubi situm est hospitale. Ut ex Decretis S. Congregationis. *ibid.* §. 14.

Educandæ in Monasterio degentes habent pro Parocho Matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum, vel fraternum, ut ex multis Theologis. *ibid.* §. 16. Si eo careant, est Parochus loci, ubi est Monasterium.

Famuli habentes domum, & familiam in alia Parœcia diversa ab ea, quam habet domus heri, Parochum Matrimonii habent illum, in quo est domus, & familia. Ita ex statutis Cleri Romani, *ib.* §. 20. disponitur. Si vero domicilium familiæ habeant extra Urbem, & in Urbe famulatum, tunc coram Parocho Urbano contrahunt. *Institut. Eccles.* 88. §. 5.

Si Episcopus mandet alicui Parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus, & si postea reperiatur vere non esse Parochum illorum, adhuc tamen mandatum Episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, ut semel, & iterum decisum a Sacra Congregatione refertur *Institut. Eccl.* 88. §. 4.

Matrimonium etiam bona fide contractum coram Parocho, & unico teste non valet, ut ex responso S. Congregationis Concilii constat. *De Synod. Diœcef. Lib.* 12. *cap.* 5. §. *nov. edit.* Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine Parocho in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. *ibid.*

Paro-

Parocho præsente, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a sacr. congregatione Concilii post diligens examen in causa Romana *die 7. Martii* 1740. At si parochus *affectaverit intelligere* verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593. in causa Ulyssiponensi sacr. congregatio. *De syn. Diœces. lib. 7. cap. 23. nov. edit.*

Tunc vero *non audire affectat* parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, & data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, & testes audierunt, & viderunt, quæ sane ratio fuit Decreti sacr. congregationis *in Carthagin. Matrimon.* anno 1753. lati pro similis matrimonii validitate. *ibid.* §. 11.

Parochus, cui interdictum est ab episcopo, ut interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex Decis. sacr. congregat. *De synod. Diœces. lib. 13. cap.* 23. §. 1. *nov. edit.* Idem dicas, si Ordinarius tantum vetet Vicario parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel parochus, vel ejus Vicarius prohibiti ab episcopo, nolentes & inviti assistere cogantur. *ibid.* ex eodem Decreto.

Matrimonio jungendi non sunt sponsi a parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem. Encyclica ET SI MINIME Bull. *Tom. 1. num.* 32.

In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est, conjugem, qui ad Fidem transit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris; & sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum Pontifex cum Neophytis baptizatis pii loci Catechumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie, & extrajudicialiter illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit infideles illos tempore secundi Matrimonii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos. Const. IN SUPREMA Bull. *Tom. 1. n.* 117.

Si infidelis conjux veniat ad fidem, & alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad episcopum) tunc decrevit sacr. congregatio, non posse conversum ad Fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso quod alter velit in infidelitate perseverare, censent Theologi plures satis esse periculi in Neophyto. Verum hujus dubii solutionem recte moribus regionum, & casuum circumstantiis pendere. *De synod. Diœces. lib. 13. cap.* 21. *nov. edit.*

Accidit ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, cum veniat ad Fidem, & Fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quæ prior ducta est, quæ propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa, quæ venit ad Fidem, Matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram parocho, & testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus, fuerat nullus propter Matrimonium prius cum altera celebratum,) comparet uxor prior, & probat, se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam ut suam voluntatem manifestaret, nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium Neophyti cum Neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu S. Pius V. concessit Missionariis, ut cum Judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tanquam cum uxore legitima, cum ea uxore, quæ fuerit pariter baptizata. Eandem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII. episcopis, parochis, & e Societate Jesu presbyteris, ad Sacramentales Confessiones in iis Regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia, Æthiopia, ac Brasilia, & in captivitatem adducti, & in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato, nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, matrimonium inire possint cum quocunque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent se juste fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem; vel etiamsi probarent se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has Constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias Regiones, quantumvis similes rationes suppetant, clare constat. Quare si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a SS. Pontificibus. *De synod. Diœces. nov. Edit. lib.* 13. *cap.* 21. *n.* 3. *& seqq.*

Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet, ut si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum est, cum matrimonium institutum sit, ut unicam habeat. *ibid.* §. 8.

Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati matrimonii. Ita resolvit S. Congregatio Concilii die 15. Januarii 1724. *De synod. Diœces. lib.* 13. *c.* 21. §. 4. *nov. edit.*

Verum si hæc opinio deducatur in pactum tanquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiæ matrimonii repugnans, ex Decretali Gregorii IX. *Cap. de appositis. ibid.* §. 5. Hinc, quem subdo, casus resolutus est a sacr. Congregatione die 20. Maji Anni 1754.

In formula, quam Calvinistæ in conjugiis ineundis adhibent, minister sponsum interrogat, *accipis ne illam in uxorem?* Respondet ille *accipio*. Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: *personam quam manutenes amas, & accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseras, quoadusque in sua honestate & puritate permanserit.* Tantundem dicit sponsæ. Porro illud quoadusque in sua honestate, & puritate permanserit in sensu Calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso, vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur hæc conjugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii, quæ sane perpetuitas essentiæ conjugii adnexa est, ut

ex Concilio Florentino in Decreto de unione Armenorum & instructione Clementis VIII. pro Italo-Graecis, confirmata a Benedicto XIV. sua Constitutione *& si Pastoralis*, quae est 57. *Bull. Tom.* 1. constat. Quare optime definitum in congregatione S. Officii die 20. Maji 1754. conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. *De synod. Diœcef. lib.* 13. *cap.* 22. §. 9. Neque obstare judicatum est prius dixisse utrumque sponsum, accipio hunc in conjugem, deinde ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse, quia & prior, & secunda interrogatio unus, idemque actus judicatus est.

Ex his etiam resolutus est a sacr. congregatione casus alter die 8. Julii 1724. Vir, & femina convenerunt celebrare Matrimonium coram ecclesia, at illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier Monasterium ingrederetur, & post probationis annum profiteretur, interim vero omni juri renuntiabat, quod in Mariti personam ex matrimonio sibi aquirere potuisset, consensatque, ut si ab his pactis desecisset, matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt, ac significata testibus, a parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc matrimonium nullum esse declaravit sacr. congregatio ex cap. *Si conditiones de condit. apposit.* nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiæ Matrimonii. Quamvis enim in ipsa Matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ, constabat tamen ex antecedentibus, & sequentibus simul junctis conjuges ab iis non recessisse. *ibid.* §. 10.

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur, & alter noluit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit. Epistola ad Vicesgerentem de Baptismo Hebræorum &c. *Postremo Mense &c.* Bull. *Tom.* 2. *num.* 28. Vide & *de synod. Diœcef. lib.* 6. *cap.* 4. §. 4.

Hebræi cum hæretica non valet, obstante cultus disparitate. Epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data *die* 9. *Februarii* 1749. §. 11. *& seqq.*

Num in casu quo alteruter ex conjugibus ad Fidem venerit, relicto altero, qui negat cohabitare sine injuria Creatoris; inde vero & ipse ad Fidem conversus sit, atque interim, postquam secundus licet ad Fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias inierit, in eo casu suadendum sit Pontifici, ut matrimonium infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, ambigit merito Pontifex, & censet id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ. *De synod. Diœcef. lib. cap.* 4.

Catholici qui cum hæretico matrimonium celebrant etiam in locis hæreticorum, gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est. Si vero postquam sic contraxerint coram parocho catholico, possint iterum coram Ministro Protestante conjungi ad evitanda gravia damna, quæstio est; ad quam sacr. congregatio respondit Ministrum hæreticum si assistat hisce matrimoniis, ut minister politicus, tunc a catholicis peccatum non committi; secus vero si assistat ut Minister sacris addictus, ita censet Pontifex *in synod. Diœcef. lib.* 6. *cap.* 5. §. 4. *&* 5.

Conjugia hæretici protestantis cum femina hæretica coram parocho non catholico in Belgio confœderato celebrata valida habenda sunt. Decretum a Pontifice approbatum die 4. Novembris 1741. Item valet ita, & in iis Regionibus celebratum, si hæreticus catholicam ducat, quanquam postremum hoc illicitum haberi debet. *ib.* Idipsum repetitur in epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data die 9. *Februarii* 1749. §. 17.

Nuptiæ inter Catholicum, & Hæreticum conjuge multo rectius non sunt benedicendæ, neque Missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus intra ecclesiæ ambitum peragendus, quod & vetitum fuisse a Clemente VIII. circa benedictiones quidam referunt. *De synod. Diœcef. lib.* 6. *cap.* 5. §. 5. *nov. edit.*

Matrimonia inita a Græcis Catholicis in ecclesia Orientali post susceptum Sacrum Ordinem, dubium est num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare si forte id accidat, petenda est dispensatio a Sede Apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur.

Quoad Italo-Græcos matrimonia post Ordinem Sacrum inita, nulla sunt, Constit. ET SI PASTORALIS *Tom.* 1. *num.* 7.

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Pontifice in *Tract. de synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 36. Connubium iniri non potest inter adoptantem, & adoptatum, atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum, & adoptatum. Secundo inter adoptatum & filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tamdiu durat, quandiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate, nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per mancipationem filii, sive adoptivi, sive naturalis, cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem, & uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero hæc impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta: lis est inter Doctores. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui juris ex Principis rescripto, ita transit in potestatem, & familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus hæres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub Patris, seu Avi potestate, solius Magistratus, alteriusve Judicis competentia auctoritate in filium, aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam, & potestatem adoptantis transit, & succedit solum ab intestato. *De synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 36.

Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de doeis validitate, & communitate inter virum, & uxorem; valida tamen habenda esse in ratione Sacramenti censet Pontifex, & oppositum sentientes rejiciendos omnino judicat. *De synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 68. §. 2.

In

Digitized by Google

In Matrimonio puberis cum impubere, malitia ætatem supplente, episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri. Encyclica ad episcopos Poloniæ Bull. *Tom.* 1. *num.* 51. MAGNÆ NOBIS. Ad pronunciandum in ea causa cumulativum jus est inter Sedem Apostolicam, & judices ordinarios. *ibid.*

Matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos solus Romanus Pontifex dispensat. *ibid.*

Impedimenta Matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, & illud quod ex voto perpetuæ castitatis, & ingrediendæ Religionis nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cætera vero Matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest. Excipitur tamen casus, quem statim subdo.

Si forte accidat, ut Matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris, & facti, & sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, & adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam &c. nec possit separatio fieri sine scandalo. Dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest major Pœnitentiarius Papæ, in foro tamen conscientiæ tantum. Quare si impedimentum istud postea detegatur, & deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a Summo Pontifice dispensatio. *De synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 31. §. 1.

Forte etiam episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum matrimonium proxime contrahendum est, in casu quo ciles urgeant rerum circumstantiæ, ut nec S. Pontifex consuli possit, nec matrimonium differri sine scandalo, aut infamia contrahentium. Tunc censensus est S. Pontifex tacite delegare episcopo potestatem dispensandi. *ibid. num.* 2.

His præcisis rerum circumstantiis, nemini fas est episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est, & sanum Axioma illud a nonnullis adoptatum: *Quidquid potest Pontifex in universo Orbe, si ea excipias, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, vel Fidei Articulum definire, potest episcopus in sua Diœcesi, nisi Papa sibi illud reservaverit.* Non enim potest inferior legem a Superiore datam relaxare. Sunt qui consuetudinem prætendant. At considerent attente, cum res sit de minuendis juribus Roman. Pontif. unice competentibus, num. 100. ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverint. Considerandum insuper & potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ*: tunc enim nunquam contra legem præscribitur. *Cap. cum inter de consuet. Tract. de synod. Diœcef. lib. 7. cap.* 31.

In contractis Matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat S. Pœnitentiaria in gradibus *primo, & secundo* consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, & conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat; sicut in gradibus & tertio, & quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis, & obreptionis litterarum Apostolicarum nulliter contracta, nisi falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ: Bulla PASTOR BONUS. Bull. *Tom.* 1. *num.* 95. §. 40. Vide *Instit. Ecclef.* 87.

Si in dispensatione a Dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra pœnitentiaria dispensat in Matrimonio contrahendo, & etiam contracto: at cum agitur de primo in secundo gradu exigit compositionem 50. Ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum. *ibid.*

Si in dispensatione a Dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendæ dispensationis, tunc si mala Intentio sit occulta, dispensat fac. pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate, seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda. *Instit. Ecclef.* 87. §. 23.

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum in contracto, & contrahendo matrimonio in foro conscientiæ dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius præstat. *ibid.* §. 44.

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut & dispensat in foro Conscientiæ pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio. *ibid.* §. 45.

In dispensationibus pro impedimentis Matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis, rescriptum vitiatur, ut DD. *Instit. Ecclef.* 87. §. 13.

In contractis tamen Matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat pœnitentiaria *ibid.* §. 14.

Clausula illa in dispensationibus Matrimonialibus *absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, potest Ordinarius conjuges separare a thoro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navario. *ibid.* §. 50.

Si Ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re aliquo fide digno, ut a Confessario, seu parocho, qui possunt id clam testificari episcopo, tunc debet episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex Clericato monet Auctor. *ibid.* §. 50.

Postrema clausula sic enunciatur: *dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute &c.* Rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem; sed ut Confessarius instruatur, quo certior sit contractus; ac veram esse con-

ditionem ex ablativo absoluto, quo enunciatur, ut est Juristarum sensus, demonstratur. *Institut. Eccles.* 87 §. 68.

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere, ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum, nempe, qui suadent, ut sciens impedimentum proponat alteri se adeo illam amare, ut denuo eum illa velit ligari; si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur, eo quod consensus præstitus a parte inscia, est consensus junctus cum errore, quare non adimpletur conditio *dicta muliere certiorata*.

Præfertur cæteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, & tunc sit, cum parti ignaræ dicitur in priori Matrimonio defuisse consensum validum, adeoque suasu Confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque. *ib.* §. 78.

Sed quid si timor occurrat, ne parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto Matrimonio, nata antecedenter proles timeatur, ne declaretur illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, & unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus Matrimonii; suadet Auctor, ut per novas litteras exponatur S. Pœnitentiariæ casus, vel recurratur ad episcopum, qui id suadebit, quod erit opportunum. *ibid.* §. 80.

Causæ Matrimoniales a Curia Romana commissæ in partibus, non delegantur nisi episcopis, vel si nullus sit in Diœcesi, saltem vicinioribus; & si vel illi absuerint, Judicibus Synodalibus. Constit. DEI MISERATIONE Bull. *Tom.* 1. *nu.* 33. Mandat insuper Pontifex, ut in singulis Diœcesibus defensor Matrimoniorum designetur, qui semper adsit in judicio, & citetur in omnibus actibus. Si vero Judex in partibus pro validitate Matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Secus si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non. Pendente vero appellationt, ad novas nuptias transire conjuges vetantur sub pœnis contra polygamos constitutis.

Post duas conformes de nullitate Matrimonii, tunc licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum. *ib.* Pacta prævia inita inter conjuges de non appellando a sententia de nullitate Matrimonii irrita declarat Pontifex in Encyclica ad Polonos Bull. *Tom.* 1. *n.* 85.

Matrimonia inter hæreticos sine præsentia parochi in Provinciis fœderati Belgii, cum non sit ibi receptum Concilium Tridentinum, tenent, quemadmodum etiam Matrimonia inter hæreticum, & catholicum ab incolis illorum locorum substinentur. Idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militias Ordinum fœderati Belgii addictas muniendis arcibus, vulgo dictis *di Bavirra*. Extenditur ad contrahentes in Civitate Mosæ Trajectensis. Sed si contrahentes habentes domicilium in Provinciis fœderatis velint contrahere in regionibus Catholicis, seu vicissim velint contrahere in Provinciis fœderatis, cum habent domicilium in regionibus Catholicis, nihil de illis decernitur. *Constitut. Matrim. Bull. Tom.* 1. *n.* 34.

Denuntiationes Matrimoniales ut non sine gravi causa dispensentur ab episcopo, mandat Pontifex Constit. SATIS VOBIS Bull. *Tom.* 1. *num.* 35. In eo vero casu, quo fiat dispensatio, jubet ut nomina contrahentium, & fides celebrati Matrimonii a ministro deputato facta in libro secreto adnotetur, quem sigillis clausum servandum esse in Episcopali Cancellaria edicit. Si proles nascatur, ejus parentes, & fides collati illi Baptismatis in eodem libro adnotanda est; quapropter moneri jubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies a nativitate numerandos, moneant de his omnibus episcopum, & si secus fecerint, sciant occultum Matrimonium fore revelandum ab episcopo.

Matrimonio celebrato non præmissis denuntiationibus, nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si adsistat parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex Cap. *Cum inhibitum* §. *final.* a qua suspensione toto ex triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur, *in Tract. De synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 69. §.

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo, & pompa nuptiarum, ut ex Cap. *Capellanus de Feriis* monet Theologi, & notatur *Institut. Eccles.* 70. §. 5.

Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, & quidem potissimum benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur. *Institut. eccles.* 80. §. 7. Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit episcopus, nunquam licet benedictiones illas conferre. *ibid.* §. 2.

Immo, & tota Missa pro Sponso, & Sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est Missa de tempore. §. 11.

Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis, (quamquam illa sint de se licita) quia in Synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur: quare requiritur, ut episcopi facultas intercedat. *ib.* §. 4.

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt; ut ex sensu DD. Theologorum statuitur. *ibid.* §. 17. & 18. Quare licita est traductio Sponsæ ad domum viri, ut ex Congregat. firmatur. *ibid.* §. 21.

Matrimonia per Procuratorem contracta valent, ut communis est Theologorum, etiam post Tridentinum scribentium sententia. Quanquam cautius est, ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram parocho renoventur; quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. *De syn. Diœces. lib.* 13. *cap.* 23. §. 9. *nov. edit.*

De matrimonio vide Reiffenstuel. Tom. 2. *Tract.* 14. *Dist.* 13. 14. & 15. *per tot.*

MA-

Digitized by Google

MATUTINUM.

Matutinum non est segregandum a Laudibus sine causa, quæ optima suppetit Ecclesiæ, sejungenti Matutinum a Laudibus Nocte Natalis Domini. *Inst. Eccles.* 24. §. 9.

Peccat etiam venialiter, qui sina ulla legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma. *ibid.* §. 9.

Hora recitandi Matutini die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in Calendario Romano adnotatum est. *ibid.* §. 10.

MEDICUS.

Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet Confessarium, ut provideat de salute animæ suæ, ita præcipiente Concilio Lateranensi in Cap. *Cum Infirmitas De Pœnitent. & Remiss.* S.Pius V. in sua Constitutione 3. in Bullario Romano, jubet, ut Medicus ante omnia id moneat; neque tertio die ulterius illum visitet, si vocare Confessarium recusaverit. Transgressores Medicos incurrere pœnam infamiæ, & privationem omnium privilegiorum ejus Professionis. Mandat insuper, ut nemo deinceps Lauream Medicinæ obtineat, ni prius juret coram publico Notario, & testibus ejus Bullæ observantiam. Neque ab his servandis excusantur Medici ex consuetudine jam per longum tempus introducta, cum ob singulorum juramentum consuetudo ista induci non potuerit. Sufficit tamen si Medicus id moneat per alium virum gravem. *Instit. Eccles.* 22. §. 16.

Non tamen tenetur sub gravi monere ægrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus judicare possit periculum esse, ut evadat mortalis. *ibid.* §. 18. Consultius est tamen, ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum illud. *ibid.* §. 20.

Si tamen ægrotus renuat confessionem, & moribus sit adeo periculosus, ut desertus a Medico timendum sit, ne moriatur, docent tunc Theologi deserendum a Medico non esse, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque resipiscendi. *ibid.* §. 17.

Laici artem Medicam, vel Chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem; attamen *ad cautelam* petunt, & obtinent dispensationem si promoveri ad Ordines Sacros postulant; attamen ejusmodi Brevia non conceduntur, nisi prius audito Episcopo, cui injungitur, ut distincte referat casus omnes animadversione dignos eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat, cujus rei gratia orator ad Ordines Sacros promoveri poscat. *De Sinod. Diœcef. Lib.* 13. *cap.* 10. §. 4. *nov. edit.*

Sacros vero Ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum Ecclesiastico Beneficio, ex præscripto Sacrorum Canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc vero indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo Orator degit, & profiteri cupit vel sit pœne destitutus, vel non satis illi provisum sit ex Medico Laico, vel denique ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ab arte Clerici percipiendo. *ibid.* §. 6.

Regulares vero in Missionibus agentes privilegio donantur, ex Bulla potissimum Clementis XII. *Cum sicut*, ut possint exercere artem Medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt nisi in ea arte sint periti, & gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione, & adustione. Denique requiritur; ut non adsint Medici Laici, vel sint quidem, at hæretici, vel hebræi, ut ex Decreto Congreg. de propaganda Fide. *ibid.* §. 7.

Regulares ex instituti sui ratione Hospitalium curam, & administrationem obtinentes, Medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. *ibid.*

In prædictis indultis Apostolicis, Monachis, vel clericis concessis semper apponitur hæc limitatio *absque incisione, & adustione. ibid.* §. 8.

Clericis Sæcularibus Sacris Ordinibus insignitis si concessum fuerit indultum ut provideant familiæ indigenti; illud durat, quoad usque Orator certos Ecclesiasticos redditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio ne quid exposcat ab ægrotis, neque enim Ecclesiastico sæculari Medico prohibetur, ut sponte oblata recipiat, præterquam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere. *ibid.* Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant. *ibid.*

Porro indulta illa Ecclesiasticis, vel Regularibus concedi non solent, nisi prius audito episcopo testante de viri peritia in ea arte, & de indigentia Medici in ea Civitate, vel Oppido. Præterea exquiritur etiam pro Regularibus testimonium Superioris Regularis circa mores illius, qui indultum petit. Si vero non præmittatur testimonium episcopi, adhuc tamen Pontificii Brevis executio episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiorem se reddere tenetur. *ibid.* §. 9.

Chirurgiam vero exercere Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus longe difficilius conceditur, & tunc solum cum omnis omnino chirurgus laicus deest; quin & tunc sine adustione, & sectione. *ibid.* §. 11.

MEDITATIO.

Vide ORATIO.

MISSA.

Missæ Sacrificium est *Latreuticum*, & *Eucharisticum*, idest laudis, gratiarum actionis pro beneficiis acceptis; est *propitiatorium*, quo explantur peccata, non eo tamen modo, quo Baptismus, & pœnitentia, peccata remittentes per gratiæ infusionem; sed Deus intuitu hujus Sacrificii pœnitentiæ donum largitur, seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem, vel ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ utiliter consequendam. Quoad remissionem tamen pœnæ, abolita jam culpa, immediate illam remittit; remittit inquam illi pro quo offertur, ea tamen mensura, quæ Deo placuerit. *De Sacrif. Miss. Lib.* 2. *Cap.*

cap. 13. §. 17. Est denique *impetratorium* spiritualium, & temporalium bonorum. *ib.* §. 19.

An ejusdem sit efficaciæ a bono, sive a malo Sacerdote Missa celebretur? Respondendum est fructum provenientem ex opere operato nunquam minui, & si applicetur, semper operari, dummodo impedimentum nullum obest. *ib.* §. 20.

Alius est fructus, qui oritur ex universa Ecclesia offerente Sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia vero est semper sancta, pulchra, sine ulla ruga, aut macula.

Tertius tandem est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex majori, vel minori Sacerdotis sanctimonia minuitur, augeturve. *ib.*

Missæ fructus triplex est: *generalissimus*, cujus fideles omnes sunt participes; *Specialissimus*; quo Sacerdos fruitur: *Medius*, quem Sacerdos applicat pro iis, pro quibus Sacrificium offert. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 8. §. 1.

Materia Sacrificii Missæ est panis triticeus, & vinum ex uvis. Si vero magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, & permixtio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 10. §. 15. Nec post consecrationem novus liquor, & præsertim aqua, in Calicem infundendus est. *ib.* §. 16. Alioquin censet S. Thomas corruptionem Sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque Scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam Sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est; ex quo fit, ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie; quanquam si hoc fieret a Sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, & Sacramentum quidem, non vero Sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio. *ib.* §. 19.

Sacerdos verba Consecrationis proferens super panem, & vinum, sed extra Missam, valide quidem, sed illicite consecrat, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 11. §. 11.

In forma Consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, & defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, & verbum *est*. Item si loco vocis *hoc* dicatur *istud*. Invalidam si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est an invalida sit consecratio Calicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est Calix sanguinis mei*, cæteris omissis; ideoque si id forte contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini. *ib. cap.* 15. §. 15.

Sacerdos valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. Licite tamen ut celebret debet esse in statu gratiæ & a lethali peccato liber. *ib. cap.* 11. §. 1.

Alioquin duplicis culpæ reum se constituit conficiendo scilicet vel suscipiendo indigne Sacramentum, & infideliter sibi ipsi ministrando. *ib.* §. 2.

Vetat Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. *De Eucharistia*, ne Sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius Sacramentali Confessione expiatus, ad celebrandum accedat. *ib.* §. 3. Permittit tamen Sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia Confessarii: simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebravit quamprimum confiteatur. *ib.* §. 4. Atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum; *probet autem seipsum homo*. In casu vero urgentis necessitatis non satis est attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam Sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud vero præceptum, *ut quamprimum confiteatur*, verum est præceptum, & non consilium, nec ita intelligendum est, ut Sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Hæc omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur. *ib.* §. 5.

Urgens necessitas, de qua hic, ea censetur, si Sacerdos eo die non celebrans offensioni esset, & scandalo. Item si Parocho celebrandum est ad ministrandum Viaticum. Sunt qui addunt sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter Sacrificio indigens, quod tamen aliis, & merito, minus probatur, cum omnes animæ in Purgatorio Sacrificio indigeant. *ib.* §. 6.

Sed quid, si Sacerdos cœpta Missa recordetur peccati lethalis non expositi in Confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, Missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat, & sumat Sacramentum præmissa contritione, si succurrat grave peccatum, nondum pœnitentia deletum, elicito proposito satisfaciendi postmodum præcepto confessionis, & absolutionis. Si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quam Sacramentum conficere, & indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab Altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico Ministro, peccati gravis, inchoata Missa, recordetur, quæstio est anceps; sunt enim qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo Minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus. *ib.* §. 9.

Si ea die, tempore Missam præcedente, grave peccatum commissum a Sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, & confessus est, non decet Sacerdotem eadem ipsa die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immunditiies corporis adimitur. *ibid.* §. 11. Idem dicas de eo, qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad Sacrificium accedere, præsertim si menti tenacius inhæreant pravæ cogitationes. *ib.* §. 12.

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex Rubrica repetatur; quæ mandat, si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta Sacrificio, resumendum esse novum panem, & vinum cum aqua, & verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*,

retur, facta tamen prius utriusque oblatione. Sunt quidem qui putent sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non servaretur*, quæ altera est ex duabus causis, ex quibus Rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare Rubricæ parendum. *ibid. cap.* 15. §. 2.

Si vero post Consecrationem sumpta jam hostia cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem; tuncne nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda? Id utique censet S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII. Rubricas Missalia legitur in illis expressum: si Missa celebretur in loco publico coram multis ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, & facta oblatione consecretur, statimque sumatur. *ibid.* §. 3. 4. &c.

Defectus si occurrat in pane, & vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, Missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset Missæ audiendæ, quo in casu posset Sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Missæ non pertinerent, & benedictionem populo impertiri. *ib. cap.* 15. *num.* 9.

Si aqua infusa Calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim; si post consecrationem, Missa peragenda est. *ib.* §. 10.

Si musca vel aranea in Calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, & novum apponatur. Si post consecrationem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, & comburatur; & ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita ex D. Thoma. *ib.* §. 12.

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem quod prius servandum est; si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, & tamdiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, & aliud vinum consecretur, ut ex D. Thoma. *ib.*

Vinum acescens non est adhibendum in Missa; si tamen id fiat, conficitur Sacramentum; nec peccant Regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum Superiores, ut ex Quarto, & Merato adnotatur. *Instit. Eccl.* 77. §. 2. Vinum, quod ex aqua conficitur botris super injecta, quale a Latinis priscis lora, seu lorea dicebatur, ineptum est ad Sacrificium, ut ex Theologis firmatur. *ib.* 2. 4.

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto, & aquæ æquali, vel fere æquali quantitate conficitur, ut ex Theologis. *Institut. Eccl.* 77. §. 6.

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admixtum; est enim vinum usuale. *ib.* §. 7.

Si guttæ vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratæ, & abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censentur consecratæ, & per secundam purificationem adsumantur. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 17. §. 7.

Generatim monet S. Thomas in dubiis num aliquid omissum in Missa sit; vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate Sacramenti, illud iteretur, & reliqua omnia ex ordine deducantur. *ib. cap.* 15. *num.* 16.

Cum novi Sacerdotes cum Episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecraturos eodem momento, quo Episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante, sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus formæ remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum Episcopo, atque ita una cum eo consecrent: ex quo fit, ut si non ita jungant sua verba cum Episcopo, non consecrent; cum non habuerint intentionem consecrandi. *ib. cap.* 16. §. 6.

Sacerdotes Missam cum Episcopo celebrantes eleemosynam pro Sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit Missam modo consueto. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 16. §. 10.

Intentio applicationis Missæ sufficit si habitualis fuerit; est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multo ante intercesserit. *ib.* §. 8. Tempus applicationis num sit sufficiens post consecrationem ambiguum est. Præstat ut Sacerdos Missam applicet cum se ad eam præparat. *ib.* §. 9.

Beneficiatus, cui injungitur a testatore celebratio Missæ certis diebus non explicata applicatione pro se vel pro aliis, debet illis diebus Missam applicare pro Fundatore ejusdem Beneficii, ut S. Congregatio Concilii sæpius respondit. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 9. §. 2.

Idem dicas, si Fundator mandaverit orari pro se in Missa; nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur, aliam fuisse ejusdem Fundatoris voluntatem; ut si pluribus Capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. Congregationis. *ib.* §. 3.

Si superior Sacerdoti præceperit, ut Missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem Sacerdos inobedientiæ, sed applicatio a Sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister, & dispensator sui Sacrificii. *ib.* §. 4.

Missæ applicatio quoad Parochos. Vide *Parochus*.

Missa Conventualis in collegiatis quotidie celebranda est, & applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit si pro uno benefactore applicetur: neque satisfit si beneficiatus, seu canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare. Si vero præbenda beneficii tenuis sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus; quod si & distributiones, & præbenda tenuissimæ sint simul sumptæ, tunc recurrendum est ad Congregationem Concilii. Ita Pontifex in Encyclica ad Episcopos Italiæ incipiente CUM SEMPER Bull. *tom. I. n.* 103. Sufficit tamen prioris Missæ applicatio, etiamsi plures cantentur in collegiata. *ib. num.* 22.

Si Sacerdos sumpta purificatione animadvertat remansisse in corporali, vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva, illa absumantur, sicut & absumenda sunt fragmenta si quæ remanserint post distributionem Eucharistiæ in adstantes peracta Missa. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 17. §. 2.

Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna, seu parva, hæc post

sum-

fumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo, vel ponenda in patena, ut alteri Sacerdoti mox celebraturo reservetur: quod si fieri non potest absumatur. Ita ex Rubricis. *ib.* §. 4.

Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si cum vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius quam digito redigatur ad oram calicis, præstat, ut mediante novo vino hauriatur. *ib. lib. 3. cap.* 17. §. 1.

Sacerdoti in sacristiam jam rest tuto post Missam, & nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta si quæ adverterit remansisse in patena. Si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio reponendum est in tabernaculo, si adsit, sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex S. Thom. *ib.* §. 5.

Peccaret graviter Sacerdos, si hostiam in Missa consecratam teponeret in tabernaculo, & ejus loco sumeret hostiam, quæ in eodem tabernaculo antea continebatur. Ita ex Canone *relatum de consecr. distinct.* 11. *ib.* §. 8.

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret, si populum doceret, ne miraretur; si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum, qui censent posse tunc extrahi e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte ibi adest, & adhibere illam ad elevationem. *ib.* §. 9.

Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter Sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem, & consecrationem, illicite quidem id fieret, sed cum moraliter præsens esset Sacerdoti, valida esset consecratio, quod verum est etiamsi quando consecravit, actu de particulis non cogitaret. Moralis vero præsentia ea dicitur, cum ita præsens est, ut verificari censeantur illa verba formæ *Hoc* vel *Hic. ib. cap.* 18. §. 1. & 3.

Si particulæ afferantur ad Altare post peractam oblationem, non debet Sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi parata ad recipiendam Eucharistiam, alias careret Sacramento; tunc vero Sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre. Cœpto jam Canone si afferatur particula non est consecranda, neque pro dando Viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si Sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret. *ib.* §. 5.

Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad Altare, nec Sacerdos illam advertit, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitet de pyxide, tunc utique si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse Sacerdos consecrare, alioquin enim censeretur voluisse illud, quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint DD. qui contrarium censent, cum tamen in Sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem relicta probabili, adeo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed adservandas, ut in alia Missa sub conditione consecrentur, satis constat. *ib.* §. 6.

Si celebranti sint præsentes undecim hostiæ, & ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex Rubricis discimus. Quare debet Sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quidquid ante se positum est. Ex quo intelligitur Sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare. *ib.* §. 7.

M ssam b s eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest, etiamsi Parochus sit, nisi saltem Episcopi licentia accedat; quæ tamen datur ob causas singulares, non tamquam privilegium. Ita Pontifex in Bulla DECLARASTI Bull. *tom. II. num.* 3.

Sacerdos, qui sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea præsumitur voluntas Fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam, ut ex Cap. *Significatum de Præbendis;* non tamen potest, qua die vacat, sacrum agere, & alicui attribuere, percepta eleemosyna. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 22. *num* 4.

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere, applicando uni fructum medium, alteri specialissimum, & contrariam sententiam proscripsit Congregatio S. Officii, ac dein Alexander VII. Propos. IX. inter damnatas. *ib.* §. 5.

Sacerdos, qui Beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia id negans, & Decreta S. Congregationis Concilii non apparent. *ib. cap.* 22. §. 7.

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem Beneficii, quod demonstret Testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio Sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro Testatore, ut ex Decretis S. Congregationis. *ibid.*

Missæ in Altari privilegiato celebrandæ semper debent esse *de Requiem*, nisi cum aliud festum duplex, vel Dominica dies occurrerit, tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi Missæ de festo agantur. Perinde est autem sive Altare illud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada. Si igitur Testator jusserit celebrari sibi Missas in certis hebdomadæ diebus ad altare privilegiatum, & in dies istos incidat aliquod festum duplex; satisfit Testatori cum M ssa de festo. Idem dicas de diebus, in quibus duplex quidem non currit, sed Missæ pro defunctis vetantur. Hæc omnia ex Decretis variorum Pontificum; quorum postremus est Clemens XI. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 23. §. 8.

Missæ Altaris Privilegiati debent esse *de Requiem*, nisi cum inciderint in diem in qua Missæ illæ celebrari non possunt, sive ratione festi duplicis, sive alia quacumque. Ita ex plurimis Pontificum Decretis. *Inst. Eccl.* 34. §. 27.

Missæ privatæ de Requiem celebrandæ non sunt in festis duplicibus, & Dominicis diebus, sicut nec infra octavas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, prima die Quadragesimæ, tota Hebdomada sancta, Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Pentecostes; denique ex Decretis Sacræ Congregationis infra octavam Corporis Christi, & Natalis Domini, sicut nec cum expositum est Venerabile Sacramentum. *ib.* §. 28.

So-

Digitized by Google

Solemnes, & cantatæ pro Defunctis Missæ quæ die a Testatore præscriptæ sunt, & illa sit vere annua illius obitus, celebrari possunt etiamsi Officium sit de duplici majori, vel minori. Ita ex decreto S. Congregationis. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 23. §. 5.* Non vero in Dominicis, & festis de præcepto, nec in iis, in quibus nec de duplici agi potest. *Inst. Eccl. §. 5. num. 24. & seq.*

Præsente corpore canitur quidem Missa pro Defunctis *exceptis tamen duplicibus primæ classis*. Quæ verba sunt Decreti S. Congregationis Rituum die 5. Julii 1698. attamen non satis constat an id vetitum sit in omnibus duplicibus primæ classis, & non tantum in magis solemnibus. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 23. §. 5.*

Dies tertia, septima, & trigesima, quæ habent Missam cum oratione propria in Missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas. *ib.*

Si Parochus duas regit parœcias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius sacerdos, potest duas Missas eodem die celebrare. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 5. §. 1.* Debet tamen Episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic vero unicus est casus, in quo bis celebrare liceat: neque enim fas est Sacrificium tepetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam Principum, aut Episcopi, qui die Festo Missam non audierint, nec alius adsit Sacerdos; neque enim hæc est tanta necessitas, quanta requiritur in cap. *Consuluisti de celebrat. Missarum.* Item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quæ differri alia die non possint. Tunc enim celebrari possunt nuptiæ sine Missa, & benedictiones in sequentem diem transferri. *ib. lib. 3. cap. 5. §. 3.*

Sed quid si ministrandum sit Viaticum infirmo? Profecto si Sacerdos jam Missam absolvit, tunc utpote non jejunus, licet ei rursus celebrare. Si Missam non absolvit potest necessitati illi providere, dando partem hostiæ suæ. Si vero Sacerdos Eucharistia quidem, non vero ablutione percepta moneatur de Viatico infirmo ministrando, tunc utique potest aliam Missam celebrare. *ib.*

Cum alicujus forte Ecclesiæ Capella tam multas Missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit S. Congregatio Concilii, ut quæ superfunt in aliis Altaribus ejusdem Ecclesiæ celebrentur; injunxitque simul, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re moneantur, scripta tabella in loco visibili Ecclesiæ exposita. *De synod. Diœces. lib. 7. cap. 7. §. 5.*

Quamvis a Sacra Congregatione sæpius decisum fuit in Oratoriis publicis sitis intra fines Parochiæ juris non esse parocho, prohibere ne Missæ celebrentur ante Missam parochialem: si tamen Episcopus in synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a Missa parochiali, & concione, constitutio illa valet, & Episcopo parendum est. *De synod. Diœces. lib. 7. cap. 70. §. 7.*

MISSA celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut & prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII. *Inst. Eccl. 12. §. 4.* Jus habet Episcopus vetandi etiam sub pœnis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex Decretis Sac. Congregationis firmatur. *Instit. Eccl. 68. §. 12.*

Nemo ignotus sive sæcularis, sive regularis admittendus est ad celebrandam Missam, nisi adductis testimonialibus, iisque visis, & approbatis ab Episcopo; idque præcipi posse ab eodem Episcopo, saltem quoad Sacerdotes regulares exteros, etiam regularibus censuit Congregatio. *Instit. Eccl. 34. §. 4. de synod. Diœces. lib. 7. cap. 41. §. 5.*

Tridentinum *sess. 23. cap. 4.* monet Episcopos, curent ut Sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem Dominicis, vel Festis solemnioribus Missam celebrent. An committant peccatum grave Sacerdotes illi, si monito Tridentini non se submiserint, quæstio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui nunquam per annum Sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitæ corruptæ; & pareret scandalum. *De Miss. Sacrif. lib. 3. cap. 1. §. 10.* Tenetetur etiam celebrare, ut ægroto Viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. *ib.*

Missam quotidie celebrare melius est quam ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optime præstet Sacerdos si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo quod ad spiritum Ecclesiæ propius accedit qui quotidie Sacramentum recipit. Addendum quod munus sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque ejus opus Ecclesiæ utile; & ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum, Sacerdoti, ut plurimum, quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiæ. Nec obstat minor fervor, cum illum persæpe patiamur inviti. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 2.*

In Oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, die Natalis Domini, fas est tres Missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex Decretis S. Congregationis. *De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 4. §. 8.*

Episcopi quamquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam, ut in Oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum Oratorium habere, & permittere aliis sacerdotibus, ut in eo celebrent, ut ex Decretis S. Congregat. *De Sacr. Miss. lib. 3. cap. 6. §. 2.*

Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest, etiam absente Episcopo; atque ibi audientes Missam quicumque fideles præcepto Ecclesiastico satisfaciunt. Denique quod hic dicitur de Episcopis valet etiam pro Cardinalibus non Episcopis. Animadvertendum est tamen valere hæc pro Oratoriis Episcopi in suis domibus in quibus certus, fixusque locus est assignatus. *ib. lib. 3. cap. 6. §. 6.*

Si Missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in Oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo Capellanorum in Castris, eorum etiam qui per infidelium regiones iter faciunt, & etiam in littore maris respectu navigantium. *De Sacrif. Miss. lib. 3. c. 6. §. 7.*

Ut celebretur Missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto, ac tuto*,

ro. Non conceditur autem, nisi cum conditione, ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem adsistat celebranti alter, vel Sacerdos, vel Diaconus. *ib.*

Sacerdos Missam celebrans etiam in necessitate dandi Viatici infirmo absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia, neque enim urgeε Viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. *ib. lib.* 3. *cap.* 7. §. 1.

Idem dicas, si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo, & si desint, in necessitate saltem e sevo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali Libro, in quo sit saltem Can. Hæc ex DD. *ib.* §. 2.

Peccat etiam Sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. *Proposuit de filiis Presbyterorum.* Si tamen sit ministrandum Viaticum, potest Sacerdos sine Ministro Missam celebrare, & sibi ipsi respondere. Alias præstat omittere Missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. *ib.* §. 3.

In templo polluto celebrans Sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex Cap. *Is qui de sentent. excom. in* 6. nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa; quin nec desunt, qui credant eum minime peccare si adsit Episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eodem Capite. *Is qui. ib.* §. 4.

Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis, vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus aut altaria quædam singulis hebdomadibus Missa carerent. *De Sacrif. Miss. lib.* 9. *num.* 8.

Si conferens eleemosynam Missæ tempus præscripserit ob causam, quæ differri non possit, sacerdos non servans illud tempus, deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere. *ib.* §. 6.

Sacerdos onus habens Missæ quotidianæ, unicam tantum Missam applicare cogitur in Festo Natalis Domini. An vero Parochus itidem teneatur tres ejus diei Missas pro populo applicare, nunquam decisum a S. Congregatione reperitur, tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die Missas celebrare. *ib.* §. 9.

Sunt qui doceant die Commemorationis Defunctorum cessare onus Capellaniæ quotidianæ, adeoque integrum esse Capellano ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare. *ib.* §. 9.

Canonici in Cathedralibus, & Collegiatis, qui juxta præscriptum Rubricæ certis quibusdam diebus plures Missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus, nunquam a S. Congregatione decisum est. *ib.* §. 9.

Eleemosyna pro Missis a Regularibus celebrandis in eorum Ecclesiis, taxanda est ab Ordinario loci, ut ex Decreto Sac. Congregationis. *Institut. Eccles.* 56. §. 10.

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab Episcopo taxatam exigere non possunt Sacerdotes tam sæculares, quam regulares; nam debet dari quædam proportio inter id quod datur, & quod accipitur; hanc autem proportionem definire ad Episcopum spectat; quare justitiam commutativam lædit ille sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, & petens minus accipere, quanquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in *synod. Diœcesf. lib.* 5. *cap.* 2. & id quod postremo dixi, confirmat ex Decreto Congregationis Concilii lato in una S. Severini *die* 16. *Julii* 1689.

Missarum stipendia, si quæ accepta sunt pro curanda celebratione Missarum, retineri non possunt, parte tantum eorumdem tradita sacerdoti celebranti, etiamsi para illa contineat consuetam eleemosynam. Secus qui fecerit, si laicus fuerit, incidit ipso facto in excommunicationem Pontifici reservatam; si clericus, vel sacerdos in suspensionem itidem reservatam. Const. QUANTA CURA Bull. *tom.* 1. *n.* 22. Vide & *Inst. Eccl.* 56. §. 4.

Vetitum est accipere novas Missarum eleemosynas iis, qui veteres habent satisfaciendas, *dummodo*, ut legitur in Decreto Urbani VII. *infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit S. Congregatio Concilii esse unum mensem. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 24. §. 14.

Si Ecclesia, & loca pia careant redditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro Missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius Missæ ut ex Decreto Urbani VIII. certum est. Sed ex pluribus Decretis S. Congregationis eruitur detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in Missis perpetuis: tunc autem videndum est num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, & num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri Missarum.

Sive autem Ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua Ecclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus Ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis qui omnino ibi celebrare volunt, nec Ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 24. §. 13.

De eleemosynis receptis pro Missis sacristæ regulares tenentur illas ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet Superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatus, ac dein de satisfactione earumdem Missarum tenentur reddere rationem coram Patribus discretis, ut ex Dec. Urbani VIII. ab Innocentio XII. confirmato constat. *Inst. Ecc.* 71. §. 19.

Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 24. §. 2. Vide *Instit. Eccl.* 34. §. 19.

In Missæ celebratione ne quis Episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia voluit Innocent. XI. in sua encyclica apud La-Croix *lib.* 6. *p.* 2. *num.* 401. idque pariter locum habere in parvo pileolo ex Theologis docetur *Institut. Eccl.* 34. §. 14. Gito tamen capillitio, vulgo *girello* a uti

uti passim etiam Romæ Sacerdotes ibidem notatur: *Eadem Inst. Eccl.* §. 4.

Annulum etiam in digito gerere dum Missa celebratur cujuscumque dignitatis nemo potest, vetante S. Rituum Congregatione. *Ibid.* §. 15.

Nec licet etiam Prothonotariis non participantibus adhibere in Missa instrumentum argenteum cum candela, ut ex Decreto apud Monacellum. *Ibid.* §. 17. quod etiam Superioribus Ordinum Mendicantium, & Parochis vetuit S. Congregatio, cujus literæ hic referuntur §. 16. Quin & juxta decreta Alexandri VII. Abbatibus Regularibus consecratis id non licet, nisi in Missa solemni, cum Pontificalibus utuntur, ut ex Decretis S. Congregationis. *Ibid.*

Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistenti. *Ibid.* §. 18. ut ex Decreto S. Congregationis Rituum. *Ib.*

Missæ privatæ feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto prohibentur non decretis tantummodo Sacræ Congregationis Rit. sed etiam edicto Clementis XI. die 14. Maji 1712. *Institut. Eccl.* 38. §. 9.

Novus Sacerdos in celebratione primæ Missæ vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes, potest tamen se vertere ad Altare, & ibi eas accipere ex Decreto Sac. Congregationis. *Instit. Eccl.* 56. §. 7.

Sacerdos in alia Diœcesi celebrans Missam non potest nomen episcopi sui nomini episcopi illius Diœcesis substituere, ex Pouget, & Mersto *De Sacrif. Miss. Lib.* 2. *Capite* 17. §. 4.

Sacerdos die Natali Domini non tenetur ex præcepto tres Missas celebrare, sed potest unicam. *De Sacrif. Miss. Lib.* 3. *Cap.* 4. §. 5.

Missa cantata in eo distinguitur à solemni, quod cantata fit cum cantu chori, sed unico Ministro assistente; solemnis vere habet adjunctum Diaconum cum Subdiacono; idcirco si testator mandet cantari sibi aliquam Missam non requiritur Diaconus, & Subdiaconus. *Institut. Eccles.* 105. §. 119.

Commentitia est distinctio inter Rubricas præceptivas, & instructivas. *De Sacrif. Miss. cap.* §. 3. sed omnes sunt præceptivæ, aliquæ autem ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligant. *Ibid.*

Nulla urgente causa leve peccatum est celebrare Missam privatam non recitatis Matutino, & Laudibus. At si de Missa Conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum, & Laudes eam celebraret, (nempe ante eam partem Officii in Choro celebratam) Sicut & peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo, & quasi animo statuisset numquam Missam celebrare Matutino cum Laudibus recitato. *Ibid.* §. 4.

Nemini licet ab Altari recedere cœpta Missa, relicto alio Sacerdote, ut reliqua suppleat; ut statuitur in Canone *Nullus Episcopus de Cons. dist. I.* Quod ibi vetatur sub pœna suspensionis, quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ, nec locum habet, si Sacerdos ante consecrationem ab Altari sine causa recesserit. *Ib. cap.* 14. §. 2. ubi id definitum a S. Congregatione asseritur.

Si contingat, ut Sacerdos dum Missam celebrat subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat; vel hoc accidit ante consecrationem, nec tunc opus est Missam ab alio continuari; si vero post consecrat o tem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est Missa, & quidem ex præcepto, a Sacerdote initio inde sumpto, ubi alter sacerdos desierit; & si prior ille Sacerdos adhuc vivat, & capsa sit Sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia Sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut in Rubricis Missalis. *ibid.* §. 4. & 5.

Sacerdos Missam suppleturus præstare id potest si alius non adsit, etiamsi non sit jejunus, quin etiam si in statu gratiæ non versetur, tunc enim quærendus ab illo est Confessarius, & si non reperiatur, eliciendus actus contritionis, atque ita comparatus Missam perficiat. Ac si neque conteri posset, neque Missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia & calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex Rubricis, & DD. *ib.* §. 7. & 8. Ex hoc conficitur quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, & calia dari non potest. *ib.* §. 6.

Si sacerdote Missam celebrante violetur, vel polluatur subito templum ante incœptum Canonem, Missa intermittenda est; eo vero incœpto perficienda, ut ex Rubricis. *ib.* §. 12.

Si dum celebratur incidat subito irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem deferenda est Missa; post consecrationem sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, & abire, nisi forte in casu, quo Christianæ Religionis hostes in contemptum ejusdem Religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. *Ib.* §. 13.

Superveniente excommunicato non tolerato, Missa, si nondum perventum est ad Canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, nec possit abigi, deferenda est; post consecrationem perficienda. Sed sumpta communione reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti. *ib.* §. 14.

Rite pariter interrumpitur Missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizandum infantem morituram, qui alioqnin sine Baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret, vel etiam ad Extremam Unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, & cum redierit resumenda Missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *ibid.* §. 15.

Si recitato jam Evangelio, & symbolo superveniat vir Princeps, laicus, seu Ecclesiasticus, qui Missam die Festo non audierit, negant plures DD. posse ex integro Missam resumi. *ib.* §. 16.

Innocentius XIII. in Romano Concilio Præfectos Regularium monuit, ne in taxanda pecuniæ summis pro Missis perpetuis sexaginta scuta Romana definirent non excedendo, nec minuendo. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 22. §. 9.

Missæ S. Gregorii, quæ a S. Congregatione olim prohibitæ sunt, erant quædam Missæ peculiares, ineptiis refertæ. Cæterum triginta Missas continuatas juxta consuetudinem a sancto Gregorio inductam non vetuit, quas tamen celebrare debet sacerdos juxta ritum Ecclesiæ; quare tribus diebus

ma-

majoris Hebdomadis intermittendæ sunt. *ibidem Cap.* 23. §. 3. *& Instit. Eccles.* 34. §. 21.

Episcopus potest quidem visitare Parochiales Ecclesias Regularium, sed num possit etiam recognoscere de oneribus Missarum, an sint impleta, requisita fuit S. Congregatio, & nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere num Parochus Regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi episcopo in Visitatione, *De Synod. Diœces. Lib.* 13. *Cap. ult.* §. 5. *nov. Edit.* Fas est tamen episcopo visitare Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium erectas, & Altare, si illis incumbit onus manutenendi, & onera Missarum, ad quæ Confraternitates illæ tenentur, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 6.

Si Testator Missas reliquerit quotannis celebrandas in Ecclesiis Regularium, & hæredi suo permiserit, ut designet Sacerdotem, per quem celebrari debeant non possunt Regulares exigere, ut unus ex suis designetur, quin & præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis Ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustratoriæ, ut ex responso Sacræ Congregationis. *ibid.* §. 7.

A mandatis, & monitoriis &c. per quæ retardetur executio provisionum, & statutorum pro Divino cultu conservando, & augendo; præsertim circa Missæ celebrationem, ad executionem Decretorum Tridentini *Sess.* 21. *de Ref. Cap.* 8. *& Sess.* 22. *in Decret. de Observan. & evitand. in celeb. Miss.* ne recipiantur in Tribunali actus Judiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est a Pontifice in Bulla AD MILITANTIS Bull. *Tom. I. num.* 48. §. 6.

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem Missæ, non sunt obligandi Sacerdotes, si Parochi, seu episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in Altari, ubi SS. Eucharistia adservatur extra Missam. Encyclica ad episcopos Italiæ CERTIORES EFFECTI. *Bull. Tom. I. n.* 64.

Missam auscultare diebus festis in quacumque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis, cuicumque fideli, ut præcepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, monstrat. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 64. §. 10.

Sacerdotes sæculares in ecclesiis Regularium illorum Missam legere vetantur, sed utendum est illis Romano Missali, ita tamen, ut possint de Sancto, de quo Regulares illi agunt officium, Missam recitare, eam desumendo ex communi Missalis Romani, ut pro Capellanis, & Confessariis Monialium decrevit S. Congregatio Clemente XI. Decretum approbante, *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 23. §. 1. *& Institut. Eccl.* 34. §. 20.

Missarum onera a Fundatore Beneficii præscripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relicti decretum subierint; non enim posse ab episcopo reduci Missas semper tenuit Sacra Congregatio Concilii. Facultas vero ad hoc data in concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Ref. cap.* 4. ut episcopi possent Missas in testamento, vel dispositione inter vivos adsignatas reducere in Synodo Diœcesana, & Generales Ordinum in suis capitulis Generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus Missarum im positis ante concilium Tridentinum, & de reductione facienda in Diœcesana Synodo, vel capitulo proxime post expletum Concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. Congregatio. *De synod. Diœces. Lib.* 13. *cap. ult.* §. 18. *nov. edit.*

Modo insuper non licet episcopis &c. id præstare in suis Synodis &c. qoia id vetuit Urbanus VIII. & Innocentius XII. in sua Constitutione, de qua *ibid.* ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera antequam acceptentur ab iis, ad quos pertinet, uti definitum est a S. Congregatione. *ibid.* §. 19.

Cum datur Episcopi facultas reducendi *pia legata, & Missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius Dispensationis constat nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera Missarum. *ibid.* §. 22.

Si aliqua dispositio Missarum onera, & alia pia opera comprehendat, & ob tenuitatem redditiuum reductio aliqua facienda sit, reducenda esse prius reliqua opera, quam numerum Missarum censuit Sac. Congregatio. *ibid.* §. 13. Quamquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis alia fuisse mens Fundatoris deprehenderetur. *ibid.* At si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit, ex amplatione Induiti Concilii Romani sub Benedicto VIII. vel ex instructione quadam erudita a S. Congregatione, & res fuerit, ut vel numerus Missarum vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad S. Congregationem concilii. *ibid.* §. 34.

Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi Missæ, quarum celebrationi ecclesia &c. per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata Constitutione. *ibid.* §. 34.

Si Testator Missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas, & in eum finem hunc, vel illum fundum addixerit, & fundus ille diminuatur, ut non sufficiat ad consuetam Missæ eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est hæres, ut suppleat quod deest; præsumitur enim Testator semper voluisse hunc Missarum numerum in favorem animæ suæ. Porro si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, & postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab hærede. Si vero dispositio illa incipiat a designatione fundi, & subinde descendat ad onera Missarum, tunc utique particula est *taxativa*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est hæres, ut suppleat. Quæ omnia exprimi solent in Instructione, de qua supra, *ibid.* §. 32.

Si Testator mandet hæredi dare fundum legatario, ut ex ejus redditibus celebrentur Missæ; hæres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex DD. & Decisione Rotæ coram Cerro. *ibid.* §. 33. Si vero Testator mandasset hæredi, ut tot præstaret fructus sufficientes ad injunctam Missæ celebrationem, & ipse fundum idoneum dedisset, si fructus ille dein deficiat, supplendus est ab hærede. *ibid.*

In reductione Missarum perpetuarum per ampliationem Concilii Romani facienda, stabiliri solet eleemosyna sexaginta scutorum monetæ Romanæ; quoad Missas vero cantatas assignanda est elee- mo-

mosyna consueta pro iis Missis in qualibet Diœcesi vigens, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 34. At si celebrandæ sint simul aliquot Missæ cantatæ, & aliquot privatæ, nec sufficiant redditus, erogandi sunt illi in celebratione Missarum privatarum, deleto onere Missæ cantatæ, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.*

At si reductio fiat ab Episcopo vigore facultatis in Instructione contentæ, statuendum est, ut Missæ celebrentur, non quidem ea eleemosyna, quæ ex Indulto Concilii Romani præfixa est, sed ad rationem eleemosynæ manualis in Diœcesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsis instructionis. *ibid.* §. 35.

Si Episcopus ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi Missas in sua Diœcesi, potest etiam reducere pro Regularibus, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, si ad illum recurrant. *ibid.*

De Missa vide Reiffenst. agentem Tom. 2. Tract. 14. *Distinct.* 4. & 5. *per tot.*

MONIALES.

Monialium professio religiosa ante decimum sextum ætatis annum expletum, & exactum annum novitiatus emissa, irrita est ex Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 15. *De Synod. Diœces. Lib.* 13. *cap.* 12. §. 1. *nov. Edit.* Excipiuntur tamen mulieres, quæ Pœnitentes, aut Convertitæ appellantur, cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt non obstante Conciliari Decreto de Monialium Professione, ut ex Decreto S. Congregationis Concilii. *De Synod. Diœces. Lib.* 13. *cap.* 12. §. 1. *nov. edit.*

Hæc Conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quæ usa Privilegio bimestris post conjugium, Religionem ingreditur, & quanquam id cedat in incommodum illius, qui in sæculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam conjux Religiosa anno probationis exacto professionem emittat. *ibid.* §. 2. Quin & accidere potest, ut biennium expectandum illi sit, si conjux Religiosa anno probationis fere exacto Religionem mutaverit, & in ea novam probationem instituerit.

Si novitia Ordinis Prædicatorum in mortis articulo Professionem emiserit ante expletum annum probationis, quod ex Bulla S. Pii V. illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori Bulla Gregorii XIII. qua professio ante expletum annum probationis irritatur, ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non vero ad vindicandam Monasterio dotem, & reliqua bona professæ, ut ex sæpius decisis a S. Congregatione Concilii. *ibid.* §. 6.

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utrinque juramento de contrahendo, & consummando Matrimonio, potest ante initum conjugium Religionem ingredi juxta illud: *promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat, Cap. Pervenit de Jurejur.* Et definitur in Cap. *Commissum de Sponsal.* quamvis ibi dicitur tutius esse si ineat Matrimonium, tum Religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non infirmabant aliam promissionem, nisi de conjugio celebrando, non vero de celebrando & consummando, uti nunc ferunt. *Ibid.* §. 8.

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri Religionem approbatam ingredi, & per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. Hæc tamen valent pro veris, & approbatis Religionibus, in quibus tria vota substantialia emittunt, ut est etiam Ordo Equestris Hierosolymitanus, non vero ceteri equestres Ordines, ut ex Tridentino *Sess.* 24. *de Matrimonio Cap.* 6. & traditis a DD. *Ibid.* §. 9.

Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier Religionem ingredi, (idem de viro dixeris) & in ea profiteri; si tamen & alter conjux consentiat in Religionem ingredi si junior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis. Si vero ab alterutro, vel revocetur consensus libere præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam, si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux Religiosus eo petente egredi e Religione tenetur, ut definitur in Cap. *Praterea de Convers. Conjug.* Can. *Quia Agatho* 27. *Q.* 2. Cap. *Cum sis de Convers. Conjug. Ibid.* §. 10. 11.

Non vero sufficit, si, muliere Religionem ingressa, alter conjux non senex sacros Ordines suscipiat, ex Const. Joannis XXII. *Antiquæ* tit. *De Voti redemptione.*

Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad Religionem, tunc integrum viro est in sæculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita decisis a S. Congregatione. *ibid.* §. 15.

Quin & in eo casu, si ex episcopi testimonio constet virum in Sæculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post Uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex resolutis a S. Congregatione. *ibid.* §. 16.

Concessum est etiam aliquando indultum viro sexagenario majori, ut Sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. *ibid.* Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet Sacros Ordines, & uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incolerent.

In ingressu Monialium in Monasterium, dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in Religionem, sed pro contractu, quem facit Religio eum illa, quæ ingreditur, obligans sese ad ejus sustentationem. Si vero Monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit Monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quanquam id agendum non est, nisi prius consulta S. Congregatione Concilii. *De Synod. Diœces. Lib.* 7. *cap.* 58. §. 6.

Quoad prandia, cœnas, & munera, quæ ab ingrediente Moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V. Extrav. 1. *De Syn. Diœces. Lib.* 7. *cap.* 58. §. 6.

Modum tamen imponendum sumptibus apparatuum, & comessationum, ac pomparum, quæ fiunt in ingressu Monialium censet Pontifex, ut-

sus opportune hac in re doctrina Navarri in *Tract. de Reddit. Eccles. in fin. prim. quæst. ibid. n. 7.*

Moniales Regularibus subjectæ ex Tridentino *Sess. 25. de Regul. cap. 5.* Ordinario loci tamquam Delegato subjiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans Gregorius XV. in Constitutione sua *n. 18.* statuit Confessarios eorum Regulares ab ipsis suis Superioribus deputatos pro confessionibus Monialium ab Episcopo approbandos esse. Eidem etiam Episcopo reddendam esse rationem ab iis, qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam Superioribus Regularium, qui si renuerint, tunc id præstet per se Episcopus. Datur etiam Episcopo auctoritas præsidendi una cum Superiore Regulari, cum Antistites Monasterii eliguntur. Denique conceditur Episcopo, ut si Regulares forte in ordine ad clausuram del[illegible]rint, puniat illos, & corrigat usque ad censuras. Alexander VII. in sua Constitutione 153. concedit Superioribus Regularibus jus ingrediendi septa Monasterii earumdem Monialium semel quotannis occasione visitationis. Sæpius vero ex causa urgenti vetuit ne ingrederentur nisi præsente Episcopo, vel alio Ecclesiastico, ab eodem deputato. *Instit. Eccles. 29. n. 4. 5.* Contraria quoad hæc omnia consuetudo etiam immemorialis a S. Congregatione sæpius reprobata est. *ibid. §. 7.* &c.

In visitationibus Monasteriorum Sanctimonialium, non tenetur Episcopus denuntiare illis diem, & horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem Regularem ejusdem Ordinis. *ibid. §. 18.* Potest etiam Episcopus Monialibus Regularibus subjectis sacram Eucharistiam ministrare, si ipsæ velint. *ibid. §. 9.*

In Monasteria Monialium introduci pueros, & puellæ tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente. *ibid. §. 24.*

In electione Abbatissarum, quæ præsint Monasteriis Regularibus subjectis, tenentur Regulares monere Episcopum, si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex Constitut. Gregorii XV. *n. 18.* quibus debet Episcopus manifestare suam voluntatem. At potest Episcopus in Synodo generaliter edicere velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem. *De Synod. Diœces. Lib. 5. cap. 12.*

Monialium transitum de uno ad aliud Monasterium, cum Monialibus ultra montes concedit Summus Pœnitentiarius, qui tamen facultatis hujus executionem Ordinarii arbitrio committit. Bulla PASTOR BONUS Bull. *Tom. I. num. 95. & 36.*

Translatio Monialium ab uno ad aliud Monasterium fieri jure nequit, nisi de licentia Romani Pontificis, nisi exigente aliquo repentino casu, in quo rei necessitas exigat repentinum egressum; tunc enim etiam pro Monialibus Regularibus subjectis, præter facultatem Prælati Regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla S. Pii V. DECORI ET HONESTATI.

Casus repentini indicantur in eadem Bulla, magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiæ, sive pestis. *De Synod. Diœces. Lib. 9. cap. 15. nov. edit.*

Non licet autem absque facultate Sedis Apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possint occurrere casus alii, qui videantur æquipollere iis, quos S. Pius V. in sua constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua Monialis ex qua prudenter timeri possit periculum scandali, & perversionis aliarum. *ibid.*

Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios Monasteriis sibi subjectis, quibus tamen sic oblatis non tenentur Moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si vero aliqua Monialis graviter ægrotet, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit ordinarius Monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. Si vero Superior Regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab Episcopo. Quin etiam si aliqua Monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium Confessarium ab Ordinario diversum, debet illi dari a suo Superiore. Quod si Superior Regularis id renuerit, tunc potest Episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius Ordinis Regularem, vel etiam Sacerdotem Sæcularem ex approbatis a Superiore ad Confessiones Monialium. Demum suadentur Superiores earumdem Monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete, & ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius Ordinis Regularis, vel Sacerdos Sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper, ut Confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium audiendas. Postremo si Superiores Regulares non saltem semel in anno elegerint in Confessarium extraordinarium, vel Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem alterius Ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad episcopum. Hæc oblatio Confessarii extraordinarii bis, vel ter in anno, sicut & cætera omnia, quæ superius præscripta sunt præstari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent Confessarium. Hæc omnia ex variis S. Congregationis decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla PASTORALIS CURÆ Bull. *Tom. II. num. 56.*

Quoad censuras, seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ vel in dispensando aliquo occulto defectu Major Pœnitentiarius Confessarium Monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ a Monialibus, vel ab aliis quibuscumque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius Ordinarius supplicarit, & casus a Congregatione super Episcopos & Regulares ad pœnitentiarium delatus fuerit. Bulla PASTOR BONUS Bullar. *Tom. I. n. 75. §. 37. & 38.*

Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis Monialibus, vitæ communi minime repugnant, sed requiritur, ut omnia manibus Præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentiis illius Monialis, in cujus gratiam collatæ sunt; & si quid reliquum, in cæterarum levamen erogetur. Ita ex pluribus decretis, *De Synod. Diœces. Lib. 13. cap. 12. § 19. nov. edit.*

Ingressus in Monasteria Monialium, quæ Regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi,

pi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII. *ibid.* §. 23. in quo etiam decreto statuitur, licentias Moniales illas alloquendi petendas esse ab Episcopo, non vero a Superiore Regulari.

MONS PIETATIS.

In Montibus Pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, *nisi Apostolicæ Sedis dispensatione*, ut ex Decreto S. Congregationis Concilii in causa Neapolitana *die* 7. *Februarii* 1737. *De Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 48. §. 2. Sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis plus exigi potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro substentatione ministrorum, ut ex alio Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 2. Si vero plus exigatur, quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur Episcopus moderari istas usuras; tutius est autem quod consulat de hac re Sacram Congregationem. *ibid.* §. 3.

Vide Tom. I. Tract. 8. dist. 4. *n.* 28. 29. *& seq.*

MULCTA.

Mulctas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. Congregationis evincitur in *Tractatu de Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 53. §. 2. sed debent in usus pios expendi. Multo magis non possunt nisi in pios usus applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit Clericis non residentibus, aut concubinariis. *ibid.*

Si quas vero mulctas Diœcesana Synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint pauperes, quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. *ibid.* §. 3.

Has vero mulctas antequam applicentur suæ destinationi deponendas esse penes administratorem fidelem jussit S. Congregatio in sua Encyclica ad omnes episcopos, die 5. Februarii 1670. *ib.* §. 4.

NEGOTIATIO.

Constitutiones adversus Clericos negotiatores innovantur, & extenduntur ad Clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad Clericos devoluta, sive hæreditario jure, sive quocunque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi Clerici, qui per seipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab iis acquisita pœnis in Constitutione Pii IV. quæ incipit *Decens esse*. quæ est 19. inter Bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Cameræ Apostolicæ comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex Constitutionibus Pii IV. *Romanus Pontifex*, & Pauli V. *In eminenti* illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit, atque declarat in Const. *Apostolicæ servitutis*, quæ est XIII. *Tom. I. Bullarii.*

Negotiatio tamen impropria non est Clericis interdicta, ut e. gr. manuum suarum labore, & honesto artificio victum sibi comparare, quod & Apostolus Paulus suo exemplo docuit, & a SS. etiam Monachis præstitum est. *De Synod. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 49. §. 2.

Licitum est etiam Clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut & eas, quas coemerunt ad familiæ suæ substentationem; quæ si superfuerint possunt vendere carius quam emerint intra limites tamen justi pretii. *ibid.*

NUNDINÆ.

Nundinæ a mercatis sedulo distinguendæ sunt; nam illæ semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo eo conveniunt populi. Mercatus vero est quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariæ, & fiunt singulis hebdomadis, concurrentibus populis e vicinis. Posteriores isti si incidant in festum de præcepto, transferendi sunt. Priores vero non sunt; quamvis apothecæ ea die claudendæ, sicut nec contractus fieri oportet, Matutinis, & Vespertinis horis quibus divina Officia in Ecclesia celebrantur. Ita pro Ditione Ecclesiastica jussit Benedictus XIV. in Const. AB EO TEMPORE Bullar. *Tom. I. num.* 144.

OBLATI MONASTERIORUM.

Oblati, & qui Donati appellantur, quamvis non sunt Religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem, & usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in Monasterium, sunt personæ Ecclesiasticæ, gaudent privilegio Fori, & immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum ut subtrahantur ab jurisdictione episcopi requiritur, ut actu inserviant suæ Religioni, ut late docet Pontifex. *De Synod. Diœcef. lib.* 6. *cap.* 3.

OBSTETRIX.

Debent obstetrices diligentius examinari a Parocho, num sciant ea, quæ necessaria sunt ad S. Baptismum conferendum. Tunc autem si baptizaverint, in Templo supplendæ sunt cæremoniæ, non tamen iterum sub conditione iterandus est Baptismus indiscriminatim, ex eo quod ab obstetrice, aliisve similibus tinctus est puer, sed inquirendum numquid aliquid necessarium omiserint. *Instit. Eccles.* 8. §. 6.

OFFICIUM DIVINUM.

In Recitatione Divini officii pro aliqua morali difficultate dispensanda, commutare potest major Pœnitentiarius. Bulla PASTOR BONUS Bull. *Tom.* 1. *num.* 95. §. 30.

Digitized by Google

ORATIO.

Indulgentiæ jam concessæ pro orantibus seu vocaliter, seu mentaliter confirmantur in Bulla QUEMADMODUM. Bull. *tom.* 2. *num.* 23.

Qui rudes homines pie orandi, seu meditandi exercitationem docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quoties lucrantur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenas, dummodo vere pœnitentes sint ac Sacra Communione refecti. Constit. QUEMADMODUM Bull. *tom.* 2. *num.* 23. Item qui id præstiterint assidue, semel singulis mensibus, vere pœnitentes, & Sacra Communione refecti, & pro consueto Indulgentiarum more orantes, plenariam Indulgentiam animabus etiam Purgatorii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis potest, qui quotidie toto mense uno saltem horæ quadrante orationi mentali operam dederint, dummodo sint vere pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti, & oraverint pro concordia &c. Quapropter suadet Pontifex ut episcopi injungant singulis præcipuarum Ecclesiarum Præpositis in Civitatibus, & singulis parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanæ sonum invitent fideles, sive ut in Ecclesiam ad hoc exercitium conveniant, sive ut id privatim in domibus suis præstent.

Vide Tom. I. Tract. V. num. 59.

Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis degunt & se credunt contritos, quamvis non sint. Eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti, ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecentur, ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem qui nec dolent de peccato, nec enituntur ut e statu illo exeant; imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale, vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez. *Instit. Ecclesiast.* 62. §. 10.

ORATORIUM PRIVATUM.

Non obstante Decreto Clementis XI. fas est episcopis Altaria erigere, ibique celebrare, vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis, vel itineris, vel hospitio ibidem recepti *Constit.* 48. Bull. *tom.* 3. *pag.* 377.

Indultarii, coram quibus celebrari potest Missa in Oratoriis privatis, sunt illi qui nominantur in fronte, seu in inscriptione Brevis: illis non præsentibus, Missa celebrari non potest. *ib.*

Si tamen in corpore Brevis nominatur aliquis coram quo Missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu inscriptione Brevis, adhuc tamen eo præsente Missa celebrari potest.

Sacramentum Pœnitentiæ vetitum est ibi administrare, vel ab ipsis pariter Regularibus. *ib.* §. 20. Communio sacra non potest hic administrari, nisi accedat episcopi licentia. §. 23.

Vide Tom. 2. *Tract.* 24. *Distinct.* 5. *Append.* 1. *post num.* 36.

ORATORIA PUBLICA.

Nullum jus assistit Parocho, ne in Oratoriis publicis intra suam Parœciam Missa celebretur ante absolutam Missam Parochialem ex decretis S. Congregationis. *Instit. Ecclesiast.* 44. §. 11. Potest tamen id vetare Ordinarius, *dummodo tamen Missa in Ecclesia Parochiali hora opportuna celebretur*. Quæ verba sunt Decreti S. Congregationis. *ib.* §. 12.

In Archiepiscopatu tamen Bononiensi, si Oratorium publicum distet a Parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio, onere tamen injuncto Capellano annunciandi Festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut & Catechismum, ac Doctrinam Christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII. in encyclica ad Episcopos Italiæ data anno 1735.

ORDINES.

Ordinem verum esse novæ Legis Sacramentum ex consensu Theologorum omnium, & Concilii Tridentini definitione *Sess.* 23. *cap.* 3. certum est. Id vero Sacerdotio convenire una est omnium Theologorum Catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de Episcopatu, quamvis diversum non esse Ordinem a Sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De Diaconatu quamquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam Theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

De cæteris singularibus Ordinibus disceptant Theologi, quamvis de Subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne Sacrilegii crimine in suis Synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra Ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra Missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De Syn. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 24. *per totum.*

De materia hujus Sacramenti dubietas intercedit (de Sacerdotio, Episcopatu, & Diaconatu res est) num in Instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat? Quin & de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso Congregationis censet Pontifex, ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. *De Synod. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 25.

In denunciationibus, quas plerique episcopi Ordinationes sacras inituri per Archidiaconum suum præmittunt, sua scilicet non esse intentionis, illos ordinare, qui irregularitate, cæterisque Canonicis impedimentis tenentur; unicus plerumque est scopus, ut sic vitiatos deterreant, serio tamen volunt quemlibet sibi propositum con-

Digitized by Google

fecrare. Neque enim censendi suot vel gravis pec cati se reos statuere, plane contrariæ voluntati iofistendo. Commitaurus enim gravem culpam, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen Pontifex præstare, ut ea denunciatio omittatur, atque intra fines edicti, quod in Pontificali Romano habetur, Episcopi sese contineant. In eo enim edicto sub excommunicationis pœna præcipitur, ne quis canonico detentus impedimento accedere audeat. *Ibid.* §. 26. Vide etiam de hac quæstione *de Sacrif. Miss. Lib.* 3. *cap.* 10.

Sacri vero Ordines intra Missarum solemnia nec ab alio, quam ab episcopo Ordinante celebranda, conferendi sunt, ut reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui alio Sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen ordinatio. *De Synod. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 26. §. 5. & 6.

Beneficium, ad cujus titulum Ordines conferuntur, debet tantum ex redditibus ferre, quantum sufficit ad Clerici sustentationem honestam, juxta taxam ab episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen Missarum, saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero Clericus ordinetur in loco domicilii, & beneficium obtineat in alia Diœcesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam Synodalem loci, ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat juxta ac statuit Innocentius XIII. in sua Constitutione *Apostolici Ministerii*. Hæc omnia *De Synod. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 72. §. 2.

Ordines sacri conferendi sunt, primario titulo Beneficii Ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum Pensionis, vel Patrimonii ex Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 2. *de Ref.* Nec nisi concurrat necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit Sacra Congregatio Concilii in Encyclica *die* 13. *Maji* 1679. jussu Innocentii XI. exarata. *Institut. Ecclef.* 26. §. 2.

Ad ordines conferendos censet Pontifex *ex Conc. Trid. Sess.* 23. *de Ref. cap.* 2. non esse positum in arbitrio episcopi, ut Ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus; nam Concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant, & arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam Latinæ linguæ. *Inst. Eccl.* 42. §. 2.

Quoniam vero ad sacros Ordines requirit Tridentinum *ibid. Can.* 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, & administranda Sacramenta; ideo Subdiaconatui convenit ut præcedat annus integer studii, sive Theologiæ moralis, sive Scholasticæ, sive Juris Canonici. Biennium vero ad Diaconum ordinandum, triennium ad Sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in Theologia morali tantum studuerit contractus, cambia &c. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. *Ibid.* §. 2.

Ordinum Sacrorum interstitia dispensare etiam quoad Regulares, non quidem ad eorum Præsules, sed ad episcopum Ordinantem spectat, ut ex responso S. Congregationis. *Instit. Ecclef.* 58. §. 1. Quamquam ab Episcopo deferendum sit judicio superiorum regularium, ut ex aliis Decretis Sac. Congregationis. *ib.*

Quoad clericum sæcularem Episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt. Cum ordinandus provectior sit ætate, & simul etiam maxime provectus in studiis. Seu tandem cum agitur de parœcia, seu alio beneficio exigente intra annum Ordinem sacrum, ut ex DD. *ib.*

Ceterum si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ; permissa est tamen ista dispensatio arbitrio Episcopi, ut Innocentius XII. in sua resolutione die 4. Decembris 1693. in ejus Bullario. *ib.*

Si quis obtinuerit privilegium a Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in Brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo Sedis Apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit Decretum Sac. Congregationis Concilii, decipiens dies festas accipiendas esse pro festis de præcepto. *Inst. Eccl.* 106. §. 6.

Ordines minores conferre non licet nisi mane diebus Dominicis, & festis duplicibus *de præcepto*, quod postremum additum est Pontificali Romano ex nova correctione Urbani VIII., cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus*; quare non licet ordinare initiandos diebus duplicibus, sed non festis de præcepto. *Inst. Eccl.* 106. §. 3.

Si quis recipiat ordines minores, eademque die subdiaconatum, incidere in suspensionem vi Decretal. *in cap. de eo, qui furtive ordines susc.* Doctores quidam censent, quamquam alii negant. *Inst. Eccl.* 106. §. 8. Verum est tamen id agere, ut ex pluribus Decretis S. Congregat. firmatur. *ibi.*

Si clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille confessario suadenti, ut differat susceptionem sacri ordinis, acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem, & doctum virum consulat, a quo remedia petat, & consilium. *De syn. Diœcef. lib.* 11. *cap.* 2. §. 17. *nov. edit.*

Ordines minores collati ab Abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valide. Si vero conferantur ab Abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, & quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis S. Congregationis. *De syn. Diœcef. lib.* 2. *cap.* 11. §. 13.

Cum regularibus faciliorem se præbere potest Episcopus in ordine ad examen, ut ex Salmantic. *Theol. Moral. tractat.* 8. *cap.* 5. *dub.* 2. *pun.* 2. *numer.* 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest

ro in tota Diœcesi Episcopi approbantis, ut ex Decretis S. Congregationis. *ib.* §. 13. Ex consuetudine tamen Parochi civitatis confessiones audiunt in Diœcesi, & viceversa. *ib.* §. 13.

Si Parochus beneficium renunciet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi Doctorum. *ibid.*

Parochus habens redditus tenues, & populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur. Ita ex Decr. S. Congreg. Concilii. *Inst. Ecc.* 94. §. 7.

Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occulte adhærere, assistere matrimonio non potest; quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens. Ita *de synod. Diœcesf. lib.* 6. *cap.* 7. §. 6. *&* 7. *nov. edit.*

Parochus ad residentiam materialem, & formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis S. Congregationis a Gregorio XIII. approbatis. *De syn. Diœcesf. lib.* 13. *cap.* 19. §. 2. *nov. edit.* Idque verum est, licet Sacerdotem idoneum provideat, ut se absente, ejus vicibus fungatur. *ib.* Fas est equidem parocho propter inimicitias, & persecutiones a residentia recedere ex textu Cap. *Ad supplicationem de renuntiat.* quia tunc periculum inimicitiarum soli parocho imminet; quare potest alium Sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. At in peste omnibus æque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a parocho, quam ab alio Sacerdote. *ibid.* Quæ de parocho dicta hic sunt, valent etiam pro Episcopo.

Parochus tempore pestis & eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, ut adnotatum est V. *Pœnitentiæ Sacramentum*; sed & Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus Sacerdos, vel parochus, ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum pœnitentiæ uni, non superesset spatium, ut aliis morituris pœnitentiæ Sacramentum administraretur; vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset, & sic populus destitueretur Sacerdotibus, ut ex doctrina Suarii. *De synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 18. §. 19. *nov. Edit.*

In ordine ad Extremam Unctionem ex doctrina ejusdem Suarii tunc tenetur parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali vitæ periculo. *ibid.*

PATRIMONIUM.

Constitui non debet Patrimonium in industria Clerici, ut si sit Musicus, Magister &c. ut respondit S. Congregatio in una Seguntina mense Octobris 1589. Sicut nec institui potest in bonis mobilibus, & semoventibus, ut respondit S. Congregatio Concilii die 29. Novembris 1670. *Institut. Eccles.* 26. §. 7.

Patrimonium admissurum se profitetur Benedictus XIV. dum erat tantum Archiepiscopus Bononiensis, in Capellania amovibili, dummodo Patronus obligasset fidem suam nunquam ab ordinato removendi illam Capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive Beneficium, sive Patrimonium, & idem Patronus, vel alius se pariter obstinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si forte impediretur a celebratione Missæ. *Ibid.* §. 11.

Idem admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur. *Ibid.* §. 12. Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo Patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera, & inalienabilis absque licentia Ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis Sacr. Congregationis. *Ibid.* §. 13. Curandum est tamen ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato. *Ib.* §. 14. dummodo etiam absit omnis pactio tacita, vel expressa facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio Patrimonii facta a patre respectu filii, cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii. *Ibid.*

Si quis fictum esse patrimonium suum sciat, & nihilo secius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex Can. *Neminem*, & Can. *Cunctorum Distinct.* 70. & ex decreto S. Congregationis an. 1610. Si vero id nesciat, sciat autem Ordinarius, & tamen ordinet, Ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere ex vi eorumdem Canonum, & sensu S. Congregationis Concilii §. 16.

Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex Decretis S. Congregationis. *Ibid.* §. 28. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate Ordinarii, ut ex similibus Decretis. *Ibid.* §. 29. Nec tandem obligari possunt bona Patrimonii, adeo ut si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quæ alimentis ordinariis superfluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad hæredes. Ita ex Decretis S. Congregationis. §. 30.

Denique ordinati ad titulum Beneficii, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui Beneficio resignando adjacet, & concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex Decretis S. Congregationis. *Ibid.* §. 30.

PATRONUS.

Patronus Ecclesiasticus tenetur præsentare ad Beneficium Curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab Examinatoribus ex vi Tridentini *Cap.* 18. *Sess.* 24. Episcopus non debet inquirere super prælectione facta a Patrono, nisi forte ali-

aliquis fuerit inter approbatos, qui reclamet super electione facta a Patrono, quasi elegerit minus dignum. Ita in epistola ad Archiepiscopum Florentinum. *Bull. Tom. 2. num. 4.*

Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad Beneficium curatum, ut ex S. Thoma 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *ad* 3. aliisque Theologis firmatur. *Inst. Eccles.* 7. §. 8.

Patronus si promiserit conferre alicui Beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine &c. non obligatur servare quod spopondit, tum præsertim eum nondum beneficium vacat. Ita ex S. Th. *Inst. Eccl.* 23. §. 8.

POENITENS.

Pœnitens, vel quicumque alius, qui falso denunciaverit Judicibus Ecclesiasticis se esse ab aliquo Confessario sollicitatum, incurrit reservationem Apostolicæ Sedi reservatam. Bulla SACRAMENTUM POENITENTIÆ, Bull. *Tom.* 1. *n.* 20.

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtineat, sed quænam sit illa attritio non satis liquet, potest enim esse eum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, & remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis: potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ei peccata odio habeantur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ, & pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto; vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab Episcopo in Synodo sua monet Pontifex, suadet tamen, ut doceantur Confessarii æquum esse hortari pœnitentes ad veram, & perfectam contritionem, quod & in Rituali jussu Paul. V. edito monetur. *De Synodo Diœcesf. lib.* 7. *cap.* 13. *per totum.*

Moriturum, qui, antequam incidat subitus ægritudinis gravia casus, signa contritionis exhibuit, & postquam supervenit Confessarius, nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior, & tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute; hæc enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus, & ambigua contritionis signa præbuit. *De Synod. Diœcesf. lib.* 7. *cap.* 15. § 8. *nov. edit.*

Si vero ex nullo testimonio constet illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse, & petiisse Confessionem, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus Christiane vixerit: nam acta Christianæ vitæ totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, & contritionem exhibuerit: & nisi sint præsentes actus pœnitentis, per vitam illam antea Christiane actam, præcessisse dicendi essent, & tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum præmissa. *De Synodo Diœcesan. lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 10. *nov. Edit.*

Sunt qui etiam velint, etiam iis non negandam absolutionem sub conditione, qui licet male vixerint, tamen catholicam fidem retinuerunt, & pro catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxior videtur. *Ibid.* §. 13.

Pœnitentiæ Sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se præstare Episcopus, cum ille agat per Parochos, ut causa universalis per particulares, sed parochus omnino tenetur, quod & ratio suadet, & Decreta Sac. Congregationis approbata a Gregorio XIII. declarant; quamquam administrare illud possit aut directe per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati; nam si parochus omnino per se id agere deberet; cæteri parochiani morbo non affecti nollent tunc a parocho recipere Sacramenta, eo quod sibi metuerent. *De Syn. Diœcesf. lib.* 13. *cap.* 19 §. 7. *nov. Edit.*

Vide Tom. 1. *Tract.* 14. *Dist.* 6. 7. & 8.

POENITENTIARIA.

Pœnitentiarii facultates dirigit, & ad certas leges extendit & reformat Benedictus XIV. in sua Bulla PASTOR BONUS. Bull. *Tem.* 1. *num.* 95. Eas vero sic dirigit. Absolvere potest omnes quoscumque, tum ab omnibus criminibus, tum ab omnibus censuris etiam latis in Bulla Cœnæ, ubi recepta est, Regulares quidem in utroque foro, cæteros in foro conscientiæ. Quamquam etiam cæteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis a jure, & Apostolicæ Sedi reservatis; quin etiam satis nominatim ab homine si jam expiraverit jurisdictio Judicis, qui sententiam tulit, seu quando ab illo remissa est absolutio ad sanctam Sedem, vel si censuris illis innodati fuerint impediti, ut adeant eos, a quibus de jure deberent absolvi.

Absolvit etiam hæreticos dummodo occultos, etiamsi in hæresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci a nemine visi, vel notati fuerint.

Publicos etiam hæreticos, & apostatas absolvit in foro conscientiæ in casibus, in quibus non est necesse denunciare complices; nempe quod illi obierint, vel degant in Regiminibus palam infectis, non tamen in iis, in quibus viget Officium S. Inquisitionis.

Non absolvit Principes, & alios jus Imperii vicario nomine habentes &c. Episcopos, & alios superiores Prælatos in casibus publicis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ubi recepta est.

Non absolvit eos, qui astrologia judiciaria vel per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, seu de vita, & morte Romanæ Pontificis viventis exquirunt. Reliqua vide in eadem Bulla, quam hic in Appendice referimus.

Va-

Vacante Pastore Ecclesiæ Romanæ, major pœnitentiarius, cujus officium tunc non vacat, absolvere potest quæcumque ad forum conscientiæ pertinent, etiam ab iis censuris in foro tamen conscientiæ, a quibus vivente Pontifice non posset, ita tamen, ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum Pontificem.

Quoad forum externum vacante Sede Apostolica nihil potest S. Pœnitentiaria, nisi tantum in ordine ad regulares apostatas, ut dictum est V. *Regulares*.

Demum in eodem casu potest absolvere a censura publicos violatores Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis, cum reincidentia tamen, ut supra. Hæc omnia Pontifex in Bulla PASTOR BONUS Bull. *tom. I. num.* 95. §. 52.

Potest etiam Monialibus Confessarios deputare, ex approbatis tamen ad Moniales audiendas.

PESTIS.

Pestis tempore quid agi liceat, vel secus circa administrationem Sacramenti Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi; quæstio est inter DD. anceps, in qua nihil certi decernitur. *De syn. Diœcef. lib.* 13. *cap.* 19. §. 19. *nov. edit.*

In ordine ad administrandam Eucharistiam non esse omnem Ecclesiæ ritum servandum, qui modo ab Ecclesia præscribitur, docet Muratorius in tractatu de peste, sed ab Episcopi judicio expetendum esse, quid a singulis præstari possit, ut minus periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata Vicarii Apostolici Juliæ Cæsareæ. *De syn. Diœcef. ib.* §. 26.

Tute posset Episcopus judicare tempore pestis, quod Eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent. *ibid.* §. 27.

Extrema Unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo quomodo fieri solet cum unus tantummodo sensus inungitur. *ib.* §. 29.

Licet autem judicio Episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium Oleo Sacro imbutum. *ib.* §. 30.

PIGNUS.

Quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari L. *Pupinus* §. *Eam rem ff. Quæ res pignori* &c. Quare res Ecclesiæ, & etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa, & accedente licentia Sedis Apostolicæ, vel Episcopi respectu mobilium minoris pretii vendi possunt. *Institut. Eccles.* 69. §. 5.

PRÆCEDENTIA.

Parochus loci, ubi aliquis obiit, cadaver associans semper habet præcedentiam supra alios quousque est intra limites parœciæ suæ. *Institut. Eccl.* 205. §. 54.

PRECES PUBLICÆ.

Principes sæculares si petant ab Episcopo ut preces publicæ indicentur pro necessitate status, id utique potest, & debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine Principes Episcopali auctoritate neglecta indicere illas vellent. Encyclica ad omnes Episcopos QUEMADMODUM PRECES. Bull. *Tom. I. num.* 82.

PROCESSIO.

Ad processiones solemnes cogi non possunt clerici nullum beneficium, vel Officium Ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices Presbyteri. Beneficium vero etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit S. Congregatio, cujus Decreti occasione ponderatur, nihil hic decerni de clericis non beneficiatis, sed alicujus Ecclesiæ servitio addictis. *Inst. Eccl.* 1. §. 2.

Processiones prius fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani. *Institut. Eccles.* 68. §. 12. nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo, vel Clero videatur. *ib. ex eadem*.

Regulares instituere nequeunt processiones nisi intra, vel circum Ecclesias suas, nec Confraternitates, nisi intra Oratorium suum. Si vero velint per Urbem procedere, utique debent parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere. *Instit. Eccl.* 105. §. 51. Sufficis tamen licentia Episcopi etiam reclamante parocho, ut a Sacra Congregatione Rituum decisum est. *ib.* §. 52.

Processio in festo S. Marci, si incidat in ipsam Paschæ Resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam dies Paschæ ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum die 25. Septembris 1734. *Institut. Eccles.* 28. §. 3.

PROFESSIO REGULARIUM.

Judicia de nullitate professionis quomodo instituenda sint? Vide V. *Regulares*.

QUÆSTUATIO.

Græci quantumvis exhibentes testimoniales de adhæsione sua Romanæ Ecclesiæ, adhuc tamen ex Decreto Innoc. XI. prohibentur quæstuare, & facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter Congregatione jubentur Episcopi ad se recipere, & ad eandem Congregationem de propaganda Fide transmittere. Insuper Clemens XII. in suo Brevi mandavit pecuniam ita a Græcis collectam, & alicubi depositam sequestrari ab Episcopo, & ad eandem Congregationem transmitti. *Inst. Eccl.* 75. §. 1.

REUS.

Reus juridice interrogatus in judicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Pontifex in

in ſua Bulla PATERNA CARITAS Bull. *Tom.* 3. *num.* 24.

REGULARES.

In probanda nullitate Profeſsionis regularis multa edicit nova Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione SI DATAM HOMINIBUS FIDEM Bullar. *Tom.* 2. *numer.* 47. Mandat igitur ſervari Decretum Tridentini, *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. quo vetantur audiri reclamantes contra Profeſsionem, niſi intra quinquennium a die profeſsionis reclamaverint. Confirmat etiam varia Decreta Congregationis Concilii ea de re edita. Mandat deinde, ut probationes non fundentur in extrajudicialibus atteſtationibus, ſed omnia juridice procedant. Inſuper citari, & audiri jubet tum defenſores Monaſterii, in quo habita eſt profeſsio, tum conſanguineos, ſive alios, qui bona profeſsi obtinent, tum etiam auctores, vel complices metus incuſsi (ſi ex metu prætendatur nullitas profeſsionis). Mandat ut in ſingulis diœceſibus ab ordinario deputetur defenſor profeſsionis, cui ſtipendium a judice definitum ſolvitur ſive ab iis, quibus bona profeſsi obvenerunt, & eorum defectu a Monaſterio, & eo impotente ex mulctis Tribunalis. A priori ſententia pro nullitate omnino appellandum eſt, nec ſine ſecunda ſententia licet Religioſo cucullum exuere.

Poſt quinquennium vero neceſse eſt a Sede Apoſtolica reſtitutio in integrum, pro qua obtinenda defenſor profeſsionis adſiſtat, ſemper tum proceſſibus inſtituendis ex vi commiſsionum, & ſuperioribus regularibus, & ordinariis locorum, tunc etiam cum dubium utrum concedenda ſit reſtitutio in integrum in S. Congregatione proponitur. Neque in ea conceſsione ſufficit unica ſententia favens, ſed duo conformes requiruntur. Hæc novo jure ſancit Pontifex, in ceteris conſueta judicialis praxis retinenda eſt.

Cum regularibus redituris ab apoſtaſia major pœnitentiarius diſpenſare, & commutare poteſt pœnas quomodocumque incurſas, & pœnitentias regulares obeundas, ſicut & abſolvere a cenſuris, cum reincidentia tamen, niſi ad tempus præfinitum redierint (irregularitate tamen uſque ad actualem reditum perſeverante.) Poteſt etiam illis concedere tranſitum ad alium ordinem. Nemini autem regulari permittat ut vivere poſsit in veſte ſæculari, ſeu clerici ſæcularis. Bulla PASTOR BONUS Bullar. *Tom. I. num.* 95. §. 38.

Tranſitum de una religione ad aliam etiam laxiorem poteſt major pœnitentiarius concedere; ita tamen ut reſtringat hanc ſuam facultatem tranſeundi ad ordines, in quibus regularis obſervantia viget, & in dubio atteſtatio ordinarii requiritur. Non concedit tamen tranſitum ad ordines Hoſpitalares, & Militares, quamvis ad ordinem S. Joannis de Deo facilius indulgeat; ſicut nec concedit tranſitum ad ordinem S. Benedicti antiquioris obſervantiæ, aut ad alias conſimiles Congregationes cujuſcumque ordinis fuerint. *ib.* §. 34. & 35.

Si regularis ante profeſsionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium ſuum denunciet, niſi poſt profeſsionem, expelli non poteſt, niſi aliter declaretur in conſtitutionibus ejuſdem ordinis, ut reipſa declaratum eſt in conſtitutionibus PP. Capuccinorum, in quibus religio *ad retinendum* ejuſmodi profeſſum *minime velle ſe eſſe obligatam exprimit*. An tunc vero profeſsus non dimiſsus a Religione poſsit ſponte abire, etiam illa repugnante, quæſtio eſt non adhuc a S. Congregatione definita. *De ſynod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 11. §. 4. *nov. Edit.*

Regulares pro apoſtatis habentur, ſi ſeſe nulliter profeſsos contendentes regularem habitum exuunt, & e clauſtris diſcedunt, nec unquam audiuntur cauſam ſuam defenſuri, niſi poſtquam redierunt ad Monaſterium. Ita ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Reg. de ſyn. Diœc. lib.* 13. *c.* 11. § 13. *nov. Edit.*

Inſuper non licet illis, ex inaniter præſumpta neceſsitate recurrendi ad ſuperiores ordinis, exire extra clauſtra ſine ſuperioris litteris, alioquin enim apoſtatarum pœnis per ordinarium loci puniantur. Ex Trid. *ib. cap.* 4. *ib.* §. 13. Hæc tamen intelligenda ſunt, quando recurrendi cauſa non eſt vere urgens, & gravioris momenti. *ib.* §. 14.

Vetitum eſt ſuperioribus regularibus, ne ſubditis ſuis facultatem faciant tranſeundi ad aliam Religionem, niſi non dubiis documentis conſtiterit illis, alterius Religionis ſuperiorem paratum eſſe ad eum recipiendum; atque ita res conſtitutæ ſint, ut tranſitus iſte recta fiat ab una ad aliam Religionem. Ita ex Decreto S. Congregationis Concilii ab Urbano VII. approbato. *ib.* § 14.

Tranſitus iſte, etiamſi agatur de apoſtata transferendo, fieri nequaquam poteſt ad religionem, in qua regularis obſervantia non viget; quin nec licet, ſi religio illa ſit militaris, aut hoſpitalaris, excepto ordine S. Joannis de Deo. Ita edixit Benedictus XIII. in ſua conſtitutione LICET SACRA. *ib.* §. 14.

Regularis in clauſtris non degens, ſi ab illis abſceſsit non præobtenta ſuperioris venia, vagaturque, etſi geſtet religioſa indumenta, & animum redeundi retineat, debet ab Epiſcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici, & ſuperioribus regularibus conſignari, ſecundum regulam puniendus, ut ex Decreto S. Congregationis Concilii ab Urbano VIII. confirmato. *ib.* Hæc tamen vera ſunt, niſi aliunde conſtet regularem illum ſe ſubtraxiſſe ab immoderata ſeveritate ſuperioris localis, ut recurrat ad alium ſuperiorem majorem. *ib.*

Regulares incorrigibiles expelli poſſunt ab ordine, quidquid vetera S. Congregationis decreta olim in contrarium ſtatuerint, ut ex novis Decretis ejuſdem Congregationis Concilii firmatur. *ib.* §. 16.

Incorrigibilis vero cenſetur, qui omnibus inuſtus eſt improbitatis characteribus in jure canonico ad id deſignatis. Debet præterea antecedere carceratio ſex menſium in pœnitentia, & jejunio, ac tandem ſententia Provincialis ejuſdem Provinciæ, conſultis tamen ſex aliis ex eadem Provincia religioſis, deſignandis in Congregatione Provinciali, confirmandiſque a ſuperiore Generali, cui reſervata eſt facultas iterum retractandi eandem cauſam, & priorem ſententiam revocandi. Ita ex noviſsimis Decretis Sac. Congregationis Concilii. *ib.* §. 16.

In

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum, & consuetudinum ejusdem ordinum formantur. *ib.*

Lata contra ejectos sententia notificanda est Episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis S. Congregationis. *ib.* §. 20.

Ita ejecti non possunt induere habitum religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio ordinum in religione susceptorum, nec potest ab ordinariis ea pœna relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis Sac. Congregationis. *ib.*

Si vero ex literis testimonialibus ordinarii constiterit spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad ordinem recipiendi sunt. Ita ex Decretis. *ib.*

Demum ita ejectus voto castitatis omnimode obstrictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso. Ita ex DD. *ib.*

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus religionis, ut ex Decreto S. Congregationis Concilii lato *die* 15. *Nov.* 1689. constat. *ib.* §. 31.

Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis, & ejectis, ut ex responso S. Congregationis Concilii. *ib.* §. 21. Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in ordine, dirimit matrimonium. Illi ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent patrimonio, vel beneficio. *ibid.* §. 23. Sunt tamen habiles ad beneficia, & ministeria Ecclesiastica obtinenda. *ib.* §. 16. Valent tamen hæc omnia in dimissis ante professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac regulares, in ordine ad ejectos. *ib.*

Vota castitatis &c. a Religiosis laicis Cistereiensibus emissa, solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari Decreto peculiaris Congregationis habitæ coram Benedicto XIV. *die* 27. *Martii* 1747. lato constat. *ib.* §. 28.

Si religiosus ob crimen aliquod damnatus fit ad triremes ad certum tempus, num ea absoluta pœna recipiendus iterum sit a religione, nondum definitum est a Sac. Congregatione, quamvis fuit consulta. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares. *ibid.* §. 30.

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes subsunt prævio examini ordinariorum, & approbationi, nec non visitationi, correptioni, & jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam curam pertinent. Const. QUAMVIS AD CONFIRMANDUM &c. Bull. *Tom. II. num.* 1.

Regulares sacros ordines suscepturi non tenentur ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficit si illas acceperint a superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi ordines a quocumque, nisi illud obtinuerint post Tridentinum, & ad illos pervenerit concessione directa, non vero communicatione privilegiorum de uno in alium Ordinem. Si hujusmodi privilegium non habuerint, ordinari debent ab Ordinario loci, in quo degunt, si ille sacras Ordinationes tempore legitimo sit habiturus. Si vero habiturus non sit, possunt Dimissoriæ a Superiore Regulari illis concessæ ad alium dirigi cum authentica attestatione Episcopi Diœcesani, ex qua constet ipsum Ordinationes habiturum non esse. Transgressores hujus sanctionis, qui Ordinationem ab alio suscepcrint, suspensionis censuram incurrunt. Superiores Regulares, qui Dimissorias concesserint, voce activa, & passiva mulctantur. Ita Pontifex in Bulla IMPOSITI NOBIS. Bull. *Tom. II. n.* 27.

Si vero Regulares tempore Ordinationibus proximo transeant ad alterius loci Monasterium, & post receptam Ordinationem ab Episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum Monasterium, videtur hoc quidem fecisse in fraudem, nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem. Ipsi ergo sibi consulant. *De Synod. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 43. §. 4.

Si Superiores Dimissorias subditis suis dederint, ut ab Ordinario quocumque Ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activæ, & passivæ, & dignitate, qua potiuntur. Ex Decreto Clementis VIII. *die* 15. *Martii* 1596. Quod Decretum non ita legitur, ut in multis editis, *pœnas incurrens*, sed *pœnas incurrunt*, quod infert pœnam latam, & non ferendam. *Inst. Eccles.* 23. §. 12. Num fruantur privilegio Ordinationum extra tempora, affirmandum esse videtur ex auctoritate Concilii Romani sub Benedicto XIII. *Tit.* 4. *c.* 2. *ibid.*

Regulares habentes privilegium posterius Trid. ut exempti sint ab Interstitiis, frui illo debent, nec possunt Episcopi illos eo nomine ab Ordinatione rejicere. Ita ex Decreto S. Congregationis *die* 23. *Augusti* 1686. *De Synod. Diœcef. Lib.* 7. *Cap.* 42. §. 6.

Regulares etiam exempti nequeunt exponere Sacramentum Eucharistiæ sine velamine in suis Ecclesiis, nisi ex causa publica ab Ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata Sacramentum velatum exponere in Tabernaculo aperto: dummodo tamen ab illo non extrahatur, ut ex Decreto S. Congregationis. *De Syn. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 41. §. 4.

Generatim vero jus est Episcopis cogere Regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis Mysterii & celebrationis Missæ præcipiendo consueverint. Quod ex Decreto Tridentini Sess. 22. *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ* eruitur. *ib.* §. 5.

Regulares tenentur parere Episcopo præcipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita imago sut nova Reliquia ab ipso non approbata, & inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex Decr. S. Cong. *die* 5. *Julii* 1700. *De Syn. Diœcef. Lib.* 7. *cap.* 41. §. 5.

Regulares puniri possunt ab Episcopo tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt Clausuram Monialium etiam exemptarum, & earum, quæ intra Monasterii septa degunt. *ibid.* §. 6.

Re-

Digitized by Google

Regulares non posſunt ſæcularium confeſſiones excipere *ſine licentia*, *gratia*, *& beneplacito Epiſcopi*, quæ verba ſunt Ext. Bonif. VIII. in Cap. *Super Cathedram de Sepulturis*, quod & confirmavit Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* ſed & fas eſt Epiſcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certaſque Perſonas, quin & ea parte revocare; contrariamque opinionem Alex. VII. die 3. Januarii 1659. damnavit. *De Syn. Diœceſ. Lib. 7. cap.* 42. §. 7.

Poſſunt tamen Regulares ab Epiſcopo approbati acciri ad domos ſæcularium ægrotantium, eorum confeſſiones auditurí, non petita a Parochis ægrotantium licentia; ſed de audita ægrotantium illorum confeſſione debent relinquere ſyngrapham, qua Parochus certioretur. Ita *ibid.* §. 8.

Regularibus Prælatis non licet monaſteria Monialium ſibi ſubjectarum ingredi, niſi ſemel in anno cauſa viſitationis; ſi autem neceſſitas urgeat, ut ſæpius ingrediantur, non poſſunt niſi cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, aut alterius Eccleſiaſtici ab ipſo deputati. Ita ex Conſtitutione *Felicis* 156. Alexandri VII. *de Synod. Diœceſ. Lib.* §. *cap.* 41.

Regularibus vetitum eſt alloqui Moniales etiam ſibi ſubjectas ſine licentia expreſſa non ſolum Superioris Regularis, ſed & Epiſcopi, ne vel ſemel quidem per ſpatium quadrantis horæ cum dimidio, ne vel pariter occaſione concionis ad Moniales illas habitæ, ne vel tandem ex cauſa quantumcumque honeſta, & pia. *Ibid. parag.* 7.

Regulares ſubduntur coercitioni Epiſcopi, ſi excipiunt confeſſiones ſæcularium ſine prævia Epiſcopi approbatione, ut ex Conſtit. X. Clementis X. Item non poſſunt inconſulto, & non approbante Epiſcopo audire confeſſiones Monialium ſui Ordinis etiam exemptarum ex vi Bullæ XVIII. Gregorii XV.

Regulares, nova Monaſteria, ſeu domus ne erigant, vetantur abſque Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcopi facultate, quamvis Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* ſolius Epiſcopi facultatem exprimit. *De Synod. Diœceſ. Lib.* 9. *cap.* 1. §. 9. *nov. Edit.*

Eſt tamen pro Monialibus in Ditione Hiſpaniei Regis Breve Urbani VI. ſuſpenſivum ejuſdem Conſtitutionis, ſed non valet extra Hiſpaniam. *De Synod. Diœceſ. lib.* 9. *cap.* 15. §. 9. *nov. Edit.*

Ad ſtatum Regularem tranſire poſſunt Presbyteri Eccleſiæ, vel Diœceſis ſervitio addicti, invito etiam Epiſcopo proprio; tenentur tamen, niſi aliquid obſtet illum conſulere. Ita in Epiſtola ad Card. Quirinum EX QUO DILECTUS Bull. *Tom.* II. *n.* 25.

Regulares extra monaſterium degentes, & Clericos Regulares quomodocumque exemptos in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, niſi habeant Judicem certum a S. Apoſtolica in partibus deputatum, coram Ordinariis locorum conveniri poſſe in prima inſtantia decrevit Pontifex in Bulla AD MILITANTIS Bull. *Tom. I. num.* 48. §. 41.

RESERVATI CASUS.

Ad ſolum Romanum Pontificem, Epiſcopos, & Prælatos inferiores habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum territorio ſeparato pertinet caſuum reſervatio, ex doctrina Concilii Tridentini, & Deciſionibus S. Congregationis. *De Synod. Diœceſ. lib.* 5. *cap.* 4. §. 11.

Quamquam reſervatio fieri poteſt extra Synodum, multa tamen ſuadent, ut potius in Synodo fiat; ideo præſertim, quia non deſunt Theologi eam Roncaglia tenentes, leges ab Epiſcopo latas extra Synodum eo ceſſante ceſſare, cum ea tantummodo, quæ in Synodo ſiunt ab Epiſcopo legis plenam auctoritatem obtineant. *ibid.* §. 3.

Actus mere internos, nec Summus Pontifex, nec Epiſcopi reſervandos ſibi unquam cenſuerunt. *ibid. cap.* 5. §. 5.

Regulares non ſolum reſervare prohibentur alia crimina, quam quæ in Decreto Clementis VIII. definiuntur, ſed nec poſſunt alia ab his diverſa crimina illigare cenſura reſervata, ut & firmat Pontifex ex Decreto quodam Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. *ibid. cap.* 5. §. 6.

RESIDENTIA.

Ad reſidentiam tenentur Epiſcopi, & Parochi, ut ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 1. *de Ref. & Seſſ.* 23. *cap.* 1. adeo ut quo tempore non reſident, non faciant fructus ſuos, ut ex Conſt. 91. Pii IV. Ex qua etiam Conſtitutione conſtat, ſi quo tempore illi non reſident, obierint, de redditibus Eccleſiaſticis diſponere nequaquam poſſe; etiamſi teſtandi facultatem obtinuiſſent. *Inſtitut. Eccleſ.* 17. §. 4. & 5.

Epiſcopi æqua, & rationabili cauſa poſcente ad duos, treſve menſes quotannis abeſſe a Diœceſi permittuntur; Parochi vero duobus Menſibus poſſunt quidem, ſed de licentia Epiſcopi, & relicto idoneo Vicario ab Ordinario approbando ut ex Trident. *Seſſ.* 23. *Cap.* 1. *de Reformat. ibid.* §. 7.

Nec ſine licentia Epiſcopi abeſſe poſſunt per hebdomadam, ſicut non ſufficit licentia tacita. Ac demum non eſt ſatis ad evadendas pœnas, ſi cauſa ſit evidens, & Epiſcopus non conſulatur, vel ſi conſultus neget; quamquam tunc poſſit fieri recurſus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improviſo diſcedere neceſſarium ſit, tunc poſt diſceſſum ſcribendum eſt ad Ordinarium. Ita ex Decretis Sac. Congreg. *ib* §. 11.

Pro Parochis tamen agreſtibus ſufficit licentia Vicarii Foranei, pro abſentia tamen modici temporis. Ita ex Dec. S. Cong. §. 12.

Si abeundum ſit duobus, vel tribus diebus non feſtivis, mos ſingularum Diœceſum tenendus eſt. Ita ex DD. Canoniſtis. *ibid.*

Ad excuſandam non reſidentiam non ſufficit acris intemperies. Si tamen Parochus ægrotaret, nec poſſet ibi ex defectu Medicorum curas, tunc ad quatuor menſes obtinere, poteſt ab Ordinario licentiam ſecedendi ad loca viciniora, Vicario idoneo interim ſubſtituto, ut ex Decretis S. Congregationis. *ib.* §. 15.

Nec excuſantur, ſi abſint, ex eo quod Parœcia diſtat tantum tribus, quatuorve milliariis a Civitate.

Nec etiam, ſi nocturno tempore ibi reſideant,

&

& celebrata summo mane Missa, rum reliquum tempus agant in civitate, relicto tamen idoneo substituto; idque præstent per majorem anni partem. Ita ex Decr. S. Congregat. Concilii. *ib.* §. 18.

SACRAMENTUM.

Sententia asserens in Sacramentis conferendis non requiri in Ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab Episcopis configenda est. *De synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 4. §. 9. Verum contraria tutior, & omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, & necessitas urgeat, Sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est S. Apostolica. *ib.*

SEMINARIUM.

Tenetur Episcopus providere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, item duorum de clero civitatis, quorum alterius electio ad clerum spectat, quæ omnia sunt ex *cap.* 18. *sess.* 23. Tridentini. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem, & disciplinam ejusdem seminarii; quanquam Episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur. *De syn. Diœces. cap.* 2. Ex pluribus S. Congregat. Decretis.

SEPULCRUM.

Sepulcra in Ecclesiis Confraternitatum haberi possunt, sed de licentia Episcopi, uti sæpe decisum a Sacra Congregatione. *Institut. Ecclesiast.* 105. §. 124.

Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in Ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a S. Congregatione. *ibid.* §. 124.

SIMONIA.

In Simonia contracta pro beneficio acquirendo major pœnitentiarius monetur, etiam in casibus occultis, & in foro conscientiæ, ne titulum ejusdem beneficii convalidet, nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissa, & Orator quamprimum id rescivit, dispensationem petierit, quod valet & in pensionibus in quibus Simonia realis scienter contracta fuerit. Bulla PASTOR BONUS Bull. *tom. I. n.* 95. §. 22.

Abstinendum est illi etiam a conditione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *ib.* §. 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere Ecclesiæ, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. *Instit. Eccles.* 11. §. 11.

Si quis poscat a S. Congregatione absolutionem a simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat*, *moneat*, & *restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti Ecclesiæ, vel pauperibus, restituat fructus perceptos. *ib.* §. 12.

Si vero simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*: quod valet ac si diceretur; modo id non rescierit ante acceptam Beneficii possessionem. *ib.* §. 12.

Cum Parochiani habent jus nominandi Parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares, seu feminæ, seu minores habent jus nominandi in capita, ut ex Pitone *de controv. Patron. All.* 100. *n.* 394. firmatur. *ib.* §. 13.

Commendæ, Prioratus, atque Præceptoriæ Ordinis Hierosolymitani a Canonistis quidem tanquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones, & munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu Theologi, animadvertentes non esse illis adnexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri Clericis, qui duo exigunt beneficia, quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est Clemens XI. in suo Brevi ad magnum Magistrum ejusdem Ordinis, in quo etiam declarat collationes hasce nullas, & irritas esse, & fore. *De Synod. Diœces. lib.* 12. *cap* 5. §. 15. *nov. Edit.*

Vide Tom. 1. *Tract.* 5. *Dist.* 3. *a num.* 18. *ad* 52. *& in Append.*

SOLLICITATIO IN CONFESSIONIBUS.

Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantis, illum occulte admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo Tribunali. Tenetur tamen etsi admonitus compareat, & sit ex ea correptione emendatus, illum denunciare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. *De syn. Diœc. lib.* 6. *cap.* 11. §. 9. & 10. *nov. Edit.*

Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia & pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa. *Ib.* §. 14. *nov. Edit.*

Vide Tom. II. Tract. 14. *Distinct.* 8. *a num.* 17. *ad* 72.

SPECTACULA.

Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum, & adolescentium nudorum cursus, & luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab Episcopis, legibusque latis prohibeantur, mandat Pontifex in encyclica ad episcopos Campaniæ NIHIL PROFECTO Bull. *Tom. I. n.* 60.

SPONSALIA.

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est Superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso si non pareat, vinculum dissolvitur. *Instit. Eccl.* 46. §. 5.

Spon-

Digitized by Google

Sponsalia de futuro inita absque præsentia Parochi, vel absque scriptura, valere semper pronuntiavit S. Congregatio, cum Tridentinum tantum aboleverit Matrimonia clandestina. Priora vero sponsalia etiam non jurata, etiam sine copula prævalent secundis sponsalibus, etiam juratis, & etiam cum copula, ut ex communi DD. *Institut. Eccl.* 46. §. 8.

Sponsalia inita invitis parentibus, quamquam judicari possint valida, illicita sunt tamen, & detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat Archiepiscopus Rossanensis D. Muscetula in Dissertatione legenda in T. 1. Operum Zauli ad Statuta Faventiæ. *ibid.* §. 16.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. *ibid.* §. 16.

Oscula ob delectationem carnalem, & sensualem juxta terminos Propositionis 40. inter damnatas ab Alexandro VII. ob paritatem rationis neque inter sponsos licita sunt, *ibid.* §. 18.

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non potest puniri pœna stupri ob aliquod jus, quod habet in corpus illius, ut ex Decretis S. Congr. apud Fagnanum. *ibid.* §. 20.

Promissio de præsenti absque præsentia Parochi, & testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus Decretis Sacræ Congreg. *ibid.* §. 24.

Vide Tom. II. Tract. 14. Dist. 14. num. 22. ad 48. juncta App.

SYNODUS.

Synodus Diœcesana non necessario transmittitur ad Sacram Congregationem Concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur, & approbetur. *De Syn Diœcef. lib. 8. cap. 3.* §. 6. Nam Sixtina Constitutio, quæ affertur ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad Concilia Provincialia.

Constitutiones Synodales, statim ac promulgantur, ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum, ut de Legibus Imperialibus edicitur, *L. Leges sacratissimæ C. de Leg. & Rub. Nov 66.* & de Legibus Pontificiis Doctores quidam afferunt, aliis magis communiter negantibus. Nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, ut monent DD. plures. *De Syn. Diœcef. lib. 13. cap. 4.* §. 2.

Regulares etiam subjiciuntur legibus Synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ex *Trid Seff.* 25. c. 11 *de Regularibus*; quamvis secus sit in aliis: sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet; non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suario. Censet tamen Pontifex contra nonnullos Regulares, quamvis teneantur ad festa Diœceseos ex Trid. *Seff. 25. cap. 11. de Regular.* non tamen teneri ad jejunia ab Episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam Monasteriis forte invaluisset. *De Synod. Diœcef. lib. 8. cap. 4.* §. 5.

TABACUS.

Tabacum per nares trahere, vel ejus fumum in os inducere ante Missæ celebrationem, vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet Pontifex, neque prohibendum judicat, cum ob receptam, ac pervulgatam ejusmodi consuetudinem omnis in ea re modo absit inhonestas, & indecentia. *De syn. Diœc. lib. 7. cap. 63.* §. 3.

TERTIARIÆ.

Mulieribus tertiariis non Collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia Episcopi Diœcesani, cui debent rite probare habere se hoc privilegium S. Apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere illas ætatis ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis redditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex Dec. S. Congregat. in causa Mazariensi die 10. Maji 1727. *De syn. Diœcef. lib. 7. cap. 41.* §. 8.

Tertiariæ collegialiter viventes, votis tamen solemnibus, & clausuræ non adstrictæ, cum sint contra Bullam 8. S. Pii V. a S. Congregatione tolerantur potius, quam approbantur, sunt autem omnimode Episcopi jurisdictioni subjectæ, ut ex pluribus S. Congregationis Decretis. *Instit. Eccl.* 29. §. 13.

Tertiariæ non collegialiter viventes non possunt habere Confessarium quemcunque etiam sui ordinis, nisi approbatum ab Episcopo pro confessionibus sæcularium. Item non possunt regulares illis die Paschæ Sacramentum Eucharistiæ ministrare. Defunctarum corpora sepulturæ mandanda sunt in Ecclesia Parochiali, nisi forte in Ecclesia regularium sui ordinis sepulcrum esset illis destinatum. *Instit. Eccl.* 19. §. 14.

Benedictus XIII. multa concessit tertiariis, sive vivant in communi Monasterio, sive domi suæ vitam agant privatam, quæ utique jus novum condere viderentur; sed cum Clemens XII. in sua Constitutione *Romanus* anni 1732. jura tertiariarum revocaverit ad terminos Concilii Tridentini, ac Decretorum Apostolicorum; ideo nihil novum de illis statuendum est. *ib.* §. 16.

Tertiariæ non collegialiter viventes ex recepta S. Congregationis immunitatis opinione, gaudent immunitate fori. Vicissim autem tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ut ex Doctoribus definitur. *Institut. Eccles.* 105. §. 68.

TESTAMENTUM.

Testamentum factum coram parocho, & duobus saltem testibus idoneis valet pro toto statu Ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale, ex dispositione cap. *Cum esses* 10.

Testamenta ad causas pias in toto orbe Catholico valent si fiant coram duobus testibus, ex cap. *relatum* 11. *de Testamentis*. *Institut. Ecclesiast.* 105.

Quoad dispositionem capitis *Cum esses* non sufficit si sint duo, vel tres testes, & absit parochus,

chus, cum in Canone sit *coram Presbytero suo*. Nec sufficit si defectum parochi suppleat capellanus; bene tamen si præsentiam præstet confessarius ordinarius. Demum testes masculi requiruntur, nec feminæ valent. Demum valet testamentum ita conditum etiamsi testator non sit in extremo vitæ periculo. *ib.* §. 8. 9. & 10.

Scribenda sunt testamenta a parocho coram testibus, & a testatore subscribenda, sicut etiam a parocho, & testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit Scriptura parochi, & signum Crucis impressum in charta a testibus. *ib.* §. 14.

Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni, & si adsit subscriptio testatoria, & testium non requiritur ut singula contenta in testamento referant Notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus seu sacerdos viva voce exprimere debet quidquid in eo testamento continetur; quod, & a singulis testibus seorsum præstandum est. Denique, & singuli illi subscriptionem suam agnoscant. *ibid.* §. 16. Has vero omnes depositiones scribat tabellio & jungat testamento.

Ad servanda vero quæ in testamento mandantur, discussio parochi, & testium agenda est a Judice competenti, citata parte, cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in Archivio. *ib.* §. 10.

VASA SACRA.

Vasa sacra dum actu continent Corpus & Sanguinem Christi, tangere nemo alius permittitur, nisi sacerdos, & diaconus.

Subdiaconis datum est in Altaris ministerio tangere calicem, & patenam dum Corpus & Sanguinem Christi non continent.

Acolythis licet tangere illa, sed extra ministerium Altaris, quod etiam extenditur ad omnes illos, qui prima tonsura initiati sunt. Hæc omnia ex Theologis. *Instit. Eccl.* 34. §. 18.

VENDITIO.

Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum, seu utilitatem percipiendi fructus beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus, recepta pecunia in ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul solvatur, sive per plures solutiones. Id vero vetitum sub excommunicatione & aliis pœnis contra alienantes bona Ecclesiastica inflictis; & contractus omnes ita celebrandos in futurum Pontifex irritat, & annullat. Constitut. UNIVERSALIS ECCLESIÆ Bull. *Tom. I. num.* 29.

In contractu emptionis, & venditionis, si fiat pactum, quo venditor, quandocumque voluerit rem venditam redimere, obligetur in vi ejusdem pacti plus dare, quam receperit in venditione, contractus est injustus. *De syn. Diœcef. lib.* 7. *cap.* 51. §. 4.

Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit amplius locus retrovenditioni; iste contractus sapit usuram, ex eo quia videtur inducere naturam pignoris. *ib.* §. 4.

VIATICUM.

Ægroto impotenti Viaticum sumere, non licet sacram particulam deferre ad eam venerandam, & deosculandam, quod fieri vetuit S. Pius V. & Sac. Congregatio Concilii. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 19. §. 4.

Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire, non potest Sacramentum administrari sub specie vini, neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino linquendus est non refectus sacra communione, cum præceptum Viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab Ecclesia Latina omnino prohibetur. *ib.* §. 6.

Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino, vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur. *ib.*

VICARIUS CAPITULARIS.

Ecclesia vacante tota Episcopi jurisdictio devolvitur ad capitulum Cathedralis Ecclesiæ per textum in cap. *His quæ* & cap. *Cum olim de Major. & Obed.* ac illud quidem eam per se exercere posset nisi obstaret jus novum Tridentini *sess.* 24. *can.* 15. *de Ref.* quod mandat, ut intra octo dies post inductam, seu ut decidit Sac. Congregatio, post habitam notitiam vacationis, Vicarium constituere teneatur, per quem illam exerceat. Si vero negligat, vel Ecclesia vacans careat Capitulo, tunc ad Metropolitanum spectat, vel si nulli subjecta fuerit, ad viciniorem Episcopum. Si vero tunc Metropolitanus vacaverit, jus istud transit ad capitulum Metropolitanæ. Hæc omnia ex decisionibus S. Congregationis deducuntur in *lib.* 2. *cap.* 9. §. 2. *de synod. Diœcef. nov. edit.*

Verum antiqua consuetudo quarundam Ecclesiarum ut vacantis Ecclesiæ administratio transeat in aliquem in Ecclesiastica dignitate constitutum retinenda est, ut ex Rota. *ib.*

Dispensationes ab Apostolica Sede ad Episcopum, seu ejus Vicarium Generalem delegatas, & ante Episcopi obitum nondum executioni mandatas, Vicario Capitulari exequi non licet, quia nec est Episcopus, nec Vicarius Episcopi. *ib.* §. 3.

Semel vero electus a capitulo Vicarius removeri non potest, nisi causa agitata a S. Congregatione, uti decisum refertur. *ib.* §. 4.

Utrum Vicarius Capitularis ea possit, quæ nonnisi speciali mandato Vicarius Episcopi præstare potest, Doctores in utramque partem disputant. *ibidem.*

Cum Vicarius Apostolicus datur Ecclesiæ vacanti, nullam habet aliam auctoritatem præter eam, quam Vicarii Capitulares ea occasione obtinent. *De syn. Diœcef. lib.* 2. *cap.* 10. *nov. edit.*

VISITATIO DIOECESANA, ET SACRORUM LIMINUM QUOAD EPISCOPOS.

Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis Diœcesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere

Digitized by Google

gere potest, ut ex pluribus S. Congregationis Decretis. *De Sinod. Diœcef. lib. 7. cap. 53. §. 5.*

Vicarius Capitularis potest Diœcesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus S. Congregationis Decretis decisum est. *ibid. Lib. 2. cap. 9. §. 5.* Illi tamen non nisi dimidium procurationis, quæ solvitur episcopo, retribuenda est, cum debeat minori comitatu incedere, & constat ex resolutione Sac. Congregationis in una Ostunensi *die 7. Julii 1708. ibid. Lib. 7. cap. 53. §. 5.*

Episcopi omnes ex vi Constitutionis *Romanus Pontifex* a Sixto V. editæ antequam consecrentur, si Romæ ex stant, in manibus S. Romanæ Ecclesiæ primi Diaconi Cardinalis, extra Curiam vero in manu Antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant se statis temporibus limina SS. Apostolorum visitaturos per se, sive legitime impeditos per aliquem de suo Capitulo, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio præditum, & si hi defuerint, per Sacerdotem aliquem Diœcesanum sæcularem, vel Regularem.

Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur de Pastorali Officio impleto, & iis omnibus, quæ ad suam Diœcesim pertinent. Sacræ autem Congregationi Concilii injunctum est munus, ut postulata episcoporum illorum discutiat, & det illis responsa, sicuti & videndi num legitime sint impediti. *De Synod. Diœcef. Lib. 16. cap. 7. §. 11. nov. Edit.*

Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio, aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium. *ibid. §. 3.* Porro si episcopus habeat Coadjutorem ab Apostolica Sede datum, sufficit si coadjutor nomine Episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur Administrator episcopatus, qui debet visitare limina sua, & principalis sui nomine, ut ex Decisis a Sac. Congregatione. *ibid. §. 5.*

Id etiam præstandum est ab episcopo titulari, ut ex Fagnano, aliisque *ib.* probatur §. 5.

Denique nec eximuntur episcopi Ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia. Ita ex Decret. *Consistoriali* Alexandri VII. *ibid. §. 6.*

Postremo Prælati minores, qui proprie territorium habent vere separatum, in quo independenter a quocumque episcopo jurisdictionem spiritualem exerceant, ad eandem visitationem tenentur, ut ex respons. Sac. Congreg. & ex Bulla QUOD SANCTA data die 27. Novembris anni 1740. a Benedicto XIV.

E contra vero non tenentur ii Prælati inferiores, qui territorium separatum non habent, ut satis constat. *ib. §. 9.*

VOTUM.

Vota simplicia etiam castitatis, & religionis, ac sacrarum peregrinationum dispensando commutare potest major pœnitentiarius Romanus. Bulla PASTOR BONUS Bull. *tom. I. num. 96. §. 29.*

USURA.

Usuræ peccatum illud est, cum aliquid lucri exigitur ultra sortem ratione mutui. Nec hoc a vitio vacat, etiamsi moderatum sit lucrum, quod deposcitur. Ratione tamen titulorum quorumdam quos extrinsecos vocamus a contractu mutui, exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est, ne quid nimis accipiatur. Sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celebrando adsunt. Quin & accidit quandoque in nonnullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri justo contractui locus esse possit, & adsit obligatio ut nudo mutuo alteri succurramus. Hanc doctrinam ab omnibus palam doceri mandat Pontifex; monetque insuper, ut si quando in mutuo præstando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo, in celebratione contractus mutui explicentur. Hæc omnia latius in encyclica ad Episcopos Italiæ VIX PERVENIT &c. Bull. *tom. I. num. 143.*

Vide Tom. I. Tract. 8. Distinct. 4. a num. 10. ad 48. junctis addit.

MONITA
S. CAROLI BORROMÆI
AD CONFESSARIOS.

Ut Confessarii pœnitentiæ Sacramentum administrent, eo cum fructu, qui maximus esse possit; is vero in sincera vitæ emendatione positus est; neve in tanti ponderis negotio cum propriæ conscientiæ summo onere convenientem non adhibuisse diligentiam videantur (id quod summopere timendum est multis, ne scilicet in gravem reprehensionem inciderint eorum industria, cum de tanto numero confitentium, tam exiguam emendationem videamus in iis, qui toties, & tam multis ab hinc annis hoc Sacramentum frequentarunt) præceptiones, & admonitiones nostras omnes jampridem diversis temporibus hac de re datas in unum contulimus, atque alias quasdam iis adjunximus, quas in hunc finem utiles, & necessarias esse sumus arbitrati. Quamobrem per viscera misericordiæ D. N. JESU Christi eos exhortamur, ut quemadmodum eorum officium, & vocatio requirit, hac in causa, & negotio, quod ad

Digitized by Google

ad animarum salutem usque adeo pertinet, summa cum diligentia nostræ sollicitudini cooperari velint, nostramque intentionem in eo positam, ut populus christianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam salutis commode dirigatur, promovere pro sua virili studeant.

Nullus neque sæcularis, neque regularis Sacerdos, pœnitentiæ Sacramentum aggredi præsumat, si non approbationem, & licentiam ante nostram in scriptis habeat: ut rite Concilium Tridentinum ordinavit: sin aliter fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto, juxta primi Concilii nostri provincialis decretum, incurrisse se noverit, &, si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caveat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci a recto patiatur, quasi pueri sint, qui nondum ad usum rationis pervenerint, quorum audit confessiones: solet enim usuvenire, ut in pueris etiam, quamvis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inveniantur. At vero nemo per speciem necessitatis alicujus se falli sinat, ac necessitatem interpretetur pro quavis ægritudine, etiam si gravis, & periculosa illa sit, cum ad proprium Pastorem, aut alium Confessarium a nobis approbatum recurri potuisset. Imo nullus huic se negotio perget interponere, quamvis a Pastore ejus, qui confiteri cupit, vel Vicariis nostris consensum obtinuerit, nisi tales ii sint, qui specialem a nobis accceperint potestatem, ut eam alteri concedere deinde possint.

Sacerdotes autem, qui confessiones audiendi licentiam a nobis obtinuerint cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione, videant, ne potestatis concessæ limites ullo modo excedant.

Prima cum opportunitate Regularium Superiores catalogum confessariorum, quos ad hoc officium elegerint, quive in hac civitate, vel diœcesi nostra habitant, exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale solum habeantur.

Sed quia sæpius contingit, ut per suorum obedientiam mutentur, idcirco bis in anno prædictum catalogum nobis offerent, primum quidem ad primam septimanam Adventus, secundum deinde primis feriis Quadragesimæ: Confessariis autem, qui in nostra diœcesi versantur, Pastoribus, aut Vicariis foraneis, testimonium admissionis suæ, qua ad hujusmodi munus idonei esse judicati sunt, quotiescumque ab eis exigetur, ne recusent ostendere: in templis vero, in quibus plures sunt confessarii, in foribus Sacrarii tabula suspensa habeatur, quæ omnes ejus templi confessarios a nobis approbatos contineat, quæ toties mutanda erit, quoties alii deligentur.

Confessarii, qui a censuris, & casibus reservatis absolvendi potestatem a nobis habent, summa cum prudentia eam exerceant, ut sit ædificationi potius, quam destructioni locus: quamobrem, si in utilitatem, & auxilium Pœnitentis, qui in aliquod ejusmodi peccatum inciderit, judicent expedi ad nos eum remittere, admoneatur, ut id facere debeat.

Omnes confessarios, quamvis a nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graves, & diversos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates cohærentes habent, præmonitos volumus, ut bonos, & classicos Auctores nonnullos, qui casus conscientiæ ex professo tractant, manibus continue terant: quod si non videantur sibi satis judicii, & doctrinæ comparasse, ut possint quæstiones objectas resolvere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius versatos. Sciant autem, nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiario majori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, ut cum Theologis, & Juris Canonici Peritis, si qua dubia, & controversa circa res conscientiæ in hac nostra diœcesi obveniant, de iis conferat, & diligenter discutiat, ut, postquam res graviores nobis communicarit, omnem dubitationem eximat iis, qui ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenii, & scientiam, quam habent, nec se temere ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam involutos esse suspicentur; ut sese inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam Censurarum, & Casuum reservatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini * (*ubi recepta est*) legi solitæ: similiter Canones pœnitentiarios, & nostras has admonitiones sæpius legant.

Cum dubium non sit, quin is, qui peccato mortali infectus, Sacramentum quodvis administrat, novo se scelere rursus obstringat; diligenter observent, qui confessarii partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multo vero minus id audeant, si qua Censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui vero fervidi animi confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, ut eas ad virtutes inducat, divinisque remediis adjuvet, quibus contra peccata vel pœnitens utatur, vel ab iisdem abstrahatur, qui itidem Dæmonis asturias perspectas habeat, qui denium pœnitentem exuere veterem hominem, & novum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam, speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum Pœnitentiæ ministret; sed cum facile cognoscat magnopere referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat; quandoquidem plus exempla, quam verba commovent animos, neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in se possideat; ideirco perfectionis suæ totus amore ferveat necesse est, atque iis in virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares, cum ad confessiones audiendas admittuntur, solum examinari solent, sint ne sufficientes, & doctrinam justam habeant, neque nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias oneramus, ut ad hujusmodi provinciam non alios nobis in publicum deducant, quam qui probitate, atque integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant, cujus quidem rei scripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Prompto, ac parato animo ad confessiones audiendas

diendas accedant, eviteutque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborem, ne submoveant intempestive venientes ad se confitendi gratia, sed neque signo, aut verbis ullis præseferant, ægre se, gravatoque animo confessiones eorum excipere; quin potius ita se comparent, ut intelligant Pœnitentes, eos salutis eorum causa multum solatii, & gaudii ex his laboribus haurire.

Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne Pœnitentes excusationem justam prætexere possint, se non esse confessos, maxime quibus temporibus ad id tenentur, per speciem quasi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus Confessarios, si vel ad exequias, vel quævis alia Ecclesiastica munia illos evocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, ut ne confessiones iis diebus propterea vel interrumpant, vel intermittant, quibus frequentiorea solent occurrere, maxime octiduo, aut amplius, ante diem Natalem D. N. Jesu Christi, in Quadragesima, & præcipue circa medium illius usque ad octavam Paschatis, nonnullis etiam diebus, cum Jubilæum promulgatum est, aliisque solemnioribus festis, quibus, ut plurimum, populus, vel ex majori parte, ad Confessionis Sacramentum confluit.

Cupimus etiam in hunc finem Superiores Regularium certiores ea de re redditos, ut prædictis temporibus procurent, quantum poterunt, numerum maximum Confessariorum, qui doctrina & timore Domini insignes, atque a nobis approbati in suis Ecclesiis Pœnitentes audiant.

Quoties Regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud non suadeat, ex Pastore prius intelligant quæ conditio & status sit ægroti, ut tanto diligentius animadvertant si quid allevamenti conscientiæ illius præberi valeat, præsertim in summo temporis illius articulo, in quo velut in cardine, vertitur aut animæ salus, aut perditio æterna: quod si temporis brevitas non patiatur ante confessionem id fieri, saltem ab audita confessione quamcitissime fiat, ut tam ipse Confessarius, quam Pastor, in procuranda hominis infirmi salute, suo officio non arguantur defuisse.

Cum primum Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ cuipiam ægroto ministravit, in schedula subscribat; quæ, qualis esse debeat, infra dicetur; eaque fateatur se Pœnitentis confessionem excepisse: quod ideo fit, ne Medici curam suam subtrahere infirmis cogantur, juxta Bullam fel. mem. Pii V. & Decretum primi nostri Concilii provincialis; & ne per negligentiam Confessariorum in dicta fide præstanda, sumant occasionem excusandi se ab observantia præfatæ Bullæ, & Decreti.

Popularium in domibus confessiones nemo audiat, nec virorum, nec feminarum, cujuscumque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod cum fit, & mulierum confessiones Sacerdos excipit, ostium apertum sit, ita ut ab iis, qui in vicinis locis agunt, conspici possit. Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, nec etiam si vel leviter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis; sed neque tum quidem eo loco, nisi post ortum Solis, & ante ejus occasum, audiantur.

In illis ipsis sedibus quotidiano ritu confessiones audientur, etiam virorum, si qui solent in templo confiteri; Hanc ob causam omnibus in templis sedes hujusmodi tam multæ constituantur, quam multi solent esse Confessarii; sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quemadmodum ordinavimus generatim eas debere construi.

Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, ut ex omni parte conspici possint; quod si præterea locus haberi talis possit, ut obstaculum aliquod intercedat, ut, dum quis confitetur, interea cæteri a spatiis plus æquo propinquia arceantur, id fiat; ubi vero malus mos aliud obtinet, Confessarii partes erunt sedem ipsam loco movere, simul & populum nimis vicinum, antequam consideat, propellere; quod item faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

Confessarius in hujus Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, ut nullus eum intuitus humanus eo protrahat; sed sola Dei gloria, & animarum salutis desiderium; quo circa, quoties vel evocabitur ad confessiones audiendas, vel ad eas sese conferet, totus in Deum erectus, cum ipso opere mentis oculos in hunc finem conjiciat, & diligenter attendat se eo pergere, ut Pœnitentes pretiosissimo Servatoris nostri Jesu Christi sanguine abluat, ac mundet.

Sed quia in hujus Sacramenti tractatione multa inveniuntur pericula, ne scilicet errent in variis quæstionibus, & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiant, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta, fœditatesque audire necessarium est, nunquam ad tantum hoc officium sese Confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione, prout res feret, lumen, & gratiam a Domino petat, ut non solum in nullam reprehensionem, vel errorem incidat, verum aliorum sordes sic abstergere valeat, ut se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est. Habeant igitur singuli versiculos illius Ps. 50. & orationem antiquis temporibus ab Ecclesia usitatam penes se in scriptis, cujus quidem alterum exemplar in Sacrario cujuslibet templi (in quo sunt Confessarii) deinde alterum introrsus in ipsis sedilibus volumus affigi, ut antequam ad confessiones aggrediantur, eam, vel similem aliquam, prout cujusque pietas feret, apud se legant.

℣. *Cor mundum crea in me, Deus.*
℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*
℣. *Ne projicias me a facie tua.*
℟. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*
℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
℟. *Et spiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impii ad te convertentur.*
℣. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.*
℟. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

Oratio.

Domine Deus Omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere; qui me

me indignum, propter magnam tuam misericordiam, ministrum fecisti officii sacerdotalis: & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum Jesum Christum Filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus; ideoque, dominator Deus, qui omnes homines vis salves fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, resipiscant a diaboli laqueis, quibus astricti tenentur; ut ad se per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

Sacerdotes sæculares, non nisi toga, & stola decenter amicti, Pœnitentes audient; quod etiam tunc fieri volumus, cum ægrotantium excipiunt confessiones, licet id faciant apud eos domi.

Nullorum accipiantur confessiones, nec in civitate, nec vero in tota diœcesi nostra, sine nostra, vel Vicariorum foraneorum expressa licentia, post Dominicam Palmarum usque ad diem integrum Paschatis peractum, nisi eorum, qui paulo ante confessi sunt, aut saltem a Quinquagesima præcedenti: excipimus semper ægrotos; cæterorum vero confessiones infra octavam Paschatis differantur, secundum constitutionem nostram Pastoribus datam, idque graves ob causas in ea declaratas.

Si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima confessarium suum deserant, qui quidem peropportunus erat alioquin ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eundem peropportune reducere, tum reprehensa perniciosa hominum negligentia, qui confessarium doctum, & prudentem sibi deligere negligunt, tum quasi noxia, & vitiosa frequenti mutatione Confessarii detestata; quemadmodum enim Medici, qui naturam, temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutari solent, quod morbis necessaria facilius invenire remedia norint; sic neque videntur Pœnitentes, nisi magno defectu, a Medicis suis discedere debere, cum ii melius animarum vulneribus adhibere opportuna, ac utilia Instituta possint. Si tamen justa de causa Confessarius aliquem ad se venire permittat, qui pii, & prudentis alterius in confitendo consiliis ante utebatur, utile erit id cum illo ipso communicare, vel saltem dare operam, ut Pœnitens ab eo abeundi honestam licentiam nanciscatur.

Confessarii omnes, præcipue si qui in nostra diœcesi eo munere funguntur, curare debent, ut inter eos, & Parochos locorum, ubi confessiones audiunt, bene conveniant, sive cum illorum ibi sint monasteria in propinquo, sive eum ob habitas conciones, sive ob aliam quamcumque causam, confessiones audiunt. Itaque non absolvant eos, qui vel ob exempla vitæ impiæ, & in eo statu perseverandi pertinaciam, vel quod ad pœnitentias publicas, sive legata pia, vel similia quædam tenebantur; atque ideo a Pastoribus suis absoluti non fuerint. Proinde sæpius Regularium Superiores, suos admoneant hujus rei necesse est; præcipue autem ad animorum concordiam, quæ ad ædificationem quoque plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneantque, si in quæstionis alicujus explicatione inter eos, & Pastores sentiendi quædam accidat diversitas, ut ea cum prudentia sese gerant, ne ad vulgi aures ea perveniant, quin statim ad eos potius pro rei controversæ definitione accurrant.

Meminerit ad Sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine convenienti tum exteriore, tum interiore animi præparatione, volunt accedere, quin magis verbis charitatem spirantibus pro captu cujusque tales alloquantur, & dicant, ubi sese melius pro dignitate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se revertantur.

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur, quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ faciem stibiis depingunt, quæ ex auribus monilia gestant, quæ levibus, & vanis ornamentis, quæ pannis aureis, aliisve similibus lasciviis ornatæ, ac comptæ accedunt, &, ut semel omnia dicam, quæ vestes modestas non habent, nec simplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat, quæve saltem operimentum ex lino, lanave confectum, vel peplum sobrii alicujus coloris non habent; sic enim hujus Sacramenti reverentiam decet, & ita prorsus cognitioni peccatorum, & de eisdem dolori intimo consentaneum est, cum scilicet cogitare debeant, quod ante tribunal, & judicium Domini Dei sui se sistant, ac quasi peccatrices misericordiam, & veniam suppliciter de eisdem imploraturæ veniant.

Idem necesse est in viris observetur, ut videlicet ad confessiones non admittantur, qui vestitu viro indecenti, qui auro intextis palliis utuntur, qui lascivis pileorum ornamentis induti sunt, qui item cum armis accedunt, aut similibus rebus.

Majus multo studium Confessarius ponat in interiore animi præparatione, quando necesse est, prudenter inquirenda; ea enim plane ad hoc Sacramentum requiritur, cernitur que maxime in seria, & solida peccatorum examinatione, quæ ad unumquemque pertinet, ita ut universi, quantum in se est, cum animi dolorem, qui jure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma, ac constanti deliberatione animi, tum pro præteritis satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi; in quibus igitur eam præparationem desiderari animadvertent, verbis benevolis persuadere conabuntur, ut denuo conscientiam suam diligentius examinent, ac recte sese præparent.

Signa autem, ex quibus conjectura capi potest, eos sine justa præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt. Si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum avulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si Confessarius jam tum præsciat, quod a confessione nihilominus ac ante, suis in peccatis sint perseveraturi, sive quod in se peccatum mortale quodpiam teneant, vel quod occasionem, quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, sive quod aliena bona, cum possint, restituere negligant.

Advertat tamen Confessarius, si Pœnitentes studii

dii nonnihil a se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit, & observet, tamen, vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessario aliquid iis deesse, ut ipsemet quod deest suppleat sua industria, & ad cognitionem majorem eos inducere adlaboret: quod fiet optime, si peccati turpitudinem, & gravitatem ponat illis ob oculos; quippe quod Deo adversetur vel maxime, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat; atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & sic effingere conetur, ut de universis, & singulis peccatis mortalibus tam acrem animi dolorem persentiat, ut secure ei absolutionis beneficium possit impertiri.

Præterea Pœnitentes, sed eos præcipue, qui rarius confitentur, pro judicio, & necessitate cujusque, rationem, ac methodum quandam bene confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum intersit, ut integra sit confessio, aliasque circumstantias, quæ ad eam requiruntur, & quam vim illæ habeant, exponant.

Consuetudo honesta est, puerulos etiamsi quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum hujus Sacramenti transferri: caveant tamen accurate Sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento iis præbeant, in quibus nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra controversiam judicare possint, eos hujus Sacramenti capaces esse: operam tamen majorem collocabunt cum iis, qui septimum, aut octavum annum jam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, ut hujus Sacramenti necessitatem, & virtutem, nec non modum, quo suscipitur, perspicue intelligant.

Qui vero confessiones audiunt puerorum, aut puellarum, qui jam annos decem, vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum Altaris propediem fore existimant, solerter videant, ne vel sua, vel parentum negligentia, & socordia, absque gustu tanti thesauri spiritualis eos patiantur adolescere: quin potius quanto minori cum productione temporis, quamque diligentissime fieri poterit, doceant eos, quæ ad hoc Sacramentum percipiendum necessaria sunt, fructusque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione, ac reverentia, quamque magna conscientiæ puritate opus sit.

Cæterum postquam iterum, atque iterum eorum confessiones jam audierint, vel per se venerabile Sacramentum eis porrigant, illiusque rei fidem scripto faciant, ut Pastori suo exhibeatur, quo deinceps in Paschate ad communionem Pastor eos cum cæteris adjungat, vel ad eandem adsumendam instructos, & idoneos esse scriptis declarent, atque proprium ad Pastorem amandent.

In ipso aditu confessionis, antequam peccata sua quis enumerare pergat, Confessarius, maxime si cum rudioribus hominibus agit, quive rarius confitentur, debebit quasdam interrogationes præmittere, quibus in decursu confessionis omnia commodius cedent: sunt autem interrogationes hujusmodi. Primum, si certum non habet, Pœnitentem ex eorum numero esse, quos absolvere recte possit, interroget quo modo melius valet; si non esse talem inveniat, quamprimum ad alium, qui absolvendi potestatem habet remittat; sin aliter est, & tamen nihilo secius Pœnitentem satis non agnoscit, quærat secundo loco, quo in statu res ejus sint, cujus ipse conditionis sit, quam professionem, aut artem tractet, quod officii genus, ut plorimum, exerceat: interrogabit deinde, quantum temporis intercesserit, quo confessus est, interim in memoriam ei redigens, quam magnum emolumentum parere soleat crebro iterata confessio: tum petet, utrum pœnitentiæ nuper præscriptæ sibi fecerit satis; quæret etiam, an norit articulos Fidei, præcepta Decalogi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ; quod si nesciat, tum se geret eo modo cum Pœnitente, quem inferius indicabimus.

Quæret utrum diligentiam, atque industriam congruentem in conscientia bene examinanda collocarit; quæ sane tanta requiritur, quanta in negotio quovis maximi ponderis inesse solet: res enim nimis operosissima est ad Sacramentum Pœnitentiæ rite accedere; atque hoc loco, si necessitas efflagitat, eum de utili quodam modo examen conscientiæ faciendi instituat, quenam ratio sit ad memoriam revocandi peccata commissa, cum iis quæ circumstant omnia; nimirum ut ingrediatur in seipsum, vitæque tempora speciatim percurrat, initio quidem quantum ad ætatum momenta, pueritiam scilicet, juventutem, & cætera pertinet: secundo quantum ad status mutationem; quid si uxorem duxerit, quomodo ante, quomodo post matrimonium contractum sese gesserit: tertio quantum facit ad vicissitudines humanæ vitæ; in rebus prosperis videlicet, & adversis, in sanitate, & ægritudine, tempora varia, officia diversa, quæ exercuit, sodalitia, loca, regiones, in quibus egit, & versatus est: circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccaverit aliquando.

Ad hæc conditiones, quæ ad confessionem perfectam requiruntur, quanta poterit brevitate, & facilitate illi proponet: poterit vero ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas sexdecim a Doctoribus sæpe commemoratas, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Rogabit an recordetur se, vel in casum aliquem reservatum, vel excommunicationem incidisse, vel quod aliud impedimentum habere, æquo probabiliter arbitretur quod absolvi non possit: si quid hujusmodi in exordio, vel in ipso decursu confessionis reperiat, ne procedat ulterius, sed significet pœnitenti, tum a se absolvi non posse, verum necessarium esse, ut aut nobis, aut Pœnitentiario majori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aut alteri, cui a similibus casibus absolvendi potestas collata est, se exhibeat; si tamen ratio aliqua subsit, cur Confessarius non expedire judicet, ut Pœnitens id agat, tum ipsemet ad Pœnitentiarium, vel ad Nos pro absolvendi potestate impetranda recurrat. Si Pœnitens extra civitatem sit, tale-

que

quæ negotium sit, ut ipse Confessarius a Vicario nostro foraneo, aut alio in iis locis ad similia decidenda a nobis deputato subdelegari possit, ab eis absolvendi potestatem legitimam impetret, vel Pœnitentem ad eos remittat, nisi forte nec ipsi a casibus reservatis absolvendi potestatem a nobis habeant, aut casus iste sub eorum licentia comprehensus non sit, hoc tempore si Pœnitens Mediolanum venire possit, hortetur eum, ut id faciat; quod si ad id inducere non possit, petat ab eo veniam, dictum casum nobis, vel Pœnitentiario majori litteris, aut verbis indicandi, quatenus absolvendi ab eis potestatem impertret: quod cum faciet, & rem ipsam litteris committet, prudentiam, cautionemque summam adhibeat necesse est, ne ullo modo in aliorum notitiam venire possit: at vero si causa tanti momenti esset, ut, si litteræ vel perdantur, vel intercipiantur, majus aliquod Pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Confessarius jubeat ipsum proficisci, nisi forte consultum videatur, ut ipse veniat alterius nomine.

Cæterum in negotiis similibus prudentius facient, si recta ad Pœnitentiarium majorem, quam quoquam alio recurrant, vel eo pœnitentes suos dirigant: specialiter enim a nobis ad id constitutus est ille cum ampla etiam potestate alios subdelegandi in iis omnibus negotiis, quæ pro casuum reservatorum absolutione difficilia occurrunt: quod si nec ipse pœnitentiarius a tali casu possit absolvere, tum modum illi præscripsimus, vel a nobis, vel aliunde unde necesse sit, remedia talibus negotiis opportuna adhibendi.

Si Pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, serio commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, & quæ gravitas illius, quamque periculosum in ea perseverare, quantaque eum diligentia fugienda sit excommunicatio; quod commode fiet, si effectus illi demonstret nonnullos excommunicationis.

Interroget, utrum sciat Hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectum, vel simile quippiam, quod juxta vel nostra Edicta, vel eorum qui Inquisitores vocantur, leges, denuntiare teneatur; quod si Pœnitentem ad tale quid aperiendum cognoverit teneri, curet ab eo satisfieri; & si negligentia sua factum est, postquam apud eum Hæretici, vel suspecti de hæresi alicujus notitia fuit, ut terminus his denuntiationibus præfixus transierit, eo articulo jubebit, ut licentiam impetret, qua absolvi possit; non enim satis tempestive perfecit denuntiationem, ut debebat.

Circa confessiones antegressæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri, quæ sunt ad cognoscendum necessariæ; num aliquo in peccato erratum fit ab integritate confessionis, ob quod nullius ponderis, atque virtutis extitissent cæteræ confessiones, ac proinde reiterandæ essent. Exempli gratia, si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absolvere non potuerit, vel qui legitima absolutionis forma usus non fuerit; vel Sacerdoti adeo indocto, ut ea, quæ ad hoc Sacramentum administrandum requiruntur, nec intellexerit, nec sciverit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diviserit, enumerata parte peccatorum suorum uni confessario, alteri altera;

vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis, nullove deliberato emendandi proposito, confessus sit; vel quod etiam contingit interdum, si nullam omnibus diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contulisse.

Et quoniam cernere est, negligentiam maximam in confessionibus rite faciendis sæpenumero committi, præcipue vero eo tempore, quo quidam repudiato a se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur; ut potius veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quam quod peccatorum suorum agnitione eo perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint; in universum quidem, ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim cum ex anno quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare, & totum se ad Deum convertere, Confessarii, pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco ad generalem quandam confessionem Pœnitentes exhortentur, ut per hanc proposita omni præterita vita sibi ob oculos, majore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciant.

Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis veluti præambula quædam, & præludia sunt, Confessarius Pœnitentem inducat, ut ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: qood ubi fecerit, si persciat adhuc (quod sæpenumero accidere solet) eum aliis interrogationibus indigere, per quas multorum, quæ oblitus sit, reducatur in memoriam, vel ea, quæ prius confuse dixerat, distinctius consideret, volumus interim præmonere Confessarium, ut peccatorum mortalium numerum semper quam poterit, exactissime inquirat; & quamvis fieri posset, ut non usque adeo præcise, & velut ad unguem omnia referantur a Pœnitente, nihilominus tamen paulo plus, minusve eum numerum indicet quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto a Præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus, si cum personis, quæ raro ad confitendum accedunt, agatur, utile erit etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia, ac prudentia pollere debet, in iis maxime peccatis investigandis, quæ homines ejus status, conditionisque, cujus est Pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis vero luxuriæ, summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debebit usurpare. Itaque cum in iis speciem peccati, & circumstantias, quæ multum prægravant illud, satis intellexerit, ulterius nihil studeat inquirere: in hunc finem circumstantiæ, quæ peccati speciem ab una in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plene perfecteque a Confessario sciri debent; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt; ideoque ad summas recurrendum erit, in quibus plerumque hoc versu illæ continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quo modo, quando.

Digitized by Google

Præ cæteris tamen providus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri, ac puellæ interrogentur, ne forte, quæ prius ignorabat, eos doceat: verbis autem adeo commodis interrogationes suas circumloqui nitatur, ut Pœnitentis animus non offendatur: quin etiam, dum aurem admovet alicujus confessioni audiendæ, caveat omni modo, peccati gravitatem a se auditi, gestu corporis, vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam Pœnitentem ita terrefacere, ut propterea aliud grave peccatum subricear; imo contra animum ei addat, ut omnia, quantumvis enormia, & turpia peccata, aperire non vereatur.

Confessarius, qui privilegium aliquod, facultatem, vel auctoritatem habet Pœnitentium vota commutandi, ea nonnisi in alia opera pia majora, Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, in quo negotio diligenter attendet expensas, labores, aliasque difficultates, quas sustinere necesse fuisset, si vota a se nuncupata primo modo debuisset persolvere.

Quamvis vero per Jubilæum, aut litteras Apostolicas privilegium aliquod ei concessum sit ab omnibus peccatis, quantumvis enormibus, ac pœnis, Censurisque ecclesiasticis absolvendi, præmonemus tamen, quod dispensare non possit cum eis, qui irregularitatem incurrerint, nisi in ipsis litteris expressa hujus fiat mentio.

Ut Confessarii plenius instruantur, nec absolutionis beneficium iis impertiantur, qui eo revera indigni sunt (id quod vel incuria, vel negligentia, vel alia de causa sæpe accidit, ac proinde multi in iisdem semper peccatis hærent cum animarum suarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum, cum sæcularium, tum regularium diversorum Ordinum consensu, quædam, quæ in frequentiori consuetudine agendi a Confessariis observanda erunt, inferius notabimus: quandocunque vero ab iis Pœnitentes vel absolvunt, vel relinquunt ligatos, volumus, ut secundum id, quod infra dicetur, sua consilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet, qui jam ad rationis usum pervenit, sub peccati mortalis periculo articulos omnes fidei scire, & intelligere (saltem generaliter) tenetur, nec non Decalogum, & S. Matris Ecclesiæ Præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in scholis cum Catechismo doceri solent: si Confessarius deprehendat, Pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea, quam citissime poterit, perdiscenda appositum, non debet eum absolvere: si vero ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias a Confessario (sive ipsemet is sit, sive alius) vel speciatim a Pastore suo hac de re admonitus fuerit (debebit autem hæc recordari, ut commodius interroget) neque tamen tantum studii adjunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, routque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verum si hac de re admonitus a nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, ut eo tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absolvere.

Si Patres, aut Matres familias fuerint, qui curæ suæ subditos, sive filios, & filias, sive servos, & ancillas (quæ particulatim interrogare meminerit) cum rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non advigilant, ut Decalogi, & Ecclesiæ Romanæ Præceptis obediant, vel, quod pejus est, ab eorum observatione eosdem prohibeant, ut faciunt, qui servos, & ancillas usqueadeo occupatos diebus profestis detinent, ut, propria necessitate urgente, diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, ut secundum Ecclesiæ Præceptum, sacro officio Missæ interesse queant, aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscue tempore quadragesimali, aut aliis jejuniorum diebus, cœnam, vel tempore antemeridiano escam ante horam debitam in ædibus suis præbent, vel dari patiuntur; aut si, quando hæc Præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si servi corrigi noline, & cæteris scandalo sint, e domo sua non quamprimum eos ablegant.

In omnibus his peccatis, nisi re ipsa præstent officium suum, negligentiamque in familiæ administratione commissam, quantum ad ea, quæ dicta sunt, attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absolvat; quod si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti unquam a Confessario, vel Pastore, præscripto modo fuerint, poterit eos absolvere: quod si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint; tamen absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

Confessarius eundem cum eis modum servabit, qui contra Conciliorum nostrorum provincialium, præcipue vero tertii Constitutiones, ac alios Canones nostros, diebus festis operantur, vel a venditionibus & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam servetur cum iis, qui in immoderato corporis ornatu, & fastu mortaliter peccant.

Ac vero, cum hac tempestate luxus vestium ad summum, quo conscendere potuit, verticem videatur evasisse, idque magna ex parte, culpa, & negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel forte dum leviter Pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absolvunt, capita quædam in medium adferemus, quibus propter ornatum, & luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, ut, cum absolutio danda erit, secundum eas regulas actiones officii sui metiantur.

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo sese ornat ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat; ad hæc qui vestimenti sumptuosi gratia vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine, Præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita, ut, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certe faciet eum operari, aut sacrum Missæ officium omittere, vel ut alii omittant, præbetur ab eo occasio; vel si causam præstat conjugi, iisque, ad quos spectat ejus sustentatio, ut plus, quam privatæ opes ferunt, in vestitum impendant, vel si prævidet, ut merito debet prævidere, aut saltem probabiliter dubitat, quod odia vestium causa

gignan.

Digitized by Google

gignantur, dissensionesve in ædibus fiant, vel quod indumenti causa conjux, aut aliorum quispiam blasphemias evomat, aut luera, contractusque illicitos exerceant. His adde eos, qui ornatus gratia non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessariis, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt, aut ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore, solvendo non sint futuri. In hoc etiam ordine ponendi sunt, qui, ut se splendide vestiant, detrimentum Proximo notabile inferunt; vel ita se exhauriunt, ut filias, cum ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere. Ad extremum, cum prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata similia iis, quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verosimilis habeatur, quod accidere possent, qualia fere solent sumptuosum, & insolentem earum usum comitari. In omnibus, quæ diximus, judicandum est peccatum esse mortale, indulgere nimio vestitui.

Cæterum, cum fieri vix possit, ut qui, supra quam suæ copiæ ferunt, insumit, non animum ad vertat ad peccata consecutura, vel ut minimum possit, & debeat advertere, potest in universum recte judicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti Pœnitentis examinatione, certa ratione contrarium existimetur.

Neque solum mortaliter peccatur, cum factæ expensæ in vestea, ordinem, & facultates domesticas excedunt, verum etiam in modo peccatum committitur sese exornandi; quid enim, si ornatus ad lasciviam pertrahat? quod si per se, vel certe ex communi hominum judicio sollicitet ad peccarum, potest etiam fieri, ut per se quidem eo non addu est, tamen occasionem ille suspicetur ejus generis ornamento, quod a sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ, ut illum inhonesto amore prosequatur, vel, ne sic accedat, probabiliter timet: denique, cum in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, ut nullam vel parvam salutis Proximi habeat curam; adeo qui dem, ut si quem ex sumptuosis, quibus incedit, vestibus, per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eum non studeret deponere. Fit deinde non raro, ut cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinne institutus sit, easque amorum affectiones variis coloribus, dum se comit & promit, vel alio quocunque modo non perobscure declaret.

Jam vero non solum absolvere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamvis asserant peccatum se velle deserere, tamen una dicunt, videri sibi non se commercium illius esse relicturos, nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.

Est præterea consultum absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant, ac polliceantur, quod se eximant peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odiis, ac detractionibus versantur quotidie, & confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies. Idem faciendum est cum iis scilicet, ut differatur absolutio, qui cum multos annos in peccatis suis perdurarunt, nulla interim adhibita opera in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum, atque iterum labuntur.

Deinde nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare plane non proponunt. Porro cum e re Confessarii vel maxime sit, ut quæ sint eæ occasiones, perspicue sciat, paulo de illis loquemur distinctius hoc loco.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eo quod hujusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione consitens usque adeo ad peccandum allicitur, ut certe Confessarius metuere possit, quod ea pervetso, quem diu induit, habitu, in posterum non magis abstinebit, quam prius a peccato, si in iisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scilicet suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt hujusmodi: Artem profiteri tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, domum tenere in hunc finem aliis pararam, aliquam, cum qua sit peccatum, vel apud alium suo rogatu fovere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque, si Pœnitentem iis, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa exstat, veluti quod concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In aliis vero, ut alea ludere communiter, in venereis aspectibus diu esse, conversari periculose cum feminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, alias tamen cum de eodem fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat, usque eo dum emendationis quædam argumenta videbit.

At vero cum usuvenire possit, ut ex omnibus, quæ solers, ac circumspectus Confessarius excogitaverit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur Pœnitens absque periculo, & scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his viis.

Primo absolutionis beneficium eo usque extrahat, donec emendationis indicia videat, maxime si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi omnia, quæ pro ejus emendatione necessaria Confessarius judicabit, quo tempore remedia hujusmodi Pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribet ei, ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis macerationem subeat aliquam, quodque præcipuum est, ut frequenter confiteatur, aliaque similia, quæ si Pœnitens recipiat in se, poterit absolvi.

Contra vero, si ab illa diligentia, quam vel

Digitized by Google

ille vel alius Confessarius jamdiu adhibuir, non se emendaverit, non absolvatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud a nobis acceperit, quod convenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, ut factum nobiscum expendat, ita tamen, ut nulla fiat mentio peccantis.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiam si per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is, qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit peccata relapsurus sit, si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseveret; talia ob mundi corruptelam plurimis solent in castria esse, mercaturam sequi, magistratus obire, Advocati & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, fit sæpe, ut vocibus blasphemiis, furtis, injustitia, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ejusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem adsciverint, ut conjectari liceat, si in eisdem officiis maneant, cum se rursus eædem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponent, quam hactenus fecerint; quodque inde sequitur, in idem lotum ex integro prolabentur. Omnes, qui sunt hujusmodi, secundum D. Augustinum, vel negotium ipsum periculosum deponant, vel saltem absque licentia, & obedientia pii, ac probati Sacerdotis non exerceant; qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseverat: sed æquum est, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur. Atque hic vigilandum est eo diligentius, quo manifestum est hac in parte Confessarios ineuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificiis, & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas, recte exerceri posse.

Exempli gratia, in magistratu adeundo, & aliis officiis assumendis, multa juramenta reperiuntur, quæ servari debeant; quæ tamen postea non servantur.

Inter Consiliarios, Procuratores, Clientum pernicies, ac damnis incumbitur, contra id, quod propria conscientia dictat faciendum.

Idem fit in bello, ubi duellis locus datur, ubi odiis, homicidiis plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricii. Apud Mercatores hæc regnant, usuræ, mercium fraudes, cum vel eas miscent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multoque pluris, quam pretium justum est, eas distrahunt; nec desunt perjuria, mendacia, vectigalium fraudulenta aversio, aliaque ejus ordinis permulta.

Plerique opifices festis æque, ac profanis diebus ita occupantur, ut nunquam neque culti divino vacent, neque conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habeat.

Quamobrem magno numero inveniet Confessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam fere in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat; qua simul & ab involucris hujusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Quod si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam, ut oportuit, Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint; quod cum fuerit ab eo animadversum, ostendat eis, præterquam quod de emendatione majorem probationem facere debebunt, vel opificii genus, in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ Confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Multo magis Confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipublicæ, vel utilitatem secum ferunt; quæ quamvis ex priori ordine rerum non fiot (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario a quovis homine quocumque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad male agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum furtis, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus ut plurimum peccare mortaliter homines solent; qui quidem ante non debent absolvi, nisi animo abalienato, penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ, vel secundæ a Pœnitente sibi promissioni factæ dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit cum promissionis intuitu absolvere; sin autem fidem semel, atque iterum fregerit, ac tertio jam idem polliceatur, absolutionem differat, usque dum reipsa videat Pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

Eos præterea, qui contractus nostris Conciliis provincialibus nominatim prohibitos, vel per se alias illicitos exercent, non absolvat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conveniens pro eis præstetur. Si contractus dubii sint, antequam absolvat, ad Pœnitentiarium majorem rem totam rejiciat, qui quidem illius explicationem ampliorem penes Nos inveniet; sed hoc tempore si Pœnitens sufficientem dederit cautionem, quod futuræ definitioni, sententiæque acquiescet, poterit eum absolvere, & ad communionem admittere.

Sed ne Jubilæi quidem alicujus tempore, qui ea quæ ex Edicto publico, Monitoriove Papali, vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absolvantur, nisi denuntiationem rite prius fecerint, ac omnibus, ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Cæterum ante restitutionem, debitamque satisfactionem eos non absolvant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt, modo id facere possint; eos tamen excipimus, qui ex gravi, periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque, ut quamprimum poterint, satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscripti a reme-

Digitized by Google

remediis diligenter usus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare, vel differre debeat absolutionem, dicat pœnitenti, ut de peccatis omnibus, quæ confessus est, reliquisque in universum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omissione commisit, quorum non recordatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

Quod ubi factum est, confessarius ei, maxime si talia ests, qui rarius confiteri solet, peccatorum gravitatem ostendat, ac speciatim ad ea sensim descendat, quibus eum noverit magis involutum, iisque remediis contra eadem armet, & muniat, quæ convenientissima esse judicabit. Proderit autem hac in parte methodum confessariorum bene tenere, vel directorium, atque ejusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde, si fuerit necessarium, injunget ei, ut satisfaciat, & restituat rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absolvet.

Si forte pœnitens aliquam censuram incurrerit, a qua eum absolvere possit, antequam conferat absolutionem a peccatis, eam debet, quæ e censuris datur, præmittere; multum autem juvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reservato teneatur, nisi licentiam absolvendi habeat, eum non absolvat; alias enim excommunicationem incideret a Synodo nostra diœcesana latam. Nec ipsi regulares, quorumvis privilegio, quod maremagnum vocant, vel aliis quibusvis indultis gaudeant, a prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absolvere possunt: quemadmodum Gregorii XIII P. M. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concil. Tridentini interpretatio pertinet, declaravit.

Multo minus sese ingerent ad absolvendum a casibus in Bulla in Cena Domini contentis, vel aliis Sedi Apostolicæ reservatis.

Atque, ut omnes, qui in nostra versantur diœcesi, unam, eandemque absolvendi formam ob servent, hoc qui sequitur, modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes serio, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te absolvo*. Hic itaque omnibus sit præfixus absolvendi modus.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, † & remissionem omnium peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum ego possum, & tu indiges. Deinde:

Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In Satisfactionibus, vel Pœnitentiis, Confessarius circumspectus esse debet, ne adeo leves illæ sint, & faciles, ut potestas Clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, & consors aliorum peccatorum; neque nimia graves, aut longæ jubeantur, ut vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plene non perficiant.

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales ad unguem sciat oportet: nam quamvis illi possint, & debeant secundum prudentis, & morati Confessarii arbitrium mitigari, prout Pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, adque eos tanquam ad amussim respicere, quantum conveniens erit; & quidem confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum, pœnitentiam non habet sequi, tamen Pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta Mater Ecclesia cum Pœnitentibus observat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur. Curet etiam, ut satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque adversum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponent, quæ macerare, ac castigare possunt carnem. Contra avaritiæ peccata, præter restitutiones, quæ fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate, & modo cujusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei, homini humiliato fortitudinem, animique constantiam acquiret. Præcipiet contra negligentiam in iis ediscendis, quæ ad verum pertinet Christianum, conciones sacras, tum etiam, ut ad certum tempus scholas, & Catechistas christianæ Religionis frequentent. Remissis hominibus, qui que in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigide se gerunt, præcipiet, ut adeant templa divinisque officiis assistant, multasque usurpent orationes.

At vero blasphemis, & sacrilega lingua in Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graves, & difficiles injungent, quæque culpæ gravitati respondeant, qua in re Canonibus sacris, pontificiis Decretis, Concilio Lateranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese conformabunt. Verum hac in parte integro judicio, & personarum delectu utentur; non enim omnibus omnia conveniunt: quare non mandent pauperibus, ut liberaliter tribuant eleemosynas, neque iis, qui diurnis sudoribus victum sibi, suisque quæritant, jejunia prolixa; ac simile judicium in reliquis pœnitentiis usurpabunt, & sequentur. Videndum est etiam, ut qui publicis vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non absolvantur, priusquem satisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem iis injunxerint, ut simul cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis resarciant; qua in causa Concilii Tridentini præscriptum observabunt, ac institutionem nostram super hac re in primo, ac tertio provinciali no-

stro

stro latam, quin etiam pœnitentias publicas in alias secretas non commutabunt, nisi expressam a Nobis hujus rei habeant potestatem.

Ut liberior sit Confessarius in exequendo officio quod illi cum Pœnitente est, majoreque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis iis omnibus, quæ ad Pœnitentis salutem referuntur, non solum fugiet studiose avaritiam, sed etiam omnem ejus vel minimam suspicionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid hujusmodi pro Confessionum audientia, non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat; quin potius voce, & reipsa declaret animum se prorsus abhorrentem a talibus habere. Cum Pœnitenti jubebit, ut Missæ Sacrificium faciat uspiam peragi, nec recte, nec oblique significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus iis, cum Pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit.

Sed neque pecunias, aliave, quæ a Pœnitente restituenda sunt, propriis dominis, in se provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo Pœnitens non prodatur; quod cum erit ab eo factum, curet, ne is, cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud Pœnitenti consignet, ac plane eo modo procedat, ut omnem speciem, ac signum avaritiæ subterfugiat. Præ omnibus autem Confessarius caveat, ne verbis, vel signis, vel quocunque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circumstantiam personæ, cum qua peccatum perpetratum est, prodat: denique verbum nullum ex ore ejus excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumvis levissimi, quod in Confessione dictum sit, notitiam veniri possit.

Cumque pro rei alicujus controversæ, quæ in Confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur necesse est: tractetur igitur vel cum iis hominibus, ac modo tali, ut is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoque consultum videtur, ut nullam plane apud alios mentionem faciat ullo tempore peccatorum, quæ in Confessione audiverit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet Pœnitente de peccatis loqui contingat, id non nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquium obtinebit vim Confessionis, quantum ad secreti silentium attinet. Si Pœnitentes a Confessario postulent testimonium sibi dari, quo se ejus confessionem audivisse fateatur, quod illud dicant se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione paschali facere tenentur, eam secundum formam, quæ infra ponitur, scribat. Atqui, eo quod attestationum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessariis, curet Confessarius, ut suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiverit. Attestationis formula hæc erit: 1574. die mensis Sacramentum pœnitentiæ administravi habitanti in Parochia Scribat in primo albo diem, quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen, & cognomen, quarto parochiam, in qua Pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen, cognomen subscribat cum titulo Beneficii, vel Officii ecclesiastici, a quo communiter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Satellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atque quidquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarii manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarii subscriptio. Utile præterea erit si Confessarii omnes in tabulis nomen, & cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, serventque eas tabulas penes se, vel post octavam Paschatis Nobis, aut si in diœcesi sint, Vicariis nostris forensibus exhibeant, idque ut exactius animadvertere possimus, num fraus aliqua in dictis attestationibus a non confesso quodam facta sit.

Pro majore Confessariorum instructione, atque in juvandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, ut certa quadam forma utantur, qua Pœnitentes in gratia accepta perseverare, ac progressum facere doceant, inscriptas adjunximus admonitiones.

Confessarii omnes quemadmodum Patres spirituales decet, circa Pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant necesse est, ut instruantur, diriganturque paulatim ad virtutes christiano homine dignas. Peculiariter autem industriam, & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in patres sibi Confessarios suos cooptant, ut ad eos in dubiis, & controversis suæ conscientiæ rebus quotidie, tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, ut constantissime sibi proponant potius, quam Divinam Majestatem offendant mortaliter, non solum bona, ac honores, sed etiam vitam profundere, vivumque præ se ferant, & salutare desiderium, secundum sanctissimam Dei voluntatem, totam vitam suam expendere.

Quare finem, ob quem creatus est homo, eis ob oculos crebro Confessarius ponat; qui quidem est servire, & obedire in hac vita Divinæ Majestati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia, ac proinde debere hominem exsuscitare animum, & vires sibi sumere, salutique suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus uti, vel abstinere, quatenus, ad hunc finem consequendum adminiculo, vel impedimento esse possint: ad extremum, hunc se totos, actionesque suas, atque universa, quæ in hac vita possident, destinare, ita, ut in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotiis, omnibusque aliis exercitationibus ita sese gerant, ut omnia quasi quædam adjumenta ei esse possint ad ultimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum ipsi Pœnitentes, paratos sese exhibeant, non solum in earum rerum usu, prudentiæ, ac salutari consilio Confessarii libenter acquiescere, verum etiam, si ille omnia plane, vel aliqua ex iis, quæ habent, deserenda esse judicet, causa salutis eorum, semper ei obediant, Confessarius tamen, juxta uniuscujusque conditionem, ac statum, ad finem supra dictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, ut feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine om-

omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, mane videlicet, cum surgunt, ac vesperi, dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos, ut singulis diebus Sacrum audiant, & diebus Dominicis divina officia frequentent.

Particulatim vero modum eis præscribet, orationes mentales faciendi, sive viri, sive mulieres sint, modo tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet, quomodo Rosarium, sive Corona, Officium Beatæ Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei concreditos eo inducet, ut examen conscientiæ quotidie faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces invitantur. Admoneat quoque eos de frequenti confessione, & communione, & paulatim eos secundum D. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut diebus Dominicis communicent. Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabuntur eum paulatim, ac veluti per gradus quosdam eo evehere. Primo hortabuntur, ut quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solemnem Paschæ, quo debent omnes communicare, scilicet festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, omnium Sanctorum, Natalis Domini: deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro Indulgentiis plenariis acquirendis, ac præparatione ad sanctum jejunium quadragesimale, paulo post supperaddat aliquot dies, postea hortentur, ut singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facile ad communionem octiduanam erit progredi.

Speciali cura eos admonebit confessarius, ut dies festos in honorem, servitiumque divinum impendant; quod ut commodius fiat, auctor eis erit, ut alicui societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, piisque operibus expendit: veluti est ea, quam scholam vitæ christianæ dicunt. In universum autem patres, matresve-familias admoneat, ut familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant; qui interim dabunt operam, ut visitent scholas, ubi Doctrina christiana docetur, modo ducant una secum eos festis diebus ad conciones, ad vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem, & communionem eos accommodent. Si qui ex filiis uxorem duxerint, curabunt parentes, ut opera maritorum etiam illæ sacramenta frequentent; vel si uxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant, quod D. Paulus ait: Maritus bonus (inquiens) sæpe uxorem Christo lucratur, similiter & mulier virum. Eis, qui litteras norint, suadebunt, ut libros aliquos pios, & sancte scriptos emant (si modo facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi a tota familia circa Vesperam, præcipue diebus festis: tales sunt, Vitæ Sanctorum Patrum, Gerson de imitatione Christi, opera F. Ludovici de Granada, exercitia vitæ spiritualis, & Rosarium D. Gaspsris Loarte, practica orationis spiritualis P. F. Matthæi Capuccini, & alii similes.

Sæpius divitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse divitiarum, quas possident; quibus ordinem, ac statum suum sustentare, & alere possint; verum id christiane, modesteque faciendum esse, ut non solum in usu divitiarum non supra, quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porro in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere; ad hoc enim obligantur: ac ne forte aberrent a modo convenienti, hominum religiose, pieque sentientium consilium in his sequantur.

Postremo secundum uniuscujusque modum, & conditionem omnibus, & singulis ea præscribant adjumenta, quæ maxime necessaria, utiliaque esse judicabunt, ut in via Mandatorum Domini Dei sui ambulent, & proficiant.

DE MODO IMPONENDÆ POENITENTIÆ.

IN pœnitentia imponenda, adhibebit & prudentiam, & pietatem, & justitiam.

Habebit rationem status, conditionis, sexus, & ætatis.

Videbit, ne ei, qui in aliena potestate est, eam pœnitentiam injungant, qua vel præjudicium afferatur illius juri, qui pœnitentem in potestate habeat, neve eam, qua vel occasio detur spiritualis ruinæ, vel pœnitentis, alteriusve peccatum detegi, vel aliquod scandalum suboriri, vel ipse pœnitens nimium deterreri, remissusve, & tepidus reddi possit. Quamobrem talem imponent, qualem ab eo præstari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere, alioqnin eam mutabit, aut minuet.

Considerabit autem animum, mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lacrymas intimi dolori indices.

Cum hæc parochus pro prudentia, charitateque sua spectabit, tum vero maxime videbit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, id quod & confessoribus, & pœnitentibus periculosum est, cum id a sacris litteris, & a Conciliorum decretis, & a sanctorum Patrum sententia alienum sit; nam divinæ litteræ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, *ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu*. Et vero qui peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt: *Hi* (Canon inquit) *consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Immo Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri eos confessarios, qui dum cum pœnitentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt.

Si quis igitur graviter, publiceque peccarit: cum publicam pœnitentiam instituendam esse sacra Tridentina Synodus decernat, ei publicam pro ratione criminis imponent.

Si

Digitized by Google

Si cui autem, cum publice offenderit, pœnitentia publica imponenda est, is ab ea longe refugiat; ne desistat propterea persuadere, ut suscipiat: si minus persuasionibus potest, consulat Archiepiscopum.

In peccati gravitate perpendeat item, quoties admiserit: nam si quis in eodem peccati genere sæpius offenderit, dignus est, qui graviori pœnitentia afficiatur.

Pœnitentis præterea culpas graves perpendenti, sibi ob mentis oculos proponet canones pœnitentiales, qui lumen & sibi, & pœnitenti quoque afferant; quo videant, quemadmodum pro peccati ratione, pœnitentia & imponenda, & suscipienda sit.

Eorum canonum tamen pœnitentias, ut tempora ferunt, pro caritate, & prudentia sua minuet, prout peccati, & peccatoris circumstantiæ requirent: in quibus, præter eas, quæ paulo ante demonstratæ sunt, rationem etiam habebit contritionis ejus, qui peccavit.

Demonstrabit tamen iis, qui in gravius peccarint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset: nec vero putent sua peccata levia esse, quia parva illa pœnitentia data est; sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideo hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur: injunget præterea pœnitentiam pro culpæ, & personæ ratione ita, ut superbis humilitatis opera, carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, pro peccati gravitate indicat. In oratione negligentibus, ut singulis diebus, mane saltem, & vespere, orationi vacent, feria secunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent; certis item, definitisque diebus, devote visitent stationales, & præcipue devotionis Ecclesias, & Altaria, præsertim in Quadragesima, & in Adventu. Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ consectantibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando: in qua precatione, firmo, stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo.

Pœnitentiæ Genera.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera a sanctis Viris accepta, ecclesiasticæque disciplinæ Interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret, pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Ut se per aliquot dies in Monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & sabbato jejunet; vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur. Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi consecret.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extensis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ante Crucem, aliamve sacram imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut statos Psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis, visitet.

Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

Confessarius superpelliceo, & stola violacei coloris indutus, prius genuflexus orat, ut tanto possit ministerio satisfacere; tum has quoque preces adhibet pro opportunitate.

℣. *Cor mundum crea in me, Deus.*
℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*
℣. *Ne projicias me a facie tua.*
℟. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*
℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
℟. *Et spiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impii ad te convertentur.*
℣. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.*
℟. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

Oratio.

Domine Deus Omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere; qui me indignum, propter magnam tuam misericordiam, ministrum fecisti officii sacerdotalis: & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum Jesum Christum Filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus: ideoque, dominator Deus, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis veni-

venire, qui non vit mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, resipiscant a diaboli laqueis, quibus astricti tenentur; ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

Tum sedet, ut præscriptum est; Pœnitens autem humili habitu, positis genibus, junctis in modum supplicis manibus, se ad confessionem parat.

Confessarius perquirit de illius statu, & interrogat, quæ supra sunt præscripta.

Cum ad confessionem veniendum est, pœnitens primum munit se signo Crucis, dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Deinde benedictionem ab eo petit his verbis: *Benedic, Pater.* Tum Confessarius inquit:

Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & competenter confitearis omnia peccata tua.

Deinde pœnitens dicit orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum, cum ex supra explicatis debet.

Tum recitat confessionem generalem usque ad verba: *Ideo precor*, percutitque pectus ad ea verba, *mea culpa, &c.*

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus sanctis, & tibi, pater; quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: quam si memoriter nescit, adjuvante, suggerenteque Confessore, id præstet; &, si opus est, etiam vulgari sermone.

Peccata sua exinde confitetur adjuvante, quotiescumque opus est, Sacerdote; qui demum interrogat, an alia recordetur, & ejus conscientiam perfectius examinat, prout conditio personæ postulat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis inducere conatur.

Postremo pœnitens accusat se de oblitis, & dicit reliquum confessionis.

Ideo precor B. Mariam semper Virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Deinde pœnitentiam, absolutionemque humiliter petit.

Pœnitentiam Confessarius imponit; remedia peccatorum tradit; mox, si tunc absolvendus est, dicit primo distinctis verbis, ut a pœnitente audiatur, capite aperto, & manibus junctis.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Pœnitens respondet, *Amen.*

Deinde signum Crucis dextra formans, versus pœnitentem dicit:

Indulgentiam, absolutionem, † & remissionem omnium peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Pœnitens respondet, *Amen.*

Deinde caput operit: manu dextera supra caput pœnitentis elevata, & extensa, absolvit hac formula; & dum dicit: *In nomine Patris, &c.* Crucis signum dextera format versus pœnitentem.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius, qua fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum ego possum, & tu indiges.

Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

Tum Sacerdos capite aperto, & manibus junctis dicit.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Pœnitens respondet: *Amen.*

Et Confessarius dicit: *Vade in pace, & noli amplius peccare.*

Neque omittit vitæ præcepta tradere, & omnino saluti pœnitentis consulere, ut supra explicatum est.

De Absolutione ab Excommunicatione.

SI certum sit, aliquem incurrisse excommunicationem, & absolutionem debita pietate postulet, si Confessarius absolvendi potestatem habeat, eum forma a jure præscripta absolvet, his servatis.

Primo; ut in magnis saltem criminibus excommunicationis, juret parere mandatis Ecclesiæ super eo, de quo est excommunicatus.

Deinde; ut pro offensa, aut damno parti satisfaciat, si, & quatenus tenetur satisfacere: &, si non potest in præsenti, promittat, & caveat cautione saltem juratoria.

Postremo eum absolvet, cujus absolutionis quamvis non sint determinata verba, hac tamen infra descripta usitata formula, & ratione utetur.

Sed mulierem absolvendam nunquam humeros nudare jubebit, neque absolvens verberabit.

Neque etiam virum secreto confitentem, si sit in præsentia alterius. Si vero occulto fit, aut forte absolutio danda sit in foro exteriori, omnia servabuntur.

Absolvendi Ratio.

Pœnitentem igitur utroque genu flexo, & manibus simul junctis, humerisque paululum nudatis, virga, aut funiculis percutit, dicendo Psalmum quinquagesimum, *Miserere mei*, aut alium ex pœnitentialibus, cum *Gloria Patri, &c.*

Deinde dicit, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster*, &c. secreto.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Salvum fac servum tuum.*
℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*

℣. *Do-*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor noster ad te perveniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis catena constrinxit, miseratio pietatis tuæ clementer absolvat. Per Dominum nostrum &c.

In qua oratione mutandum est genus, prout quis mas est, vel femina.

Quibus peractis, eum absolvit hac formula:

Ego absolvo te a vinculo excommunicationis, & restituo communioni Fidelium. In nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

Si quando committatur Confessario absolutio suspensionis, vel interdicti, quamvis nulla sint verba constituta, hac formula utetur.

Ego absolvo te a vinculo suspensionis, vel interdicti. In nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

CANONES POENITENTIALES.

Quorum cognitio Parochis, Confessoribusque necessaria est, dispositi pro ratione, ordineque Decalogi.

PAtres docuerunt, quam necessaria admodum sit sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum, ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt, certe norma hæc e canonibus pœnitentialibus sumatur, oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam sacerdotes confessarii ita diriguntur, ut ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum demum pœnitentiam judicio, ac prudentia sua moderentur. Atque hæc quidem, omnisque alia, quæ multiplex est hujus necessariæ cognitionis ratio a patribus explicata, facit, ut, quemadmodum loco suo supra dictum est, canones pœnitentiales pro Decalogi ratione dispositi, in hanc libri partem referantur, unde aliqua eorum notitia ab ipsis confessariis sacerdotibus sumi possit.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi a fide Catholica deficiscens, intimo, summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem. Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari debet.

Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia erit annis ita decem.

Qui more gentilium, elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel ædibus exstruendis, vel arboribus conferendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui ritu paganorum observaverit calendas Januarii, in pœnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui festa Gentilium celebrarit, pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honorem Jovis honoraverit, pœnitens pane, & aqua victitabit dies quadraginta.

Qui conviviis Gentilium, & escis immolatitiis usus erit, publicam pœnitentiam aget.

Qui comederit de idolotytho, pœnitens victitabit pane, & aqua dies triginta.

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit dies decem, pane, & aqua victitans.

Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens sit annos septem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum, vel, ut alio canone cavetur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui Magos consuluerit, quive domum suam induxerit, aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit, & qui ei consentit, quive consulit, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos septem, tres in pane, & aqua.

Qui vero crediderit, particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ad fascinum præcantaverit, pœnitentiam agat quadragesimas tres in pane, & aqua.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus erit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis, sorte ducta, res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens futura in astrolabio, annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portarit ad quærendum judicium Dei, pœnitentiam aget ut Magus.

Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aqua.

PRÆ-

PRÆCEPTUM SECUNDUM.

Non assumes Nomen Dei tui in vanum.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam in testimonium recipiatur; & post hæc communionem percipiat.

Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel in cruce consecrata, altarive, pœnitentiam aget annos tres, in cruce non consecrata, annum unum.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat domini impulsu, pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas: dominus autem, quia præcepit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosve in perjurium induxerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua, & septem sequentes annos; & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis suspicatus se ad perjurium induci, ex consensu jurat, pœnitentiam agat dies quadraginta, & septem annos sequentes, & nunquam sine gravi pœnitentia erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, Quadragesimam in pane, & aqua jejunet, & quamdiu vivit, omnes sextas ferias.

Si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & Monasterium ingressus, jugi se pœnitentiæ subdet.

Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus, perjurium commiserit, in pœnitentia erit Quadragesimis tribus.

Si quis coactus pejeraverit, pœnitens quadraginta diebus pane, & aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus ignorans, & postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel Quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falsum juret, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem annos in pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo se Regi, & Domino suo adstrinxerit, violaverit, in Monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua per annum a sacra communione segregatus, ad charitatem vero celeriter redeat.

Si per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua, & pane septem dies victitet: si secundo, ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die, sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus, singulis septem illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem pascat si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur: recusans, Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, ecclesiastica sepultura careat; Dives a Magistratu mulctatur pœna solidorum quadraginta, alioqui triginta, seu viginti.

De hoc detestabili peccato extat Sanctio Leonis decimi, Pontificis, in Concilio Lateranensi, sessione nona.

PRÆCEPTUM TERTIUM.

Sabbata sanctifices

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI opus aliquod servile die Dominico, festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane, & aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit, qui navigarit, aut equitarit, dies septem pœnitentiam aget.

Si quis per contemptum in Dominica jejunaverit pœnitens erit hebdomadam unam: si iterum, dies viginti, si præterea tertium, dies quadraginta.

Si quis ante Ecclesias, vel die festo, saltationes (quas ballationes vocant) fecerit emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus. *In græco Codice*, Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane, & aqua.

Si quis sacram Communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, pœnitentiam aget dies decem in pane & aqua.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum Divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis Festa Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, nisi infirmitate impediente, alio loco celebrarit, quam ubi domicilium habet, pœnitens erit dies item decem in pane, & aqua.

Si quis jejunia a sancta ecclesia indicta violarit, pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Quadragesima, carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac præterea carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium Quatuor Temporum non custodierit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui neglexerit in quatuor his Solemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Pascha, Pentecoste, & in Natali Domini, sacram Communionem sumere, aget pœnitentiam in pane, & aqua dies viginti.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆCEPTUM QUARTUM.

Habeas in honore Parentes.

Canones Pœnitentia.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI Parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane, & aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiu pœniteus, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, Pastores, & Patrem suum insurrexerit, uno in loco, Monasteriove pœniteat am aget omnibus diebus vitæ suæ. *Addit Gratianus*, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno Monasterio, &c.

Eadem pœnitentia afficiatur, qui contra Presbyterum.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum conspiraverit, gradu suo amovebitur. Itidem si insidias tetenderit.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane, & aqua pœnitentiam dies quadraginta.

Qua pœnitentia etiam afficiatur, si quis ita conspiraverit, ut ejus Ministrorum præcepta contemnat.

Si quis item presbyteri, parochive sui præcepta irriserit, pœnitens item erit dies quadraginta in pane, & aqua.

PRÆCEPTUM QUINTUM.

Non occides.

Canones Pœnitentia.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI Presbyterum occiderit, pœnitentiam agat annos duodecim. Item,

Si quis Sacerdotem voluntarie occiderit, carne, & vino abstineat cunctis diebus vitæ suæ, quotidie, exceptis festis, Dominicisque diebus, jejunet, non equitet, non arma ferat, non Ecclesiam ingrediatur quinque annis, sed præ ejus foribus stet.

Post quinque annos Ecclesiam ingrediatur licet: nondum vero communicet, sed inter audientes sit. Decimi anni cursu confecto, communicet, & equitet licet.

Qui vel ipse, vel de ejus consilio, aliquem ecclesiastici Ordinis, Psalmistam, aut Ostiarium, aut Lectorem, aut Exorcistam, aut Acolytum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum, per singulos ordines singulariter pœnitentiam agat: pro Psalmista carinam unam, nempe quadraginta dies in pane, & aqua: pro Ostiario itidem: pro Lectore itidem: pro Exorcista similiter: pro Acolyto similiter: pro Subdiacono similiter: pro Diacono similiter. Quapropter omnis, qui interfecerit voluntarie Presbyterum, ita pœnitere decet, ut octo homicidia commisisset, & nunquam debet esse sine pœnitentia.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam agat annos vig nti octo.

Si quis Presbyterum armis contra se irruentem occiderit, pœnitens erit annos decem.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu, abstineat a carne, & vino, dum vixerit: jejunet secunda, & quarta, & sexta feria. Item.

Si quis parricidium fecerit, id est patrem, aut matrem, fratrem, sororem, patruum, amitam, aut materteram occiderit: si casu, usque per iram fecerit, ut homicidii sponte commissi pœnitentiam aget; si sponte, & iratus, præ foribus Ecclesiæ per annum stabit Deum orans. Anno peracto, in angulo ecclesiæ per annum item stabit. Quibus peractis si pœnitentiæ fructus in eo conspicietur, sacræ Communionis particeps fiet, carne abstinebit tota, quotidie jejunabit, præter dies festos, a vino, cerevisia, mellita abstinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus, quocumque ierit, iter faciet, armis nunquam utetur, nisi contra Paganos, uxorem, si non haber, nunquam ducet. Item.

Qui voluntarie genitorem suum, aut genitricem occiderit, extra patriam septem annis exul fiat; tunc demum usque ad mortem cum fletu, & gemitu pœniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum, vel filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat; deinceps viginti annis pœniteat. Qui vero voluntarie avum suum, vel aviam suam, vel neptem suam, vel patruum, aut avunculum suum, seu amitam, sive materteram, aut filium, aut filiam germani sui aut germanæ, seu consobrinum suum, sive consobrinam suam occiderit, id est a tertia usque ad septimam: si vero tertia fuerit, duodecim annis inermis pœniteat: si quarta, undecim annis pœniteat: si quinta, decem: si sexta, novem: si septima, octo annis pœniteat. Si autem nolens, arbitrio Sacerdotis pœniteat.

Qui voluntarie patrem suum, aut matrem, vel filium, aut filiam de sancto lavacro, seu fratrem, & sororem in Christo, aut dominum suum, vel dominam, seu uxorem suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis pœniteat. Si vero nolens, septem annis pœniteat. Qui vitricum suum voluntarie occiderit, aut novercam, seu privignum, sive privignam, vel socerum suum, aut socrum suam, seu generum suum, sive nurum, decem annis pœniteat. Si vero nolens, quinque annis pœniteat.

Si quis filium non sponte occiderit, ut homicidii sponte commissi pœnitentia afficietur.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta septennali pœnitentia, in Monasterium detrusa monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si quæ mulier post partum, filium, filiamve sponte interfecerit, pœnitentiam aget annos duodecim, & nunquam erit sine pœnitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi commiserit, annos septem.

Si

Digitized by Google

Si quæ mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: si nolens, Quadragesimas tres. Item.

Mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum: si vero post quadraginta dies, annos tres: si vero postquam editus est in lucem, tamquam homicida.

Quæ sceleris occultandi causa filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea Quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, & quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Infans infirmus & paganus, si commendetur Presbytero, si moritur absque Baptismo, deponatur: & si per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, homicida teneatur.

Occidisti uxorem tuam, legitimo matrimonio sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ: non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem: sed incitatus a diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni bellua, eam gladio tuo interemisti. Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo: qui matri non pepercisti, & filios tuos ideo orphanos fecisti, ut superinduceres mortis causam post mortem. Et per unum homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam, hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius testimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel judicetur.

Quanto magis per istum tam flagitiosum, & scelestum, nec illa viva debuit condemnari; nec tu poteris post ejus mortem excusari. Prius causa criminis subtiliter erat investiganda: & tunc, si rea fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam etsi verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses; occidere eam nullatenus debuisti. Duo consilia proponimus tibi: accepta tecum deliberatione duorum, elige magis quod placeat, & miserere animæ tuæ: & tu hic in isto angusto tempore positus, ne sis tu ipse tuimet homicida, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tale immanissimum peccati facinus; multorum fratrum precibus adjutus observa cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Istud consilium tu certissime scias levius, ac salubrius esse; ut sub alterius custodia lugeas deflenda peccata.

Secundum autem consilium tale est. Arma depone, & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem, & sagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Natalis Domini. Cæteris temporibus in pane, & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In jejuniis, & vigiliis, & orationibus, in eleemosynis persevera omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam, & cerevisiam nunquam bibas, nisi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque conjugio perpetuo permaneas. Numquam te in balneo laves, equum non ascendas, causam tuam, & alterius, in conventu Fidelium non agas. In conviviis lætantium nunquam sedeas, in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, & egredientium orationibus te suppliciter commendes. Communione sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes, in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico (si observaveris consilium) ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris essent adjicienda: sed, si hæc omnia quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde, Deo auxiliante, perfeceris, & custodieris, confidimus de immensa clementia Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum: & secundum boni, justique Pastoris imperium resolvat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in Cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ Matris Ecclesiæ salutare consilium despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas, sanguisque tuus sit super caput tuum, & sub indissolubili anathemate permaneas, donec Deo, & sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si mulier causa fornicationis, veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit, quia dominum & seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in Monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis ejus cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiat; si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem; ex alterius Canonis præscripto, annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficietur.

Alius Canon de Homicidio voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio vel possidendæ hæreditatis causa, primo jejunet in pane, & aqua, deinde pœnitentiam agat annis septem: primo anno post illos quadraginta dies, a vino, caseo, & pisce abstinebit, in secundo, & tertio similiter jejunet: tertiam autem, & quintam feriam, ac Sabbatum redimere potest: reliquis quatuor annis jejunabit in singulis tres

Quadragesimas, primam ante Pascha, alteram ante diem festum Sancti Joannis Baptistæ, tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium pro vindicta parentum, ita pœnitentiam aget, ut homicida voluntarius; itidem pro vindicta fratris.

Qui pro vindicta fratris, annum unum, & in sequentibus duobus annis tres Quadragesimas, & legitimas ferias.

Si quis per iram subitam, aut per rixam, hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis jussu domini, homicidium perpetrarit, dies quadraginta in pane, & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui in bello publico, jussu Principis legitimi Tyrannum interfecerit, pœnitens erit tres Quadragesimas per legitimas ferias.

Qui liber, jubente majore suo, innocentem occiderit, pœnitentiam aget annum, & sequentes duos, tres Quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, erit in Pœnitentia quadraginta dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aliis occidatur, licet ipse non occiderit, pœnitentiam aget quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos observabit.

Qui accusarit aliquem, ob eamque accusationem occisus est, quadraginta dies in pane, & aqua cum septem sequentibus annis in pœnitentia versari debet; sin autem ob accusationem debilitatus est, tres Quadragesimas pœnitebit per legitimas ferias.

Qui homicidium perpetrarit, leviorem pœnitentiam explebit.

Qui publice pœnitentem occiderit, tanquam de homicidio sponte commisso, duplicem pœnitentiam aget.

Qui furem, aut latronem interfecerit, quadraginta dies ab Ecclesiæ ingressu abstinebit; & præterea in tertia feria, & in sexta, & Sabbato jejunabit.

Si quis casu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua: his peractis, biennio ab oratione Fidelium segregatus non communicabit, neque offeret: post biennium, in communionem orationis suscipietur: offeret autem, non tamen communicabit: post quinquennium, ad plenam Communionem recipietur, & a cibis abstinebit arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem, tamquam feram aliquam latentem, inopinato occiderit, quadraginta dies pœnitentiam aget in pane, & aqua, & quinque sequentes annos arbitratu Sacerdotis.

Si plures homines unum per rixam adorti occiderint, quicumque eorum plagam ei inflixerit, tamquam homicida, pœnitentiam aget.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, pœnitentiam aget annis septem; tres in pane, & aqua: sin autem voluerit, nec vero potuerit, tres tantum annos.

Si quis nolens homicidium patrarit, pœnitebit quinque annis, & duobus in pane, & aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias: sique cicatrix gravis est, ut vulneratum deformem reddat, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane, & aqua.

Si quis ictum Proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane, & aqua: Clericus unius anni, & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit, soluta medicamenti impensa, si Laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua: si Clericus, duas quadragesimas; si Diaconus septem mensibus, si Presbyter, uno anno.

Si quis Episcopus homicidium fecerit, in pœnitentia sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoveatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat. Presbyter pœnitens erit annos duodecim; quatuor ex his in pane, & aqua, & Sacerdotii gradu privetur: Diaconus annos decem: tres ex his in pane, & aqua: Clericus inferioris Ordinis annos septem: tres in pane, & aqua.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, & aqua pœnitentiam agat, quoad reconcilietur.

PRÆCEPTUM SEXTUM.

Non furaberis.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras Reliquias furatus est, illis restitutis, septem carinas jejunabit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet: si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem.

Si quis vel ecclesiasticas oblationes rapuerit vel rapientibus consenserit, quadruplum restituet, & canonice pœnitens erit.

Sacrilegus, rerum ecclesiasticarum invasor, uno anno extra Ecclesiam Dei maneat: secundo anno præ foribus Ecclesiæ sine communione maneat; tertio anno in Ecclesia inter audientes sit sine oblatione, carne, vinoque abstineat, præterquam in Pascha, & die Natali; quarto anno, si uberes triennio pœnitentiæ fructus exibuerit, communioni Fidelium restituatur, ea lege, ut spondeat se imposterum tale quidquam non commissurum; præterea sine esu carnis, & potatione vini usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiamque aget annos quindecim, pretium det pauperibus. Itidem qui incendio consenserit.

Si quis malo studio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incendium commiserit, committive jusserit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit, excommunicabitur: si mortuus erit, christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit, jureque se imposterum tale facinus nunquam admissurum. Pœnitentia præterea hæc ei constituetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei totum annum permaneat.

Si

Digitized by Google

Si quis sepulcrum violaverit, pœnitens erit annos septem; e quibus tres in pane, & aqua.

Qui sepulcrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt aliquid retinuerit, pęnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui hospitalis domus administrator, aliquid de administratione subtraxerit, restituet, quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, & pœnitens eris dies triginta in pane, & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit. Laicus quinquennii; & quod furatus est reddat.

Si quis per necessitatem, cibum, vel vestem furatus sit, in pęnitentia erit hebdomadas tres: si reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit nocte alicujus domum, aut aliquid auferet, pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane, & aqua: si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, pęnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tanquam de furto pęnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit: ideoque quicumque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

PRÆCEPTUM SEPTIMUM.

Non mœchaberis.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Si Laicus solutus cum fęmina soluta concubuerit, pęnitens erit annos tres: & quanto sæpius, tanto majori pęnitentia afficietur.

Itidem, qui cum ancilla coierit.

Uxor, conscio viro, mœchata, nc in obitu quidem communicabitur: si dignam pęnitentiam egerit, post decem annos sacram Communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pęnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, & septem præterea annos, e quibus unum in pane item, & aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pęnitentia erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pęnitentiam aget annos septem; mulier quinque.

Mulier soluta, cum alterius marito adulterium patrans, pęnitentia afficietur decennali: ille quinquennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pęnitentiam aget annos quinque.

Si sæpius mœchatus est, in fine mortis est conveniendus: sique promiserit se cessaturum, dabitur ei communio.

Qui sæpe fornicatur, laicus cum laica pęnitentiam aget tres annos.

Si quis uxorem simul, & concubinam habuerit, in pęnitentia erit annos septem, & amplius pro ratione culpæ.

Maritus, si ancilla concubina utitur, pęnitentiam aget annum unum, Quadragesimas tres, & legitimas ferias tribus mensibus. Illa, si invita violatur, quadraginta dies; si consentiens, Quadragesimas tres, & legitimas ferias.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pęnitens erit quadraginta dies.

Si quis Adolescens cum Virgine peccarit, pęnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si Clericus est, quinque dies Pęnitentiam aget: Monachus, vel Sacerdos, a ministerio suspensus, pęnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se laverit, pęnitentiam aget triduo.

Qui concupierit Virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum unum per legitimas ferias: si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Si quis mulierem alii desponsatam in matrimonium duxerit, eam dimittet, & pęnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua, cum septem annis sequentibus.

Vidua, quæ stuprum admiserit, pęnitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies jejuniorum.

Si quis cum uxoris suæ sorore per imprudentiam, fornicationem admiserit, pęnitentiam sibi indictam aget, si probaverit se tale scelus insciente fecisse.

Cum duabus sororibus fornicatus, pęnitentiam aget toto suæ vitæ tempore. Item.

Qui cum duabus sororibus, vel cum noverca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, vel quod denique incestum admiserit, ab ingressu Ecclesiæ abstinebit annum unum: quo anno, præter festos dies, pane solum, & aqua utetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, sacram Communionem, nisi pro viatico, non sumet: sex deinde annis Ecclesiam ingredietur, sed carne, & vino, & sicera non utetur, nisi festis diebus. Postea vero duobus annis, quando carne vescetur, a potu vini abstinebit: quod si biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præcipuis festis: deinde usque ad obitum perpetuo, præter festos dies, a carne abstinebit, tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunabit, & Quadragesimas tres singulis annis legitime custodiet.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, vel decem, alii septem, pęnitentiam constituunt.

Quicunque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pęnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pęnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim: deinde in Monasterium abiens toto vitæ tempore ibi

Digitized by Google

Deo serviet: Femina autem res suas in eleemosynas pauperibus conferet, in monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam aget annis quindecim.

Qui Monialem violarit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus a ceteris remotus, pane, & aqua jejunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, & legumine utetur, sacco indutus humi cubabit, diu noctuque misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum, & sex menses in pœnitentia, jejunioque panis, & aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, ovisque canonice uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, sacræ communionis particeps fiet, psalmos in choro ultimus canet, officia minora geret.

Postea vero quam septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore, præter Paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, & aqua jejunabit. Expleto septennio, usque ad finem decimi anni, & sextam feriam, in pane, & aqua jejunabit.

Qui cum brutis coierit, pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam coierit, si servus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos, si liber est; matrimonio junctus, annos decem: si solutus, annos septem: puer dies centum: Laicus matrimonio conjunctus, si in consuetudine habet, annos quindecim: si Clericus, de gradu amotus, ut Laicus, pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim: si Clericus diuturniori, & graviori pœnitentia afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir se inquinans primo, dies decem: si iterum, dies viginti: si tertio, dies triginta; sique nefarie agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet; si puer, dies quadraginta; si major quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppressus a majore, hebdomadam jejunabit si consenserit, dies viginti: si coinquinatus erit, dies centum: si voluntatem suam expleverit, annum unum.

Qui complexu feminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta; qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti: si vero impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias. Item,

Qui hoc facinus admiserit, sacram communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quæ mulier cerussa alioque pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

PRÆCEPTUM OCTAVUM.

Non falsum testimonium dices.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui affirmarit verum, quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter; ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Qui Proximo falsum crimen objicit, pœnitentia afficietur, ut falsus testis.

Qui Proximo peccatum imputarit, priusquam seorsim eum arguerit, primum illi satisfaciens pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra Proximum lingua lascivius erit, tridnana pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane, & aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit, pœnitens erit in pane, & aqua dies viginti.

Falsarius in pane, & aqua pœnitentiam agat quamdiu vivit.

PRÆCEPTUM NONUM.

Non concupisces rem Proximi tui.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiscit, furtum est: qui item aliena rapere cupit, rapina est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis reus, pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam Proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit; cujus pœnitentiam aget, ut supra dictum est de furto.

PRÆCEPTUM DECIMUM.

Non desiderabis uxorem proximi tui.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Si quis concupiscit fornicari: si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si Presbyter, quinque: si Diaconus, vel Monachus, tres, e qui-

quibus unum in pane, & aqua: si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis insomnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet septem Psalmos Poenitentiales, & dies triginta poeniteat.

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, poenitens erit dies septem.

CANONES POENITENTIÆ.

De septem Peccatis capitalibus.

CApitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpote e quibus omnia vitia principium habent, sunt Superbia, Vanagloria, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, & Acedia.

Pro capitali, mortalique crimine poenitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, & personæ status, severiorem, diuturnioremque poenitentiam requirat.

Pro capitali crimine poenitentiam aget Laicus annos quatuor, Clericus quinque, Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, Episcopus duodecim.

Sed demonstratæ jam paulo ante sunt pœnitentiæ, quæ ex Canonum disciplina constituuntur fere pro peccatis mortalibus, quæ ex his septem capitalibus vitiis originem trahunt. Pro Gulæ autem vitio sunt hi præcipui pœnitentiæ Canones.

CANONES POENITENTIÆ.

De Gula, & Ebrietate.

SAcerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua pœnitentiam agat dies septem: si negligenter, dies quindecim: si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aqua mensibus tribus: si Clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus graviter arguatur, & pœnitentiam agere a Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem: si per contemptum dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plus, quam naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui pro ebrietate, & crapula vomitum fecerit; si Presbyter aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta.

Si monachus, aut Clericus, dies triginta.

Si laicus, dies quindecim.

Si Laicus item, a vino, & carne abstineat dies tres.

Si quis gulæ causa ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane, & aqua.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam aget in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ.

De variis Peccatis.

SI quis Sacerdos Missam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat; nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta & sexta, a vino, & carnibus jejunet.

Sacerdos, Sacerdotii sui gradu, ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione Corporis, & Sanguinis Jesu Christi usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta diebus; si super Altare, & ad pannum unum transiit, diebus duobus; si usque ad pannos duos, diebus quatuor; si usque ad tres, diebus novem; si usque ad quatuor, viginti.

Si incaute dimisit, quamvis nil nefandi acciderit, tribus mensibus a sui muneris administratione amovetur.

Qui per ebrietatem Eucharistiam evomit; si Laicus est, quadraginta diebus; si Clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus, pœnitentiam agat diebus septem.

Scienter rebaptizatus, si propter hæresim hoc scelus admittit, pœnitentia afficiatur septem annorum, quarta & sexta feria jejunans, & tribus item Quadragesimis pane, & aqua.

Si vero pro munditia hoc facere putarit, eum pœniteat tribus annis: quod si ignoranter, non peccat; sed ideo non promovendus, licet sit excellens.

Si Episcopus, Presbyter, Diaconusve sponte est rebaptizatus, quamdiu vivit pœnitens sit, alii vero Clerici, & Monachi, & Moniales, ab Hæreticis volentes rebaptizari pœnitentiam agant duodecim annos.

Sacerdos, qui interest clandenstinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Sacerdos, qui palliis Altaris mortuum involvit, pœnitens sit decem annis, quinque mensibus; Diaconus autem annis tribus, & sex mensibus.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis tribus pœnitentiam aget.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane, & aqua victitans.

DECLARATIONES EX POENITENTIALI ROMANO.

POEnitentia unius anni, qui in pane, & aqua jejunandus est, talis esse debet. In unaquaque hebdomada tres dies, id est, ferundam feriam, quartam, & sextam in pane, & aqua jejunet; & tres dies, id est tertia feria, & quinta, & Sabbatho, a vino, medone, mellita, cere-

Digitized by Google

visia, a carne & sagimine, & a caseo, & ovis, & ab omni pingui pisce se abstineat: manducet minutos pisciculos, si habere potest: si habere non potest, tantum unius generis piscem, & legumina, & poma, si vult, comedat, & cerevisiam bibat: & in diebus Dominicis, & Natalis Domini, illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavum diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa Sancti Joannis Baptistæ, & Sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & sancti Michaelis, & sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & in illius Sancti festivitate, qui in illo Episcopatu celebris habetur; in his supradictis diebus faciet charitatem cum cæteris Christianis, id est, utatur eodem cibo, & potu, quo illi: sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

Pœnitentia secundi anni talis esse debet, ut hos dies, id est, secundam feriam, & quartam in unaquaque hebdomada jejunet usque ad vesperam, & tunc reficiatur de sicco cibo, id est, pane, & leguminibus siccis, sed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis; unum eligat ex his tribus, & utatur, & cerevisiam bibat; sed sobrie: & tertium diem, id est, sextam feriam in pane, & aqua observet, & tres Quadragesimas jejunet, primam ante Natalem Domini, secundam ante Pascha, & tertiam ante Missam Sancti Joannis: & si totam Quadragesimam ante Missam Sancti Joannis implere non possit, post Missam impleat; & in his tribus Quadragesimis jejunet duos dies in hebdomada ad nonam, & de sicco cibo comedat, ut supra notatum est: & sexta feria jejunet in pane, & aqua; & in diebus Dominicis, & in Natali Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavam diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa Sancti Joannis Baptistæ, & Sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & Sancti Michaelis, & Sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & in illius Sancti festivitate, qui in illo Episcopatu celebris habetur: in his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis; sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, quinquaginta Psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, decantet: sin autem, in loco convenienti eadem faciat, & unum pauperem pascat; & eodem die, excepto vino, carne, sagimine, sumat quidquid velit.

Qui in Ecclesia genua centies flexerit, id est, si centies veniam petierit, si fieri potest, ut in Ecclesia fiat, hoc justissimum est: si autem hoc fieri non potest, secrete in loco convenienti eadem faciet; si sic fecerit, eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placeat: qui Psalmos non novit, unum diem, quem in pane, & aqua pœnitere debet, dives tribus denariis, & pauper uno denario redimat, & eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quidquid velit.

Qui vero Psalmos non novit, & jejunare non potest, pro uno anno, quidem in pane, & aqua pœnitere debet, det pauperibus in eleemosynam viginti duos solidos, & omnes sextas ferias jejunet in pane, & aqua, & tres Quadragesimas, id est, quadraginta dies ante Pascha, & quadraginta dies ante festivitatem Sancti Joannis Baptistæ; & si ante festivitatem aliquid remanserit, post festivitatem adimpleat, & quadraginta dies ante Nativitatem Domini: in his tribus Quadragesimis quidquid suo ori præparatur in cibo, vel in potu, vel cujuscumque generis illud sit, æstimet, quanti pretii sit, vel esse possit, & medietatem illius pretii distribuat in eleemosynam pauperibus, & assidue oret, & roget Deum, ut oratio ejus, & ejus eleemosynæ apud Deum acceptabiles sint.

Item qui jejunare non potest, & observare quod in Pœnitentiali scriptum est, faciat hoc, quod Sanctus Bonifacius Papa constituit. Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, roget Presbyterum, ut Missam cantet pro eo, nisi sint crimina capitalia, quæ confessa prius lavari cum lacrymis debent, & tunc ipse adsit, & audiat Missam, & devote ipse offerat propriis manibus panem, & vinum manibus Sacerdotis, & intente respondeat, quantum sapit, ad salutationes, & exhortationes Sacerdotis: & humiliter Deum deprecetur, ut oblatio, quam ipse Presbyter pro peccatis suis Deo obtulerit, Deus omnipotens misericorditer per Angelum suum suscipere dignetur: & eo die, excepto vino, & carne, & sagimine, comedat quidquid vult, & sic redimat aliquos anni dies.

Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit, unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadis det solidos viginti; si non habuerit, unde tantum dare possit, det solidos decem; si autem multum pauper fuerit, det solidos tres: neminem vero conturbet, quia jussimus dare solidos viginti, aut minus; quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos viginti, quam pauperi tres; sed attendat unusquisque, cui dare debeat, sive pro redemptione captivorum, sive super sanctum Altare, sive Dei servis, sive pauperibus in eleemosynam.

Qui non potest sic agere pœnitentiam, ut superius diximus, faciat sic: si tres annos continuos jejunare debet, & non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in eleemosynas solidos viginti sex, in secundo anno eroget in eleemosynas solidos viginti, in tertio anno solidos decem, & octo; hi sunt sexaginta quatuor solidi: potentes autem homines plus dare debent; quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, & qui illicita committunt, etiam a licitis se abstinere debent, & corpus debent affligere jejuniis, vigiliis, & crebris orationibus: caro enim læta trahit ad culpam, afflicta reducit ad veniam.

Aliæ Declarationes Breves.

Confessarius, cum ex iis, quæ conscripta sunt, intelligat, pro ratione & temporum, & personarum, diversas pœnitentias fuisse, earumque redimendarum certam rationem adhibitam esse; arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis, moderandisque aget, ut initio traditum est.

De pœnitentia per legitimas ferias constituta, Confessarius animadvertet, eo nomine intelligi feriam

feriam secundam, quartam, & sextam, Canonum legibus pœnitentiæ, jejunioque præscriptam.

Carinæ jejunium, quod aliquando pœnitentiali Canone cavetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane, & aqua fiebat, ut sæpenumero Burcardus interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

Pœnitentia per tres Quadragesimas indicta, ita intelligitur, ut cui imponebatur, is in anno pane & aqua jejunaret: Quadragesimas tres, quarum prima est ante diem Natalem Domini, altera ante Pascha Resurrectionis, tertia, quæ scilicet per dies tredecim, ante diem festum sancti Joannis Baptistæ agebatur; quemadmodum ex Concilii Salegustadiensis decreto perspici potest.

S. FRANCISCI XAVERII

Indorum, & Japonum Apostoli, zelo Catholicæ Fidei propagandæ, toto Orbe celeberrimi.

AD CONFESSARIOS

GRAVISSIMA ADMONITIO.

De optima Sacramenti Pœnitentiæ Administratione.

Ex Tursellino lib. 6. Vita ejus cap. 17. ita prænotato.



SI quando locupletes, atque opulenti Negotiatores, Magistratus, aut Præsides vitæ solutioris ad Confessionem accederent, ante omnia censebat, eos sedulo admonendos, ut sumpto spatio bidui, tridui-ve, intentius in anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia (si diffiderent memoriæ) mandarent litteris, dolorisque sensum, contritionemque a Deo suppliciter peterent. Inde principio Confessionis rationem ab eis exquirendam dicebat munerum, curationumque, quibus præessent, negotiorum, quæ tractarent, qua sedulitate, quâ in iis se gererent, gessissentve. Quippe hisce percontationibus explorari facilius posse, ecquid oporteret restitui, quam si generatim interrogarentur, nunquid cuiquam restituere deberent; quid ad tales interrogationes prorsus abnuere consueverint, seu lucri cupiditate, seu rerum inscitia excæcati, confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam, ac remediis curandas. *Neque tamen a Confessione absolvendos illico, sed posteaquam ea, quæ deberent, persolverint.* Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum. *Confessionem non continuo sequatur absolutio. Sed biduum, triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim 1. Animarum maculas voluntariis eluant pœnis, 2. Si quid cui debent, restituant. 3. Simultatibus, si quas habent, depositis. 4. Redeant cum inimicis in gratiam. 5. A libidinis consuetudine. 6. Cæterisque, quibus implicati sunt, flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectius, quam sequantur. Namque istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos: Post absolutionem fidei datæ immemores, promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est, ut absolvendi refresentent, quod præstare debent absoluti &c.* Confitentibus porro, non fest natam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut præoptarent, Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properantes. Qui enim confitentes intentius excuti possent? Qui eorum odiis, fraudibus, vitiis adhiberi remedia, *nisi per otium curarentur?* An vero dubium esse, quin confessio una recte instituta, multis cursim peractis præferenda sit? *Cum præsertim confessio auditum aperiat ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum.* Postremo monebat Confessarios, ut sumpto spatio, in auditas ab se confessiones inquirentes, viderent intentius, ecquid in delictis aliorum expiandis, ipsi deliquissent, & quæcumque in alienis peccassent, confessionibus expiarent suis, eaque delicta in posterum summa vi corrigere niterentur: Hoc quippe studium, sed recte, atque utiliter Confessarii munus obeundum maximo adjumento futurum.

Digitized by Google

SESSIO XIV.

SACRI CONCILII TRIDENTINI.

DE POENITENTIA.

CAPUT I.

De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.



I ea in regenerationis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum (*Psalm.* 102. *Ephes.* 2.) illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur; unde Propheta ait (*Ezech.* 18.) Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit (*Luc.* 13.) Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis, pœnitentiam commendans, dicebat: (*Act.* 2.) pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Porro nec ante adventum Christi, pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: (*Joan.* 3. *Matth.* 16.) Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianor, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAPUT II.

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi.

Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur: nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? (1. *Cor.* 5.) Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus (1. *Cor.* 12.) lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat; sed ante hoc tribunal, tamquam reos, sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea Baptismi, alius pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum (*Galat.* 3.) induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAPUT III.

De partibus, & fructu hujus Sacramenti.

Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.*, quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Sane vero res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus

tus consolatione consequi solet. Hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem contendunt.

CAPUT IV.

De Contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiam odium continere, juxta illud: (*Ezech.* 18.) Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: (*Ps.* 50.) Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: (*Ps.* 6.) Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: (*Isaia* 38.) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; & alios hujus generis: facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adhibendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter (*Jona* 13. *Matt.* 12. *Luca* 11.) concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium gratiam conferre; quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit: sed & falso docent, contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

CAPUT V.

De Confessione.

Ex (*Luca* 5. & 17. *Jac.* 1. *Joan.* 1.) institutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicatæ, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus, (*Joan.* 19. *Matth.* 16.) e Terris adscensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint; qui pro potestate Clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient: constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac singillatim, sua ipsis peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima (*Deut.* 5.) Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata etiam cogitationis, (*Ephes.* 2.) homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione, a Deo quærere. Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christifideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innotescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse; nempe est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & in conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: (*Psalm.* 18.) Ab occultis meis munda me, Domine. Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis

Digitized by Google

vis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per Absolutionem certissime conferuntur. Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ad aliorum exemplum, tum ad Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis, & antiquissimis Patribus, magno, unanimique consensu, secreta Confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur (quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat) sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ; quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum.

CAPUT VI.

De Ministro hujus Sacramenti, & Absolutione.

Circa Ministrum autem hujus Sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini, *Matth. 16. & 18.* Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo; (*Jo. 20.*), & : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata: publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti, in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a Judice, sententia pronuntiatur; atque ideo non debet Pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam, si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere, & coram Deo esse absolutum: nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret; nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret.

CAPUT VII.

De Casuum reservatione.

Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare (*Rom. 1.*) Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos, tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere; verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.

CAPUT VIII.

De Satisfactionis necessitate, & fructu.

Demum, quoad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim, & illustria (*Gen. 3. 2. Reg. 12. num. 12. & 20. 2. Machab.*

thab. 1. *Matth.* 11. *c.*) in sacris litteris exemplar reperiuntur, quibus; præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter (1.*Cor.* 3.) Templum Dei violare, (*Ephes.* 4.) Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & (*Heb.* 10.) contumeliosi Sp. sancto, & in graviora labamur, (*Rom.* 2., *Jac.* 5.) thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. (*Ezec.* 33., *Jona* 3. *Jer.* 3. 18. & 25.) Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem (*Isa.* 30. *Eccles.* 7. *Mat.* 3. 4. 11. & 18. *cum fin.*) a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, (*Rom.* 5. 1. *Jo.* 2. *in princ.*) qui pro peccatis nostris satisfecit, (2.*Cor.* 3.) ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod (*Rom.* 8.) si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui (*Cor.* 3. *Philip.* 4. 2.*Cor.* 3. *in fin.*) ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo unde glorietur: (2.*Cor.* 10. *in fin.*, *Gal.* 5.) sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo (*Actor.* 17.) vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, (*Matth.* 3. & 4. *Luc.* 3. 10. & 17.) facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: Nam (*Matt.* 16. & *Jo.* 20.) Claves sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent; nec propterea existimarunt, Sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis D. N. Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere volunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.

CAPUT IX.

De operibus satisfactionis.

Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

INSTRUCTIO DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. EX RITUALI ROMANO.

Sanctum pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, & quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum, ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, & forma, & minister; illius quidem remota materia sunt peccata; proxima vero sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Forma autem, illa absolutionis verba: *Ego te absolvo &c.* Minister denique est sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris, & peccatis absolvere. In ejus Ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretæ confessionis sub exacto, perpetuoque silentio. Quibus, & aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii.

In primis meminerit confessarius, se Judicis pariter, & Medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ, simul & misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse; ut tanquam arbiter inter Deum, & homines, honori divino, & animarum saluti consulat.

Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus Medicus, animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat; quantam potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, præsertim e Catechismo Romano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

Sciat casus, & censuras S. Apostolicæ, & ordinario suo reservatas, & suæ cujusque Ecclesiæ Constitutiones, easque diligenter observet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra præscribitur.

O R-

Digitized by Google

ORDO MINISTRANDI

SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

SAcerdos ad audiendam Confessionem vocatus promptum, facileuque se præbeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte, sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus Confessiones audiat, nisi ex causa rationali, quæ cum inciderit, studeat tamen in decenti, ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat; quæ sedes patenti, conspicuo, & apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter Pœnitentem, & Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo, & stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, & habitus accedat, & flexis genibus, signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) & quam pridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam adimpleverit, num rite, atque integre alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quod si Pœnitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

Si vero Confessarius, pro Personarum qualitate, cognoverit Pœnitentem ignorare christianæ fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Tum Pœnitens confessionem generalem latina, vel vulgari lingua dicat, scilicet *Confiteor &c.* vel saltem utatur his verbis, *Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi, Pater*. Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite, & integre confiteatur, remota stulta illa quorundam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

Si Pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias, non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus; vel illos de eo, quod ignorant, imprudenter interroget, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac Pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, temediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem, & convenientem satisfactionem, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, & ætatis, & item dispositionis Pœnitentium; videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat; veluti avaris eleemosynas; libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones; superbis humilitatis officia; desidiosis devotionis studia. Rarius autem, vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, & si expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent; neque a pœnitentibus quicquam, tanquam ministerii sui præmium, petant, & accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit Absolutio; nec absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, & scandalum tollant: neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, & censuris, quantumvis reservatis: cessat enim tunc omnis reservatio; sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet præstiturus.

Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porro Sacerdos, ægris non esse injungendam gravem, aut laboriosam pœnitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim, juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactoria interposita, & acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

EX

Digitized by Google

EX CATECHISMO ROMANO.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

De operibus satisfactoriis.

SEd duo præcipue in satisfactione requiruntur: primum est, ut is, qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus: opera enim, quæ sine fide, & caritate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt: alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ natura sua molestiam, & dolorem afferant: cum enim præteritorum scelerum compensationes sint, atque ut inquit Sanct. Martyr Cyprianus, redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant. Quanquam non semper illud consequitur, ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Sæpe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum caritas efficit, ut quæ perpessu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant: siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita ejus amore, & pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati, aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia lætissimo animo perferant.

Quæ sint opera satisfactionis.

VErum omne satisfactionis genus pastores docebunt ad hæc tria præcipue conferendum esse: orationem, jejunium, & eleemosynam: quæ quidem tribus bonis animæ, corporis, & iis, quæ externa commoda dicuntur, quæ omnia a Deo accepimus, respondent; nihil vero aptius, & convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices esse potest. Nam, cum omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, nemo non videt, hisce tribus morbi causis totidem medicinas; priori scilicet, jejunium; alteri, eleemosynam; tertiæ, orationem rectissime opponi. Præterea, si eos etiam, qui peccatis nostris offenduntur, spectemus, facile erit intelligere, cur ad hæc tria potissimum omnis satisfactio referatur. Hi vero sunt Deus, proximus, & nos ipsi. Quare Deum oratione placamus, proximo eleemosynam satisfacimus, nos ipsos vero jejunio castigamus.

Afflictiones, quæ extrinsecus hominibus immittuntur, sunt etiam satisfactoria.

SEd quoniam multæ, variæque ærumnæ, & calamitates, dum in hac vita sumus, nos premunt, illud maxime Fideles docendi sunt, eos, qui patienti animo, quidquid laboriosi, & incommodi Deus immiserit, ferant, amplam satisfaciendi, & merendi materiam nactos esse: qui autem inviti, & repugnantes pœnam hujusmodi sustineant, omni satisfactionis fructu privari; sed Dei tantum peccata justo judicio ulciscentis, animadversionem, & supplicium perferre.

Unus pro alio satisfacere, non autem confiteri, aut conterere potest.

IN eo vero summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere; quod quidem hujus partis pœnitentiæ maxime proprium est. Ut enim, quod ad contritionem, & confessionem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri potest, ita qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere: quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec vero de hoc cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus est, qui Apostolorum Symbolo, Sanctorum Communionem confitemur: nam cum omnes eodem Baptismo abluti, Christo renascamur, eorumdem Sacramentorum participes simus, si in primis vero ejusdem corporis, & sanguinis Christi Domini cibo, & potu recreemur, hoc apertissime demonstrat, nos omnes esse ejusdem corporis membra. Quemadmodum igitur, neque pes suæ tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur, neque rursus, quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est; ita communia inter nos satisfactionis officia existimari debent.

Non omnis satisfactionis virtus aliis communicari potest.

NEque tamen id sine ulla exceptione verum est, si commoda omnia, quæ ex ea capiuntur, spectemus: nam satisfactionis opera, medicinæ etiam, & curationes quædam sunt, quæ pœnitenti ad sanandos pravos animi affectus præscribuntur: quo quidem utilitatis fructu eos, qui per se non satisfaciunt, prorsus carere perspicuum est. Hæc igitur de tribus pœnitentiæ partibus, contritione, confessione, & satisfactione, copiose, & dilucide explicanda erunt.

Illi impendenda non est absolutio, qui rem ablatam restituere non promittit.

SEd illud in primis a Sacerdotibus observari oportet, ut, audita peccatorum confessione, antequam pœnitentem a peccatis absolvant, diligenter curent, ut, si quid ille forte de re, aut de existimatione proximi detraxerit, cujus peccati merito damnandus esse videatur, cumulata satisfactione compenset: nemo enim absolvendus est, nisi prius, quæ cujusque fuerint, restituere polliceatur. At quoniam multi sunt, quibus, etsi prolixe pollicentur se officio satis esse facturos, tamen certum est, ac deliberatum, nunquam promissa exsolvere, omnino ii cogendi sunt, ut restituant; sæpeque illud Apostoli eis inculcandum est, ut qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est; ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.

Cujusmodi Satisfactio Pœnitenti sit imponenda.

IN irroganda autem Satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse; sed omnia justitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt. Atque, ut hac regula peccata metiri videantur, & Pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, OPERÆ PRETIUM ERIT, EIS INTERDUM SIGNIFICARE, QUÆ POENÆ QUIBUSDAM DELICTIS, EX VETERUM CANONUM PRÆSCRIPTO, QUI POENITENTIALES VOCANTUR, CONSTITUTÆ SINT. Igitur universæ Satisfactionis modum, culpæ ratio temperabit. Sed ex omni Satisfactionum genere maxime convenit Pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot, & definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut sæpe eadem Satisfactionis opera a Sacerdote indicta, ultro suscipiant, ac repetant; atque ita mores suos componant, ut iis omnibus, quæ ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen virtutis Pœnitentiæ studia nunquam intermittant. Quod si interdum etiam, ob publicam offensionem, publica pœnitentia præscribenda fuerit, quamvis eam Pœnitens refugiat, ac deprecetur, non erit facile audiendus; verum persuadere ei oportebit, ut quæ tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti, atque alacri animo suscipiat. Hæc de Pœnitentiæ Sacramento, singulisque ejus partibus ita docenda erunt, ut non solum ea perfecte Fideles intelligant; sed etiam, juvante Domino, re ipsa pie, & religiose præstare animum inducant.

Benedictio in Articulo Mortis.

POntifex Benedictus XIV. anno 1747. Episcopis facultatem concessit, & eorum delegatis Indulgentiam Plenariam Ægrotis petentibus impertiri, postquam Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta acceperint, aut verosimiliter quæsiissent, aut si signum aliquod doloris dederint, & postea sensus amiserint. Non vero excommunicatis, & impœnitentibus: nec etiam illis, qui in evidenti peccato moriuntur. Modus, quo datur benedictio (*cum non sit tam facile obvius*) hic proponitur.

Sacerdos Ægroti domum ingrediens dicat: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat eam Aqua benedicta dicens; Asperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor. Postea dicat. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri &c. Et nihil aliud dicens, repetat Antiphonam. Asperges me &c.

Si Ægrotus Confessionem petit, Sacerdos benigne audiat; sin vero, Contritionis actum ut Ægrotus eliciat, studeat, confortetque eum ad Paradisi gloriam sperandam. Hortetur, ut totum se offerat Deo; & pro peccatorum suorum satisfactione id, quod vult Deus, ipsamque mortem acceptet. Inde dicat.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel Ancillæ tuæ,) neque vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison. Christe, eleison, Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum (vel Ancillam tuam) Domine.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera Fides, & Spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus Anima in hora exitus sui, te Judicem propitiatum inveniat, & in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem &c.

Tunc postquam Clericus dixerit: Confiteor Deo &c. *Sacerdos dicat.* Misereatur &c. Indulgentiam &c. Et deinde.

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam Misericordiam recipiat Confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; & ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam Plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per sacrosancta humanæ Reparationis Mysteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes præsentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus ✠ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

At si Infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret sufradictis precibus, Sacerdos statim non impertiatur ei præfatam Benedictionem dicendo: Dominus noster Jesus Christus &c.

DECRETUM.

Sacra Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita.

UT erga Parochiales Ecclesias, quæ ob earum tum dignitatem, tum antiquitatem magno semper in honore habitæ sunt, Christifidelium amor magis magisque augeatur; utque suam erga eas benevolentiam peculiarem demonstraret Sanctissimus Dominus Noster Clemens P. P. XIII., prævio Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ Voto, speciali gratia, Altaria Privilegiata quotidiani ad septennium omnes,

nes, & singulas totius Urbis præfatas Ecclesias benigne decorari voluit, revocatis hujusmodi privilegiis intuitu parœciæ, sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis; ea tamen adjecta lege, ut quilibet Episcopus de hujusmodi gratia supplicet pro sua respectiva Diœcesi, & unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuscujusque Diœcesis Parochialibus Ecclesiis suffragetur. Præterea, ne hujusmodi privilegio fraudentur aliæ Ecclesiæ pollentes speciali prærogativa, veluti Collegiatæ, & Abbatiales nullius, & Parochiales a se dependentes, Sanctitas Sua pari benevolentia, modo supra indicato hoc idem privilegium mox enunciatis Ecclesiis communicatum voluit. Expirato vero septennio Sede plena, eadem Sanctitas sua mandat, ut ipsimet Episcopi, & Abbates, Sede autem vacante, Vicarii Capitulares, sive in spiritualibus, Abbatiarum Administratores pro renovatione ejusdem privilegii supplicent.

Ne autem parochi expensis graventur, voluit insuper Sanctitas Sua, nihil omnino exigi posse, sub pœna nullitatis privilegii, ab officialibus tum Episcoporum, tum Abbatum in certiorandis parochis, sive in expediendis literis pro designatione Altaris privilegiati in unaquaque parochiali Ecclesia Diœcesis. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum die 19. Maji 1759.

Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. E. Vicecomes Sac. Cong. Indulgentiarum Secretarius.

DECRETUM

Sacra Congregationis Indulgentiis, & sacris Reliquiis præposita.

UT Christifideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum, *qui vere pœnitentes, Confessi, ac sacra Communione refecti Ecclesiam visitaverint*, quæ Indulgentiarum Brevibus inseri solent in S. Congreg. Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, discussis *die* 31. *Martii proximi præteriti* nonnullis dubiis, eadem Sac. Congregatio fuit in Voto, Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum Operum implementum.

Factaque de iis per me infrascriptum ejusdem S. Congregationis Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro; *Sanctitas Sua* ejusdem S. Congregationis Votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum die 19. Maji 1759.

Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. E. Vicecomes Sac. Cong. Indulgentiarum Secretarius.

DECRETUM

Sacra Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita.

CUm ex veteri more, & laudabili Ecclesiæ instituto die secunda Novembris omnium Defunctorum memoria recoli, eorumque Animæ ab universis Christifidelibus, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, & Ecclesiæ suffragiis, potissimum vero acceptabili sacrosanctæ Missæ Sacrificio juvari soleant, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. ex paterna sua charitate erga omnes Fideles tam vivos, quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia, & charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto Catholicæ Ecclesiæ thesauro abundantius suffragari quammaxime cupiens, ut celerius e Purgatorii pœnis liberatæ ad æternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositorum, universali hoc Decreto perpetuis futuris temporibus valituro, benigne concedit, ut Missa die prædicta Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote sæculari, vel cujuslibet Ordinis, & Instituti Regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in Altari privilegiato celebrata; decernendo tamen, ut non nisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa, licet privilegiata accipiat, & in ea tantum quantitate, quæ a synodalibus constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter præfinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

N. Card. Antonellus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

I. De Comitibus Sac. Cong. Indulgentiarum Secretarius.

RESPONSUM

SACRÆ POENITENTIARIÆ

Ad quæstionem, an liceat Dispensatis in Quadragesima, & vigiliis ad lacticinia, in serotina collatiuncula parum casei sumere.

Excerptum ex lib. 3. tract. 6. dub. 1. cap. 3. Alphons. de Ligorio.

NUper per quemdam Confessarium supplicatus fuit SS. Pontifex Benedictus XIV. ut explicaret an revera liceret in serotina collatiuncula parum casei sumere iis, qui in Quadragesima, & vigiliis sunt dispensati ad lacticinia? Pontifex supplicationem transmisit ad S. Pœnitentiariam, quæ sic rescripsit: *Sacra Pœnitentiaria optime conscia mentis Sanctitatis suæ, ex speciali auctoritate ejusdem respondet non licere*. Rationem afferens, quod illud *jejunantes* expressum in Bulla *Libentissime* præ-

Digitized by Google

prætati Pontificis Benedicti XIV. (ubi dictum fuit dispensatos ad carnes, vel ad lacticinia *opus habere ex cibo, eaque uti portione, quibus utuntur jejunantes recta meticulosa conscientia*) intelligitur de rigorose jejunantibus Quadragesimali jejunio, in quo tam carnes, quam ova, & lacticinia vetantur.

Deinde dubium subortum fuit, an S. Pœnitentiaria illud, *Optime conscia mentis &c.* dixerit ex sua interpretatione, vel ex proprio Oraculo Pontificis. Idcirco idem Confessarius iterum Papam supplicavit, ut ipsemet mentem suam explicaret. Venit responsum (quod ego ipse authenticum observavi, & nunc apud me est) in quo sic dicitur: *Sacra Pœnitentiaria de mandato SS. Domini, qui suis ipse oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondet vera esse, & pro veris habenda quæ constat ab eadem Pœnitentiaria fuisse rescripta. Datum Romæ in Pœn. die 23. Julii 1756.*

INDEX GENERALIS
PROPOSITIONUM DAMNATARUM
ARTICULI XLV.
JOANNIS WICLEF ANGLI

Damnati anno 1418. in Concilio Constantiensi, Sess. 14.

I. 
Ubstantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanet in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter propria præsentia corporali.

4. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.

8. Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super Fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam; sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel consilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.

13. Illi, qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionariis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio Juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio reservantur Papæ, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta: tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Pec-

Digitized by Google

31. Peccant fundantes Claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam ditando.

34. Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regnum cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet Domini sæculares, & cæteri laici.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38. Decretales Ecclesiæ sunt apocryphæ, & seducunt a fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator, & Domini sæculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere Indulgentiis Papæ, & Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerit de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones: & sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

ARTICULI XXX.

JOANNIS HUS BOHEMI

Damnati anno 1418. in Concilio Constantiensi, sess. XIV.

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, divinitas, & humanitas, sunt unus Christus.

5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars S. Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ S. Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sic ut filii infideles sentiunt infideliter de 7. Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, & institutiva Cæsaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus, & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: & si quærit avaritiam, tum est Vicarius Judæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, & consilia Domini JESU Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, & scribas, & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari judicio tradiderunt; & quod tales sint homicidæ graviores quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obstante prætensa excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras Ecclesiasticas excommunicatio-nis,

nis, suspensionis, & interdicti ad sui exultationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, & præsertim, si est præscitus, tunc, ut Judas Apostolus, & diabolus, est fur, & filius perditionis, & non est caput S. militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodliber ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus, & præscitus, est æquivoce Pastor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium; & tortores, & præcones dicentur sancti, immo etiam Diabolus deberet dici sanctus, cum sit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam, & legitimam electionem secundum Constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Scariotes rite, & legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45. artic. Joannis VVicleff per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus, & manifestus Successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico: unde sive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur, & conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent deficiente per summe possibile Papa usque ad diem judicii.

30. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

PROPOSITIONES LXI. MARTINI LUTHERI

Damnatæ a Leone Papa X.

1. Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cæli.

4. Imperfecta caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem: hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus huc usque data præstantius; de cætero non facere, summa pœnitentia; optima pœnitentia, nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti, immo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, *Quodcumque solveris* &c. (*Matth.* 16.) Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime erit absolutus.

13. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Ma-

Digitized by Google

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramentum Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi judicium sibi manducant, & bibunt: sed si credant, & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos.

16. Consultum videtur quod Ecclesia in communi Concilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos; nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi, & Sanctorum.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum quæ licent, & de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, & ad fructus spiritus utiles.

21. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum, *Quodcumque solveris super terram*, &c. (*Matth.* 16.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec Universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34. Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

38. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes; nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ caritatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non malefacerent, si omnes saccos Mendicitatis delerent.

PROPOSITIONES LXXIX.

MICHAELIS BAJI.

Damnatæ a Gregorio Papa XIII.

1. NEC Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum; & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit Homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato di-

dimiſſo, ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, proprie nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quod pie, & juſte in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſt regni cæleſtis meritorium.

13. Opera a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſint conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona Juſtorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum ſanctum, ſed in eo ſolum quod obedit divinæ legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine caritate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita: quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Juſtitiæ, & Temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli ad Romanos 11. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*, intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Caritate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otioſis hominibus, ſecundum inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt: Hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatos.

25. Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ii ſunt latrones, qui Chriſtum, viam & oſtium veritatis, & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum in viam juſtitiæ (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.

31. Caritas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt, & commenticia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex natura totis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vicioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.

42. Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum, eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ a Fidelibus fiunt, ſolum ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, juſtifi-

can-

Digitized by Google

cantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum caritatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in Vite Christo efficitur: pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem: & caritas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum caritate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc beata virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*. Unde homo eos sentiens, non consentiens, trans-

transgreditur præceptum, *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali.

P R O P O S I T I O N E S V.

Ex Libro JANSENII excerpta,

Damnatæ ab Innocentio Papa X.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

3. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

P R O P O S I T I O N E S XXVIII.

Ab ALEXANDRO PAPA VII.

Damnatæ die 7. Septemb. 1665.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta & ab excommunicat one propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hinc potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed velu-

Digitized by Google

veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

PROPOSITIONES XVII.

Ab ALEXANDRO PAPA VII.

Damnatæ die 18. Martii 1666.

29. IN die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *Regalo*; dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES LXV.

Ab INNOCENTIO PAPA XI.

Damnatæ die 2. Martii 1679.

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto Proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari,

Digitized by Google

& de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem uti malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Patentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hine potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quorumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si impingat alapam, vel fuste percuriat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non

non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignus, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin immo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES LXVIII.

Quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos *docebantur.*

Proscriptæ ab eodem INNOCENTIO XI.

12. *Kalendas Decembris* 1687.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare; & hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere, velut exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, & ad ipsum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata; & Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra

divi-

divinæ. Et illud Evangelii: *Petite & accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent; quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore prodedit, & illud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est; Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio; & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipsa permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei; immo eam perfectiorem efficiunt; quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, est absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum: & male agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro illis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. V. nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria, mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt

Digitized by Google

gerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. B. V. nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem pervenire potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arrepititiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat; etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione movendo physice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata; quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio; nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via: & hæc est via facilior, & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum: sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri; & sanctissime fit, non confitendo: quia hoc pacto superatur Dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri; quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. xvi. Job.)

50. David, Hieremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent: de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit: de Eliseo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vere fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur de dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod iis consenserint, & videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cogitatione humana, ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, & certus sum quod hoc lumen a Deo procedit; quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio Mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, duæ cupiditates, animæ, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a confessione, a confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia perseverante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum pœnitentiæ accedere; quia id est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult,

Digitized by Google

vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi; primo quia non habet fidem adeo puram; secundo quia non est adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam salutem; quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illud ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus, & director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsa cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris quoad internum animæ: & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ &c.

PROPOSITIONES XXXI.

AB ALEXANDRO PAPA VIII.

Damnatæ die 7. Decembris 1690.

I. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sicut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, caritas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. M. V. a die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba Legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus,

Digitized by Google

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pont. Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

PROPOSITIONES XXIII.

Quæ prætextu Amoris erga Deum purissimi in Galliis docebantur.

Proscriptæ ab INNOCENTIO PAPA XII.

Die 12. *Martii* 1669.

1. DAtur habitualis status amoris Dei, qui est Caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animæ, est, non aliud facere quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis: & ideo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium: sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrorum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio, non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium..... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo persugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus, quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia.
..... Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divina a semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis anfractibus directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori .... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur ... Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum Contemplationis... Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quo-

quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult amplius, & amor zelotypus simul efficit, ne quis sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute prædirus, quam eum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest diei in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti Mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

PROPOSITIONES CI.

Damnata a CLEMENTE PAPA XI.

In Bulla Unigenitus.

Die 7. Septembris 1713.

1. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus Peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri Fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad Fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum Fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit Peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, se se humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ: quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentia operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.

27. Fi-

Digitized by Google

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatores.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem & mysteria, ut facit S. Paulus dicens. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & statum innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei, sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Caritas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est Caritas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius: alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Caritate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine Amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus caritatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Caritatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc Fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola Caritas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

54. Sola Caritas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi Caritatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat, nisi Caritatem; quoniam Caritas sola Deum honorat.

57. Totum deest Peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Caritas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat aut adimpleat, ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide, & precibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictio-

ctiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes Electos, & Justos Terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona; unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei; quia omnes Electi, & Justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

78. Separatur quis a Populo electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput est JESUS Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & supee omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt Hæreses.

84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu ejus illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, & Caritate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, JESU Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Caritatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Auctoritatem, aut scindere Unitatem.

93. JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem Fidelium, & foveri divisiones, propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina quasi plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tamquam indigna ut sint, in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed Justus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tamquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, tempus hoc advenit . . . Haberi, & tractari a Religionis Ministris tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Reli-

Religionis, persequendo flammà, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

PROPOSITIO UNICA.

Damnata ab INNOCENTIO PAPA X.

Feria V. die 29. Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Rom. & Universalis Inquisitionis.

SAnctus Petrus, & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt: vel, sunt duo Ecclesiæ Coriphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti: vel, sunt geminus Universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt: vel, sunt duo Ecclesiæ Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt: cum explicatione, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine Universalis Ecclesiæ.

PROPOSITIONES II.

Damnatæ ab INNOCENTIO PAPA XI.

In Congregatione Generali S. Rom. & Universalis Inquisitionis die 23. Novembris 1679.

1. DEus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

PROPOSITIO UNICA.

Damnata in Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam die 18. Novembris 1682.

SCientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

PROPOSITIONES II.

Damnatæ ab ALEXANDRO PAPA VIII.

Die 24. Augusti 1690.

1. BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum Regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: *Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

2. Peccatum Philosophicum, seu Morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero, & morale, est transgressio libera divinæ Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

PROPOSITIONES V. DE DUELLO.

Damnatæ a BENEDICTO PAPA XIV.

Quarto Idus Novembris 1752. in Constitutione, quæ incipit Detestabilem.

1. VIR Militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur; vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit Ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

4. Licitum est in statu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad servandas eum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Summarium Bullæ BENEDICTI XIV.

Quæ incipit Sacramentum Pœnitentiæ *ac ejusdem Declarationis, quæ incipit* Apostolici muneris.

NON liceat Confessario cuilibet, etiam Regulari personam complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra Sextum Decalogi Præceptum commisso audire in Confessione, & valide absolvere extra mortis articulum, etiam tempore cujuscumque Jubilæi, vel habita Bulla, quæ cruciatæ sanctæ appellatur, vel posito quocumque alio Indulto; cum sit ei a Papa adempta quæcumque auctoritas, & jurisdictio ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, & hoc sub pœna Excommunicationis majoris Summo Pon-

Pontifici reservatæ, ipso facto incurrendæ ab eo, qui secus facere ausus fuerit. In mortis vero articulo, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos etiam simplex ad audiendam constitutæ in dicto periculo personæ Confessionem vocari, & accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat, licite, & valide socium criminis absolvet. Si autem aut scandali pericula confingat, ubi non sunt, aut hujusmodi pericula, quantum in se est, antevertere, vel removere non curabit, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ, valide quidem (ne hac occasione aliquis pereat,) sed illicite Absolutionem impendet, & in hoc casu supradictam Excommunicationis pœnam non effugiet.

Item nec Absolutionis beneficium impendere possit (nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo) cuicumque personæ, quæ execrabili vitio innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso Sollicitationis insimulaverit: vel per se ipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelesse procurando, ut id ab aliis fiat; cum Summus Pontifex, ut metu magnitudinis pœnæ tam detestabile facinus coerceatur, hujus criminis Absolutionem sibi reservaverit.

Casus reservati Summo Pontifici ex Decreto Clementis VIII.

1. Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis *Constitut. Gregor. XIV.*
2. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.
3. Duellum in terminis *Concilii Tridentini, & Constitutionis Gregorii XIII.*
4. Injectio manuum violenta in Clericum.
5. Simonia realis scienter contracta.
6. Confidentia Beneficialis.

INSTRUCTIO PRO CONFESSARIIS.

Pro obtinendis, & exequendis Litteris Sacræ Pœnitentiariæ.



Quotiescumque ad Confessarii pedes se obtulerit Pœnitens, qui Papæ dispensatione, sive absolutione indigeat, primum curabit Confessarius, ut eidem Pœnitenti gravitatem delicti patefaciat, eique insinuet, ut interim, dum expectatur a Sacra Pœnitentiaria facultas opportuna, frequentibus Contritionis actibus, aliisque piis precibus, ad digne recipiendam absolutionem, seu dispensationem Apostolicam se disponat.

Si vero occasione Confessionis deprehenderit, Pœnitentem indigere dispensatione, ut in Matrimonio contracto remaneat, isque de dicto impedimento notitiam non habeat, eo casu in bona fide illum relinquet, ob periculum incontinentiæ: sed moneat, ut tempore congruo redeat; & interim necessariam dispensationem impetrabit.

Sciat Confessarius, sacram Pœnitentiariam non posse, sive non solere concedere dispensationem ab impedimentis cujuscumque gradus consanguinitatis, & affinitatis, provenientibus ex copula licita, & cognationis spiritualis, etiamsi causa esset occulta. Super impedimento autem affinitatis ex copula illicita proveniente, quæ sit occulta, dispensat, tam pro contracto, quam pro contrahendo, ac pariter super impedimento superveniente, ad effectum petendi debitum conjugale, a quo tamen etiam Episcopus potest dispensare. Quo vero ad impedimentum consanguinitatis occultum, & ortum ex copula illicita pro matrimoniis jam contractis dispensat, excepto primo, ac secundo gradu. Ulterius si super tertio, vel quarto consanguinitatis gradu obtenta fuisset dispensatio Apostolica a Dataria, ejusque vigore Matrimonium contractum fuisset, & propter surreptionem, vel obreptionem dispensatio non subsisteret, quatenus hoc sit occultum, a sacra Pœnitentiaria obtinetur dispensatio, seu potius revalidatio, dummodo non fuisset expressa in supplicatione copula, quæ vere inter sponsos non intervenerat.

Quod si obtenta fuisset dispensatio Apostolica super aliquo gradu prohibito, reticita cupula secuta inter sponsos, si sit occulta, & maxime si dispensatio a Dataria sit expedita in forma pauperum, sacra Pœnitentiaria dispensat, tam pro contracto, quam pro contrahendo. Si vero est expedita in forma ordinaria, & agatur de impedimento primi, & secundi simul, vel secundi tantum, Sacra Pœnitentiaria non dispensat, etiamsi copula sit occulta, nisi facta compensatione cum Dataria.

Si miserabiles personæ, in casu dispensationis a Dataria obtentæ, tacuerint in supplicatione, copulam inter se secutam fuisse malitiose, videlicet animo facilius obtinendi dispensationem, super hoc defectu, a Sacra Pœnitentiaria obtinetur dispensatio; e contra vero si agatur de personis nobilibus, seu civilibus, eo casu recurrendum est ad Datariam.

Ceterum eadem Sacra Pœnitentiaria dispensat etiam super impedimento criminis, ex causa adulterii, si solum intervenit fides, & promissio de contrahendo, *neutro machinante*, & in casibus occultis, & tam pro contrahendo, quam pro contracto, & aliquo gravi casu etiam dispensat *utroque, vel altero machinante.*

Absolvit pariter eadem Sacra Pœnitentiaria a Cen-

Censuris ex gravibus etiam delictis, etiam hæresis, si complices non adsint, eademque delicta sint occulta, & dispensat ab irregularitatibus ex delictis occultis provenientibus, semper pro foro conscientiæ tantum; commutat similiter Vota etiam simplicia Religionis.

Ut autem Confessarius sciat quomodo hujusmodi dispensationes possint obtineri, advertitur, quod extendendus est supplex Libellus in forma Epistolæ, latino, sive vulgari idiomate, in quo distincte narretur factum cum omnibus circumstantiis necessariis, & præsertim quod casus sit occultus, cum sacra Pœnitentiaria non dispenset, nisi in casibus occultis, pro foro conscientiæ tantum, suppressis nominibus, & petitur dispensatio, seu absolutio juxta casus contingentiam, & dirigitur Eminentissimo D. Cardinali majori Pœnitentiario Romano, prout hic per modum exempli notatur. Intus.

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

N. mulier emisit votum simplex Castitatis, & manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat. Supplicat sibi votum commutari, ad effectum contrahendi Matrimonium.

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

N. vir contraxit matrimonium cum N. quamvis prius illius sororem carnaliter cognoverit, & cognoverit ignorans impedimentum, quod adhuc est occultum, ideo supplicat conscientiæ suæ provideri, cum modo noverit impedimentum &c.

Post supplicem Libellum, ut possit haberi responsio, adjungatur: *Dignetur E. V. rescribere ad N. N. scilicet exprimatur nomen, & cognomen, cui est rescribendum ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis, vel Oppidi &c.*

A tergo vero Epistolæ obsignatæ, in qua contineatur prædictus supplex Libellus.

Eminentiss. & Reverendiss. DD. Colendiss. D. Cardinali Majori Pœnitentiario Romano.

Si responsio plus debito tardaret, iterum scribere oportet, quia contingere potest, quod littera deperdita fuerit.

Postquam venerit responsio, de consensu Pœnitentis aperienda est, quatenus idem Sacerdos eam exequi possit, & fuerit ab eodem Pœnitente electus, pro audienda ejus Sacramentali Confessione; quia aliquando sacra Pœnitentiaria dirigit Epistolam, Decretorum, sive Theologiæ Doctori, ac proinde si talem qualitatem non haberet, deberet Pœnitens litteram præsentare Confessario, qui dicta qualitate insignitus foret.

Aperta Littera per Confessarium, examinabit diligenter, an vera sint exposita, & conditiones, sub quibus fuerit concessa dispensatio, seu absolutio, ut possit religiose conditiones omnes adimplere, & Pœnitenti injungere, quæ injungenda sunt.

Dispensatio, sive Absolutio non potest concedi, nisi in actu Sacramentalis Confessionis, quia, ut dictum est, non prodest nisi in foro Conscientiæ.

Dictum est, sacram Pœnitentiariam non absolvere, sive dispensare, nisi in casibus occultis: unde sciendum est, reputari casum occultum, si non fuerit notorium, vel ad Forum deductum, ita ut, etiamsi aliqui de eodem notitiam habuerint, nempe in Comitatu duo, vel tres; in Castro quinque, vel sex; in Civitate septem, aut octo, adhuc casus reputetur occultus, nisi ex circumstantiis resultaret, quod delictum occultum esset cito detegendum, & publicandum, nam tunc non posset concedi Absolutio.

Obtenta vero, & executa dispensatione, si postea ex accidenti detegetur publice impedimentum, tunc conjuges separandi essent, donec a Dataria obtineretur dispensatio; verum si hoc tempore, citra scandalum, se cognoscerent, non peccarent; quia quoad forum internum sunt dispensati.

Quoad matrimonia contracta, quæque nulla sunt ob aliquod impedimentum dirimens, si conjuges sunt illius conscii, & pro utroque sit petita dispensatio, monendi sunt a Confessario, ut denuo private, ac secreto contrahant, præstando novum consensum: Quod si alter tantum sit ejusdem impedimenti conscius, & pro eo sit petita dispensatio, debet ille moneri, ut alterum conjugem de nullitate Matrimonii informet; sed ita caute, ut delictum non pandatur.

In hoc maxime versari debet Confessarii prudentia, nempe in insinuando Pœnitenti modum, quo se gerere debeat cum altero conjuge, ad effectum obtinendi novum consensum sine manifestatione, aut suspicione delicti, pro revalidatione Matrimonii omnino necessarium, licet satis sit, ut præstetur per conjuges private inter eos: unde circumstantias personarum considerabit, & lumen a Deo implorabit, ut rectum consilium, quo scandalorum pericula submoveantur, subministret, eum certa regula universaliter dari non possit.

Ut autem intelligantur abbreviaturæ Litterarum S. Pœnitentiariæ, eæ hic adnectuntur pro majori Confessariorum commoditate.

Archiepns	*signif.*	Archiepiscopus.
Alr		Aliter.
Als		Alias.
Absoluo		Absolutio.
Aplica		Apostolica.
Appbatis		Approbatis.
Autte		Auctoritate.
Cardlis		Cardinalis.
Canice		Canonice.
Cen		Censuris.
Circumpeoni		Circumspectioni.
Xpus		Christus.
Confeone		Confessione.
Confeori		Confessori.
Coone		Communione.
Consciæ		Conscientiæ.
Constituonibus		Constitutionibus.
Discreoni		Discretioni.
Dispensao		Dispensatio.
Dnus		Dominus.
Ecclæ		Ecclesiæ.
Effus		Effectus.
Epus		Episcopus.

Excoe		Excommunicatione.
Fc		Frater.
Frum		Fratrum.
Gnli		Generali.
Hnmoi		Hujusmodi.
Humit		Humiliter.
Infraptum		Infrascriptum.
Iregulte		Irregularitate.
Igr		Igitur.
Intrepta	*signif.*	Introscripta.
Lia		Licentia.
Ltima		Legitima.
Lræ		Litteræ.
Lite		Licite.
Matrimonium		Matrimonium.
Magro		Magistro.
Miraoe		Miseratione.
Mic		Misericorditer.
Nulltus		Nullatenus.
Ordio		Ordinatio.
Ordinaoni		Ordinationi.
PP.		Papa.
Pc.		Pater.
Pontus		Pontificatus.
Ptus Præfatus,	*seu*	Prædictus.
Ptut Præfertur,	*seu*	Prædicitur.
Pntium		Præsentium.
Pbter		Presbyter.
Pbricida		Presbytericida.
Pœnia		Pœnitentia.
Poe		Posse.
Pror		Procurator.
Qtnus		Quatenus.
Qd		Quod.
Relaci		Regulari.
Relione		Religione.
Roma		Romana.
Stæ		Sanctæ.
Saluri		Salutari.
Sentia		Sententia.
Spalc		Specialiter.
Supplionibut		Supplicationibus.
Spualibus		Spiritualibus.
Tn		Tamen.
Tm		Tantum.
Thia, vel Theolia,		Theologia.
Tli		Tituli.
Venebli		Venerabili.
Vra		Vestra.

Deveniendo ad modum impertiendi vigore Litterarum sacræ Pœnitentiariæ absolutiones, vel dispensationes Apostolicas, notabuntur hic aliqui casus, qui pro cæteris deservire poterunt.

In primis Confessarius in executione Litterarum super commutatione alicujus Voti, examinabit an vere subsistat causa expressa, interrogando diligenter Pœnitentem, & postquam comperierit causam narratam esse veram, audiat Confessionem ipsius Pœnitentis, & si agatur de Voto simplici Religionis, transgresso ob contractum Matrimonium, Pœnitentem moneat quod, mortuo conjuge, tenebitur ad Voti implementum, & pœnitentiam salutarem imponet, quæ, quantum fieri potest, congruens erit actibus ipsius Religionis, levis tamen, sed perpetua, imposita etiam Pœnitentia pro cæteris peccatis in Confessione explicatis, absolutionem in forma consueta impertietur, eaque finita, subjunget: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata te, non obstante Voto Religionis, quod alias emisisti, in matrimonio remanere, & debitum conjugale exigere, & reddere posse declaro. In nomine Patris.* Si Votum sit Castitatis, varietur formula dicendo: *Non obstante Voto Castitatis.* Pœnitentia vero injungatur, ut, quantum fieri potest, voto correspondeat, tam in hoc, quam in cæteris commutationibus, aut dispensationibus Votorum. Quotiescumque vero agatur de Voto Castitatis, sive Religionis transgresso propter Matrimonium contractum, monendus erit Pœnitens, quod, mortuo conjuge, tenebitur servare votum, cum dispensatio solum prosit, ut licite remaneat in præsenti Matrimonio.

Si denique Votum fuerit Votum simplex Castitatis, sive Religionis, & vovens propter carnis stimulos contineri non valeat, imposita Pœnitentia, ut supra, adhibebitur formula sequens.

Item auctoritate Apostolica &c. tibi votum Religionis, seu Castitatis, quod emisisti in opera pietatis, quæ tibi præscripsi ad effectum licite contrahendi Matrimonium, dispensando commuto. In Nomine Patris &c.

Progrediendo ad modum exequendi Litteras sacræ Pœnitentiariæ in Matrimonialibus, primum curare debet Confessarius, ut quatenus adsit, removeatur occasio peccandi; secundo vero ut imponat Pœnitentiam, pensatis qualitatibus ætatis, sanitatis, aliisque Pœnitentis circumstantiis, quæ pœnitentia non sit quotidiana, neque perpetua, sed ad tempus determinatum, nempe jejunii, seu disciplinæ, seu eleemosynæ, vel denique precum, & orationum, juxta suum prudens arbitrium, in uno, vel duobus diebus unius, sive etiam plurium hebdomadarum. Et si agatur de Matrimonio contracto, monere debet Pœnitentem, ne petat debitum, nisi prius Matrimonium revalidatum fuerit cum novo consensu alterius conjugis, secrete tamen inter eos, ut supra dictum est. Et quidem quod hic expressimus de monendo Pœnitente, ne petat debitum, nisi &c. intelligendum est, cum dispensatio obtenta est, & executioni jam demandata. Cæterum quando Confessarius cognoscit in Pœnitente conjugato impedimentum occultum dirimens Matrimonium, non expedit illum tunc monere, ut abstineat a petendo debitum, donec obtenta sit dispensatio, cum enim difficile hoc possit obtineri, præsertim cum impedimentum provenit non ab utroque, sed ab alterutro conjuge, tunc satius esse credendum est, illum relinquere in sua bona fide, & solum illi injungere, ut revertatur post tantum temporis spatium, quantum judicabitur necessarium ad obtinendam dispensationem, quæ interim a Sacra Pœnitentiaria procurabitur.

Formulæ autem, quibus in dispensationibus ab impedimentis Matrimonii uti solent, pro diversitate casuum, sunt sequentes, impertiendæ in actu Sacramentalis Confessionis, postquam pronunciata fuit Absolutio a peccatis.

Pro

Pro eo, qui cognovit carnaliter sororem ejus, quam vult duxere in uxorem.

Item auctoritate &c. Dispenso tecum super impedimento ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis, ut præfato impedimento non obstante, Matrimonium cum dicta muliere, servata forma Sac. Concilii Tridentini, contrahere, consummare, & in eo remanere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex dicto Matrimonio susceperis, legitimam fore pronuncio, & declaro. In nomine Patris, &c.

Pro eo, qui contraxit cum ea, cujus sororem carnaliter cognoverat, quo casu necessaria est etiam absolutio a Censuris latis contra incestuosos.

Misereatur tui &c. Indulgentiam &c.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti, nec non ab omnibus sententiis, censuris, & pœnis, sive jure communi, sive speciali, quomodocumque, contra incestuosos latis, quas incurristi, deinde absolvo a te peccatis tuis. In nomine Patris &c.

Item auctoritate Apostolica dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus, ex copula illicita, quam cum sorore tua putatæ conjugis habuisti, ut illo non obstante, renovato prius consensu cum prædicta sua conjuge, matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licite valeas. In nomine Patris &c.

Et pariter eadem auctoritate, prolem, quam suscepisti, & quam suscipies, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine &c. Passio Domini nostri &c.

Pro eo, qui cognovit consanguineam, sive affinem intra quartum gradum, & obtinuit dispensationem a Dataria super impedimento consanguinitatis, sive affinitatis, reticita copula.

Post absolutionem a Censuris, & peccatis ut supra.

Insuper auctoritate &c. dispenso tecum super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea (vel affine) habuisti, ut præfato impedimento non obstante, Matrimonium cum illa ad formam litterarum dispensationis, quam a Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Et pariter eadem auctoritate prolem, si quam suscepisti, ac susceperis, legitimam fore decerno. In nomine Patris &c.

Pro iis, qui, præcedente adulterio, & data fide contrahere volunt inter se matrimonium.

Præmissa absolutione in forma solita.

Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tecum dispenso super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante, Matrimonium cum muliere complice, servata forma Sacr. Concilii Tridentini, contrahere, & consumare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Insuper eadem auctoritate prolem susceptam, non tamen ex adulterio, & suscipiendam, legitimam esse declaro. In nomine Patris &c.

Prædictæ formulæ mutatis mutandis, deservient pro exequendis dispensationibus in aliis impedimentis matrimonialibus.

Ad Sacram Pœnitentiariam etiam recurritur pro absolutione a Censuris, & dispensationibus super irregularitate, pro rehabilitatione, & condonatione fructuum male perceptorum a Beneficiis, tam si Beneficiatus Horas Canonicas omiserit, quam si fuerit intrusus, aut simoniacus, dummodo semper casus fuerit occultus. In exequendis tamen hujusmodi litteris multam adhibere debet curam Confessarius, inquirendo super veritate causæ expressæ Sacræ Pœnitentiariæ, ac ceteris conditionibus in eisdem Litteris contentis, ne actum irritum faciat cum propria, & pœnitentis animæ jactura.

Formula autem adhibenda pro absolutione a Censuris, est quæ sequitur.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis ab excommunicationis sententia, quam incurristi ob manus violentas injectas in Clericum, sive &c. & ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges &c.

Formula adhibenda pro absolutione ab irregularitate.

Pro absolutione a Censuris, & peccatis, &c.

Et pariter eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irregularitate, quam ex homicidio contraxisti, ut illa non obstante, clericali charactere insigniri, ac Ordines etiam Sacros, & Presbyteratus suscipere, & postquam susceperis, in illis etiam in Altaris Ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Quod si pœnitens sit jam promotus ad Ordines, dicatur ut infra.

Ut illa non obstante in Sacris Ordinibus, etiam in Altaris Ministerio ministrare possis, & valeas. In nomine Patris.

Formula pro absolutione Simoniaci cum rehabilitatione ad Beneficia.

Dominus noster Jesus Christus &c. & ego auctoritate ipsius, & auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis a quibusvis sen-

sententiis, & penis Ecclesiasticis, quas propter Simoniam incurristi, & eadem auctoritate absolvo te a peccatis tuis; in nomine Patris &c.

Et insuper eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irregularitate, quam ex Simonia, & ex violatione postea contraxisti, ut illa non obstante in tuis Ordinibus, etiam in Altaris Ministerio ministrare, ac Beneficia, si quae alias tibi canonice conferentur, non tamen Beneficium, quod simoniace obtinuisti, & dimisisti, recipere, & retinere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Formula pro condonatione fructuum male perceptorum, ob non recitatas Horas Canonicas, quæ concedi debet regulariter, imposita pœnitentia eleemosynæ a Confessario juxta qualitatem pœnitentis taxandæ, & faciendæ, vel pauperibus, vel Ecclesiæ, vel Cappellæ Beneficii.

Post absolutionem a Censuris, & peccatis.

Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, fructus, quos ex tuo Beneficio male percepisti, ob non recitatas Horas Canonicas, mediante eleemosyna tibi imposita, gratiose tibi remitto, & condono. In Nomine Patris &c.

Hæ autem formulæ, mutatis mutandis, deservient pro aliis casibus absolutionum, sive dispensationum.

Ultimo advertendum est, quod secuta executione Litterarum, seu Rescriptorum Sacræ Pœnitentiariæ, debent quamprimum lacerari, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.



F I N I S.

INDEX

Aliquot Constitutionum Pontificiarum, nec non eorum omnium quæ in Epitome Doctrinæ Moralis Benedicti XIV. continentur.

DE CENSIBUS.

DE PENSIONIBUS.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google